17186/c

A.XVII.a

55350

A. CORN. CELSI
MEDICINÆ
LIBRI OCTO
EX RECENSIONE
LEONARDI TARGÆ.



PATAVII, Typis Seminarii, MDCCLXIX.

Apud Joannem Manfrè.

SVPERIORVM PERMISSV ET PRIVILEGIO.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SENATORI AMPLISSIMO

ANDREÆ TRONO

EQVITI

LEONARDVS TARGA

S. D.

NIhil Veronenſi Civitati optabilius, nihil honorificentius accidere potuit, Senator Amplissime, quam ob ſingulare ejus in litteras bonaſque artes ſtudium abs te laudari. Cum enim ipſa per ſe laus eximia res eſt, atque omnium quas hominibus homines tri-

 bue-

buere poſſunt, præſtantiſſima; tum præcipuum quemdam ſplendorem affert, cum ab iis viris proficiſcitur, qui ſummo ipſi ſplendore ſunt præditi. Neque nobis verendum eſt, ne, ſi paria reddentes ingenii animique tui ornamenta memoraverimus, affingere veritati aliquid, teque callide, gloriæ noſtræ cauſa, extollere videamur. Nam quæ multa præclare egiſti, non ut privatus aliquis tibi ſoli, ſed magna in luce cum egeris, omnibus nota ſunt & manifeſta: quorum illud ſane pulcherrimum, ubi tua virtus maxime enituit; cum orta inter Veronenſes & Mantuanos controverſia eſt de Tartari fluminis aquis in utriuſque nationis agros derivandis. Cum enim a Veneto Senatu miſſus eſſes, ut rem totam cognoſceres, deque ea cum Viro Præſtantiſſimo Paulo Silva tranſigeres, cui curam hanc Romanorum Imperatrix demandaverat, ita in eo munere te geſſiſti, ut ſolertiam prudentiamque tuam omnes admirarentur. Quippe difficultatibus omnibus, quæ multæ erant & graves, explicatis, non ſolum effeciſti, turba-

tæ res ut componerentur, verum etiam in futurum proſpiciens caviſti, ne eædem amplius turbari poſſent. Cujus rei tanta omnium admiratio fuit, ut ingens tuæ virtutis opinio jam inde ſit conſecuta, quæ poſtea in dies magis magiſque convaluit, unanimi & conſtanti civium tuorum teſtimonio. Ii ſiquidem te quotidie frequentes adeunt; de rebus dubiis in conſilium adhibent; nec alium fere habent, quem ad Senatum referre malint, ſi quid ſit cum rationum momentis, tum referentis auctoritate ſuadendum. Jure igitur ſibi gratulatur hæc Civitas, quod talis tantuſque vir de ea tam honorifice ſenſeris, eaque de Veronenſium ingeniis prædicaveris, quæ, ne quis malus invidere poſſit, ſilentio libens prætereo. Me quidem adeo moverunt, ut cum primum reſcivi, valde civium meorum nomine gaviſus ſim; quibus illud curæ eſſe certo ſcio, ut ſi qua detur occaſio, qua ſe tibi obſtrictos publice teſtentur, eam ne prætermittant. Igitur dum egregii viri, quibus hoc ſolum abundat, magnum aliquid, ac te dignum

mo-

moliuntur, ego qui minimum ingenio valeo, novam hanc Celſi editionem, meo ſtudio ac diligentia, quanta a me adhiberi potuit, adornatam, tuo nomini inſcribo. Tu vero munuſculum hoc libenter accipe, quod ſe tibi, ſi non pretio ſuo, at certe grati animi, meæque tibi addictæ voluntatis ſignificatione commendat. Vale, noſtriſque conatibus favere perge.

AD

AD LECTOREM.

SI qua eſt ars, quam ſingulari ſtudio ac diligentia Græci excoluerint, ea certe Medicina eſt, quæ in Oriente ſummo ſemper in honore habita ex Ægypto, ut ceteræ fere omnes, una cum Philoſophia in Græciam migravit. Ea quippe antiquis temporibus ſapientiæ pars habebatur, & quidem potiſſima, utpote quæ corpori medetur, quocum animus ipſe tam arcta ſocietate conjungitur. Qui in ea inter veteres excelluerint, multi celebrantur: quorum præcipuus Hippocrates Cous, tanta vir auctoritate, ut Medicorum princeps etiamnum habeatur. Hujus autem ſectator inter Latinos A. Cornelius Celſus, non is quidem ingenio cum illo comparandus, ſed ſcribendi arte atque elegantia procul dubio longe ſuperior. Nam Medicinam totam octo libris complexus, adeo ſcite in ſuas partes diſtribuit, dilucideque explicavit, ut nihil amplius deſiderari poſſe videatur. Itaque valde dolendum eſt præclarum opus idemque utiliſſimum temporis injuria plurimis mendis, nec ſane levibus, refertum ad noſtram ætatem perveniſſe. Non defuere quidem Viri doctrina atque eruditione præſtantes, qui ea tollere conati ſint; ſed tamen nulla ejus operis editio hactenus apparuit ſatis probanda, ne Lindeniana quidem ipſa, unde poſteriores ceteræ derivantur; licet ea unanimi fere conſenſu omnium optima exiſtimetur. Nam quædam, quæ recte habebant, Lindenius corrupit; alia, corrupta cum eſſent, ex conjectura, quæ plerumque fallaciſſima eſt, reſtituit. Illud vero minime ferendum, quod cum in

mul-

multis antiquos Codices ſecutus ſit, de eo ſigillatim non admonuit ; ut dubius incertuſque hæreas, quænam ſit cuique lectioni fides adhibenda. Tria hæc vitia Vir Summus Joannes Baptiſta Morgagnus jampridem animadvertit, & quid in ſingulis peccatum ſit, editis VIII. in Celſum doctiſſimis Epiſtolis, diligenter, ut ſolet, adnotavit; multis inſuper, quæ nec Lindenius, nec alius quiſquam attigerat, emendatis. Ad hæc plura indicavit, quæ manifeſto depravata ſunt, nec tamen perſpici poteſt quo pacto corrigi queant. Hæc cum ita ſint, ut Celſus priſtinæ integritati, quantum fieri poteſt, reſtituatur, unde potiſſimum auxilium petendum eſt? Nimirum ab antiquis Codicibus, qui ſi emendati ſint, veram ſcripturam exhibent; ſi mendoſi, homini ſagaci interdum indicant. Hac ego perſuaſione ductus cum ſuperioribus annis iter per Italiam inſtituiſſem, Codices mſs. conſului, qui in Vaticana ac Medicea Bibliotheca aſſervantur, eoſque cum editis (nam hos fere omnes jampridem mihi comparaveram) diligentiſſime contuli. Atque utinam id facere Morgagnus potuiſſet! Multo ſane pauciora in Celſo haberemus, quæ legentibus negotium faceſſerent. Ego enim, qui doctrina illi ſum atque ingenio adeo inferior, multo plus, quam initio ſperaveram, ex eorum collatione profeci. Nec tamen omnes ſunt ejuſdem notæ. Sed hi cujuſmodi ſint, & quæ cujuſque ætas atque auctoritas, Index oſtendet, quem huic epiſtolæ ſubjiciam. Illud modo affirmare poſſum, eam me Celſi editionem dare, in qua vix ullus ſit noſtris conjecturis locus. Etenim in ea nihil fere reperitur, quod ex iis Codicibus, quos ſupra dixi, aut manuſcriptis, aut editis petitum non ſit. Quoniam

niam vero e manuſcriptis antiquiſſimus eſt Codex Mediceus Primus, illud curavi, ut quæ in eo ſcripta ſunt, pleraque, etiam ſi vitioſa eſſent, adnotarentur. Quid iſtuc, inquies? Scilicet ut perſpicacior aliquis ex iis ipſis veram, ſi fieri poſſit, lectionem eliceret: quæ cauſa fuit quamobrem ex aliis quoque Codicibus variantia excerperem. Porro ſingulos libros in capita capitumque ſectiones diviſi, ut Lindenio placuit, lemmatibus tantum rejectis; eo quod Celſi loca ex ejus editione afferri ſolent, quæ ubique fere uſu recepta eſt, omneſque Bibliothecas occupat. Atque ego ejus editionis celebritati hoc quoque dedi, ut in quibus a noſtra diſcrepat, ſingula deſciberem; ne ab ullo, qui poſtremam hanc habet, prior illa deſideretur. Ceterum ii libri in Codice Mediceo Primo, cujus magna utique auctoritas eſt, una eademque ſerie continenter ſunt ſcripti: ex quo colligi poſſe videtur, diviſionem illam antiquam non eſſe. Ea certe, ut plerumque non ſit inepta, a veterum Scriptorum ingenio maxime abhorret, atque adeo ipſius Celſi, cujus ea non minima laus, quod res diverſas ac ſuapte natura ſeparatas ſingulari artificio conjunxerit. Itaque ſi quando ille caput nominat, vox hæc eo ſenſu fortaſſe accipienda eſt, quo illam Latini Scriptores uſurpant, ut res quaſdam ſignificent ab aliis diſtinctas, haud tamen ab iiſdem prorſus ſejunctas atque diſtractas. Hujuſmodi ſunt *capita epiſtolæ* apud Tullium, Suetonium, alioſque.

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis apparet, id unum mihi curæ fuiſſe, ut Celſi textum quam emendatiſſimum darem; cum Auctor miro orationis nitore ipſe per ſe perſpicuus nullo egeat commentario. Equidem non ne-

gaverim quædam eſſe vocabula artis propria, quæ aliquid habeant obſcuritatis; ſed iis explicandis Lexicon Celſianum ſufficere exiſtimabitur, ſi tantum erit otii, præſertim valetudine tam infirma crebriſque adeo tentationibus vexata, ut quod dudum inchoatum eſt, poſſim aliquando perficere. Vale.

IN-

INDEX

Librorum manuſcriptorum, editorumque, qui in Celſi emendatione adhibiti ſunt.

LIBRI MSS.

CODICES MEDICEI. Hi omnes Florentiæ in Bibliotheca Medicea ad D. Laurentii aſſervantur; ac ſunt numero ſeptem, id eſt I. II. III. IV. V. VI. VII. Plutei LXXIII. PRIMVS idem ille eſt Mediceus Codex, quem Rhodius Cocchiuſque laudarunt: alter in adnotationibus ad Scribonium Largum, atque in Lexico Scriboniano; alter tum in calce Etruſcæ Diſſertationis de Anatome, tum in Græcorum Chirurgorum editione, ubi mantiſſæ loco dedit variantes octavi libri lectiones ex hoc Codice excerptas. Is omnium eſt antiquiſſimus, quippe ſcriptus Sæculo XII. ineunte, eoque nomine ceteris anteferendus. Librorum in capita diviſio in eo nulla eſt: ſunt tamen tituli plures margini adſcripti. Quædam etiam inter verſus ad corrigendum addita, ſed omnia fere prorſus inepta. Vid. adnot. 4. & 8. ad Procemium lib. 1. & adnot. 48. ad cap. 7. lib. 2. Anno MCCCCLXV. Baptiſta Palavicinus Regienſis Epiſcopus illum emendandum ſuſcepit; in quo tantum ſibi licere voluit, ut alium plane fecerit. Vſus eſt autem *vetuſtiſſimo* & *corruptiſſimo*, ut ipſe ait, *exemplari*: ex quo colligi poteſt, nonnulla illum conjiciendo immutaſſe. Ceterum id exemplar ei perquam ſimile fuiſſe videtur, unde Medicei reliqui derivantur. SECVNDVS. TERTIVS. QVARTVS. QVINTVS. SEXTVS. SEPTIMVS adeo inter ſe con-

 ſen-

ſentiunt, ut ab uno eodemque exemplari profecti videantur. Scripti omnes ſunt Sæculo XV. ſed TERTIVS ceteris paulo eſt antiquior. In QVARTO gemina ſcriptura multis locis occurrit: altera a librario, cujus tantum ratio habenda eſt; ab emendatore altera, quæ Codicem PRIMVM, aut Palavicini emendationem fere exprimit. QVINTVS & SEXTVS ſcripti fuerunt Florentiæ ab Antonio Marii F. Ann. MCCCCXXVII. & MCCCCLIII. videturque horum poſtremus ex TERTIO deſcriptus, cum quædam in utroque ſint menda, quæ in aliis Codicibus non apparent. SEPTIMVS ſcriptus eſt a Nicolao Nicolio; iſque alia manu appoſitas habet variantes lectiones ex Codice I.

CODICES VATICANI. Hi totidem ſunt quot Medicei, ac Romæ aſſervantur in Vaticana Bibliotheca. PRIMVS eſt Vrbinas CCXLIX. ſcriptus Sæculo XV. SECVNDVS Otthobonianus MDLIII. Scriptus is fuit Vincentiæ An. MCCCCLVIII. TERTIVS Vrbinas MCCCLVII. Scriptus fuit Sæculo XV. QVARTVS Vaticanus MMCCCLXXI. Scriptus fuit a Palavicino, ut diſticon quoddam oſtendit eidem præfixum: poſteaque ab eodem emendatus ope *vetuſtiſſimi* illius & *corruptiſſimi exemplaris*, quo in Medicei I. emendatione uſus eſt. QVINTVS Vaticanus MMCCCLXXII. Scriptus fuit An. MCCCCLXVI. SEXTVS Vaticanus MMCCCLXXIII. Scriptus fuit Sæculo XV. Videtur autem ex Mediceo I. fuiſſe deſcriptus poſt Palavicini emendationem. SEPTIMVS Vaticanus MMCCCLXXIV. Scriptus hic quoque fuit Sæculo XV.

Editio Nicolai, ſive princeps Florentina An. MCCCC LXXVIII. Hanc procuravit Bartholomæus Fontius, iſque Codicem Mediceum IV. ut illum interpolavit emendator, ſecutus videtur. Vid. adnot. 83. ad cap. 1. lib. 1. adnot. 91. ad cap. 2. ejuſdem lib. adnot. 93. ad cap. 7. & adnot. 15. ad cap. 14. lib. 2. adnot. 59. ad cap. 28. ſect. 3. lib. 5.

Editiones quatuor Venetiis habitæ: prima apud Joannem Rubeum An. MCCCCXCIII. ſecunda apud Philippum Pinzium An. MCCCCXCVII. tertia apud Lucam Antonium Juntam An. MDXXIV. quarta in Ædibus Aldi & Andreæ Aſulani Soceri An. MDXXVIII. ex emendatione Joannis Baptiſtæ Egnatii. Priores tres nihil fere diſcrepant a principe Florentina, unde videntur deſcriptæ. In Aldina loca quædam, quæ in illis corrupta erant, ex Codice Ms. reſtituta ſunt; ſed alia invicem, quæ recte habebant, corrupta. Nimirum Codici illi nimium tribuit Egnatius; ſibique etiam fortaſſe plus æquo indulſit.

Editio Joannis Cæſarii. Haganoæ apud Joannem Secerium An. MDXXVIII. In hac editione quædam ita prorſus reſtituta leguntur, ut in Aldina. Mira ſane conſenſio, niſi quid ſubdole factum eſt; cum utraque editio eodem anno, eodemque menſe abſoluta ſit, ut altera ad alterius exemplum exigi non potuerit. Ceterum Cæſarius alia inſuper emendavit, eaque non ex Mſs. ſed ex conjectura, ut ex ejus Præfatione ſuſpicari licet: idemque ſcholia quædam, & nonnullas variantes lectiones adjecit.

Ea-

Eadem Salingiaci recuſa apud Joannem Soterium An. MDXXXVIII. ſed mendis pluribus deformata.

Editio Joannis Ruellii. Pariſiis apud Chriſtianum Wechelium An. MDXXIX. Ruellius in pleriſque Cæſarium eſt ſecutus. Quæ ipſe mutavit, pauca ſunt, eaque ex Mſs. fere ſumpta.

Editio Lugdunenſis An. MDXLII. apud Sebaſtianum Gryphium. Qui hanc editionem adornavit, Aldina & Cæſariana An. MDXXXVIII. maxime uſus videtur; atque ubi alterutra variat, quandoque adnotavit. Pleraque Cæſarii ſcholia, ſuaque etiam nonnulla adjecit.

Editio Guilielmi Pantini. Baſileæ apud Joannem Oporinum An. MDLII. Duas tantum editiones conſuluit Pantinus, Aldinam ſcilicet & Cæſarianam An. MDXXXVIII. ex quibus tertiam confecit, quæ cum Gryphiana fere convenit. In enarrationibus conjecturas attulit, quibus loca quædam, quæ ipſi corrupta videbantur, reſtitui poſſent.

Editio Roberti Conſtantini. Lugduni apud Guilielmum Rovillium An. MDLXVI. Hæc editio a Gryphiana vel Pantiniana vix differt; niſi quod pauca quædam habet ex Ruelliana. Verum plurimis adnotationibus referta eſt, quibus emendatur Celſus, illuſtraturque. Earum, quæ ad emendationem pertinent, duo genera ſunt: alterum ex antiquis Codicibus manuſcriptis, editiſve; alterum ex conjectura ortum, quod quædam etiam comprehendit prius a Pantino animadverſa.

Editio Henrici Stephani, id eſt Medici Principes &c. Pariſiis An. MDLXVII. Stephanus Aldinam editionem in pleriſque expreſſit; in aliis Ruellianam, quibuſdam de ſuo paſſim adſperſis.

Edi-

Editio Balduini Ronſſei. Lugduni Batavorum apud Franciſcum Raphelengium An. MDXCII. Nihil Ronſſeus in textum intulit, quod non in aliqua priorum editionum inveniretur. Quin ea ipſa, quæ margini adſcripſit, nova non ſunt, ſed ab aliis ſumpta; in primis a Conſtantino, cujus fere omnes adnotationes exſcripſit. Enarrationes quidem addidit in ſeptem poſteriores libros (nam in priore iis uſus eſt, quas Hieremias Thriverius Brachelius antea vulgaverat) ubi emendationes quaſdam ex conjectura propoſuit.

Editio Joannis Antonidæ Lindenii. Lugduni Batavorum apud Joannem Elſevirium An. MDCLVII. Vſus eſt Lindenius tum Codicibus manuſcriptis, tum plurimis editionibus, tum, præter ſuas, Nancelii, Scaligeri, Foeſii, aliorumque conjecturis; quibus multa, quæ antea corrupta erant, reſtituit. De hac tamen editione vide epiſtolam ad Lectorem.

Editio Theodori Janſ. Almeloveenii. Amſtæledami apud Joannem Wolterſium An. MDCCXIII. Eadem eſt atque Lindeniana, ſed adnotationibus, locis, ut vocant, parallelis, ſcholiiſque tum aliorum, tum etiam ſuis ab Almeloveenio ornata.

Eadem recuſa Patavii apud Joſephum Cominum An. MDCCXXII. adjectis tribus Jo. Bapt. Morgagni in Celſum epiſtolis. Item Lugd. Batav. apud Jo. Arnoldum Langerakium An. MDCCXXX. una cum quibuſdam Morgagni epiſtolarum capitibus, ac trium veterum editionum collatione. Item Baſileæ apud Jo. Rudolphum Thurneiſenium An. MDCCXLVIII. cum eadem collatione, ac notis integris Joannis Cæſarii, Roberti

Con-

Conſtantini, Joſephi Scaligeri, Iſaaci Caſauboni, Joannis Baptiſtæ Morgagni. Denique Patavii iterum apud Joſephum Cominum An. MDCCL. in qua editione ad cetera omnia, quæ in priore Cominiana, epiſtolæ ſex accedunt Jo. Bapt. Morgagni, numquam antea vulgatæ.

A. CORN.

A. CORN. CELSI MEDICINÆ LIBER PRIMVS.[1]

VT alimenta ſanis corporibus Agricultura, ſic ſanitatem ægris Medicina promittit. Hæc nuſquam quidem non eſt: ſiquidem etiam imperitiſſimæ gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt. Veruntamen apud Græcos aliquanto magis, quam in ceteris nationibus, exculta eſt: ac ne apud hos quidem a prima origine, ſed paucis ante nos ſæculis; utpote cum vetuſtiſſimus auctor Æſculapius celebretur. Qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc ſcientiam paulo ſubtilius excoluit, in deorum numerum receptus eſt. Hujus deinde duo filii, Podalirius & Machaon, bello Trojano ducem Agamemnonem ſecuti, non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt. Quos tamen Homerus non in peſtilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilii, ſed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit. Ex quo apparet, has partes medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas [2], eaſque eſſe vetuſtiſſimas. Eodemque [3] auctore diſci poteſt, morbos tum ad iram deorum im-

1. *A. Corn. Celſi Medicinæ Liber Primus*) Lindenius addit, *Præfatio*; quæ vox non extat in antiquis libris. In Codicibus Vaticanis II. & VII. habetur: *Aurelii Cornelii Celſi proemium*; in I. *Cornelii Celſi Medicinæ Liber Incipit*; in VI. *Cornelii Celſi Medicinæ Libri VIII.* In Mediceo I. *CorneliI Celſi Artium Lib. VI. Item Medicinæ Primus*; in aliis: *Artium Aurelii Cornelii Celſi Lib. VI. quæ ratio Medicinæ potiſſima ſit, et quemadmodum ſanos agere conveniat. Liber Primus Incipit Feliciter.* Sed Codex Medic. I. qui in inſcriptione lib. 5. & 6. & 8. ſolum habet cognomen *Celſi*, in lib. 4. autem ne id quidem; in lib. 2. & 3. & 7. habet *A. CornelI Celſi*. Itaque prænomen *A.* cum Lindenio repono (Almeloveenius habet *Aur.*) & cum Criticis explico *Auli*, non, ut librarii fecerunt, *Aurelii*. Et quidem Hieronymus Rubeus in veteri Cod. Vaticano hanc libri ſexti inſcriptionem reperit: *Auli Cornelii Celſi liber ſextus, idemque Medicinæ primus*. Ego Codicem iſtum non vidi. Vaticanus tamen VII. in fine lib. 6. habet: *Auli Cornelii Celſi liber ſextus finit, et ejuſdem liber ſeptimus incipit feliciter*; ſed idem Codex aliis in locis habet *Aurelii*. Vide Clariſſimi Viri Joan. Baptiſtæ Morgagni Epiſtolas in Celſum I. & IV.

2. *tentatas*) Conſtantinus in libri margine habet ex quodam Codice *probatas*: & ita eſt in Mediceis Codicibus quoque, præterquam in primo.

3. *Eodemque*) In Codice Medic. I. & in Editione principe Florentina: *Eodem vero*.

mortalium relatos eſſe, & ab iiſdem opem poſci ſolitam. Verique ſimile eſt, inter nulla auxilia [4] adverſæ valetudinis, plerumque tamen eam bonam contigiſſe ob bonos mores, quos neque deſidia, neque luxuria vitiarant [5]. Siquidem hæc duo corpora, prius in Græcia, deinde apud nos afflixerunt. Ideoque multiplex iſta medicina, neque olim [6], neque apud alias gentes neceſſaria, vix aliquos ex nobis [7] ad ſenectutis principia perducit. Ergo etiam poſt eos, de quibus retuli, nulli clari viri [8] medicinam exercuerunt; donec majore ſtudio litterarum diſciplina agitari cœpit, quæ ut animo præcipue omnium neceſſaria, ſic corpori inimica eſt. Primoque medendi ſcientia, ſapientiæ pars habebatur, ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ſub iiſdem auctoribus nata ſit: ſcilicet iis hanc maxime requirentibus, qui corporum ſuorum robora quieta cogitatione [9], nocturnaque vigilia minuerant. Ideoque multos ex ſapientiæ profeſſoribus peritos ejus fuiſſe accepimus; clariſſimos vero ex iis Pythagoram, & Empedoclem, & Democritum. Hujus autem, ut quidam crediderunt, diſcipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis [10], ab ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparavit, vir & arte & facundia inſignis [11]. Poſt quem Diocles Caryſtius, deinde Praxagoras &

4. *inter nulla auxilia*) Ita ex Mſs. Mediceis; licet in I. & alia manu in IV. & VII. ſupra vocem *nulla* poſita ſit particula *non*: unde vulgo *nonnulla*. Lindenius reponit *non multa*.

5. *vitiarant*) Scaliger putat melius legi in quibuſdam libris *tentarant*. Sic ſane eſt in Editione Aldina an. 1528. Codices Medicei alii habent *vitiarant*; alii *vitiaverant*; aliqui *vitiaverat*.

6. *neque olim*) Egnatius & Stephanus addunt *apud Græcos*: quas ego duas voces in nullo Ms. inveni.

7. *aliquos ex nobis*) Codices Mſs. alii habent *ex nobis*; alii, quos inter Mediceus vetuſtior, *ex bonis*. Cum his ceteræ Edd. faciunt; cum illis Lindeniana, ſed habet *aliquot* pro *aliquos*.

8. *nulli clari viri*) Lindenii lectionem probavi, quam Codd. Medicei confirmant. Vulgata lectio *nonnulli*, orta eſt ex eo, quod tum in primo eorum Codicum, tum in IV. & VII. hic quoque ſupra vocem *nulli* poſita eſt particula *non*. Sed ſatis conſtat particulam iſtam, & cum Celſi ſententia, & cum vero pugnare. Plinius initio lib. 29. Hiſt. Natur. *Sequentia* (tempora, poſt Trojana) *ejus* (Medicinæ) *mirum dictu in nocte denſiſſima latuerunt; tunc eam revocavit in lucem Hippocrates*.

9. *quieta cogitatione*) Alii leg. *in quieta*; alii *inquieta*. Ego ſecutus ſum Edit. Aldinam, & Cod. Medic. I.

10. *quidem ex omnibus memoria dignis*) In Codice modo allato omittitur *quidem*; in ceteris Mediceis omittitur *ex omnibus*. Pro *dignis* autem omnes ii Codices, itemque Editiones antiquiſſimæ, princeps Florentina, & duæ ann. 1493. 1497. & Juntina, & Aldina quoque habent *dignus*.

11. *vir & arte & facundia inſignis*) Primo excepto, Codd. ceteri Medicei habent: *vir clarus et facundia inſignis*.

& Chryſippus, tum Herophilus & Eraſiſtratus ſic artem hanc exercuerunt, ut etiam in diverſas curandi vias proceſſerint. Iiſdemque [12] temporibus in tres partes medicina diducta eſt: ut una eſſet, quæ victu; altera, quæ medicamentis; tertia, quæ manu mederetur. Primam διαιτητικὴν, ſecundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν Græci nominarunt. Ejus autem quæ victu morbos curat, longe clariſſimi auctores etiam altius quædam agitare conati, rerum quoque naturæ ſibi cognitionem vindicarunt, tamquam ſine ea, trunca & debilis medicina eſſet. Poſt quos Serapion, primus omnium, nihil hanc rationalem diſciplinam pertinere ad medicinam, profeſſus, in uſu tantum [13] & experimentis eam poſuit. Quem Apollonius, & Glaucias, & aliquanto poſt Heraclides Tarentinus, & alii quoque [14] non mediocres viri ſecuti, ex ipſa profeſſione ſe ἐμπειρικοὺς appellaverunt. Sic in duas partes ea quoque, quæ victu curat, medicina diviſa eſt, aliis rationalem artem, aliis uſum tantum ſibi vindicantibus: nullo vero quidquam poſt eos, qui ſupra comprehenſi ſunt, agitante, niſi quod acceperat: donec Aſclepiades medendi rationem ex magna parte mutavit. Ex cujus ſucceſſoribus Themiſon nuper ipſe quoque quædam in ſenectute deflexit. Et per hos quidem maxime viros ſalutaris iſta nobis profeſſio increvit.

Quoniam autem ex tribus medicinæ partibus, ut difficillima, ſic etiam clariſſima eſt ea, quæ morbis medetur [15], ante omnia de hac dicendum eſt. Et quia prima in eo [16] diſſenſio eſt, quod alii ſibi experimentorum tantummodo notitiam neceſſariam eſſe contendunt; alii, niſi corporum rerumque ratione comperta [17], non ſatis potentem uſum eſſe proponunt: indicandum eſt, quæ maxi-

12. *Iiſdemque*) Lindenii Edit. & Codices quidam Mſs. *Iiſdem*.

13. *in uſu tantum*) *tantum* quod ab Edd. pleriſque abeſſe video, extat in Mſs. omnibus & Mediceis & Vaticanis, atque in Edit. I.

14. *& alii quoque*) Ita in Lindeniana. In aliis Edd. & in Cod. Medic. I. *et aliqui*; in Codd. ceteris Mediceis: *alii quoque*, omiſſo *et*.

15. *quæ morbis medetur*) quæ victu, non, ut Conſtantinus interpretatur, quæ medicamentis curat. Simili loquendi forma ad hanc partem ſignificandam Celſus utitur in Præfat. lib. 7. *Siquidem in morbis etc.* ut cuique locum illum attente conſideranti manifeſtum erit.

16. *in eo*) Sic repoſui ex Edit. Ruellii. Al. leg. *in ea*.

17. *rerumque ratione comperta*) Lindenius leg. *rerumque naturalium etc.* deceptus a Conſtantino, qui *Naturalium* margini adſcripſit ad explicationem.

me ex utraque parte dicantur, quo facilius noſtra quoque opinio interponi poſſit. Igitur ii, qui [18] rationalem medicinam profitentur, hæc neceſſaria eſſe proponunt: abditarum & morbos continentium cauſarum notitiam, deinde evidentium, poſt hæc etiam naturalium actionum, noviſſime partium interiorum. Abditas cauſas vocant, in quibus requiritur, ex quibus principiis noſtra corpora ſint, quid ſecundam, quid adverſam valetudinem faciat. Neque enim credunt, poſſe eum ſcire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi ſint, ignoret. Neque eſſe dubium, quin alia curatione opus ſit, ſi ex quatuor principiis vel ſuperans aliquod [19] vel deficiens adverſam valetudinem creat; ut quidam ex ſapientiæ profeſſoribus dixerunt: alia, ſi in humidis omne vitium eſt; ut Herophilo viſum eſt: alia, ſi in ſpiritu; ut Hippocrati: alia, ſi ſanguis in eas venas, quæ ſpiritui accommodatæ ſunt, transfunditur, & inflammationem, quam Græci φλεγμονὴν nominant, excitat, eaque inflammatio talem motum efficit, qualis in febre eſt; ut Eraſiſtrato placuit: alia, ſi manantia corpuſcula, per inviſibilia foramina ſubſiſtendo, iter claudunt; ut Aſclepiades contendit. Eum vero recte curaturum, quem prima origo cauſæ non fefellerit. Neque vero inficiantur, experimenta quoque eſſe neceſſaria; ſed ne ad hæc quidem aditum fieri potuiſſe, niſi ab aliqua ratione, contendunt. Non enim quidlibet antiquiores viros ægris inculcaſſe; ſed cogitaſſe, quid maxime conveniret, & id uſu exploraſſe, quo ante conjectura aliqua duxiſſet [20]. Neque intereſſe, an nunc jam pleraque [21] explorata ſint, ſi a conſilio tamen coepe-

18. *Igitur ii, qui*) Pronomen *ii* abeſt a Mſs. Mediceis, præterquam a primo.

19. *aliquod*) Ita ex Cod. Medic. I. Alii leg. *aliquid*.

20. *quo ante conjectura aliqua duxiſſet*) In Edd. antiquioribus legitur: *quod ante conjectura aliqua duxiſſet*. Conſtantinus, qui *duxiſſent* habet cum aliis quibuſdam, mallet *didiciſſent*: Lindenius leg. *ad quod ante conjectura aliqua ducti eſſent*. Ego repoſui *quo*, ut eſt in pleriſque; & *duxiſſet*, quod eſt in omnibus Mſs. Hanc lectionem Scaliger quoque habet ex veteri quodam Codice. In Medic. I. eſt: *an quod ante conjectura aliqua duxiſſet*; ſed *an* cum recenti litura. Vnde in Vatican. VI. *quod ante conjectura etc.* In aliis autem quibuſdam legitur: *ante conjecturam aliqua* vel *aliquam*: quo mendo deceptus aliquis margini adſcripſit *credo ratio deeſt*; ut in Medic. II. atque in VII. videre licet. Adnotationem iſtam librarius totam in contextum recepit in III. IV. & VI. Vaticanus III. habet *quo ante conjecturam aliqua ratio duxiſſet*.

21. *an nunc jam pleraque*) Verba hæc reſpiciunt illam Empiricorum ſententiam, quæ infra habetur: *Primo tamen remedia exploranda ſumma cura fuiſſe; nunc vero jam ex-*

perunt. Et id quidem in multis ita ſe habere. Sæpe vero etiam nova incidere genera morborum, in quibus nihil adhuc uſus oſtenderit; & ideo neceſſarium ſit animadvertere, unde ea cœperint; ſine quo [22] nemo mortalium reperire poſſit, cur hoc, quam illo, potius utatur. Et ob hæc quidem in obſcuro poſitas cauſas perſequuntur. Evidentes vero eas appellant, in quibus quærunt, initium morbi calor attulerit, an frigus; fames, an ſatietas; & quæ ſimilia ſunt. Occurſurum enim vitio [23] dicunt eum, qui originem non ignorarit. Naturales vero corporis actiones appellant, per quas ſpiritum trahimus & emittimus; cibum potionemque & aſſumimus & concoquimus: itemque, per quas eadem hæc in omnes membrorum partes digeruntur. Tum requirunt etiam, quare venæ noſtræ modo ſubmittant ſe, modo attollant; quæ ratio ſomni, quæ vigiliæ ſit: ſine quorum notitia, neminem putant vel occurrere, vel mederi morbis, inter hæc naſcentibus, poſſe. Ex quibus quia maxime [24] pertinere ad rem concoctio videtur, huic potiſſimum inſiſtunt; & duce alii Eraſiſtrato, teri [25] cibum in ventre contendunt; alii Pliſtonico Praxagoræ diſcipulo, putreſcere; alii credunt Hippocrati, per calorem cibos concoqui: acceduntque Aſclepiadis æmuli, qui, omnia iſta vana & ſupervacua eſſe, proponunt: nihil enim concoqui, ſed crudam materiam, ſicut aſſumpta eſt, in corpus omne diduci. Et hæc quidem inter eos parum conſtant: illud vero convenit, alium dandum cibum laborantibus, ſi hoc; alium, ſi illud verum eſt. Nam ſi teritur intus, eum quærendum eſſe, qui facillime teri poſſit; ſi putreſcit, eum, in quo

xplorata eſſe. Sed librarii tres voces *an nunc am* in unam contrahendo, multis varietatibus erroribuſque viam aperuerunt; ut in Mſs. video & Mediceis & Vaticanis. Ex. gr. in Vaticano II. eſt *annutia*; in III. *annuncian*, & alia manu *initia in pleriſque*. Neque aliunde profectam puto, aut Egnatii lectionem *an initia*, aut Lindenii *an initio*.

22. *ſine quo*) Linden. *ceu ſine quo*.

23. *vitio*) *initio* legit Lindenius. Non deeſſe Codices depravatos, in quibus ita ſcriptum ſit, Vaticanus V. teſtatur.

24. *quia maxime*) Locus hic ita legitur in Cod. Medic. I. & Edd. vetuſtioribus: *Ex quibus quam maxime pertinere ad rem concoctio videtur. Huic etc.* At in III. aliiſque item Mediceis Codicibus: *Ex quibus quia maxime etc.* ut Scaliger invenit in ſuo Codice. Hos ego ſecutus ſum. Aldina Editio habet: *Ex quibus quia quam maxime etc.* Eam ſecuti ſunt Stephanus & Lindenius.

25. *teri cibum*) Ita ex Cod. Mediceo vetuſtiori. Antea legebatur *atteri*. Infra legitur *teritur* & *teri* librorum omnium conſenſu. Cicero quoque ſimplici verbo *terere* uſus eſt in eadem re lib. 2. de Nat. Deor. cap. 54. ut quidem legunt Manutius & Lambinus: nam alii, pro *et terendo cibo*, habent *exterendo cibo*.

quo hoc expeditiſſimum eſt; ſi calor concoquit, eum, qui maxime calorem movet [26]: at nihil ex his eſſe quærendum, ſi nihil concoquitur; ea vero ſumenda, quæ maxime manent, qualia aſſumpta ſunt. Eademque ratione, cum ſpiritus gravis eſt, cum ſomnus aut vigilia urget, eum mederi poſſe arbitrantur, qui prius illa ipſa qualiter eveniant, perceperit. Præter hæc, cum in interioribus partibus & dolores & morborum varia genera naſcantur, neminem putant his adhibere poſſe remedia, qui ipſas [27] ignoret. Neceſſarium ergo eſſe incidere corpora mortuorum, eorumque viſcera atque inteſtina ſcrutari; longeque optime feciſſe Herophilum & Eraſiſtratum, qui nocentes homines, a regibus ex carcere acceptos, vivos inciderint, conſiderarintque, etiamnum ſpiritu remanente, ea, quæ natura ante clauſiſſet, eorumque poſitum [28], colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, lævorem, contactum [29]; proceſſus deinde ſingulorum & receſſus, & ſive quid inſeritur alteri, ſive quid partem alterius in ſe recipit. Neque enim, cum dolor intus incidit, ſcire quid doleat, eum, qui qua parte quodque viſcus inteſtinumve ſit, non cognoverit: neque curari id quod ægrum eſt, poſſe ab eo, qui, quid ſit, ignoret. Et cum per vulnus alicujus viſcera patefacta ſunt, eum, qui ſanæ cujuſque colorem partis ignoret, neſcire quid integrum, quid corruptum ſit; ideo ne ſuccurrere quidem poſſe corruptis. Aptiuſque extrinſecus imponi remedia, compertis interiorum & ſedibus & figuris, cognitaque eorum magnitudine: ſimileſ-

26. *calorem movet*) Vulgo legitur *moveat*; quo modo eſt in Cod. Medic. I. Sed quia ſequens particula *at* abeſt ab eo Codice, *moveat* mendoſum eſſe ſuſpicor, pro *movet*: *at*. Ita enim habent Codices ceteri Medicei; quos ego ſecutus ſum. Lindenius leg. *foveat*; ut habet in Editionis ſuæ margine Conſtantinus.

27. *qui ipſas*) hoc eſt interiores partes. Ut ita legatur poſcunt ſententia & recta conſtructionis ratio. Neque magna mutatio eſt; ſiquidem Cod. Medic. I. habet *qui ipſa*. Alii leg. *quæ ipſe*; Lindenius, *quas ipſe*.

28. *poſitum*) *poſituram* communiter legitur. Scaliger in exemplaris ſui margine adſcripſit *poſitum*, ex veteri aliquo Codice, ut opinor. Sic certe habet Mediceus I. atque hæc vox occurrit pluribus in locis: iterum ac tertio in hac ipſa Præfat. & in lib. 5. c. 26; & initio lib. 8. *Poſitura* alibi apud Celſum non invenitur.

29. *contactum*) Ruellius habet *contractum*; Lindenius ex conjectura Conſtantini *confractum*. Vide quæ ad hunc locum ſcripſerunt Viri Clariſſimi Facciolatus & Morgagnus. Ego hoc unum addo: Codices & Mediceos & Vaticanos habere *contactum*. In Medic. VI. qui ex III. deſcriptus eſt, cum *contractum* librarius ſcripſiſſet, erraſſe ſe vidit: itaque litteram *r* expunxit. Infra pro *ita ne ſuccurrere quidem*, Lindenius leg. *ideo nec ſuccurrere quidem*.

leſque omnia quæ, poſita ſunt, rationes habere. Neque eſſe crudele, ſicut plerique proponunt, hominum nocentium, & horum quoque paucorum, ſuppliciis remedia populis innocentibus ſæculorum omnium quæri.

Contra ii, qui ſe ἐμπειρικοὺς ab experientia nominant, evidentes quidem cauſas, ut neceſſarias, amplectuntur: obſcurarum vero cauſarum & naturalium actionum quæſtionem ideo ſupervacuam eſſe contendunt, quoniam non comprehenſibilis [30] natura ſit. Non poſſe vero comprehendi, patere ex eorum, qui de his diſputarunt, diſcordia; cum de iſta re, neque inter ſapientiæ profeſſores, neque inter ipſos medicos conveniat. Cur enim potius aliquis Hippocrati credat, quam Herophilo? cur huic potius, quam Aſclepiadi? Si rationes ſequi velit, omnium poſſe videri non improbabiles; ſi curationes, ab omnibus his ægros perductos eſſe ad ſanitatem: ita neque diſputationi, neque auctoritati cujuſquam fidem derogari oportuiſſe. Etiam ſapientiæ ſtudioſos maximos medicos eſſe, ſi ratiocinatio hoc faceret [31]: nunc illis verba ſupereſſe, deeſſe medendi ſcientiam. Differre quoque pro natura locorum, genera medicinæ; & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia. Quod ſi morbos eæ cauſæ facerent, quæ ubique eædem eſſent [32], remedia quoque ubique eadem eſſe debuiſſe. Sæpe etiam cauſas apparere, ut puta lippitudinis, vulneris; neque ex his patere medicinam. Quod ſi ſcientiam hanc non ſubjiciat evidens cauſa, multo minus eam poſſe ſubjicere, quæ in dubio eſt. Cum igitur illa incerta, incomprehenſibilis [33] ſit, a certis potius & exploratis petendum eſſe præſidium; id eſt iis, quæ experientia in ipſis curationibus docuerit; ſicut in cete-

30. *non comprehenſibilis*) Ita in Mſs. Mediceis I. III. aliiſque. Vulgo legitur *incomprehenſibilis*.

31. *hoc faceret*) Non improbo *hos faceret*; quo modo Lindenius edidit: nam eadem loquendi forma infra habetur: *quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit*. Malui tamen veterem lectionem retinere, quia Mſs. omnibus confirmari video.

32. *eæ cauſæ facerent, quæ ubique eædem eſſent*) Cauſæ, quas abditas vocant, ubique eædem ſunt. Igitur ſi morbos cauſæ iſtæ facerent, ajunt remedia quoque ubique eadem eſſe debuiſſe. Sententiæ hujus vim non ſatis expreſſeris, ſi cum Egnatio, ut non pauci, legas: *eædem cauſæ facerent ubique, remedia quoque etc.* Sic tamen habetur in Mſs. Mediceis omnibus, excepto primo, & in quibuſdam Vaticanis.

33. *incomprehenſibilis*) Alii cum Egnatio leg. *incomprehenſibiliſque*. Sed *que* non eſt in Mſs. Mediceis, neque in Edd. vetuſtioribus; & poteſt abeſſe.

teris omnibus artibus. Nam ne agricolam quidem aut gubernatorem diſputatione, ſed uſu fieri. Ac nihil iſtas cogitationes ad medicinam pertinere, eo quoque diſci, quod qui diverſa de his ſenſerint, ad eamdem tamen ſanitatem homines perduxerint. Id enim feciſſe, quia non ab obſcuris cauſis, neque a naturalibus actionibus, quæ apud eos diverſæ erant, ſed ab experimentis, prout cuique reſponderant, medendi vias traxerint. Ne inter initia quidem ab iſtis quæſtionibus deductam eſſe medicinam, ſed ab experimentis. Ægrorum enim qui ſine medicis erant, alios propter aviditatem primis diebus protinus cibum aſſumpſiſſe, alios propter faſtidium abſtinuiſſe; levatumque magis eorum morbum eſſe [34], qui abſtinuerant. Itemque alios in ipſa febre aliquid ediſſe, alios paulo ante eam, alios poſt remiſſionem ejus; optime deinde iis ceſſiſſe, qui poſt finem febris id fecerant. Eademque ratione alios inter principia protinus uſos eſſe cibo pleniore, alios exiguo; gravioreſque eos factos, qui ſe implerant. Hæc ſimiliaque cum quotidie inciderent, diligentes homines notaſſe, quæ plerumque melius reſponderent: deinde ægrotantibus ea præcipere cœpiſſe. Sic medicinam ortam, ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu, perniciosa diſcernentem a ſalutaribus. Repertis deinde jam remediis, [35] homines de rationibus eorum diſſerere cœpiſſe: nec poſt rationem, medicinam eſſe inventam, ſed poſt inventam medicinam, rationem eſſe quæſitam. Requirere etiam, ratio idem doceat [36] quod experientia, an aliud: ſi idem, ſupervacuam eſſe; ſi aliud, etiam contrariam. Primo tamen remedia exploranda ſumma cura fuiſſe, nunc vero jam explorata eſſe; neque aut nova [37] genera morborum reperiri, aut novam deſiderari medicinam. Quod ſi jam incidat

cidat

34. *morbum eſſe*) *eſſe* non eſt in Mſs. Mediceis, niſi in primo. Lindenius leg. *fuiſſe*.

35. *Repertis deinde jam remediis*) Ita in Mſs. Mediceis & in Edit. I. Editio an. 1493. habet: *Repertis deinde miāe rediis*; duabus videlicet litteris in locum non ſuum traductis. Nam prima atque ultima vocis *miāe*, ipſa eſt ſyllaba *me* deficiens in *rediis*. In Edit. an. 1497. ex mendoſa illa voce factum eſt *medicinæ*, & ſyllaba *me* in *rediis* ſuppleta. Hinc: *Repertis deinde medicinæ remediis*; quam lectionem omnes poſtea retinuerunt, ſed addita, ſi Egnatium & Lindenium excipias, particula *jam*.

36. *ratio idem doceat*) Libri antiqui habent *ſi ratio*. Particulam *ſi* ſuſtulit Lindenius.

37. *neque aut nova*) Ita in Cod. Medic. I. Vulgo legitur: *neque ulla aut nova*; ut eſt in aliis Mſs.

cidat [38] mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen fore medico de rebus cogitandum obſcuris: ſed eum protinus viſurum, cui morbo id proximum ſit; tentaturumque remedia ſimilia illis, quæ vicino malo ſæpe ſuccurrerint; & per ejus ſimilitudinem opem reperturum. Neque enim ſe dicere, conſilio medicum non egere, & irrationale animal hanc artem poſſe præſtare; ſed has latentium rerum conjecturas ad rem non pertinere; quia non interſit, quid morbum faciat, ſed quid tollat; neque ad rem pertineat [39], quomodo, ſed quid optime digeratur [40]; ſive hac de cauſa concoctio incidat [41], ſive de illa; & ſive concoctio ſit illa, ſive tantum digeſtio. Neque quærendum eſſe quomodo ſpiremus, ſed quid gravem tardumque ſpiritum expediat: neque quid venas moveat, ſed quid quæque motus genera ſignificent. Hæc autem cognoſci experimentis. Et in omnibus ejuſmodi cogitationibus in utramque partem diſſeri poſſe: itaque ingenium & facundiam vincere; morbos autem, non eloquentia, ſed remediis curari. Quæ ſi quis elinguis uſu diſcreta bene norit, hunc aliquanto majorem medicum futurum, quam ſi ſine uſu linguam ſuam excoluerit. Atque ea quidem, de quibus eſt dictum, ſupervacua eſſe tantummodo; id vero, quod reſtat, etiam crudele: vivorum hominum alvum atque præcordia incidi, & ſalutis humanæ præſidem artem, non ſolum peſtem alicui, ſed hanc etiam atrociſſimam inferre; cum præſertim ex iis, quæ tanta violentia quærantur, alia non poſſint omnino cognoſci, alia poſſint etiam ſine ſcelere. Nam colorem, lævorem, mollitiem, duritiem, ſimiliaque omnia, non eſſe talia, inciſo corpore, qualia integro fuerint: quia cum, corporibus inviolatis [42], hæc tamen metu, dolore, inedia, cruditate, laſſitudine,

38. *ſi jam incidat*) Codices Medicei omnes præter primum omittunt *jam*.

39. *ad rem pertineat*) In Cod. Medic. VII. & in Edit. Lindenii, & in margine Conſtantinianæ: *ad rem pertinere*.

40. *ſed quid optime digeratur*) Ruellius edidit: *ſed quam id optime digeratur*; ut Cæſarius margini adſcripſerat ex conjectura. Sed nihil mutandum; licet in multis Mſs. pro *quid*, ſit *quam*. Veterem lectionem comprobat Mediceus I.

41. *incidat*) Lindenius aliique quidam, Cæſarii Editionem ſecuti, habent *intercidat*. Sed mendum fortaſſe ſubeſt in Edit. Cæſarii. Editiones vetuſtiores & Codd. Medicei habent *incidat*.

42. *quia cum corporibus inviolatis*) In Edit. Lindenii: *Tum quia, corporibus inviolatis, hæc tamen metu, dolore, inedia, cruditate, laſſitudine, et mille aliis mediocribus affectibus ſæpe mutantur. Unde multo magis veriſimile, interiora, quibus major mollities,*

&

mille aliis mediocribus affectibus ſæpe mutentur; multo magis veriſimile eſt, interiora, quibus major mollities, lux ipſa nova ſit, ſub graviſſimis vulneribus & ipſa trucidatione mutari. Neque quidquam eſſe ſtultius, quam quale quidque vivo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, immo jam mortuo. Nam uterum quidem, qui minus ad rem pertineat [43], ſpirante homine poſſe diduci: ſimulatque vero ferrum [44] ad præcordia acceſſit, & diſciſſum tranſverſum ſeptum eſt, quod membrana quadam ſuperiores partes ab inferioribus diducit (διάφραγμα Græci vocant) hominem protinus animam amittere: ita mortui demum [45] præcordia & viſcus omne in conſpectum latrocinantis medici dari neceſſe eſt tale, quale [46] mortui ſit, non quale vivi fuit. Itaque conſequi medicum ut hominem crudeliter jugulet; non ut ſciat, qualia vivi [47] viſcera habeamus. Si quid tamen ſit, quod adhuc ſpirante homine conſpectui ſubjiciatur, id ſæpe caſum offerre curantibus. Interdum enim gladiatorem in arena, vel militem in acie, vel viatorem a latronibus exceptum ſic vulnerari, ut ejus interior aliqua pars aperiatur, & in alio alia: ita [48] ſedem, poſitum, ordinem, figuram, ſimi-

& lux ipſa nova eſt &c. Sed quæcumque Lindenio cauſa fuerit hunc locum immutandi; mihi quidem nulla eſt, cur non malim veterem lectionem ex Mſs. fide retinere. Mediceus I. tamen & Vaticanus VI. habent: *inviolata ſunt* pro *inviolatis*, atque *et mille* pro *mille*; omneſque præter Vaticanum II. *veriſimile eſſe* pro *veriſimile eſt*.

43. *qui minus ad rem pertineat*) Id non uſquequaque verum eſt; ſed Empirici ſerviunt cauſæ, quam agunt. Simili autem dicendi forma Celſus ſupra uſus eſt; *maxime pertinere ad rem concoctio videtur*; & alibi quoque. Locus tamen non caret difficultate, ut Morgagno videtur; idque ex eo quoque colligit, quod quidam interrogationis notam ponunt poſt ſequens verbum *diduci*; alii leg. *qui minus*: ſcilicet ad ſenſum expediendum, ut ipſi putant. Nonnulli etiam variare conati ſunt; ut Conſtantinus qui ſic legendum cenſet: *Nam ne uterum quidem, qui minus etc.* & longe gravius Lindenius, qui habet: *Nam ne uterum quidem, ut nihilominus aerem contineat*. Sed non variant Mſs. Codices neque Medicei, neque Vaticani; vixque mihi perſuadeo, Lindenium aliud huc attuliſſe, præter conjecturam, atque eam haud ſane probabilem, ut Morgagnus oſtendit.

44. *ſimulatque vero ferrum*) Cod. Medic. II. *ſimulatque non ferrum*; I. *ſimul atqui ut ferrum*; & in margine *certe* ad explicandum *atqui*, quod evidens eſt perperam eſſe ſcriptum pro *atque*. Particula *ut*, niſi forte corrupta eſt ex *vero*, addita videtur ab aliquo, qui *atqui* pro *certe* uſurpatum fuiſſe exiſtimavit. Num igitur legendum *ſimul atque ferrum*? Sed vulgata lectio proba eſt, & multorum Codicum teſtimonio comprobatur.

45. *ita mortui demum*) Linden. *itaque demum mortui*.

46. *dari neceſſe eſt tale, quale*) Ita ex Cod. Medic. I. Alii leg. *dari; quod neceſſe ſit tale eſſe, quale*: Lindenius, *neceſſe eſt*.

47. *vivi*) Non eſt vox hæc in Cod. Medic. I.

48. *& in alio alia: ita*) Pro *ita* in Aldina Editione mendoſe eſt, ut in Medic. I. & aliquo alio Ms. Codice, *ſita*. Quidam cum Ruellio leg. *& in alio alia ſita; ita*; Lindenius, *pars, & in alio alia aperiatur; atque ita*.

ſimiliaque alia [49] cognoſcere prudentem medicum, non cædem, ſed ſanitatem molientem; idque per miſericordiam diſcere, quod alii dira crudelitate cognoverint. Ob hæc, ne mortuorum quidem lacerationem neceſſariam eſſe; quæ etſi non crudelis, tamen fœda ſit; cum aliter pleraque in mortuis ſe habeant: quantum vero in vivis cognoſci poteſt, ipſa curatio oſtendat.

Cum hæc per multa volumina, perque magnæ contentionis diſputationes a medicis ſæpe tractata ſint atque tractentur: ſubjiciendum eſt, quæ proxima vero videri poſſint. Ea neque addicta [50] alterutri opinioni ſunt, neque ab utraque nimium abhorrentia; media quodammodo inter diverſas ſententias: quod in plurimis contentionibus deprehendere licet, ſine ambitione verum ſcrutantibus, ut in hac ipſa re. Nam quæ demum cauſæ, vel ſecundam valetudinem præſtent, vel morbos excitent; quomodo ſpiritus, aut cibus, vel trahatur [51], vel digeratur, ne ſapientiæ quidem profeſſores ſcientia comprehendunt, ſed conjectura perſequuntur [52]. Cujus autem rei non eſt certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non poteſt. Verumque eſt, ad ipſam curandi rationem nihil plus conferre, quam experientiam. Quamquam igitur multa ſint, ad ipſas artes proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant, excitando artificis ingenium. Itaque iſta quoque naturæ rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit. Verique ſimile [53] eſt, & Hippocratem & Eraſiſtra-

49. *ſimiliaque alia*) Ita in Codicibus Mſs. & in Editione Aldina. In ceteris Edd. omittitur *alia*.

50. *poſſint. Ea neque addicta* &c.) Lindenius ita leg. *poſſint, neque addicta alterutri opinioni, neque ab utraque nimium abhorrentia, ſed media quodammodo inter diverſas ſententias. quod in plurimis contentionibus deprehendere licet, ſine ambitione verum ſcrutantibus, perinde ut in hac ipſa re.*

51. *trahatur*) Celſus paulo ſupra: *Naturales vero corporis actiones appellant, per quas ſpiritum trahimus & emittimus*. Ita autem repoſui ex Codice Mediceo I. Vaticanus II. habet *detrahant*: Codices alii & Editiones antiquæ *detrahatur*: Lindenii Editio & quidam Conſtantini Codex *deferatur*. Alii legendum putant *diſtrahatur*.

52. *perſequuntur*) Linden. *proſequuntur*.

53. *reddit. Verique ſimile* &c.) Codex Mediceus I. ita habet: *reddit profectumque Veriſimile* &c. a Palavicino autem emendatum, *reddit profectum. Verique ſimile* &c. atque ita legitur in Editione principe Florentina, duabus antiquiſſimis ann. 1493. 1497. Juntina, & Cæſariana. Superiora autem verba in iiſdem Editionibus ſic interpunguntur: *quamvis non faciat medicum aptiorem: tamen medicinæ* &c. At Egnatius & Stephanus leg. *quamvis non faciat medicum aptiorem, tamen medicinæ reddit perfectum. Verique ſimile* &c. Conſtantinus, *quam-*

tum & quicumque alii, non contenti febres & ulcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte ſcrutati ſunt, non ideo quidem medicos fuiſſe, verum ideo quoque majores medicos extitiſſe. Ratione vero opus eſt ipſi medicinæ, etſi non inter obſcuras cauſas [54], neque inter naturales actiones, tamen ſæpe. Eſt enim hæc ars conjecturalis, neque reſpondet ei plerumque non ſolum conjectura, ſed etiam experientia. Et interdum non febris, non cibus, non ſomnus ſubſequitur, ſicut aſſuevit. Rarius, ſed aliquando morbus quoque ipſe novus eſt: quem non incidere, manifeſte falſum eſt; cum ætate noſtra quædam [55], ex naturalibus partibus carne prolapſa & arente [56], intra paucas horas exſpiraverit; ſic ut nobiliſſimi medici neque genus mali, neque remedium invenerint. Quos ego nihil tentaſſe judico, quia [57] nemo in ſplendida perſona periclitari conjectura ſua voluerit; ne occidiſſe, niſi ſervaſſet, videretur: veri tamen ſimile eſt, potuiſſe aliquid cogitare [58], detracta tali verecundia, & fortaſſe reſponſurum fuiſſe id, quod aliquis eſſet expertus. Ad quod medicinæ genus, neque ſemper

quamvis non faciat medicum: aptiorem tamen medicinæ reddit, atque perfectum. Verique ſimile &c. ut eſt in margine Editionis Gryphianæ. Denique Lindenius, *quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit. Profecto veriſimile* &c. Ego Scaligero accedo recte conjicienti, *perfectum* gloſſema eſſe, quod ex margine in contextum migravit. Et ſane *profectumque*, quod omnes iſtas varietates peperit, abeſt a ceteris Mediceis Codicibus. Paulo infra Mediceus I. habet *aliqua parte*, omiſſa præpoſitione *ex*.

54. *etſi non inter obſcuras cauſas*) Medicina tametſi obſcuras cauſas & naturales actiones non perſequitur, tamen cum conjecturalis ars ſit, ſæpe ratione opus habet; quia ſcilicet non ſolum conjectura, ſed ne experientia quidem ei plerumque reſpondet. Celſi ſententiam Conſtantinus aſſecutus non videtur, qui ita reponendum putet: *etſi non ſemper inter obſcuras cauſas, atque inter* &c. Idem de Lindenio dicendum: is enim ita leg. *ſi non ſemper inter obſcuras cauſas, neque inter* &c.

55. *quædam*) Perperam Cæſarius, Gryphius, & Pantinus leg. *quidam*. Codices Mſs. habent *quædam*; niſi quod in Mediceo I. mendoſe eſt *quæ*.

56. *arente*) Conſtantinus margini adſcripſit *hærente*, ut habent plerique Mſs. Codices. Sed legendum *arente*; itaque eſt in Mediceo I. Carnem hanc ex naturalibus fœminæ prolapſam arentemque Morgagnus & Hallerus uterum fuiſſe exiſtimant, inverſum & gangræna affectum.

57. *Quos ego nihil tentaſſe judico, quia* &c.) Pro *ego*, *eo* reponendum videtur. Ita enim conſtructioni minima mutatione conſulitur. Egnatius aliique eum ſecuti leg. *Quos ego nihil ideo tentaſſe judico, quia* &c. Cæſarius, *Quos ergo nihil tentaſſe judico, quia* &c. Lindenius, *Quos ideo nihil tentaſſe judico, quia* &c.

58. *cogitare*) Lindenius repoſuit *excogitare*. Sed *cogitare*, quod habent antiqui libri, idem valet. Nepos in Datam. cap. 6. *quod ad perniciem fuerat cogitatum, id ad ſalutem convertit*.

per ſimilitudo aliquid confert; & ſi quando confert, tamen id ipſum rationale eſt, inter multa ſimilia genera [59] & morborum, & remediorum, cogitare, quo potiſſimum medicamento ſit utendum. Cum igitur talis res incidit, medicus aliquid oportet inveniat, quod non ubique fortaſſe, ſed ſæpius tamen etiam reſpondeat. Petet autem novum quoque conſilium [60], non ab rebus latentibus (iſtæ enim dubiæ & incertæ ſunt) ſed ab iis, quæ explorari poſſunt; id eſt evidentibus cauſis. Intereſt enim, fatigatio morbum, an ſitis, an frigus, an calor, an vigilia, an fames fecerit, an cibi vinique abundantia, an intemperantia libidinis. Neque ignorare hunc oportet, quæ ſit ægri natura: humidum magis, an magis ſiccum corpus ejus ſit; validi nervi, an infirmi; frequens adverſa valetudo, an rara; eaque, cum eſt, vehemens eſſe ſoleat, an levis; brevis, an longa: quod is vitæ genus ſit ſecutus, laborioſum, an quietum; cum luxu, an cum frugalitate. Ex his enim, ſimilibuſque, ſæpe curandi nova ratio ducenda eſt.

Quamvis ne hæc quidem ſic præteriri debent, quaſi nullam controverſiam recipiant. Nam & Eraſiſtratus non ex his fieri morbos dixit; quoniam & alii, & iidem alias poſt iſta non febricitarent: & quidam medici [61] ſæculi noſtri, ſub auctore, ut ipſi videri volunt, Themiſone, contendunt, nullius cauſæ notitiam quidquam ad curationes pertinere; ſatiſque eſſe, quædam communia morborum intueri. Siquidem [62] horum tria genera eſſe, unum adſtrictum, alterum fluens, tertium miſtum. Nam modo parum excernere ægros, modo nimium; modo alia parte parum, alia nimium. Hæc autem genera morborum, modo acuta eſſe, modo longa; & modo increſcere, modo conſiſtere, modo minui [63]. Cognito igitur eo,

59. *inter multa ſimilia genera*) Cod. Mediceus I. non habet vocem *multa*.

60. *novum quoque conſilium*) Cod. Mediceus I. habet, *novum quodque conſilium*.

61. *& quidam medici*) Lindenius, abrupta ſententia, leg. *Et quidam Methodici*. Hinc vox *Methodicus* a quibuſdam inter latinas refertur: ſed perperam. Lindenius enim id in textum recepit, quod a Conſtantino additum margini fuerat ad explicationem. Libri antiqui tum manuſcripti, tum editi habent *medici*: alii vero *quidam*; alii mendoſe *quidem*.

62. *Siquidem*) Lindenius leg. *Et quidem*.

63. *modo minui*) Alii addunt *conſueverunt*: ſed perperam, quia conſtructio, cum regatur a verbo *contendunt*, infinitum poſtulat. Itaque Lindenius, ex Conſtantini emendatione, legit *conſueviſſe*: quod verbum ego ſuſtuli ex fide Codicis Medicei I.

eo, quod ex his eſt, ſi corpus adſtrictum eſt, digerendum eſſe; ſi profluvio laborat, continendum; ſi miſtum vitium habet, occurrendum ſubinde vehementiori malo. Et aliter acutis morbis medendum, aliter vetuſtis; aliter increſcentibus, aliter ſubſiſtentibus, aliter jam ad ſanitatem inclinatis [64]. Horum obſervationem medicinam eſſe; quam ita finiunt, ut quaſi viam quamdam, quam μέθοδον Græci nominant [65], eorumque, quæ in morbis communia ſunt, contemplatricem eſſe contendant. Ac neque rationalibus ſe, neque experimenta tantum ſpectantibus annumerari volunt: cum ab illis eo nomine diſſentiant, quod in conjectura rerum latentium nolunt eſſe medicinam; ab his eo, quod parum artis eſſe in obſervatione experimentorum credunt. Quod ad Eraſiſtratum pertinet, primum ipſa evidentia ejus opinioni repugnat; quia raro, niſi poſt horum aliquid, morbus venit. Deinde non ſequitur, ut quod alium non afficit, aut eumdem alias, id ne alteri quidem, aut eidem tempore alio noceat. Poſſunt enim quædam ſubeſſe corpori, vel ex infirmitate ejus, vel ex aliquo affectu, quæ vel in alio non ſunt, vel in hoc alias non fuerunt; eaque per ſe non tanta, ut concitent morbum, tamen obnoxium magis aliis injuriis corpus efficiant. Quod ſi contemplationem rerum naturæ, quam temere medici ſibi vindicant [66], ſatis comprehendiſſet, etiam illud ſciſſet, nihil omnino ob unam cauſam fieri, ſed id pro cauſa apprehendi, quod contuliſſe plurimum videtur. Poteſt autem id, dum ſolum eſt, non movere, quod junctum aliis maxime movet. Accedit ad hæc, quod ne ipſe quidem Eraſiſtratus, qui transfuſo in arterias ſanguine febrem fieri dicit, idque nimis repleto corpore incidere, reperit, cur ex duobus æque repletis, alter in morbum

64. *inclinatis*) Ita ex Codice Mediceo I. Alii leg. *inclinantibus*.

65. *Græci nominant*) Vox *Græci* abeſt a Codice Mediceo I. & fortaſſe recte.

66. *quam temere medici ſibi vindicant*) Rerum naturæ contemplationem ad medicos proprie pertinere non exiſtimat; idque ſupra quoque oſtendit his verbis: *Quamquam igitur multa ſint ad ipſas artes proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant excitando artificis ingenium. Itaque iſta quoque naturæ rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit*. Et ſub hujus Præfat. finem: *rationalem quidem puto medicinam eſſe debere: inſtrui vero ab evidentibus cauſis; obſcuris omnibus non a cogitatione artificis, ſed ab ipſa arte rejectis*. Et lib. 2. cap. 14. *Quas tamen ſpecies ſi quis curioſius æſtimet (quod jam ad medicum non pertinet) facile intelliget, omnes ex una cauſa pendere, quæ demit*. Lindenius tamen, antiquis libris invitis, leg. *quam non temere* &c.

bum incideret[67], alter omni periculo vacaret; quod quotidie fieri apparet[68]. Ex quo diſci poteſt, ut vera ſit illa transfuſio, tamen illam, non per ſe, cum plenum corpus eſt, fieri, ſed cum horum aliquid acceſſerit. Themiſonis vero æmuli, ſi perpetua, quæ promittunt, habent, magis etiam, quam ulli[69] rationales ſunt. Neque enim, ſi quis non omnia tenet, quæ rationalis alius probat, protinus alio novo nomine artis indiget; ſi modo, quod primum eſt, non memoriæ ſoli, ſed rationi quoque inſiſtit. Sin, quod vero propius eſt, vix ulla perpetua præcepta medicinalis ars recipit, idem ſunt[70], quod ii, quos experimenta ſola ſuſtinent: eo magis, quoniam, compreſſerit aliquem morbus, an fuderit[71], quilibet etiam imperitiſſimus videt: quid autem compreſſum corpus reſolvat, quid ſolutum teneat, ſi a ratione tractum eſt, rationalis eſt medicus; ſi, ut ei qui ſe rationalem negat, confiteri neceſſe eſt, ab experientia, empiricus. Ita[72] apud eum morbi cognitio extra artem, medicina intra uſum eſt. Neque adjectum quidquam empiricorum profeſſioni, ſed demptum eſt; quoniam illi multa circumſpiciunt, hi tantum facillima, & non plus, quam vulgaria. Nam & ii, qui pecoribus ac jumentis medentur, cum propria cujuſque ex mutis animalibus[73] noſſe non poſſint, communibus tantummodo inſiſtunt: & exteræ gentes, cum ſubtilem medicinæ rationem non noverint, communia tantum vident: & qui ampla valetudinaria nutriunt[74], quia ſingulis ſumma cura conſulere non ſu-

67. *incideret*) Alii omnes *inciderit*, & poſtea *vacarit*. Ego ſic lego ex Cod. Medic. I.

68. *fieri apparet*) Secutus ſum & Codicem modo allatum, & Lindenii Editionem. Al. poſt *apparet*, addunt *non diſcreverit*, & verba, quæ antecedunt, ſic diſtinguunt: *incidere reperit, cur &c.*

69. *quam ulli*) In Edit. Lindenii & in aliquo Cod. Ms. legitur *quam illi*.

70. *idem ſunt*) Lindenius aliique quidam, Aldinam Editionem ſecuti, habent: *iidem ſunt*.

71. *compreſſerit aliquem morbus, an fuderit*) Ita ex Cod. Medic. I. Alii leg. *ſi compreſſerit*: Lindenius, *ſi compreſſerit*; & deinde, *aut fuderit*; ut malebat Conſtantinus.

72. *empiricus. Ita*) Secutus ſum Codicem Ms. modo allatum, in quo eſt: *Empericus. Ita*. Alii leg. *Empiricus eſt. Ita*; Lindenius, *Empiricus. Et ita*.

73. *ex mutis animalibus*) Plerique leg. *multis*, ut eſt in Cod. Medic. I. Sed recte Codices alii, *mutis*; & ita Stephanus & Lindenius ediderunt.

74. *qui ampla valetudinaria nutriunt*) qui multos curant, ut fit in amplis valetudinariis. Sic reſtitui ex Cod. Medic. I. Communiter legebatur: *qui ample valetudinarios nutriunt*; ut eſt in eodem illo Codice ex mutatione inducta a Palavicino; quem alii Codices decepiſſe videntur, in quibus habetur: *ampla valetudinarios*. Ceterum *nutrire* pro *curare* apud Celſum frequens eſt. Lib. 3. cap.

ſuſtinent, ad communia iſta confugiunt. Neque, hercules, iſtud antiqui medici neſcierunt [75], ſed his contenti non fuerunt. Ergo etiam vetuſtiſſimus auctor Hippocrates dixit, mederi oportere, & communia, & propria intuentem. Ac ne iſti quidem ipſi intra ſuam profeſſionem conſiſtere ullo modo poſſunt: ſiquidem & compreſſorum & fluentium morborum genera diverſa ſunt; faciliuſque id in iis, quæ fluunt, inſpici poteſt. Aliud eſt enim ſanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere; aliud dejectionibus, aliud torminibus laborare; aliud ſudore digeri, aliud tabe conſumi. Atque in partes quoque humor erumpit, ut oculos, aureſque: quo periculo nullum humanum membrum vacat. Nihil autem horum ſic ut aliud curatur. Ita protinus in his a communi fluentis morbi contemplatione ad propriam medicina deſcendit. Atque in hac quoque rurſus alia proprietatis notitia ſæpe neceſſaria eſt; quia non eadem omnibus, etiam in ſimilibus caſibus, opitulantur. Siquidem certæ quædam res ſunt, quæ in pluribus ventrem aut adſtringunt, aut reſolvunt: inveniuntur tamen, in quibus aliter, atque in ceteris, idem [76] eveniat. In his ergo communium inſpectio contraria eſt, propriorum tantum ſalutaris. Et cauſæ quoque æſtimatio ſæpe morbum ſolvit. Ergo etiam ingenioſiſſimus ſæculi noſtri medicus, quem nuper vidimus, Caſſius, febricitanti cuidam, & magna ſiti affecto, cum poſt ebrietatem eum premi cœpiſſe cognoſſet [77], aquam frigidam ingeſſit. Qua ille epota, cum vini vim miſcendo fregiſſet, protinus febrem ſomno & ſudore diſcuſſit. Quod auxilium medicus opportune providit, non ex eo, quod aut adſtrictum [78] corpus erat, aut fluebat; ſed ex cauſa,

quæ

3. cap. 9. *ejuſmodi medici melius alienos ægros, quam ſuos nutriunt*; lib. 6. cap. 6. ſect. 16. *Hactenus oculorum morbi lenibus medicamentis nutriuntur*; & ſect. 27. *Satiſque conſtat, hoc collyrium adverſus omne genus oculorum valetudinis idoneum eſſe, exceptis iis, quæ lenibus nutriuntur*: quo loco quid valeat *nutrire*, præclare explicat alius ſimilis locus ſect. 31. *Verum in baſilico quoque collyrio convenit, ad omnes affectus oculorum id eſſe idoneum, qui non lenibus medicamentis curantur*.

75. *iſtud antiqui medici neſcierunt*) Ita in Edit. Lindenii, itemque in Cod. Medic. III. & aliquo alio. In primo & in Edd. ceteris: *iſtud et antiqui etc.*

76. *idem*) Conſtantinus invenit *id* in quodam Codice: in Mediceis eſt *idem*, ut vulgo legitur.

77. *cognoſſet*) Ita ſcriptum fuerat in Cod. Medic. I. quod adhuc cognoſci poteſt. Librarius poſtea ſic mutavit, ut legatur, quomodo in aliis Mſs. & vulgo quoque legitur, *cognoſceret*.

78. *adſtrictum*) *ſtrictum* legunt alii omnes; ſed in Editione prima, ut in Mſs. Mediceis, legitur *adſtrictum*.

quæ ante præceſſerat. Eſtque etiam proprium aliquid & loci & temporis, iſtis quoque auctoribus: qui cum diſputant, quemadmodum ſanis hominibus agendum ſit, præcipiunt ut gravibus aut locis aut temporibus magis vitetur frigus, æſtus, ſatietas, labor, libido; magiſque ut conquieſcat iiſdem locis [79] aut temporibus, ſi quis gravitatem corporis ſentit; ac neque vomitu ſtomachum, neque purgatione alvum ſollicitet. Quæ vera quidem ſunt; a communibus tamen ad quædam propria deſcendunt. Niſi perſuadere nobis volunt, ſanis quidem conſiderandum eſſe, quod cœlum, quod tempus anni ſit; ægris vero non eſſe: quibus tanto magis omnis obſervatio neceſſaria eſt, quanto magis obnoxia offenſis infirmitas eſt. Quin etiam morborum in iiſdem hominibus aliæ atque aliæ proprietates ſunt; & qui ſecundis aliquando fruſtra curatus eſt, contrariis ſæpe reſtituitur. Plurimaque in dando cibo diſcrimina reperiuntur; ex quibus contentus uno ero. Nam famem facilius adoleſcens [80], quam puer; facilius in denſo cœlo, quam in tenui; facilius hieme, quam æſtate; facilius uno cibo, quam prandio quoque aſſuetus; facilius inexercitatus, quam exercitatus homo ſuſtinet. Sæpe autem in eo magis neceſſaria cibi feſtinatio eſt, qui minus inediam tolerat. Ob quæ conjicio [81], eum, qui propria non novit, communia tantum intueri debere; eumque, qui noſſe propria poteſt, illa quidem non oportere negligere, ſed his quoque inſiſtere. Ideoque, cum par ſcientia ſit, utiliorem tamen medicum eſſe amicum, quam extraneum. Igitur, ut ad propoſitum meum redeam, rationalem quidem puto medicinam eſſe debere: inſtrui vero ab evidentibus cauſis; obſcuris omnibus, non a cogitatione artificis, ſed ab ipſa arte rejectis. Incidere autem vivorum corpora, & crudele, & ſupervacuum eſt: mortuorum [82], di-

C

79. *iiſdem locis*) Communiter legitur: *iiſdem aut locis*; ut in pleriſque Mſs. inveni. Ego ſecutus ſum Medic. I.

80. *facilius adoleſcens*) *facilius fert adoleſcens* habent Editiones omnes; ſed Lindenius tollit *ſuſtinet*, quod eſt in fine periodi: quod verbum cum præcedenti voce *homo* gloſſema eſſe Scaliger putat. Contra ego ex fide Codicis Medic. I. expuli *fert*. Sic loquitur Celſus etiam lib. I. c. 3. *Omnem etiam laborem facilius vel puer vel ſenex, quam inſuetus homo ſuſtinet.*

81. *conjicio*) Codices Mſs. alii habent *competit*; alii, inter quos Medic. I. *conjicio*; quod eſt etiam in Edd. Ruellii, Stephani, & Lindenii. Fortaſſe legendum *concipio*; cum eadem ſignificatione adhibeatur verbum hoc lib. 3. cap. 6. & lib. 4. cap. I. Atque id ego omnino malim.

82. *mortuorum*) Alii leg. *mortuorum corpo-*

diſcentibus neceſſarium. Nam poſitum & ordinem noſſe debent; quæ, cadavera melius, quam vivus & vulneratus homo, repræſentant. Sed & cetera, quæ modo in vivis cognoſci poſſunt, in ipſis curationibus vulneratorum paulo tardius, ſed aliquanto mitius uſus ipſe monſtrabit. His propoſitis, primum dicam, quemadmodum ſanos agere conveniat: tum ad ea tranſibo, quæ ad morbos curationeſque eorum pertinebunt.

I. Sanus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet; ac neque medico, neque iatralipta [83] egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus: modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiuſque in agro; navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentius [84] ſe exercere: ſiquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti; modo ungi, modo idipſum negligere; nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; interdum in convictu [85] eſſe, interdum ab eo ſe retrahere; modo plus juſto, modo non amplius aſſumere; bis die potius, quam ſemel cibum capere, & ſemper quam plurimum, dummodo hunc concoquat. Sed ut hujus generis exercitationes cibique neceſſarii ſunt; ſic athletici ſupervacui. Nam & intermiſſus propter civiles aliquas neceſſitates ordo exercitationis corpus affligit; & ea corpora, quæ more eorum repleta ſunt, celerrime & ſeneſcunt, & ægrotant. Concubitus vero neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt: rarus, corpus excitat, frequens, ſolvit. Cum autem frequens, non numero ſit, ſed natura, ratione ætatis & corporis, ſcire licet,

eum

pora; ut eſt in Mſs. quoque fere omnibus; ſed procul dubio ab explanatore. Codex Medic. I. non habet *corpora*. Pro voce iſta Lindenius repoſuit *vero*.

83. *iatralipta*) Et ſcriptio hujus vocis apud alios Editores alia eſt, & vox ipſa variat. Sic ſcribitur a Ruellio, Gryphio, Conſtantino, & Ronſſeo; *iatraliupta* a Stephano; *iatrolipta* ab Aldo; a Lindenio denique *iatroalipta*. At Editio Florentina princeps habet *alipta*, ex Cod. Medic. IV. ut ego ſuſpicor. Cum enim primus habeat *iatroaliptae*; quartus, ſic ut ceteri, *biatro alipta*; in hoc vox *biatro* expungitur. Cum Edit. Florentina faciunt duæ antiquiſſimæ ann. 1493. 1497. Juntina, Cæſariana, & Pantiniana.

84. *frequentius*) Lindenius, *frequenter*.

85. *convictu*) Alii leg. *convivio*. Ego ſecutus ſum Editionem Lindenii, cum qua conſentit Cod. Medic. I. Et ſane veriſimilius eſt, *convivium* eſſe interpretationem *convictus*, quam *convictum*, *convivii*. Reperitur vox hæc eadem ſignificatione etiam apud Plinium lib. 14. cap. 14. lib. 25. cap. 9. & apud Velleium Paterculum lib. 1. cap. 33. quem locum fruſtra ſolicitat Manutius.

eum non inutilem eſſe, quem corporis neque languor, neque dolor ſequitur. Idem interdiu pejor eſt, noctu tutior: ita tamen, ſi neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor ſtatim ſequitur. Hæc firmis ſervanda ſunt; cavendumque, ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur.

II. At imbecillis [86] (quo in numero magna pars urbanorum, omneſque pene cupidi litterarum ſunt) obſervatio major neceſſaria eſt: ut quod vel corporis, vel loci, vel ſtudii ratio detrahit, cura reſtituat. Ex his igitur, qui bene concoxit, mane tuto ſurget [87]; qui parum, quieſcere debet, & ſi mane ſurgendi neceſſitas fuerit, redormire: qui non concoxit, ex toto conquieſcere, ac neque labori ſe, neque exercitationi, neque negotiis [88] credere. Qui crudum ſine præcordiorum dolore ructat, is ex intervallo aquam frigidam bibere, & ſe nihilominus continere. Habitare vero ædificio lucido, perflatum æſtivum, hibernum ſolem habente; cavere meridianum ſolem, matutinum & veſpertinum frigus; itemque auras fluminum atque ſtagnorum: minimeque, nubilo cœlo, ſoli aperienti ſe committere, ne modo frigus, modo calor moveat; quæ res maxime gravedines deſtillationeſque concitat. Magis vero gravibus locis iſta ſervanda ſunt, in quibus etiam peſtilentiam faciunt. Scire autem licet, integrum corpus eſſe, cum quotidie mane urina alba, dein rufa eſt: illud concoquere, hoc concoxiſſe ſignificat. Vbi experrectus eſt aliquis, paulum intermittere: deinde, niſi hiems eſt, fovere os multa aqua frigida debet. Longis diebus meridiari potius ante cibum; ſin minus, poſt eum: per hiemem potiſſimum totis noctibus conquieſcere. Sin lucubrandum eſt, non poſt cibum id facere, ſed poſt concoctionem. Quem interdiu vel domeſtica, vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod ſervandum curationi corporis ſui eſt. Prima autem ejus curatio, exercitatio eſt, quæ ſemper antecedere cibum debet: in eo, qui minus laboravit, & bene conco-

86. *At imbecillis*) Imbecillos firmis opponit, ut ex contextu ipſo apparet. Alii legunt, quo modo eſt in omnibus fere Mſs. *imbecillis ſtomacho*; quod ex mala alicujus interpretatione ortum eſt. Nam de iis, quibus ſtomachus infirmus eſt, poſtea dicetur cap. 8. Vox *ſtomacho* non eſt in Cod. Medic. I. eaque a Lindenio recte expulſa fuit.

87. *ſurget*) In III. aliiſque quibuſdam Mediceis Mſs. *ſurgit*.

88. *negotiis*) Ita ex Cod. Medic. I. Alii leg. *negotio*.

xit, amplior; in eo, qui fatigatus eſt [89], & minus concoxit, remiſſior. Commode vero exercent, clara lectio, arma, pila, curſus, ambulatio; atque hæc non utique plana, commodior eſt; ſiquidem melius aſcenſus quoque & deſcenſus, cum quadam varietate corpus moveat [90]; niſi tamen id perquam imbecillum eſt. Melior autem eſt ſub divo, quam in porticu; melior, ſi caput patitur, in ſole, quam in umbra; melior in umbra, quam parietes aut viridia [91] efficiunt, quam quæ tecto ſubeſt; melior recta, quam flexuoſa. Exercitationis autem plerumque finis eſſe debet ſudor, aut certe laſſitudo quæ citra fatigationem ſit: idque ipſum, modo minus, modo magis faciendum eſt. Ac ne his quidem, athletarum exemplo, vel certa eſſe lex, vel immodicus labor [92] debet. Exercitationem recte ſequitur, modo unctio, vel in ſole, vel ad ignem; modo balneum, ſed conclavi [93] quam maxime & alto & lucido & ſpatioſo. Ex his vero neutrum ſemper [94] fieri oportet; ſed ſæpius alterutrum, pro corporis natura. Poſt hæc paulum conquieſcere opus eſt. Vbi ad cibum ventum eſt, numquam utilis eſt nimia ſatietas [95]; ſæpe inutilis nimia abſtinentia: ſi qua intemperantia ſubeſt, tutior eſt [96] in potione, quam in eſca. Cibus a ſalſamentis, oleribus, ſimilibuſque rebus melius in-

89. *amplior; in eo, qui fatigatus eſt*) Hunc locum Lindenius ita mutat: *remiſſior: in eo, qui aſſuetus eſt, & minus concoxit, amplior;* ſed perperam, ut Morgagnus oſtendit cum ratione, tum veterum librorum teſtimonio. Libris, quibus Morgagnus uſus eſt, adde Codices Mediceos & cum Editione principe antiquiſſimam an. 1493.

90. *moveat*) Malim legere *movet*, quod mallet Conſtantinus quoque.

91. *viridia*) Sic reſtituo ex Mſs. Porro Medicei, non modo, ut duo illi quos Morgagnus memorat, hanc lectionem confirmant, verum etiam vulgaris, *viridaria*, originem aperiunt; quam Vir iſte Clariſſimus conjectura attigerat. Nimirum in IV. ſupra extremas litteras vocis *viridia* poſita eſt alia manu ſyllaba *ar*. In I. eſt, *paries aut viride*.

92. *immodicus labor*) Alii leg. *immodicus eſſe labor*. Sed *eſſe* redundat. Itaque ſuſtuli ex fide Cod. Medic. I.

93. *conclavi*) Cæſarius, *in conclavi*. Hunc Lindenius aliique ſecuti ſunt. Præpoſitio non eſt in Mſs. Mediceis, niſi in I. ſed poſita ſupra vocem *conclavi*, ut inſititiam eſſe credibile ſit.

94. *ſemper*) Sic repoſuit Lindenius pro *ſæpe*. In Mſs. quoque eſt *ſemper*: ſed in Medic. IV. expunctis alia manu litteris *m* & *r*, factum eſt *ſæpe*; ut eſt in margine Vaticani III.

95. *numquam utilis eſt nimia ſatietas*) Ruellius & Stephanus, *ſæpe inutilis nimia ſatietas*.

96. *ſi qua intemperantia ſubeſt, tutior eſt*) His verbis alii omnes præmittunt *ſæpe*. Magis probanda videtur abſolute poſita ſententia; quo modo eſt in Cod. Medic. I. quem ego ſecutus ſum. Pro *tutior*, quod Mſs. habent, & item Edit. I. quidam leg. *durior*; ut eſt in Edit. an. 1493. ſed perperam. Nam Celſus videtur exprimere Aphor. Hippocr. 11. ſect. 2.

incipit: tum caro aſſumenda eſt, quæ aſſa optima, aut elixa eſt. Condita omnia duabus de cauſis inutilia ſunt; quoniam & plus propter dulcedinem aſſumitur, & quod modo par eſt [97], tamen ægrius concoquitur. Secunda menſa bono ſtomacho nihil nocet, in imbecillo coaceſcit. Si quis itaque hoc parum valet, palmulas, pomaque, & ſimilia melius primo cibo aſſumit. Poſt multas potiones, quæ aliquantum ſitim exceſſerunt, nihil edendum eſt: poſt ſatietatem, nihil agendum. Vbi expletus eſt aliquis, facilius concoquit, ſi quidquid aſſumpſit, potione aquæ frigidæ includit, tum pauliſper invigilat, deinde bene dormit. Si quis interdiu ſe implevit, poſt cibum neque frigori, neque æſtui, neque labori ſe debet committere: neque enim tam facile hæc inani corpore, quam repleto nocent. Si quibus de cauſis futura inedia eſt, labor omnis vitandus eſt.

III. Atque hæc quidem pene perpetua ſunt. Quaſdam autem obſervationes deſiderant & novæ res, & corporum genera, & ſexus [98], & ætates, & tempora anni. Nam neque ex ſalubri loco in gravem, neque ex gravi in ſalubrem tranſitus ſatis tutus eſt. Ex ſalubri in gravem, prima hieme; ex gravi in eum, qui ſalubris eſt, prima æſtate tranſire melius eſt. Neque vero ex multa fame nimia ſatietas; neque ex nimia ſatietate fames idonea eſt. Periclitaturque, & qui ſemel, & qui bis die cibum incontinenter, contra conſuetudinem, aſſumit. Item, neque ex nimio labore ſubitum otium, neque ex nimio otio ſubitus labor, ſine gravi noxa eſt. Ergo, cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit aſſueſcere. Omnem etiam laborem facilius vel puer vel ſenex, quam inſuetus homo ſuſtinet. Atque ideo quoque nimis otioſa vita [99] utilis non eſt; quia poteſt incidere laboris neceſſitas.

Si

97. *quod modo par eſt*) quod nimium non eſt. *modo* adverbium non eſt, ut quidam exiſtimarunt, ſed ſextus caſus nominis ſubſtantivi. In Cod. Medic. I. legitur: *quod modo parum eſt*; in margine Edit. Conſtantinianæ: *quod modo parvum eſt*. Infra *inani corpori* habet allatus Codex Mediceus pro *inani corpore*.

98. *& ſexus*) De hac re nihil poſtea. Itaque ſuſpicari licet, vel addititia hæc duo verba eſſe, vel, ut Conſtantinus exiſtimat, deſiderari infra quæ his reſpondebant.

99. *nimis otioſa vita*) In Edit. I. & in duabus vetuſtiſſimis ann. 1493. & 1497. & in Juntina quoque, *minus otioſa*; ſed perperam. Infra in Mſs. atque in Editionibus priſcis legitur: *aut ſi multo plus quam ſolet, etiam ſi qui etc.* Egnatius & Cæſarius tollunt

Si quando tamen inſuetus aliquis laboravit, aut ſi multo plus, quam ſolet, etiam is qui aſſuevit, huic jejuno dormiendum eſt: multo magis, ſi etiam os amarum eſt, vel oculi caligant, aut venter perturbatur. Tum enim non dormiendum tantummodo jejuno eſt, ſed etiam in poſterum diem permanendum [1]; niſi cito id quies ſuſtulit. Quod ſi factum eſt, ſurgere oportet, & lente paulum ambulare. At ſi ſomni neceſſitas non fuit, quia modice magis aliquis laboravit, tamen ingredi aliquid [2] eodem modo debet. Communia deinde omnibus ſunt poſt fatigationem cibum ſumpturis, ubi paulum ambulaverunt, ſi balneum non eſt, calido loco, vel in ſole, vel ad ignem ungi, atque ſudare; ſi eſt, ante omnia in tepidario ſedere [3]; deinde, ubi paulum conquieverunt, intrare & deſcendere in ſolium; tum multo oleo ungi, leniterque perfricari; iterum in ſolium deſcendere: poſt hæc, os aqua calida fovere, deinde frigida. Balneum his fervens idoneum non eſt [4]. Ergo ſi nimium alicui fatigato pene febris eſt, huic abunde eſt, loco tepido demittere ſe inguinibus tenus in aquam calidam, cui paulum olei ſit adjectum: deinde totum quidem corpus, maxime tamen eas partes, quæ in aqua fuerunt, leniter perfricare ex oleo, cui vinum & paulum contriti ſalis ſit adjectum. Poſt hæc, omnibus fatigatis aptum eſt cibum ſumere, eoque humido uti; aqua, vel certe diluta potione eſſe contentos; maximeque ea, quæ moveat urinam. Illud quoque noſſe oportet, quod ex labore ſudanti frigida potio [5] perniciosiſſima eſt; atque etiam, cum ſu-

ſunt *ſi* poſt *aut*; Ruellius mutat præterea *ſi qui* in *is qui*. Hunc omnes ſecuti ſunt. Ego hactenus ſequor, ut *is qui* cum eo legam; ſed retineo *aut ſi multo*, ex veterum Codd. fide.

1. *permanendum*) Lindenius, *ita permanendum*. Ego particulam *ita* in nullo Ms. Codice inveni.

2. *aliquid*) ideſt aliquantum. Imo iſtud ipſum adverbium eſt in Edit. Lindenii, fortaſſe ex margine Conſtantinianæ in contextum receptum. Sed *aliquid* hac ſignificatione Celſus ſæpe uſurpat, velut lib. 3. cap. 16. Itaque hic quoque retinendum eſt ex fide Codicum Mediceorum.

3. *ſedere*) Ita in Cod. Medic. I. In III. aliiſque *reſedere*; in libris impreſſis *reſidere*, ut eſt in eodem Cod. I. a Palavicino. Infra quoque ſimplici verbo utitur; *opus eſt in balneo primum involuto ſedere*.

4. *idoneum non eſt*) In Cod. Medic. I. deſunt duæ voces *non eſt*.

5. *frigida potio*) Cap. 8. *frigidis potionibus*, deinde *frigida potione*; & alibi ſæpe frigidam potionem habet. Pro *frigida*, Lindenius repoſuit *frigidæ*; hoc eſt aquæ. Fortaſſe pravus codex eum fefellit. Vulgatam lectionem non ſolum Codices Mſs. & Medicei & Vaticani, verum etiam ratio confirmat. Nam ut aquæ, ſic & vini & alia quævis potio, ſi frigida ſit, ex labore ſudanti perniciosa eſt. Vidi ego, vino frigido

ſudor ſe remiſit, itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus Aſclepiades inutilem eam judicavit: quod in iis verum eſt, quibus alvus facile, nec tuto, reſolvitur, quique facile inhorreſcunt; perpetuum in omnibus non eſt, cum potius naturale ſit, potione æſtuantem ſtomachum refrigerari [6]. Quod ita præcipio, ut tamen fatear, ne ex hac quidem cauſa ſudanti adhuc frigidum bibendum [7] eſſe. Solet etiam prodeſſe, poſt varium cibum, frequenteſque dilutas potiones, vomitus, & poſtero die longa quies, deinde modica exercitatio. Si aſſidua fatigatio [8] urget, invicem modo aqua, modo vinum bibendum eſt, raroque balneo utendum. Levatque laſſitudinem etiam laboris mutatio: eumque, quem novum genus ejuſdem [9] laboris preſſit, id, quod in conſuetudine eſt, reficit. Fatigato quotidianum cubile tutiſſimum eſt. Laſſat enim [10] quod contra conſuetudinem ſeu molle, ſeu durum eſt. Proprie quædam ad eum pertinent, qui ambulando fatigatur. Hunc reficit in ipſo quoque itinere frequens frictio; poſt iter, primum ſedile, deinde unctio: tum calida aqua in balneo magis ſuperiores partes, quam inferiores [11] foveat. Si quis vero exuſtus in

do a multa vehementique ambulatione ſtatim epoto, quemdam inteſtinorum inflammatione perire, alium, ſpiritu repente intercluſo, pene ſuffocari. Verba, quæ hæc præcedunt, ita ſe habent in Cod. Medic. I. *quod ex labore ſudant;* mendoſe pro *ſudanti*. Sed ſupra *quod* ex veteri emendatione eſt *hiſq.* ideſt *his qui;* ut legatur *quod his qui*.

6. *æſtuantem ſtomachum refrigerari*) Duo verba *frigentem calefieri*, quæ vulgo, ut in Mſs. quoque fere omnibus, ad hæc attexuntur, ego expuli ex fide Medic. I. Nequeunt hic locum habere, ubi de iis agitur, qui a balneo æſtuant, ideoque frigidam potionem concupiſcunt.

7. *frigidum bibendum*) Lindenius leg. *frigidam bibendam;* ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ.

8. *fatigatio*) In Edit. Lindenii eſt *oſcitatio*. Omnino retinenda eſt vetus lectio. Habet noſtrorum Codicum auctoritatem: confirmatur præterea verbis illis periodi ſequentis: *Levatque laſſitudinem etiam laboris mutatio;* ut animadvertit Morgagnus.

9. *ejuſdem*) Hanc vocem inveni etiam in Mſs. Supervacua eſt, & vix ferri poteſt. Lindenius habet *cujuſdam;* ut mallet Conſtantinus.

10. *tutiſſimum eſt. Laſſat enim &c.*) Variant hoc loco antiqui Codices non uno modo. Ego ſecutus ſum Medic. I. Quæ in aliis leguntur, ab explanatoribus addita videntur, ut ex varietate ipſa colligitur. Nam ſic habetur: *tutiſſimum eſt; inſolitum contra laſſat. Et enim:* ſed in Mediceis II. & VII. *quod contra conſuetudinem eſt ſeu molle;* in III. & VI. *quod contra conſuetudinem eſt, nocet ſeu molle;* in IV. & V. *quod contra conſuetudinem nocet eſt ſeu molle*. In IV. ex *Et enim quod*, ab Emendatore factum eſt *Quod enim*. Hinc vulgaris lectio: *tutiſſimum eſt; inſolitum contra laſſat. Quod enim contra conſuetudinem eſt, nocet ſeu molle etc.*

11. *in balneo magis ſuperiores partes, quam inferiores*) Magnam ſuperiore loco, at hic nullam in Mſs. Codicibus varietatem deprehendimus. Perverſa tamen hæc verba Thriverio & Conſtantino videntur, & ſic

in ſole eſt, huic in balneum protinus eundum, perfundendumque oleo corpus & caput; deinde in ſolium bene calidum deſcendendum eſt; tum multa aqua per caput infundenda, prius calida, deinde frigida. At ei, qui perfrixit, opus eſt in balneo [12] primum involuto ſedere, donec inſudet; tum ungi; deinde lavari: cibum modicum, potiones meracas aſſumere. Is vero qui navigavit, & nauſea preſſus eſt, ſi multam bilem evomuit, vel abſtinere cibo debet, vel paulum aliquid aſſumere: ſi pituitam acidam effudit, utique ſumere cibum, ſed aſſueto leviorem: ſi ſine vomitu nauſea fuit [13], vel abſtinere, vel poſt cibum vomere. Qui vero toto die, vel in vehiculo, vel in ſpectaculis ſedit, huic nihil currendum, ſed lente ambulandum eſt: lenta quoque in balneo mora, dein cœna exigua prodeſſe conſueverunt. Si quis in balneo æſtuat, reficit hunc ore exceptum, & in eo retentum acetum: ſi id non eſt, eodem modo frigida aqua aſſumpta.

Ante omnia autem norit quiſque naturam ſui corporis [14]: quoniam alii graciles, alii obeſi ſunt; alii calidi, alii frigidiores; alii humidi, alii ſicci [15]; alios adſtricta, alios reſoluta alvus exercet: raro quiſquam non aliquam partem corporis imbecillam habet. Tenuis vero homo implere ſe debet, plenus extenuare, calidus refrigerare, frigidus calefacere, madens ſiccare, ſiccus madefacere: itemque alvum firmare is, cui fuſa; ſolvere is, cui adſtri-

& ſic reſtituenda : *magis inferiores partes, quam ſuperiores*. Immo ſic a Lindenio reſtituta ſunt. Verum ſi hæc apud iſtos mendi ſuſpicione non carent, illud *in balneo* certe carere debet; ſiquidem recte legitur: *ſæpe in balneo multa calida aqua fovendum caput*; in lib. 6. cap. 6. ſect. 15. Quod eo dico, quia Lindenius leg. *aut balneo*; Conſtantinus, *tum balneo*, legendum putat.

12. *in balneo*) Lindenius repoſuit *in laconico*; quam vocem ſi ille in Codice aliquo invenit, factum erit, quod ſæpe alibi, ut alicujus interpretationem librarius in contextum receperit, Celſi verbis expulſis. Codices Medicei habent *in balneum*; ſed primus, *in balneo*; & poſtea *ungui*, ut fere ubique in eo ſcribitur, pro *ungi*.

13. *nauſea fuit*) Lindenius *nauſeavit*; neque aliter Celſum ſcripſiſſe Scaliger putat. Ego veterem lectionem non facile improbaverim; præſertim cum omnes noſtri Codices eam confirment, & infra, ubi de vomitu, hæc legantur: *prodeſt ei cui pectus æſtuat, & frequens ſaliva, vel nauſea eſt*.

14. *norit quiſque naturam ſui corporis*) In Edit. Lindenii legitur: *ſcire convenit naturam corporis*; quaſi hæc non illis ſcriberentur ſanis hominibus, quos, quemadmodum ipſi ſe gererent, docendos ſibi Celſus in hoc libro propoſuit. Recte ſe habet locus hic in Edd. vetuſtis, & in Mſs. & Mediceis & Vaticanis; quos ſequor. Cicero lib. 2. de Offic. c. 24. *Valetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis*. Atque hunc Tullii locum citare debebat Almeloveenius, non alium quemdam ex lib. 2. de Orat. qui parum ad rem facit.

15. *ſicci*) Lindenius, *ſicciores*.

ſtricta eſt: ſuccurrendumque ſemper parti maxime laboranti eſt.

Implet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, & ſi poſt prandium eſt, balneum, contracta alvus, modicum frigus hieme, ſomnus & plenus & non nimis longus [16], molle cubile, animi ſecuritas, aſſumpta per cibos & potiones maxime dulcia & pinguia, cibus & frequentior & quantus pleniſſimus poteſt concoqui [17]. Extenuat corpus [18] aqua calida, ſi quis in eam deſcendit, magiſque ſi ſalſa eſt; in jejuno balneum, inurens ſol & omnis calor, cura, vigilia, ſomnus nimium vel brevis vel longus; lectus, per æſtatem, terra; hieme, durum cubile [19]: curſus, multa ambulatio omniſque vehemens exercitatio, vomitus, dejectio, acidæ res & auſteræ, & ſemel die aſſumptæ [20], & vini non perfrigidi potio jejuno in conſuetudinem adducta.

Cum vero inter extenuantia poſuerim vomitum & dejectionem, de his quoque proprie quædam dicenda ſunt. Ejectum [21] eſſe ab Aſclepiade vomitum in eo volumine, quod de tuenda ſanitate compoſuit, video: neque reprehendo, ſi offenſus eorum eſt conſuetudine, qui quotidie ejiciendo, vorandi facultatem moliuntur. Paulo etiam longius proceſſit: idem purgationes quoque eodem volumine expulit. Et ſunt eæ pernicioſæ, ſi nimis valentibus medicamentis fiunt. Sed hæc tamen ſubmovenda eſſe, non eſt perpetuum; quia corporum temporumque ratio poteſt ea facere neceſſaria, dum & modo, & non niſi cum opus eſt, adhibeantur.

16. *non nimis longus*) Lindenius leg. *non multum nimis longus*; ſed perperam, ut monet Facciolatus. Vid. Epiſt. III. Morgagni. Pro *non nimis*, in Codd. Mediceis III. & VI. mendoſe eſt *nimis*.

17. *& quantus pleniſſimus poteſt concoqui*) In I. item ut in ceteris Mediceis Codd. eſt *quantus*; ſed in eo librarius, expuncta *s*, repoſuit litteram *m*. Hinc in quibuſdam Vaticanis *quantum* pro *quantus*. Lindenius leg. *frequentior cibus*, *& quantum pleniſſime poteſt digerere*.

18. *Extenuat corpus*) Vox *corpus* fortaſſe ex gloſſemate inſerta eſt.

19. *lectus, per æſtatem, terra; hieme, durum cubile*) Modus dicendi durior, & Cod. Medic. I. a quo abſunt tres voces *lectus*, *terra*, *hieme*, mihi ſuſpicionem injiciunt, ne quædam aliena huc inſerta ſint. Auctor libri de Salub. vict. rat. inter extenuantia poſuit σκληροκοιτέειν, nullo addito diſcrimine pro anni tempore. Si inde, ut cetera pleraque hujus loci, hoc item Celſus habet, ipſius ne illa quidem fortaſſe verba ſunt, *per æſtatem*.

20. *aſſumptæ*) Adjunctum hoc refertur ad *res*; planiſſimaque conſtructio eſt. Sic autem lego ex fide ceterorum Codicum Mediceorum. Primus ſtat pro vulgari lectione, *aſſumptæ epulæ*. Sed vox *epulæ* addita videtur ex gloſſemate.

21. *Ejectum*) In Edit. Lindenii, *Rejectum*; ut eſt in margine Conſtantinianæ. Sed & in Edd. vetuſtis, & in Mſs. inveni *Ejectum*.

tur. Ergo ille quoque ipſe, ſi quid jam corruptum eſſet, expelli debere confeſſus eſt: ita non ex toto res condemnanda eſt. Sed eſſe ejus etiam plures cauſæ poſſunt; eſtque in ea quædam paulo ſubtilior obſervatio adhibenda. Vomitus utilior eſt hieme, quam æſtate: nam tum & pituitæ plus, & capitis gravitas major ſubeſt. Inutilis eſt gracilibus, & imbecillum ſtomachum habentibus: utilis plenis [22] & biliofis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel parum concoxerunt. Nam, ſive plus eſt, quam quod concoqui poſſit, periclitari ne corrumpatur, non oportet: ſi vero corruptum eſt [23], nihil commodius eſt, quam id, qua via primum expelli poteſt, ejicere. Itaque, ubi amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum ſunt, ad hunc protinus confugiendum eſt. Idem prodeſt ei, cui pectus æſtuat, & frequens ſaliva, vel nauſea eſt; aut ſonant aures, aut madent oculi, aut os amarum eſt: ſimiliterque ei, qui vel cœlum, vel locum mutat; iiſque, quibus, ſi per plures dies non vomuerunt, dolor præcordia infeſtat. Neque ignoro, inter hæc præcipi quietem: quæ non ſemper contingere poteſt agendi neceſſitatem habentibus; nec in omnibus idem facit. Itaque iſtud luxuriæ cauſa fieri non oportere confiteor; interdum valetudinis cauſa recte fieri, experimentis credo: cum eo tamen, ne quis qui valere & ſeneſcere volet, hoc quotidianum habeat. Qui vomere poſt cibum volet, ſi ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet aſſumere; ſi difficilius, aquæ vel ſalis, vel mellis paulum adjicere. At qui mane vomiturus eſt, ante bibere mulſum, vel hyſſopum, aut eſſe radiculam [24] debet; dein-

22. *utilis plenis*) Alii legunt; *utilis eſt plenis*. Ego ſuſtuli verbum *eſt* ex fide Medic. I. aliorumque Mſs. Lommius leg. *utilis eſt vero plenis*; Lindenius, *utilis vero plenis*.

23. *ſi vero corruptum eſt*) Lege: *ſive corruptum eſt*. Mendum enim in antiquis libris rarum non eſt *vero* pro *ve*. Sic in lib. 8. cap. 3. *Sive autem nigrities, quam terebra detexit, ſive caries &c.* Codex Medic. I. habet *ſi vero caries*. Itaque libenter Facciolato accedo conjicienti, ſic legendum eſſe locum illum Ciceronis: *quidve miſerius, aut acerbius uſuvenire*; pro Quinct. cap. 15. ubi communiter legitur, *quid vero miſerius*. Pro *ſi vero*, Lindenius leg. *ſive iam*. Infra Cod. Medic. I. *conſonant* (ex emendatione *cui ſonant*, & ita plerique vulgo legunt) *aures* pro *ſonant aures*, ut alii Codd. habent & Lindenii Editio. Libro 4. cap. 2. ſect. 4. *ſonant aures*; & lib. 6. cap. 7. ſect. 8. *ubi aures intra ſe ipſæ ſonant*.

24. *hyſſopum, aut eſſe radiculam*) Ita omnino legendum ex fide Mſs. Codicum, non, ut Lindenius mutavit: *hyſſopum eſſe, aut radiculam*. Eſtur radicula, hyſſopum bibitur; ut colligitur ex lib. 3. cap. 16. lib. 4. c. 2. ſect. 3. c. 4. ſect. 4. c. 5. & 7. Supra autem pro *commoneo tamen*, ut antea legeba-

deinde aquam tepidam, ut ſupra ſcriptum eſt, bibere. Cetera quæ antiqui medici præceperunt, ſtomachum omnia infeſtant. Poſt vomitum, ſi ſtomachus infirmus eſt, paulum cibi, ſed hujus idonei, guſtandum, & aquæ frigidæ cyathi tres bibendi ſunt; niſi tamen vomitus fauces exaſperavit [25]. Qui vomuit, ſi mane id fecit, ambulare debet, tum ungi, deinde cœnare: ſi poſt cœnam, poſtero die lavari, & in balneo ſudare. Huic proximus cibus mediocris utilior eſt; iſque eſſe debet cum pane heſterno, vino auſtero meraco, & carne aſſa, cibiſque omnibus quam ſicciſſimis. Qui vomere bis in menſe vult, melius conſulet, ſi biduo continuarit, quam ſi poſt quintumdecimum diem vomuerit; niſi hæc mora gravitatem pectori faciet. Dejectio autem medicamento quoque petenda eſt [26], ubi venter ſuppreſſus parum reddit, ex eoque inflationes [27], caligines, capitis dolores, aliaque ſuperioris partis mala increſcunt. Quid enim inter hæc adjuvare poſſunt quies & inedia, per quæ illa [28] maxime eveniunt? Qui dejicere [29] volet, primum cibis viniſque utatur iis, quæ hoc præſtant; dein [30], ſi parum illa proficient, aloen ſumat. Sed purgationes quoque, ut interdum neceſſariæ ſunt, ſic, ubi frequentes ſunt, periculum afferunt. Aſſueſcit enim non ali corpus [31]; cum omnibus morbis obnoxia maxime

batur & habetur in Cod. Medic. I. ego ex aliis Codicibus repoſui *cum eo tamen*; qui modus dicendi Celſo uſitatior. Sic lib. 2. cap. 17. *cum eo tamen, ne præcordia dura ſint*.

25. *niſi tamen vomitus fauces exaſperavit*) Alii leg. *Si* (vel *Sin*) *autem vomitus fauces exaſperavit, qui vomuit &c.* ut hinc incipiat proxima periodus. Sed in Edit. Lindenii recte incipit a verbis illis: *Qui vomuit*. In eadem Editione *ſiquidem* eſt pro *ſi autem*. Melius, ut mihi quidem videtur, in Cod. Medic. I. legitur *niſi tamen*: videlicet ne aqua frigida magis fauces exaſperet. Ita igitur repoſui. Deinde in allato Codice eſt: *fauces vomitus exaſperarint* pro *exaſperarit*, vel *exaſperavit*.

26. *medicamento quoque petenda eſt*) Conſtructio hæc ſimilis eſt illius, *ſalutem fugâ petivit*, apud Cæſarem in lib. 2. de B. G. cap. 32. & Nepotem in Hannib. cap. 11. Lommius & Lindenius leg. *a medicamento*. Sed præpoſitio abeſt ab Edd. priſcis, & a Mſs. Mediceis.

27. *inflationes*) Al. *inflammationes*, ſed perperam.

28. *per quæ illa*) Sic legendum cum Lindenio, non *quæ per illas*. In Cod. Medic. I. eſt *quæ pelillas*.

29. *dejicere*) Legebatur *ejicere*. Lindenius repoſuit *dejicere*, conjecturam Conſtantini, & fortaſſe Codicem aliquem ſecutus. Ita enim habet Medic. I.

30. *dein*) Ego ſic repoſui ex Cod. modo allato, pro *dehinc*.

31. *non ali corpus*) Vulgo additur: *& ob hoc infirmum erit*; quod membrum in Mſs. quoque invenitur pleriſque omnibus; videtur autem explicatio quædam eſſe prioris membri, in contextum intruſa. Itaque fide Codicis Medic. I. illud ejeci.

me infirmitas ſit. Calefacit autem [32] unctio, aqua ſalſa, magiſque ſi calida eſt, omnia ſalſa, amara, carnoſa, ſi poſt cibum eſt, balneum, vinum auſterum. Refrigerant in jejuno, & balneum, & ſomnus, niſi nimis longus eſt, & omnia acida; aqua quam frigidiſſima; oleum, ſi aqua miſcetur [33]. Humidum autem corpus efficit [34] labor major [35], quam ex conſuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio; poſt hæc ambulatio, & vigilia [36]: per ſe quoque ambulatio multa & vehemens, & matutinæ exercitationi non protinus [37] cibus adjectus: ea genera eſcæ, quæ veniunt ex locis frigidis, & pluviis, & irriguis [38]. Contra ſiccat modica exercitatio, fames, unctio ſine aqua, calor [39], ſol modicus, frigida aqua, cibus exercitationi ſtatim ſubjectus, & is ipſe ex ſiccis & æſtuoſis locis veniens.

Al-

32. *Calefacit autem*) In Edit. Lindenii: *Calefaciunt unctio, aqua ſalſa, magiſque ſi calida eſt; omnia ſalſa, vinum auſterum. Contra refrigerant, in ieiuno, amara, carnoſa; ſi poſt cibum eſt, balneum &c.* ſed minus bene. Vt omittam, magnam factam eſſe mutationem contra veteres libros, ſententia iſta quomodo defendi poteſt? cum etiam Auctor lib. 2. de vict. rat. quem fere ſequitur Celſus, doceat, amara, carnoſa, poſt cibum balneum calefacere.

33. *ſi aqua miſcetur*) Ita in Edit. Lindenii; ita etiam in Cod. Medic. I. Alii leg. *ſi aquæ miſceatur*. At duæ voces *& lotus*, quæ in allata Editione adduntur, neque Medic. I. neque alius habet ſive Ms. ſive impreſſus Codex.

34. *Humidum autem corpus efficit*) Lindenius edidit: *Humidant autem corpus*. Inde *humidare* inter latina verba haberi cæptum eſt. Huic verbo, ut Latii finibus depelleret, Facciolatus ſemel atque iterum bellum intulit, quod bellum nunc confectum videri poteſt auxilio Codicum Mediceorum Vaticanorumque, in quibus, ut in Edd. omnibus eſt: *Humidum autem corpus efficit*.

35. *labor major*) Non labor magnus, ſed major quam ex conſuetudine; neque ipſe per ſe, ſed cum pleniore cibo, multaque potione. Sic fortaſſe ſuſtineri poteſt vetus lectio, quam malui retinere ex fide Mſs. omnium, Cæſarius, atque hunc ſecuti Conſtantinus & Lindenius & in Enarratione Pantinus variare non dubitarunt. Itaque pro *major*, leg. *minor*; haud animadvertentes adverſari verba illa, *ambulatio multa & vehemens*; quæ poſtea ſequuntur. Iidem infra quoque variant, legentes *immodica exercitatio* pro *modica exercitatio*; & *ſol immodicus* pro *ſol modicus*; Lindenius *ſal* pro *ſol*. Sed & exercitatio & ſol videri poſſunt vel modica corpus ſiccare, cum fames accedit: vehementiora, extenuant. Modicus autem hic non ſignificat parvum, ſed cum modo.

36. *poſt hæc ambulatio & vigilia*) ideſt ambulatio & vigilia poſt cibum & potionem: ut declarat illud *per ſe*, quod conſequitur. Aldina Edit. habet *poſt hac*; Lindeniana, ut Codices plerique Mſs. non tamen Mediceus I. *poſt hanc*.

37. *& vehemens, & matutinæ exercitationi non protinus*) Secutus ſum Edit. Lindenii, ad quam proxime accedit Codex Medic. I. in quo eſt: *et matutina et vehemens* (ab emendatione *vehementi*) *exercitationi non protinus etc.* In aliis Mſs. ut & in Edd. ceteris: *et vehemens et matutina exercitatio et protinus*. Sed in Edd. *et non protinus*, ut in Cod. Medic. IV. ubi ſupra *protinus* alia manu poſita eſt particula *non*.

38. *& irriguis*) Lindenius, *& riguis. Contra ſiccant &c.*

39. *unctio ſine aqua, calor*) Lindenius, *unctio, ſine aqua calor*.

Alvum adſtringit labor, ſedile, creta figularis [40] corpori illita, cibus imminutus, & is ipſe ſemel die aſſumptus ab eo, qui bis ſolet; exigua potio, neque adhibita, niſi cum cibi quis quantum aſſumpturus eſt, cepit; poſt cibum quies. Contra ſolvit aucta ambulatio atque eſca, motus qui poſt cibum eſt [41], ſubinde potiones cibo immiſtæ. Illud quoque ſcire oportet, quod ventrem vomitus ſolutum comprimit, compreſſum ſolvit: itemque comprimit is vomitus, qui ſtatim poſt cibum eſt; ſolvit is, qui tarde ſupervenit.

Quod ad ætates vero pertinet, inediam facillime ſuſtinent mediæ ætates, minus juvenes, minime pueri & ſenectute confecti. Quo minus fert facile quiſque, eo ſæpius debet cibum aſſumere; maximeque eo eget, qui increſcit. Calida lavatio & pueris & ſenibus apta eſt. Vinum dilutius pueris, ſenibus meracius, neutri ætati, quæ inflationes movent. Iuvenum minus, quæ aſſumant, & quomodo curentur, intereſt. Quibus juvenibus fluxit alvus, plerumque in ſenectute contrahitur: quibus in adoleſcentia fuit adſtricta, ſæpe in ſenectute ſolvitur. Melior eſt autem in juvene fuſior, in ſene adſtrictior.

Tempus quoque anni conſiderare oportet. Hieme plus eſſe convenit; minus, ſed meracius bibere; multo pane uti, carne potius elixa [42], modice oleribus; ſemel die cibum capere, niſi ſi nimis [43] venter adſtrictus eſt. Si prandet aliquis, utilius eſt exiguum aliquid, & ipſum ſiccum ſine carne, ſine potione ſumere. Eo tempore anni calidis omnibus potius utendum eſt, vel calorem moventibus. Venus tum non æque perniciosa eſt. At vere paulum cibo demendum, adjiciendumque potioni, ſed dilutius tamen

40. *creta figularis*) *figuralis* eſt in Edd. Ruellii, Cæſarii an. 1538. Gryphii, Pantini, & Conſtantini, ſed mendoſe; quamvis ita legendum eſſe, non *figularis*, Scaliger contendat. De creta figulari meminerunt etiam Plinius lib. 31. H. N. c. 3. Columella lib. 6. R. R. c. 17. lib. 8. c. 2.

41. *motus qui poſt cibum eſt*) Ante Lindenium legebatur: *poſt motus qui poſt cibum eſt*; quo modo eſt in Mſs. Mediceis.

42. *elixa*) Magna pars interpretum, ne Celſus cum Auctoribus pugnet, quos fere in his ſequitur; Auctorem ſcilicet lib. de ſalub. vict. rat. eumque cujus eſt liber tertius de vict. rat. *aſſa* legendum putant, & infra *ad elixa ab aſſis* pro *ad aſſa ab elixis*; deinde *caro elixa*, pro *caro aſſa*. Sed nemo unus auſus eſt verba in textu movere. Ita ſe habet hic locus in Mſs. quoque & Mediceis & Vaticanis. Lindenius infra leg. *ab elixis ad aſſa*; ſi quid ad rem pertinet id adnotare.

43. *niſi ſi nimis*) Lommius leg. *niſi ſi minus*; ſed perperam.

men bibendum eſt; magis carne utendum, magis oleribus; tranſeundum paulatim ad aſſa ab elixis. Venus eo tempore anni tutiſſima eſt. Æſtate vero & potione & cibo ſæpius corpus eget; ideo prandere quoque commodum eſt. Eo tempore aptiſſima ſunt & caro & olus; potio quam dilutiſſima, ut & ſitim tollat, nec corpus incendat; frigida lavatio, caro aſſa, frigidi cibi, vel qui refrigerent. Vt ſæpius autem cibo utendum, ſic exiguo eſt. Per autumnum vero, propter cœli varietatem, periculum maximum eſt. Itaque neque ſine veſte, neque ſine calceamentis prodire oportet, præcipueque diebus frigidioribus, neque ſub divo nocte [44] dormire, aut certe bene operiri. Cibo vero jam paulo pleniore uti licet; minus, ſed meracius bibere. Poma nocere quidam putant, quæ immodice toto die plerumque ſic aſſumuntur, ne quid ex denſiore cibo remittatur: ita non hæc, ſed conſummatio omnium nocet. Ex quibus in nullo tamen minus, quam in his noxæ eſt [45]. Sed his uti non ſæpius, quam alio cibo convenit. Denique aliquid denſiori cibo, cum hic accedit, neceſſarium eſt demi. Neque æſtate vero, neque autumno utilis venus eſt: tolerabilior tamen per autumnum; æſtate in totum [46], ſi fieri poteſt, abſtinendum eſt.

IV. Proximum eſt, ut de iis dicam, qui partes aliquas corporis imbecillas habent. Cui caput infirmum eſt, is ſi bene concoxit, leniter perfricare [47] id mane manibus ſuis debet; numquam id, ſi fieri poteſt, veſte velare; ad cutem tonderi [48]; utileque lunam vitare, maximeque ante ipſum lunæ ſoliſque concurſum; ſed nuſquam poſt cibum [49]. Si cui capilli ſunt, eos quotidie pectere;

44. *nocte*) Lindenius *noctu*; ſed in Mſs. eſt *nocte*, ut alii legunt.

45. *noxæ eſt*) Lindenius *noxa eſt*; & ſupra; *ut ne quid*.

46. *in totum*) In Aldina Edit. *vero et toto* pro *vero ex toto*, ut eſt in Mſs. Mediceis, excepto primo. Mendum iſtud me admonuit, *ex toto*, vel *& ex toto* fortaſſe legendum eſſe apud Ciceronem Epiſt. 4. lib. 15. ad Famil. *& toto ab iis qui novari aliquid volebant*; ubi Petrus Victorius legit *& omnino*; alii *& animo*. Sed de Cicerone alii viderint. Hic plerique leg. *in totum*; & ita eſt in Cod. Medic. I. Pantinus, Conſtantinus & Ronſſeus præmittunt *vero*.

47. *leniter perfricare*) *lente perfricare* habent Codices Medicei, excepto primo.

48. *ad cutem tonderi*) Ita in I. in ceteris vero Mediceis Codicibus; *aut cutem tonderi*. Vulgaris lectio: *aut ad cutem tonderi*; orta eſt ex eo, quod Palavicinus *aut* addidit in I. Quidam legunt cum Cæſario *tondere* pro *tonderi*.

49. *ſed nuſquam poſt cibum*) Deeſt aliquid; vel hæc non ſunt loco ſuo poſita. Non enim oratio ſatis apte cohæret cum præ-

re; multum ambulare, ſed, ſi licet, neque ſub tecto, neque in ſole; utique autem vitare ſolis ardorem, maximeque poſt cibum & vinum; potius ungi, quam lavari; numquam ad flammam ungi, interdum ad prunam. Si in balneum venit, ſub veſte primum paulum in tepidario inſudare, ibi ungi, tum tranſire in calidarium; ubi ſudarit, in ſolium non deſcendere, ſed multa calida aqua per caput ſe totum perfundere, tum tepida [50], deinde frigida; diutiuſque ea caput, quam ceteras partes perfundere; deinde id aliquandiu perfricare; noviſſime detergere & ungere. Capiti nihil æque prodeſt atque aqua frigida: itaque is, cui hoc infirmum eſt, per æſtatem id bene largo canali quotidie debet aliquandiu ſubjicere. Semper autem, etiamſi ſine balneo unctus eſt, neque totum corpus refrigerare ſuſtinet, caput tamen aqua frigida perfundere. Sed cum ceteras partes attingi nolit, demittere id, ne ad cervices aqua deſcendat; eamque, ne quid oculis, aliiſve partibus noceat, defluentem ſubinde manibus ad hoc regerere [51]. Huic modicus cibus neceſſarius eſt, quem facile concoquat; iſque, ſi jejuno caput læditur, aſſumendus etiam medio die eſt; ſi non læditur, ſemel potius. Bibere huic aſſidue vinum dilutum, lene [52], quam aquam magis expedit; ut, cum caput gravius eſſe cœperit, ſit quo confugiat: eique ex toto neque vinum, neque aqua ſemper utilia ſunt; medicamentum utrumque eſt, cum invicem aſſumitur. Scribere, legere, voce contendere, huic opus non eſt,

uti-

præcedentibus, ſive *nuſquam* legatur, ut eſt in primo; ſive *numquam*, ut in ceteris Mediceis Codd. ſive etiam, ut in impreſſis libris, *ſed nuſquam poſt cibum progredi*. Vulgarem tamen lectionem ea potiſſimum de cauſa non probavi, quia cum *progredi* ſit ex Codice Medic. I. Codex is non in contextu habet verbum iſtud, ſed in verſuum intercapedine ſupra vocem *cibum*. Alienum illud eſſe, cum ex hoc ſuſpicari licet, tum ex eo apparet, quod non eſt in alio Mediceorum Mſs. niſi alia manu in IV. poſitum, ut in I. ſupra *cibum*. Sed quid ſentiendum ſit de aliquibus vocibus a librario adſcriptis in Codice primo, alio loco mihi dictum eſt.

50. *tum tepida*) In Aldi & Stephani Editione: *tum tepida uti*. Supra alii leg. *ſudabit*, al. *ſudavit*, ut eſt in Cod. Medic. I. Lindenius repoſuit *ſudarit*; quem ſequor; cum *ſudaverit* invenerim in Medic. III. aliiſque nonnullis Codicibus.

51. *ad hoc regerere*) Pro *regerere*, Editiones aliquæ, & Codices Mſs. Mediceus I. aliiſque quidam habent *regere*: omnes autem *ad os* pro *ad hoc*, quod Conſtantinus ex Codice quodam adſcripſit margini ſuæ Editionis, & caput interpretatus eſt; Lindenius vero in contextum recepit.

52. *vinum dilutum, lene*) *lene* repoſuit Lindenius, ut eſt in margine Edit. Conſtantini, & exemplaris ſui margini adſcripſerat Scaliger. Apud Catonem quoque de R. R. cap. 157. legitur: *vinum lene dilutum*. In Cod. Medic. I. aliiſque eſt *leve*. Sed hæ voces *leve* & *lene*, *leviter* & *leniter* facile variant in Codicibus Mſs.

utique poſt cœnam; poſt quam ne cogitatio quidem ei ſatis tuta eſt: maxime tamen vomitus alienus eſt.

V. Neque vero his ſolis, quos capitis imbecillitas torquet, uſus aquæ frigidæ prodeſt; ſed iis etiam, quos aſſiduæ lippitudines, gravedines, deſtillationes, tonſillæque male habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum, ſed os quoque multa frigida aqua fovendum eſt; præcipueque omnibus, quibus hoc utile auxilium eſt, eo utendum eſt, ubi gravius cœlum Auſtri reddiderunt. Cumque omnibus inutilis ſit poſt cibum aut contentio, aut agitatio [53] animi; tum iis præcipue, qui, vel capitis, vel arteriæ dolores habere conſuerunt, vel quoslibet alios oris affectus. Vitari etiam gravedines, deſtillationeſque poſſunt, ſi quam minime, qui his opportunus eſt, loca [54] aquaſque mutat; ſi caput in ſole protegit, ne incendatur, neve ſubitum ex repentino nubilo frigus id moveat [55]; ſi poſt concoctionem jejunus caput radit; ſi poſt cibum neque legit, neque ſcribit.

VI. Quem vero frequenter cita alvus [56] exercet, huic opus eſt pila ſimilibuſque ſuperiores partes exercere; dum jejunus eſt, ambulare; vitare ſolem [57], continua balnea; ungi citra ſudorem; non uti cibis variis, minimeque jurulentis, aut leguminibus, oleribuſve iis, quæ celeriter deſcendunt; omnia denique ſumere [58], quæ tarde concoquuntur. Venatio, durique piſces, & ex domeſticis ani-

53. *agitatio*) Ita Morgagnus ex ſuo Codice legendum putat, & ita ego in Edit. I. & in omnibus fere Mſs. inveni. In Medic. I. eſt *acogitatio*; in Vaticano VI. *cogitatio*, ut pleræque Edd. habent. Lindenius edidit *fatigatio*.

54. *qui his opportunus eſt, loca &c.*) opportunus pro obnoxius, ut explicat Caſaubonus in Scholiis apud Almeloveenium, & exemplis confirmat ex Præfat. lib. 2. ex lib. 2. cap. 10. lib. 3. cap. 3. lib. 4. cap. 4. ſect. 3. quibus alia addi poſſunt. Sic autem hunc locum reſtitui fide Cod. Medic. I. Alii leg. *eum, qui his opportunus eſt, aerem vel loca*; Lindenius pro *eum* reponit *is*. Numquam *aerem mutare*, ſemper *cœlum mutare* apud Celſum invenias, ut in hoc ipſo libro cap. 3. lib. 3. c. 22. lib. 4. c. 25. & alibi.

55. *frigus id moveat*) ne caput frigore tentetur, perturbetur. Lindenius leg. *frigus dimoveat*. Ego veterem lectionem retineo, Mſs. fide addita. Sic ſupra cap. 2. *ne modo calor, modo frigus moveat*; ubi etiam conſtructio advertenda eſt: ſubauditur enim corpus.

56. *cita alvus*) *citata* legit Egnatius, & qui hunc ſecuti ſunt Gryphius, Conſtantinus, Stephanus, & Ronſſeus; cui lectioni ſuffragantur Codices Medicei plerique omnes. Primus habet *cita*.

57. *vitare ſolem*) Ego ita repoſui ex Cod. Medic. I. Antea legebatur, ut eſt in aliis Codicibus, *vitare ſolis nimium ardorem*; quæ videtur eſſe alicujus explicatio.

58. *ſumere*) Verba quæ ſequuntur; *venatio durique piſces &c.* declarant *fugere* perperam legi in antiquis libris, pro *ſumere*, ut correxit Lindenius. Nam duri piſces difficulter concoquuntur, quod & ex lib. 2. cap. 28. lib. 4. c. 5. colligi poteſt.

animalibus aſſa caro maxime juvant. Numquam vinum ſalſum bibere expedit, ne tenue quidem, aut dulce; ſed auſterum, & plenius, neque idipſum pervetus. Si mulſo uti volet, id ex decocto melle faciendum eſt. Si frigidæ potiones ventrem ejus non turbant, his utendum potiſſimum eſt. Si quid offenſæ in cœna ſenſit, vomere debet; idque poſtero quoque die facere: tertio, modici ponderis panem ex vino eſſe, adjecta uva ex olla [59], vel ex defruto, ſimilibuſque aliis: deinde ad conſuetudinem redire. Semper autem poſt cibum conquieſcere, ac neque intendere animum, neque ambulatione quamvis leni dimoveri.

VII. At ſi laxius inteſtinum dolere conſuevit, quod colum nominant [60], cum id nihil niſi genus inflationis ſit, id agendum eſt, ut concoquat aliquis, ut lectione, aliiſque [61] generibus exerceatur, utatur balneo calido, cibis quoque & potionibus calidis; denique omni modo frigus vitet, item dulcia omnia, leguminaque, & quidquid inflare conſuevit.

VIII. Si quis vero ſtomacho laborat, legere clare debet; poſt lectionem ambulare; tum pila, vel armis, aliove quo genere, quo ſuperior pars movetur, exerceri; non aquam, ſed vinum calidum bibere jejunus; cibum bis die aſſumere [62], ſic tamen, ut facile concoquat; uti vino tenui & auſtero, & poſt cibum frigidis potionibus potius. Stomachum autem infirmum indicant pallor, macies,

59. *adjecta uva ex olla*) quæ ſtomacho apta eſt, ex lib. 4. cap. 24. Plerique alii leg. *adjecta uva, vel olea;* ut eſt in margine Codicis Vatic. III. & ab recenti emendatione in Medic. IV. ubi antea erat *adiecta ova vel ex oleo;* quo modo habent quinque alii Medicei, & aliqui Vaticani. Horum alii: *adiecta uva vel ex oleo.* Lindenius leg. *aut ova fricta ex oleo*. Ego ſic reſtitui ex Codice Mediceo vetuſtiori. Revera habet *ex ollea*, & expungitur altera *l*; ſed *e* potius videtur expungenda. Ita legit & Rhodius, ut apparet ex quadam ejus adnotatione ad Scribonium Largum Compoſit. 104. Neque tamen fortaſſe ſanus locus eſt. Num legendum: *adjecta uva ex olla, vel olea &c.* ut *ollea* perperam concreverit ex duabus vocibus *olla* & *olea*? Oleæ certe in defruto ſervatæ, ſtomacho aptæ dicuntur in modo allato capite lib. 4. Vvas in ſapa conditas neque Plinius, neque Dioſcorides ſtomacho utiles putant.

60. *quod colum nominant*) Verba hæc Celſi eſſe non puto; quamvis in omnibus Mſs. invenerim. Explicatio quædam eſt olim margini adſcripta. Nam major Plinius, Sammonicus, aliique *colum* nominant inteſtinum hoc, quod Celſus hic laxioris, alibi majoris, aut craſſioris, aut plenioris nomine appellat. Quidam græcum verbum, quo inteſtinum hoc appellatur, hic reponunt pro *colum*, aliique cum Aldo leg. κῶλον, Lindenius κόλον. Sed fruſtra repetunt quod eſt in lib. 2. cap. 12.

61. *aliiſque*) Alii leg. *& aliis;* & infra *evitet*. Ego utrobique ſecutus ſum Cod. Medic. I.

62. *cibum bis die aſſumere*) Alii habent: *tum cibum &c.* Particula *tum* non eſt in Cod. Medic. I. eamque Lindenius jure expulit.

cies, præcordiorum dolor, nauſea, & nolentium vomitus, in jejuno dolor capitis. Quæ in quo non ſunt, is firmi ſtomachi eſt. Neque credendum utique noſtris eſt, qui cum in adverſa valetudine vinum aut frigidam aquam concupiverunt, deliciarum patrocinium in accuſationem non merentis ſtomachi habent. At qui tarde concoquunt, & quorum ideo præcordia inflantur, quive propter ardorem aliquem noctu ſitire conſuerunt, ante quam conquieſcant, duos treſve cyathos per tenuem fiſtulam bibant. Prodeſt etiam adverſus tardam concoctionem clare legere, deinde ambulare, tum vel ungi vel lavari, aſſidue vinum frigidum bibere, & poſt cibum, magnam potionem [63], ſed, ut ſupra dixi, per ſiphonem: deinde omnes potiones aqua frigida includere. Cui vero cibus aceſcit, is ante eum bibere aquam egelidam debet, & vomere: at ſi cui [64] ex hoc frequens dejectio incidit, quoties alvus ei conſtiterit, frigida potione potiſſimum utatur.

IX. Si cui vero dolere nervi ſolent, quod in podagra chiragrave eſſe conſuevit [65], huic, quantum fieri poteſt, exercendum id eſt, quod affectum eſt, objiciendumque labori & frigori; niſi cum dolor increvit; ſub quo [66] quies optima eſt. Venus ſemper inimica eſt; concoctio, ſicut in omnibus corporis affectibus, neceſſaria. Cruditas enim id maxime lædit, & quoties offenſum corpus eſt, vitioſa pars maxime ſentit.

Vt concoctio autem omnibus vitiis occurrit, ſic rurſus aliis frigus, aliis calor: quæ ſequi quiſque pro habitu corporis ſui debet. Frigus inimicum eſt ſeni, tenui, vulneri, præcordiis, inteſtinis, veſicæ, auribus, coxis, ſcapulis, naturalibus, oſſibus, dentibus, nervis, vulvæ, cerebro: idem ſummam cutem facit pallidam, aridam, duram, nigram; ex hoc horrores tremoreſque naſcuntur. At prodeſt juvenibus, & omnibus plenis: erectiorque

mens

63. *& poſt cibum, magnam potionem*) Poſt hæc verba Ruellius, Conſtantinus, & Stephanus addunt *ſumere*.

64. *at ſi cui*) Al. *At is cui*.

65. *quod in podagra chiragrave eſſe conſuevit*) Hoc totum, quod etiam in Mſs. extat, tamen ex margine inſertum ſuſpicor. Si Celſi hæc verba eſſent, inter nervorum & articulorum dolorem diſcrimen nullum eſſe videretur. Sed parum Celſus ſibi conſtaret. Vid. animad. ad lib. 3. cap. 27. ſect. 2.

66. *ſub quo*) Ita in Edit. Lindenii, & in margine Conſtantinianæ: omnino recte. Alii leg. ut eſt in Mſs. Mediceis, *ſub divo* vel *dio*.

mens eſt, & melius concoquitur, ubi frigus quidem eſt, ſed cavetur. Aqua vero frigida infuſa, præterquam capiti, etiam ſtomacho prodeſt: item articulis doloribuſque, qui ſunt ſine ulceribus: item rubicundis nimis hominibus, ſi dolore vacant. Calor autem adjuvat omnia, quæ frigus infeſtat: item lippientes, ſi nec dolor, nec lacrimæ ſunt; nervos quoque, qui contrahuntur; præcipueque ea ulcera, quæ ex frigore ſunt: idem corporis colorem bonum facit; urinam movet. Si nimius eſt, corpus effœminat, nervos emollit, ſtomachum ſolvit. Minime vero aut frigus aut calor [67] tuta ſunt, ubi ſubita inſuetis ſunt. Nam frigus, lateris dolores, aliaque vitia; frigida aqua, ſtrumas excitat: calor concoctionem prohibet, ſomnum aufert, ſudore digerit, obnoxium morbis peſtilentibus corpus efficit.

X. Eſt etiam obſervatio neceſſaria, qua quis in peſtilentia utatur adhuc integer, cum tamen ſecurus eſſe non poſſit. Tum igitur oportet peregrinari, navigare: ubi id non licet, geſtari, ambulare ſub divo, ante æſtum, leniter; eodemque modo ungi: &, ut ſupra comprehenſum eſt, vitare fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem: multoque magis ſe continere, ſi qua gravitas [68] in corpore eſt. Tum neque mane ſurgendum, neque pedibus nudis ambulandum eſt, minimeque poſt cibum, aut balneum: neque jejuno, neque cœnato vomendum eſt: neque movenda alvus; atque etiam, ſi per ſe mota eſt, comprimenda eſt: abſtinendum potius, ſi plenius corpus eſt. Itemque vitandum balneum, ſudor, meridianus ſomnus, utique ſi cibus quoque anteceſſit; qui tamen ſemel die tum commodius aſſumitur; inſuper etiam modicus,

E 2 cus,

67. *aut frigus aut calor*) In Codice Mediceo vetuſtiore ita legitur: *frigus et calor*.

68. *multoque magis ſe continere, ſi qua gravitas*) Locus hic in pleriſque Mſs. & in Edit. Lindenii pravis inrerpunctionibus deformatus eſt: *multoque magis ſe continere. Si qua gravitas in corpore eſt, tum &c.* Poſtrema vero hujus capitis verba ita leguntur in Cod. Medic. I. *utique retineri debebit a vino ad aquam, ab hac ad vinum qui ſupra poſitus eſt tranſitus*. Palavicinus corrigit: *utique abſtinere debebit, atque ita ab vino ad aquam, ab hac ad vinum eo qui ſupra poſitus eſt tranſitus*. Sed neque *modo* ante *tranſitus* addit, neque poſt, *ei eſſe*; quæ verba omnino neceſſaria ſunt, atque in aliis omnibus Mediceis Codicibus habentur. Porro in iiſdem Codicibus eſt, non *poſitus*, ſed *propoſitus*; quæ varietas, cum frequens ſit in Mſs. maxime tamen occurrit, ubi particula *ſupra* præcedit. In eo quoque ceteri Medicei Codd. diſcrepant a vetuſtiore, quod habent *ab vino*; ut in antiquiſſimis ann. 1478. 1493. 1497. aliiſque quibuſdam Editionibus legitur. Pro *ita* vero, quartus, quintus, ſextus mendoſe habent *itaque*; ſed *que* obliteratur in quarto.

cus, ne cruditatem moveat. Alternis diebus invicem, modo aqua, modo vinum bibendum eſt. Quibus ſervatis, ex reliqua victus conſuetudine quam minimum mutari debet. Cum vero hæc in omni peſtilentia facienda ſint, tum in ea maxime, quam Auſtri excitarint. Atque etiam peregrinantibus eadem neceſſaria ſunt, ubi gravi tempore anni diſceſſerunt ex ſuis ſedibus, vel ubi in graves regiones venerunt. Ac ſi cetera res aliqua prohibebit, utique abſtinere debebit: atque ita a vino ad aquam, ab hac ad vinum, eo, qui ſupra poſitus eſt, modo, tranſitus ei eſſe.

LI.

LIBER SECVNDVS.

INſtantis autem adverſæ valetudinis [69] ſigna complura ſunt. In quibus explicandis non dubitabo auctoritate antiquorum virorum uti, maximeque Hippocratis; cum recentiores medici quamvis quædam in curationibus mutarint [70], tamen hæc illum optime præſagiſſe fateantur. Sed antequam dico, quibus præcedentibus [71] morborum timor ſubſit; non alienum videtur exponere, quæ tempora anni, quæ tempeſtatum genera, quæ partes ætatis, qualia corpora maxime tuta vel periculis opportuna ſint, quod genus adverſæ valetudinis in quoque timeri maxime poſſit. Non quod non omni tempore, in [72] omni tempeſtatum genere, omnis ætatis, omnis habitus homines, per omnia genera morborum & ægrotent & moriantur: ſed quod frequentius tamen quædam eveniant; ideoque utile ſit [73] ſcire unumquemque, quid, & quando maxime caveat.

I. Igitur ſaluberrimum ver eſt: proxime deinde ab hoc, hiems; periculoſior æſtas [74]: autumnus longe periculoſiſſimus. Ex tempeſtatibus vero optimæ æquales ſunt, ſive frigidæ, ſive calidæ: peſſimæ, quæ maxime variant. Quo fit, ut autumnus plurimos opprimat. Nam fere meridianis temporibus calor; noctурnis atque matutinis, ſimulque etiam veſpertinis, frigus eſt. Corpus ergo, &

69. *adverſæ valetudinis*) Cæſarius & Lindenius omittunt *adverſæ*. Sed & lib. 3. c. 2. hunc locum ſignificans Celſus dixit: *cum ab iis cœperim, quæ notas quaſdam futuræ adverſæ valetudinis exhibent &c.*

70. *cum recentiores medici, quamvis quædam in curationibus mutarint*) Ita in Cod. Medic. I. Alii leg. *cum recentiores quoque medici, quamvis quædam in curationibus mutarint*; Lindenius, *cum recentiores quoque medici, quamvis in curationibus mutarint*. Idem Cod. Mediceus, pro *illum optime præſagiſſe*, habet *illos optime præſagiſſe*; quod minus placet.

71. *quibus præcedentibus*) In Cod. Medic. I. additur *ſignis*; quod gloſſema eſſe eo facilius crediderim, quia poſitum eſt ſupra *præcedentibus*.

72. *omni tempore, in &c.*) Tria hæc verba in Edd. Juntæ, utraque Cæſarii, & Lindenii omittuntur magno ſententiæ damno; ut egregie monet Morgagnus.

73. *ideoque utile ſit*) Sic repoſui ex Codice Mediceo primo. Alii leg. *ideoque utile eſt*; Lindenius, *ideo utile eſt*.

74. *periculoſior æſtas*) Hoc membrum in Cod. Medic. I. ita legitur: *periculoſior quam prior æſtas*; ex gloſſemate nimirum, cujuſmodi aliqua in Livio quoque invenias. In membro præcedenti *proxime*, & quidem recte, habent Edit. Lindenii, & Cod. Medic. I. ſed in hoc Palavicinus correxit, *proxima*; & ita olim vulgo legebatur. Alii Codices Mſs. habent *proximum*.

& æſtate, & ſubinde meridianis caloribus relaxatum, ſubito fri-gore excipitur. Sed ut eo tempore id maxime fit; ſic quandocumque evenit, noxium eſt. Vbi æqualitas autem eſt, tamen ſaluberrimi [75] ſunt ſereni dies; meliores pluvii, quam tantum nebuloſi, nubilive: optimique hieme, qui omni vento vacant; æſtate, quibus Favonii perflant. Si genus aliud ventorum eſt, ſalubriores Septemtrionales, quam Subſolani, vel Auſtri ſunt: ſic tamen hæc, ut [76] interdum regionum ſorte mutentur. Nam fere ventus ubique a mediterraneis regionibus veniens, ſalubris; a mari, gravis eſt. Neque ſolum in bono tempeſtatum habitu certior valetudo eſt; ſed priores morbi quoque [77], ſi qui inciderunt, leviores ſunt, & promptius finiuntur. Peſſimum ægro [78] cœlum eſt, quod ægrum fecit; adeo ut in id quoque genus, quod natura pejus eſt, in hoc ſtatu ſalubris mutatio fit. At ætas media tutiſſima eſt, quæ [79] neque juventæ calore, neque ſenectutis frigore infeſtatur. Longis morbis ſenectus, acutis adoleſcentia magis patet. Corpus autem habiliſſimum quadratum eſt, neque gracile, neque obeſum. Nam longa ſtatura, ut in juventa decora eſt, ſic matura ſenectute conficitur: gracile corpus infirmum, obeſum hebes eſt. Vere tamen maxime, quæcumque humoris motu novantur, in metu eſſe conſuerunt. Ergo tum lippitudines, puſtulæ, profuſio ſanguinis, abſceſſus corporis, quæ ἀποστήματα Græci nominant, bilis atra, quam μελαγχολίαν appellant, inſania, morbus comitialis, angina, gravedines, deſtillationes oriri ſolent. Ii quoque morbi, qui in articulis nerviſque modo urgent, modo quieſcunt, tum maxime & inchoantur & repetunt. At æſtas non quidem vacat ple-

75. *tamen ſaluberrimi*) Particula *tamen* hoc modo adhibetur ab optimis Scriptoribus; nec a Lindenio expelli debuit. Extat in omnibus meis Mſs.

76. *ſic tamen hæc, ut*) Ita in Cod. Mediceo primo, & Editione Lindeniana. Alii leg. *ſic tamen*; *ut hæc*; & fortaſſe rectius: al. *ſic tamen, ut in hæc*.

77. *ſed priores morbi quoque*) Pro *priores*, Lindenius leg. *pejores*. Codex Mediceus I. ita habet: *ſed prior. Morbi quoque*. Mihi tollenda videtur vox *priores*. Nam ſenſus eſt, in bono tempeſtatum habitu leviores morbos eſſe, & promptius finiri; ex Hippocrate Sect. 3. Aphor. 8.

78. *Peſſimum ægro*) Ita in Edit. Lindenii, & in Codicibus Mediceis, excepto primo, & in alio Codice apud Conſtantinum. Alii leg. *Peſſimum ergo*; quo modo eſt in Cod. Medic. I.

79. *At ætas media tutiſſima eſt, quæ*) Conſtantinus & Lindenius omittunt *At*; Lindeniuſque, pro *quæ*, leg. *quia*.

plerisque his morbis; ſed adjicit febres, vel continuas [80], vel ardentes, vel tertianas, vomitus, alvi dejectiones, auricularum dolores, ulcera oris, cancros, & in ceteris quidem partibus, ſed maxime [81] obſcœnis; & quidquid ſudore hominem reſolvit. Vix quidquam ex his in autumnum non incidit: ſed oriuntur quoque eo tempore [82] febres incertæ, lienis dolor, aqua inter cutem, tabes, quam Græci φθίσιν nominant; urinæ difficultas, quam στραγγουρίαν appellant; tenuioris inteſtini morbus, quem εἰλεὸν nominant; lævitas inteſtinorum [83], quæ λειεντερία vocatur; coxæ dolores, morbi comitiales. Idemque tempus & diutinis malis fatigatos, & ab æſtate tantum proxima preſſos [84] interimit; & alios [85] novis morbis conficit; & quoſdam longiſſimis implicat, maximeque quartanis, quæ per hiemem quoque exerceant. Neque aliud magis tempus peſtilentiæ patet, cujuſcumque ea generis eſt; quamvis variis rationibus nocet. Hiems autem capitis dolores, tuſſim, & quidquid in faucibus, in lateribus, in viſceribus mali contrahitur, irritat. Ex tempeſtatibus, Aquilo tuſſim movet, fauces exaſperat, ventrem adſtringit, urinam ſupprimit, horrores excitat, item dolores lateris & pectoris: ſanum tamen corpus ſpiſſat, & mobilius atque expeditius reddit. Auſter aures hebetat, ſenſus tardat, capitis dolorem movet, alvum ſolvit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum. Ceteri venti, quo huic vel illi propiores ſunt, eo magis vicinos his illiſve affectus faciunt. Denique omnis calor [86] & jecur & lienem inflammat, mentem hebetat, ut anima de-

80. *vel continuas*) Hoc inciſum deeſt in Edit. Lindenii. Habent non modo Editiones omnes ceteræ, ſed etiam Codices Mſs. & Medicei & Vaticani. Et revera in Aphoriſ. 21. ſect. 3. unde reliqua omnia hujus periodi ſumpta ſunt, continuas quoque febres Hippocrates poſuit.

81. *& in ceteris quidem partibus, ſed maxime*) Linden. *cum in cæteris quidem partibus, tum maxime*.

82. *ſed oriuntur quoque eo tempore*) In omnibus impreſſis libris particula *quoque* perperam poſita eſt poſt vocem *eo*. Ego ſic reſtitui ex quibuſdam Mſs.

83. *lævitas inteſtinorum*) Antea legebatur: *Fit item lævitas* (al. *lenitas*) *inteſtinorum*. Ego ſuſtuli duas voces *Fit item*, ex fide Cod. Medic. I.

84. *& ab æſtate tantum proxima preſſos*) & quos non diuturnus aliquis morbus, ſed tantummodo æſtas proxima preſſit. Pro *tantum*, ut eſt in aliis Editionibus & in Mſs. Mediceis, Lindenius leg. *etiam*, ad eoſdem hæc referens, quos nominavit, ideſt *diutinis malis fatigatos*. Cæſarius habet *tum jam*; Conſtantinus in margine *ante*; atque adjicit, eſſe qui legant *tantum non*.

85. *alios*) Al. leg. *aliis*.

86. *Denique omnis calor*) Locum hunc Conſtantinus ita legendum putat: *Calor omnis & jecur & lienem inflammat, denique mentem &c.* Lindenius edidit: *Calor omnis*; omiſſo *denique*. Pro *inflammat* Cod. Medic. I. & Ruellii Edit. *inflat*.

deficiat, ut ſanguis prorumpat, efficit. Frigus modo nervorum diſtentionem, modo rigorem infert; illud σπασμὸς, hoc τέτανος Græce nominatur: nigritiem [87] in ulceribus, horrores in febribus [88] excitat. In ſiccitatibus, acutæ febres, lippitudines, tormina, urinæ difficultas, articulorum dolores oriuntur. Per imbres, longæ febres, alvi dejectiones, angina, cancri, morbi comitiales, reſolutio nervorum; παράλυσιν [89] Græci nominant. Neque ſolum intereſt, quales dies ſint, ſed etiam quales ante præceſſerint. Si hiems ſicca Septemtrionales ventos habuit, ver autem Auſtros & pluvias exhibet, fere ſubeunt lippitudines, tormina, febres, maximeque in mollioribus corporibus, ideoque præcipue in muliebribus [90]. Si vero Auſtri pluviæque hiemem occuparunt, ver autem frigidum & ſiccum eſt, gravidæ quidem fœminæ, quibus tum adeſt partus, abortu periclitantur; eæ vero quæ gignunt, imbecillos, vixque vitales edunt: ceteros lippitudo arida, & ſi ſeniores ſunt, gravedines atque deſtillationes male habent. At ſi a prima hieme Auſtri ad ultimum ver continuarunt, laterum dolores, & inſania febricitantium, quam φρένησιν [91] appellant, quam celerrime rapiunt. Vbi vero calor a primo vere orſus æſtatem quoque ſimilem exhibet, neceſſe eſt multum ſudorem in febribus ſubſequi. At ſi ſicca æſtas Aquilones habuit, autumno vero imbres Auſtrique ſunt, tota hieme, quæ proxima eſt, tuſſis, deſtillatio, raucitas, in quibuſdam etiam tabes oritur. Sin autem autumnus quoque æque ſiccus iiſdem Aquilonibus perflatur, omnibus quidem mollioribus corporibus, inter quæ muliebria eſſe propoſui, ſecunda valetudo contingit: durioribus vero inſtare poſſunt, & aridæ lippitudines, &

87. *nigritiem*) Vox Celſiana, ut apparet maxime ex lib. 7. cap. 2. & 3. Lindenius repoſuit *nigrorem*, fortaſſe quia apud Conſtantinum invenerat non deeſſe qui ſic legant. Codices Medicei habent *nigritiem*.

88. *horrores in febribus*) Ita in Codicibus Mediceis I. VII. aliiſque. In III. deſunt tria hæc verba. Vulgo alii leg. *horrorem*, Linden. & *horrorem*.

89. παράλυσιν) Vulgo, *quam* παράλυσιν. In Cod. Medic. I. revera eſt *quam*, ſed poſitum ſupra παράλυσιν extra ceterorum verborum ſeriem, ut adſcriptitia alia non pauca. In ceteris Mediceis non eſt relativum iſtud, niſi in IV. & VII. alia manu adjectum.

90. *ideoque præcipue in muliebribus*) Lindenius omittit *ideoque*. In Cod. Medic. I. eſt *muliebribus* ſine præpoſitione, & expungitur littera *b*, ut legatur *mulieribus*. In aliis Mſs. eſt *in mulieribus*, ut vulgo ante Lindenium legebatur.

91. φρένησιν) Egnatius, Cæſarius, & poſteriores Editores omnes, Ruellio excepto, habent φρενῖτιν. Ego non modo in Editionibus vetuſtioribus, verum in Mſs. Mediceis *phreneſin* vel ΦΡ[illegible]NECIN inveni, tum hic, tum lib. 3. cap. 18. In Medic. I. eſt *preneſin celerrime rapiunt*.

& febres partim acutæ, partim longæ; & ii morbi, qui ex atra bile naſcuntur. Quod ad ætates vero pertinet, pueri proximique his vere optime valent, & æſtate prima tutiſſimi ſunt: ſenes æſtate & autumni prima parte: juvenes hieme; quique inter juventam ſenectutemque ſunt. Inimicior ſenibus hiems, æſtas adoleſcentibus eſt. Tum ſi qua imbecillitas oritur, proximum eſt ut infantes, teneroſque adhuc pueros ſerpentia ulcera oris, quæ ἄφθας Græci nominant, vomitus, nocturnæ vigiliæ, aurium humor, circa umbilicum inflammationes [92] exerceant. Propriæ etiam dentientium [93], gingivarum exulcerationes, diſtentiones nervorum, febriculæ [94], alvi dejectiones; maximeque [95] caninis dentibus orientibus male habent. Quæ pericula pleniſſimi cujuſque ſunt, & cui maxime venter adſtrictus eſt. At ubi ætas paulum proceſſit, glandulæ, & vertebrarum, quæ in ſpina ſunt, aliquæ [96] inclinationes, ſtrumæ, verrucarum quædam genera dolentia, ἀκροχορδόνας Græci appellant, & plura alia tubercula oriuntur. Incipiente vero jam pube, ex iiſdem multa [97], & longæ febres, & ſanguinis ex naribus curſus. Maximeque omnis pueritia, primum circa quadrageſimum diem, deinde ſeptimo menſe, tum ſeptimo anno, poſtea circa pubertatem periclitatur. Siqua etiam genera morborum in infantem inciderunt, ac neque pubertate, neque primis coitibus, neque in fœmina primis menſtruis finita ſunt, fere longa ſunt: ſæpius tamen morbi pueriles [98], qui diutius manſerunt, terminantur. Ado-

92. *inflammationes*) Codex Medic. I. *inflationes*.

93. *Propriæ etiam dentientium*) In aliis Codicibus Mſs. habetur, ut in Edd. pleriſque, *Proprie*; in aliis *Propriæ*; in aliis *Proprieque*. Aliqui Codices habent etiam *dentium* pro *dentientium*; quos inter duo vetuſtiores, ideſt Medicei primus ac tertius; quibuſcum Editiones conſentiunt Juntina & utraque Cæſarii. Egnatius & Lindenius leg. *Propria*. Ego libenter legerem, *Proprie etiam dentientes*; infantes ſcilicet vel pueros; ut quartus hic caſus regatur a verbo *male habent*, quod eſt in fine periodi. Nihil tamen mutare auſim. Pro *gingivarum*, in Aldina Edit. eſt *gingivarumque*.

94. *febriculæ*) Gryphius & recentiores Editores omnes ad Lindenium uſque legunt cum Egnatio, *febriculæ interdum*. Lindenius expulit *interdum*, quod neque in Ruellii, Cæſarii, Juntæ, vetuſtioribuſque Editionibus, neque in Mſs. Mediceis habetur, præterquam in primo, in quo hic locus ita legitur: *febricule interdum nervorum diſtentiones*. Si Celſus conſentire debet cum Hippocrate Aphor. 25. ſect. 3. *interdum* locum hic habere non poteſt.

95. *maximeque*) Aldina Editio, & Stephani perperam habent *maxillæque*.

96. *aliquæ*) Lindenius leg. *aliquo*.

97. *multa*) Sic legendum cum Lindenio ex fide Medic. III. aliorumque Mſs. Alii leg. *multæ*, ut eſt in Medic. I. ſed mendoſe.

98. *ſæpius tamen mo bi pueriles*) Lindenius leg. *ſæpius tamen his morbi pueriles &c.* Sed *his* neque in antiquis Editionibus, neque in Mſs. noſtris reperitur.

leſcentia morbis acutis; item comitialibus, tabique maxime obje- ćta eſt: fereque juvenes ſunt, qui ſanguinem exſpuunt. Poſt hanc ætatem laterum & pulmonis dolores, lethargus, cholera, inſania, ſanguinis per quædam velut ora venarum [99], αἱμοῤῥοΐδας Græci appellant, profuſio. In ſenectute, ſpiritus & urinæ difficultas, gravedo, articulorum & renum dolores, nervorum reſolutiones, malus corporis habitus, καχεξίαν Græci appellant, nocturnæ vigiliæ, vitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, præcipueque ſoluta alvus, &, quæ ſequuntur hanc, tormina, vel lævitas inteſtinorum, ceteraque ventris fuſi mala. Præter hæc graciles, tabes, dejectiones, deſtillationes; item viſcerum & laterum dolores fatigant. Obeſi plerumque acutis morbis, & difficultate ſpirandi ſtrangulantur: ſubitoque ſæpe moriuntur; quod in corpore tenuiore vix evenit.

II. Ante adverſam autem valetudinem, ut ſupra dixi, quædam notæ oriuntur; quarum omnium commune eſt, aliter ſe corpus habere, atque conſuevit; neque in pejus tantum, ſed etiam in melius. Ergo ſi plenior aliquis, & ſpecioſior, & coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet; quæ, quia neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque ultra progredi poſſunt, fere retro, quaſi ruina quadam, revolvuntur. Pejus tamen ſignum eſt, ubi aliquis contra conſuetudinem emacuit, & colorem decoremque amiſit: quoniam in iis quæ ſuperant, eſt quod morbus demat; in iis quæ deſunt, non eſt quod ipſum morbum ferat. Præter hæc protinus timeri debet, ſi graviora membra ſunt; ſi crebra ulcera oriuntur; ſi corpus ſupra conſuetudinem incaluit; ſi gravior ſomnus preſſit; ſi tumultuoſa ſomnia fuerunt; ſi ſæpius expergiſcitur aliquis, quam aſſuevit, deinde iterum ſoporatur; ſi corpus dormientis circa partes aliquas contra conſuetudinem inſudat, maximeque ſi circa pectus, aut cervices, aut crura, vel genua, vel coxas. Item, ſi marcet animus; ſi loqui & moveri piget; ſi corpus torpet [1];

99. *per quædam velut ora venarum*) Vulgo legitur, *per quædam etiam velut ora venarum*. Celſus reſpicit Aphor. 30. ſect. 3. ubi non aliam ſanguinis profuſionem nominat Hippocrates, quam quæ fit per αἱμοῤῥοΐδας. Itaque libenter ſecutus ſum Cod. Medic. I. qui *etiam* non habet: qua particula ſententia pervertitur.

pet [1]; ſi dolor præcordiorum eſt, aut totius pectoris, aut, qui in plurimis evenit, capitis [2]; ſi ſalivæ plenum eſt os; ſi oculi cum dolore vertuntur; ſi tempora adſtricta ſunt; ſi membra inhorreſcunt; ſi ſpiritus gravior eſt; ſi circa frontem intentæ venæ moventur; ſi frequentes oſcitationes; ſi genua quaſi fatigata ſunt, totumve corpus laſſitudinem ſentit. Ex quibus ſæpe plura, numquam non aliqua febrem antecedunt. In primis tamen illud conſiderandum eſt, num cui ſæpius horum aliquid eveniat, neque ideo [3] corporis ulla difficultas ſubſequatur. Sunt enim quædam proprietates hominum, ſine quarum notitia non facile quidquam in futurum præſagiri poteſt. Facile itaque ſecurus eſt in iis aliquis, quæ ſæpe ſine periculo evaſit: ille ſolicitari debet, cui hæc nova ſunt; aut qui iſta numquam ſine cuſtodia ſui tuta [4] habuit.

III. Vbi vero febris aliquem occupavit [5], ſcire licet, non periclitari, ſi in latus aut dextrum aut ſiniſtrum, ut ipſi viſum eſt [6], cubat, cruribus paulum reductis; qui fere ſani quoque jacentis habitus eſt; ſi facile convertitur; ſi noctu dormit, interdiu vigilat [7]; ſi ex facili ſpirat; ſi non conflictatur; ſi circa umbilicum & pubem cutis plena eſt [8]; ſi præcordia ejus ſine ullo ſenſu doloris æqualiter mollia in utraque parte ſunt. Quod ſi paulo tumi-

1. *ſi corpus torpet*) *torquet* mendoſe legebatur & in Edit. I. & in duabus vetuſtiſſimis ann. 1493. 1497. & in Juntina quoque. Egnatius reſtituit *torpet*; ut ego in Mediceo I. aliiſque Mſs. inveni.

2. *aut, qui in plurimis evenit, capitis*) Hic quoque locus reſtitutus eſt ab Egnatio; & valde miror, Stephanum, qui illum pluribus in locis ſecutus eſt, hic Ruellii potius, aut Cæſarii, aut Editionem ſequi ex vetuſtioribus aliquam voluiſſe, in quibus verba hæc ita leguntur: *aut in plurimis venis capitis*; quo modo habentur in Cod. Mediceo primo. Sed revera in eo Codice eſt *venit*; aliquis autem, littera *t* expuncta, *s* ſupra illam poſuit, ut legatur *venis*.

3. *num cui ſæpius horum aliquid eveniat, neque ideo*) Locus hic correctus eſt a Lindenio, cui ſuffragatur Cod. Medic. I. Antea ſic legebatur: *numquid ſæpius horum aliquid eveniat, ac neque ideo* (al. *ac ideo neque*).

4. *tuta*) Linden. *tuto*; quo modo in Codice quodam ſe inveniſſe ſcribit Conſtantinus. In Mediceis eſt *tuta*.

5. *occupavit*) Ita in Mſs. Mediceis. Vulgo, *occupat*.

6. *ut ipſi viſum eſt*) His verbis ſignificat facilitatem in utrumvis latus cubandi; quæ res inter bona indicia eſt. Lindenius leg. *ut ipſi in uſu eſt*; minus bene, cum illa ſequantur: *qui fere ſani quoque jacentis habitus eſt*. Locus quidam hic exprimitur ex Hippocratis Prognoſtico.

7. *interdiu vigilat*) Ita repoſui ex Cod. Medic. I. Communiter legebatur, *ſi interdiu vigilat*.

8. *cutis plena eſt*) *plana* ab aliis legitur. Pantinus tamen & poſt eum Conſtantinus *plena* legendum eſſe probant ex Hippocrate in Prognoſt. & Aphoriſmo 35. ſect. 2. Hanc vocem ego repoſui tum ratione, tum ex fide Codicis Medic. I. Ac plenæ huic cuti macra illa opponitur capitis proximi: *mali etiam morbi teſtimonium eſt . . . . . habere . . . . . cutem circa umbilicum & pubem macram*.

midiora ſunt, ſed tamen [9] digitis cedunt & non dolent, hæc valetudo, ut ſpatium aliquod habebit, ſic tuta erit. Corpus quoque, quod æqualiter molle & calidum eſt, quodque æqualiter totum inſudat, & cujus febricula eo ſudore finitur, ſecuritatem pollicetur [10]. Sternutamentum etiam inter bona indicia eſt, & cupiditas cibi vel a primo [11] ſervata, vel etiam poſt faſtidium orta. Neque terrere debet ea febris, quæ eodem die finita eſt; ac ne ea quidem, quæ quamvis longiore tempore evanuit [12], tamen ante alteram acceſſionem ex toto quievit, ſic ut corpus integrum, quod εἰλικρινὲς Græci vocant, fieret. Si quis autem incidit vomitus, miſtus eſſe & bile & pituita [13] debet: & in urina ſubſidere album, læve, æquale; ſic ut etiam, ſi quæ quaſi nubeculæ innatarint, in imum deferantur. At venter ei, qui a periculo tutus eſt, reddit mollia [14], figurata, atque eodem fere tempore, quo ſecunda valetudine aſſuevit, modo [15] convenientia iis, quæ aſſumuntur. Pejor cita alvus eſt; ſed ne hæc quidem terrere protinus debet, ſi matutinis temporibus coacta magis eſt, aut ſi procedente tempore paulatim contrahitur, & rufa eſt, neque fœditate odoris ſimilem alvum ſani hominis excedit. Ac lumbricos quoque aliquos [16] ſub fine morbi deſcendiſſe, nihil nocet. Si inflatio [17] in ſuperiori-

9. *Quod ſi paulo tumidiora ſunt, ſed tamen*) Locum hunc Lindenius, non tam quod expulit *ſed*, corrupit, quam quia verba perperam interpunxit hoc modo: *ſunt: quod ſi paulo tumidiora ſunt, tamen digitis cedunt, & non dolent. Hæc valetudo &c.*

10. *ſecuritatem pollicetur*) Vulgo & in omnibus fere Mſs. hæc verba adduntur: *quando jam ad ſanitatem venit corpus*; quod membrum Lindenius in periodum ſequentem rejecit. Sed utrovis referas, ineptus illorum verborum ſenſus eſt; ut mihi quidem videtur. Ea verba neque habentur in Cod. Medic. I. neque Celſi eſſe puto.

11. *a primo*) Edit. Lindenii, *a principio*. In aliis omnibus Editionibus, & in Mſs. Mediceis eſt *a primo*.

12. *longiore tempore evanuit*) tardius deſiit. Ego hanc dicendi formam non facile improbaverim; cum præſertim Mſs. Codices nihil varient. Videtur improbaſſe Lindenius, qui *tenuit* repoſuit pro *evanuit*.

13. *miſtus eſſe & bile & pituita*) Lindenius aliique, Cæſario duce, leg. *ex bile* pro *et bile*, quod eſt in Edd. vetuſtioribus, & in Mſs. Mediceis. Et quidem verbum *miſtum* ſolet fere Celſus conſtruere cum ablativo ſine præpoſitione.

14. *reddit mollia*) Ita recte edidit Lindenius conjecturam Conſtantini, an Codicem aliquem ſecutus? Ita certe eſt in Medic. I. Alii leg. *reddit modo mollia*.

15. *modo*) Lindenius, *modoque*, ut malebat Conſtantinus. Sed allatus Codex cum reliquis Mediceis habet *modo*.

16. *Ac lumbricos quoque aliquos*) Pro *aliquos* Codex Medic. III. aliique, ſed non primus, habent *albos*.

17. *Si inflatio*) *inflammatio* olim legebatur; quod ferri non poteſt propter ea, quæ in hanc ſententiam ſcribit Hippocrates in Prognoſtico; ex quo Rubeus *inflatio* legendum exiſtimat. Et quidem hæ voces *inflatio* & *inflammatio* in Mſs. ſæpe variant. Hic in-

ribus partibus dolorem tumoremque fecit, bonum ſignum eſt ſonus ventris [18] inde ad inferiores partes evolutus; magiſque etiam, ſi ſine difficultate, cum ſtercore exceſſit.

IV. Contra gravis morbi periculum eſt, ubi ſupinus æger jacet, porrectis manibus & cruribus; ubi reſidere vult in ipſo acuti morbi impetu, præcipueque pulmonibus laborantibus; ubi nocturna vigilia premitur, etiamſi interdiu ſomnus accedit; ex quo tamen pejor eſt, qui inter quartam horam & noctem eſt, quam qui matutino tempore [19] ad quartam. Peſſimum tamen eſt, ſi ſomnus neque noctu, neque interdiu accedit: id enim fere ſine continuo dolore [20] eſſe non poteſt. Æque vero ſignum malum eſt etiam [21] ſomno ultra debitum urgeri; pejuſque, quo magis ſe ſopor interdiu, noctuque continuat. Mali etiam morbi teſtimonium eſt, vehementer & crebro ſpirare; a ſexto die cœpiſſe inhorreſcere; pus exſpuere; vix exſcreare; dolorem habere continuum; difficulter ferre morbum; jactare brachia & crura; ſine voluntate lacrimare; habere humorem glutinoſum dentibus inhærentem; cutem circa umbilicum & pubem macram; præcordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta, magiſque, ſi hæc dextra parte quam ſini-

inflammatio inveni in omnibus præter Vaticanum VII. quem ſecutus ſum. Lindenius quoque leg. *inflatio*, ſed addit *ſine inflammatione*, quod non eſt neceſſe. Non deſunt tamen Codices, qui ei ſuffragentur, ut ex adnotationibus Conſtantini & Foeſii intelligi poteſt. Sed eos Codices ego minus fideles puto.

18. *ſonus ventris*) Lindenius leg. *ſonitus* pro *ſonus*; & infra, *devolutus* pro *evolutus*; quo modo ſe in Codice quodam inveniſſe notat Conſtantinus. Codici illi ego & Mediceos & Vaticanos omnes oppono.

19. *matutino tempore*) Codex Medic. I. & Lindeniana Edit. *a matutino tempore*. Editiones ceteræ, ceterique Codices Medicei non habent præpoſitionem. Hos ego ſecutus ſum. In verbis antecedentibus, *inter quartam horam & noctem eſt*, ab aliis omittitur *eſt*; quod verbum & Edd. Ruellii ac Stephani & Mſs. Codices habent.

20. *ſine continuo dolore*) Mali autem morbi teſtimonium eſt dolorem habere continuum; ut eſt paulo infra. Conſtantinus *delirio* legendum putat, pro *dolore*, parum attendens quod Pantinus monuerat; reliquam ſententiæ partem ex Prognoſt. in qua Hippocrates de delirio loquitur, huc non pertinere. Eam partem, ſcilicet de inſania, quæ ex vigilia oritur, Celſus reddit cap. 7. *nullo dolore ſubſtante ſomnus ereptus, continuataque nocte & die vigilia &c. inſaniæ ſigna ſunt*. Itaque unde unde ſit lectio iſta *delirio*, quam ſequitur Lindenius, ego veterem ſequi malui ex fide Codicum noſtrorum omnium.

21. *Æque vero ſignum malum eſt, etiam &c.*) In Cod. Medic. I. & in Edit. Linden. *Neque vero ſignum bonum eſt, etiam &c.* Sed Lindenius omittit *etiam*; & in altera parte periodi *ſe*; quod pronomen Conſtantinus quoque alienum cenſet. Latina tamen eſt hæc conſtructio; *ſe ſopor continuat*; ideoque *ſe* retinendum eſt ex fide Mſs. Mediceorum; itemque *etiam*: extat enim hæc particula in omnibus. Sed primus recte habet *etiam ſomno*; al. *etiam ſomnum*, non item recte.

ſiniſtra ſunt; periculoſiſſimum tamen eſt, ſi venæ quoque ibi vehementer agitantur. Mali etiam morbi ſignum eſt, nimis celeriter emacreſcere; caput & pedes manuſque frigidas habere, ventre & lateribus calentibus [22]; aut frigidas extremas partes acuto morbo urgente; aut poſt ſudorem inhorreſcere; aut poſt vomitum ſingultum eſſe, vel rubere oculos; aut poſt cupiditatem cibi, poſtve longas febres hunc faſtidire; aut multum ſudare, maximeque frigido ſudore; aut habere ſudores non per totum corpus æquales; quique febrem non finiant; & eas febres [23], quæ quotidie tempore eodem revertantur; quæve ſemper pares acceſſiones habeant, neque tertio quoque die leventur; quæve ſic continuent, ut [24] per acceſſiones increſcant, per deceſſiones tantum molliantur, nec umquam integrum corpus dimittant. Peſſimum eſt, ſi ne levatur quidem febris, ſed æque concitata continuat. Periculoſum eſt etiam, poſt arquatum morbum febrem oriri; utique ſi præcordia dextra parte dura manſerunt. Ac dolentibus iis, nulla [25] acuta febris leviter terrere nos debet; neque umquam in acuta febre, aut a ſomno non eſt terribilis nervorum diſtentio. Timere etiam ex ſomno, mali morbi eſt; itemque in prima febre protinus mentem eſſe turbatam, membrumve aliquod eſſe reſolutum. Ex quo caſu quamvis vita redditur, tamen id fere membrum debilitatur. Vomitus etiam periculoſus eſt ſinceræ pituitæ, vel bilis [26]; pejorque, ſi viridis, aut niger eſt. At mala urina eſt, in qua ſubſidunt ſubru-

22. *manuſque frigidas habere, ventre & lateribus calentibus*) Bis hanc ſententiam Hippocrates habet in Prognoſtico. Sic autem Lindenius edidit. Alii omnes leg. *manuſque calidas habere, ventre et lateribus frigentibus*; & ita revera eſt in Mſs. & Mediceis & Vaticanis.

23. *& eas febres*) Pro *eas* Pantinus mallet *eæ*, variata conſtructione. Sed in Mſs. quoque *eas* inveni. Lindenius leg. *Malæ etiam febres*.

24. *quæve ſic continuent, ut &c.*) Ita legitur in Editione Lindenii, ad quam proxime accedunt Aldina & Codd. Mſs. ſed non habent *ſic*, & pro *deceſſiones* habent *diſceſſiones*: Mediceus I. autem *deſceſſiones*, & ex veteri correctione *diſceſſiones*; idemque *quæque* pro *quæve*. Alii leg. *quæve continuent*, *vel* (in Editione principe & aliis nonnullis eſt *ve*) *per acceſſiones increſcant, per diſceſſiones tantum molliantur*.

25. *Ac dolentibus iis, nulla &c.*) Ego ſic reſtitui ex Cod. Medic. I. Sententia eſt Hippocratis in Aphor. 65. ſect. 4. Antea legebatur, *ac* (in Edit. Lindenii & in margine Conſtantinianæ *aut*) *dolentibus iis, læva. Nulla &c.*

26. *ſinceræ pituitæ, vel bilis*) Hæc eſt vulgata lectio. In Codice Medic. I. legitur; *ſi ſincere pituita vel bilis eſt mixta*, in aliis, *ſincerus pituitæ vel bilis*.

rubra & lævia [27]: deterior, in qua quaſi folia quædam [28] tenuia atque alba: peſſima ex his, ſi tamquam ex furfuribus factas nubeculas repræſentat. Diluta quoque, atque alba, vitioſa eſt, ſed in phreneticis [29] maxime. Alvus autem mala eſt, ex toto ſuppreſſa. Periculoſa etiam, quæ inter febres fluens conquieſcere hominem in cubili non patitur; utique, ſi quod deſcendit, eſt perliquidum, aut albidum, aut pallidum, aut ſpumans. Præter hæc periculum oſtendit id, quod excernitur, ſi eſt exiguum, glutinoſum, læve, album, idemque ſubpallidum: vel ſi eſt aut lividum, aut bilioſum, aut cruentum, aut pejoris odoris, quam ex conſuetudine. Malum eſt etiam, quod poſt longas febres ſincerum eſt.

V. Poſt hæc indicia, votum eſt longum morbum fieri [30]: ſic enim neceſſe eſt, niſi occidit. Neque vitæ alia ſpes in magnis malis eſt [31], quam ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum præſtet. Protinus tamen ſigna quædam ſunt, ex quibus colligere poſſumus, morbum, etſi non interemerit, longius tamen tempus habiturum: ubi frigidus ſudor inter febres non acutas circa caput tantum, & cervices oritur; aut ubi, febre non quieſcente, corpus inſudat; aut ubi corpus modo frigidum, modo calidum eſt, & color alius ex alio fit; aut ubi, quod inter febres aliqua parte abſceſſit, ad ſanitatem non pervenit; aut ubi æger pro ſpatio parum emacreſcit: item, ſi urina modo liquida & pura eſt, modo habet quædam ſubſiden-

27. *ſubrubra & lævia*) Alii leg. *ſubrubra & livida*; Egnatius, ut Codices Mſs. habent plerique omnes, *vel rubra*, *aut livida*. Ego ſic repoſui ex Mediceo primo; atque ex eodem illo Prognoſtici loco hæc ſumpta exiſtimo, unde & reliqua hujus periodi ſumpta ſunt.

28. *quaſi folia quædam*) Ita legitur in omnibus fere Mſs. Et ſane græcam Hippocratis vocem πεταλώδεες, *quaſi folia* aliquanto melius exprimit, quam *quaſi fila*, quod Codex Medic. I. & omnes impreſſi libri habent. Nobiſcum facit etiam Codex a Conſtantino allatus.

29. *phreneticis*) Iidem illi qui ſupra cap. 1. leg. φρενῖτιν, hic legunt *phreniticis*. Ego ſecutus ſum Editiones vetuſtiores & Codd. Mediceos.

30. *votum eſt longum morbum fieri*) optandum eſt, ut longus morbus fiat &c. *Votum eſt*, quod ex quibuſdam Codicibus repoſui, hac ſignificatione duobus aliis locis reperitur; lib. 3. cap. 4. ſub initium, & lib. 6. cap. 6. ſect. 1. Antea legebatur *notum eſt*, ut eſt in Mediceo I. In his enim vocibus *votum* & *notum* Mſs. Codices facile variant: itaque & lib. 3. cap. 4. aliqui habent *notum* pro *votum*. Sed *notum*, tum hic, tum ibi, ineptum eſt, nimiſque frigidum. Infra, pro *ſic enim*, Codex Mediceus I. habet *ſit enim*; Codices Medicei ceteri *ſed et*.

31. *Neque vitæ alia ſpes in magnis malis eſt*) Ita in Cod. Mediceo I. & antiquis Editionibus. Alii Codices habent, *Neque ulla alia ſpes in malis magnis eſt*; Editio Lindeniana, *Neque ulla alia ſpes in magnis eſt*.

ſidentia; ſi lævia atque alba rubrave ſunt [32], quæ in ea ſubſidunt; aut ſi quaſdam quaſi miculas [33] repræſentat; aut ſi bullulas excitat.

VI. Sed inter hæc quidem, propoſito metu, ſpes tamen ſupereſt. Ad ultima vero jam ventum eſſe teſtantur, nares acutæ, collapſa tempora, oculi concavi, frigidæ languidæque aures & imis partibus leniter verſæ [34], cutis circa frontem dura & intenta, color aut niger aut perpallidus; multoque magis, ſi ita hæc ſunt, ut neque vigilia præceſſerit, neque ventris reſolutio, neque inedia. Ex quibus cauſis interdum hæc ſpecies oritur, ſed uno die finitur: itaque diutius durans, mortis index eſt. Si vero in morbo vetere jam triduo talis eſt, in propinquo mors eſt; magiſque, ſi præter hæc oculi quoque lumen refugiunt, & illacrimant; quæque in iis alba eſſe debent, rubeſcunt; atque in iiſdem venulæ pallent; pituitaque in iis innatans, noviſſime angulis inhæreſcit; alterque ex his minor eſt; iique aut vehementer ſubſederunt, aut facti tumidiores ſunt; perque ſomnum [35] palpebræ non committuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, neque id fluens alvus expreſſit; eædemque palpebræ pallent, & idem pallor labra & nares decolorat; eademque labra, & nares, oculique, & palpebræ, & ſupercilia, aliquave ex his pervertuntur; iſque propter imbecillitatem jam non audit, aut non videt. Eadem mors denunciatur, ubi æger ſupinus cubat, eique [36] genua contracta ſunt; ubi deorſum ad pedes ſubinde delabitur; ubi brachia & crura nudat, & inæqualiter diſpergit, neque iis calor ſubeſt; ubi hiat; ubi aſſidue dormit; ubi is, qui mentis ſuæ non eſt, neque id facere ſanus ſolet, dentibus ſtridet; ubi ulcus, quod aut ante, aut in ipſo morbo natum eſt, aridum, & aut pallidum,

32. *quædam ſubſidentia ; ſi lævia atque alba rubrave ſunt*) In Codice Mediceo I. ita legitur : *quædam ſubſidentia lævia atque alba rubrave*. Ceteri Medicei Codices, & Editiones vetuſtiſſimæ addunt verbum *ſunt*; ſed non habent particulam *ſi*. Habent hanc tamen Editio Aldina, & recentiores pleræque.

33. *miculas*) Sic reſtituit Lindenius ex Scaligeri conjectura. Antea legebatur *maculas*; quod eſt etiam in Mſs. Mediceis. Apud Hippocratem, cujus eſt ſententia hæc, legitur *κεγχρώδεες ὑποστάσιες* in Prognoſtico.

34. *leniter verſæ*) Cod. Medic. I. habet *leviter adverſæ*.

35. *perque ſomnum*) Codex modo allatus habet *perque ſomnium*; & *in* ſupra vocem *ſomnium*, ut legatur *inſomnium*.

36. *æger ſupinus cubat, eique &c.*) Ante Cæſarium legebatur, ut eſt in Mſs. Mediceis, *ægri ſupini cubant, hiſque &c.*

dum, aut lividum factum eſt. Illa quoque mortis indicia ſunt, ungues, digitique pallidi; frigidus ſpiritus; aut ſi manibus quis in febre, & acuto morbo, vel inſania, pulmoniſve dolore, vel capitis, in veſte floccos legit, fimbriaſve diducit, vel in adjuncto pariete, ſi qua minuta eminent, carpit [37]. Dolores etiam circa coxas & inferiores partes orti, ſi ad viſcera tranſierunt, ſubitoque deſierunt, mortem ſubeſſe teſtantur; magiſque, ſi alia quoque ſigna acceſſerunt. Neque is ſervari poteſt, qui ſine ullo tumore febricitans, ſubito ſtrangulatur, aut devorare ſalivam ſuam non poteſt; cuive in eodem febris corporiſque habitu cervix convertitur [38], ſic ut devorare æque nihil poſſit; aut cui ſimul & continua febris & ultima corporis infirmitas eſt; aut cui, febre non quieſcente, exterior pars friget, interior ſic calet, ut etiam ſitim faciat; aut qui, febre æque non quieſcente [39], ſimul & delirio & ſpirandi difficultate vexatur; aut qui, epoto veratro, exceptus diſtentione nervorum eſt; aut qui ebrius obmutuit. Is enim fere nervorum diſtentione [40] conſumitur, niſi aut febris acceſſit, aut eo tempore, quo ebrietas ſolvi debet, loqui cœpit. Mulier quoque gravida acuto morbo facile conſumitur; & is, cui ſomnus dolorem auget; & cui protinus, in recenti morbo, bilis atra vel infra vel ſupra ſe oſtendit; cuive alterutro modo ſe prompſit, cum jam longo morbo corpus ejus eſſet extenuatum & affectum [41]. Sputum etiam bilioſum, & purulentum, ſive ſeparatim iſta, ſive miſta proveniunt, interitus periculum oſtendunt. Ac ſi

 cir-

37. *ſi qua minuta eminent, carpit*) *capit* eſt in primo, non *carpit*: in ceteris Codicibus Mediceis legitur *ſi quæ minutiæ eminent carpit*.

38. *convertitur*) Lindenius leg. *invertitur*. Sed nihil obſtat quo minus legamus *convertitur*, ut eſt in antiquis Editionibus & in Mſs. Mediceis. Græca Hippocratis vox hæc eſt, ἐπιστραφῇ, in ſect. 4. Aphor. 35. in Coacis autem Prænotion. 278. ubi tamen ſententia aliquantum diverſa eſt, ἐπιστραφῆναι.

39. *febre æque non quieſcente*) Adverbium *æque* non eſt in duobus Mſs. vetuſtioribus, neque in aliis quibuſdam; minimeque neceſſarium eſt.

40. *fere nervorum diſtentione*) Ita ex conjectura Conſtantini & Rubei, & ex Edit. Lindenii. Alii leg. *febre adjecta nervorum diſtentione*; ut habetur in Manuſcriptis Mediceo I. & Vaticanis VI. & VII. Cæſarius tollit duas voces *febre adjecta*. Et ſane vox *febre* retineri non poteſt, quin cum Hippocrate, atque adeo ipſe ſecum Cornelius pugnet. Nam deinde dicit; *niſi aut febris acceſſit*. Poſſem fortaſſe aliquid certi de hoc loco conſtituere, niſi deficientes hac parte ceteros Mſs. Codices inveniſſem; cum librarius a verbis illis præcedentibus, *exceptus diſtentione*, continuo tranſierit ad *conſumitur*.

41. *& affectum*) Linden. *& confectum*.

circa ſeptimum diem tale eſſe cœpit, proximum [42] eſt, ut is circa quartumdecimum diem decedat, niſi alia ſigna meliora [43] pejorave acceſſerint: quæ, quo leviora graviorave ſubſecuta ſunt, eo vel ſeriorem mortem, vel maturiorem denuntiant. Sudor quoque frigidus in acuta febre peſtiferus eſt: atque in omni morbo vomitus, qui varius, & multorum colorum eſt; præcipueque, ſi malus in hoc odor eſt. Ac ſanguinem quoque in febre vomuiſſe, peſtiferum eſt. Vrina vero rubra [44] & tenuis in magna cruditate eſſe conſuevit; & ſæpe, antequam ſpatio matureſcat, hominem rapit: itaque, ſi talis diutius permanet, periculum mortis oſtendit. Peſſima tamen eſt, præcipueque mortifera, nigra, craſſa, mali odoris. Atque in viris quidem & mulieribus talis deterrima eſt: in pueris vero, quæ tenuis & diluta eſt. Alvus quoque varia, peſtifera eſt, quæ ſtrigmentum [45], ſanguinem, bilem, viride aliquid, modo diverſis temporibus, modo ſimul, & in miſtura quadam, diſcreta tamen repræſentat. Sed hæc quidem poteſt paulo diutius trahere: in præcipiti vero jam eſſe denuntiat, quæ liquida, eademque vel nigra, vel pallida, vel pinguis eſt; utique, ſi magna fœditas odoris acceſſit. Illud interrogari me poſſe ab aliquo ſcio: ſi certa futuræ mortis indicia ſunt, quomodo interdum deſerti a medicis convaleſcant, quoſdamque fama prodiderit in ipſis funeribus revixiſſe? Quin etiam vir jure magni nominis Democritus, ne finitæ quidem vitæ ſatis certas notas eſſe, propoſuit, quibus medici credidiſſent: adeo illud non reliquit, ut certa aliqua ſigna futuræ mortis eſſent. Adverſus quos [46] ne dicam illud quidem, quod in vicino ſæpe quædam notæ poſitæ, non bonos, ſed imperitos medicos decipiunt; quod Aſclepiades funeri obvius intellexit, eum [47] vi-

42. *proximum*) Codices Medicei habent *in proximum*.

43. *meliora*) In Manuſcriptis Mediceo I. & Vatic. VI. atque in Editione Lindenii & in margine Conſtantinianæ legitur *mitiora*.

44. *rubra*) Pro *rubra*, Pantinus & Conſtantinus putant, invitis libris, legendum eſſe *fulva*; quod πυῤῥὸν habeat Hippocrates in Prognoſtico. Hæc ratio non tanti apud me valet, ut poſſim Lindenio aſſentiri mutationem iſtam in textum inducenti. Vix enim puto, id eum feciſſe cum librorum auctoritate.

45. *quæ ſtrigmentum*) Linden. *& quæ ſtrigmentum*; ſed recte edidit verba ſequentia, *bilem*, *viride aliquid*, ex ſola fortaſſe Pantini & Conſtantini conjectura. Sic autem habet Codex Medic. I. Alii leg. *bilem viridem*, *aliquid*.

46. *Adverſus quos &c.*) Linden. *Adverſus quod ne illud quidem dicam*.

47. *quod Aſclepiades funeri obvius intellexit*,

vivere, qui efferebatur: nec protinus crimen artis eſſe [48], ſi quod profeſſoris ſit. Illa tamen moderatius ſubjiciam: conjecturalem artem eſſe medicinam, rationemque conjecturæ talem eſſe, ut cum ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat. Non itaque, ſi quid [49] vix in milleſimo corpore aliquando decipit, fidem non habet, cum per innumerabiles homines reſpondeat. Idque non in iis tantum, quæ peſtifera ſunt, dico; ſed in iis quoque, quæ ſalutaria. Siquidem etiam ſpes interdum fruſtratur, & moritur aliquis, de quo medicus ſecurus primo fuit: quæque medendi cauſa reperta ſunt, nonnumquam in pejus alicui convertunt [50]. Neque id evitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum poteſt. Sed eſt tamen medicinæ fides, quæ multo ſæpius, perque multo plures ægros prodeſt. Neque tamen ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis notas eſſe & ſalutis, & mortis.

VII. Sed cum propoſuerim ſigna, quæ in omni adverſa valetudine communia eſſe conſueverunt; eo quoque tranſibo [51], ut, quas aliquis in ſingulis morborum generibus habere poſſit notas, indicem. Quædam autem ſunt, quæ ante febres, quædam quæ in-

G 2 ter

lexit, eum &c.) Recte monet Morgagnus, aliena quædam huc inſerta eſſe in Editione Lindenii, in qua legitur: *quod Aſclepiades ſciens, funeri obvius inclamavit, eum vivere &c.* cum & in omnibus ſuis libris ipſe non *inclamavit*, ſed *intellexit*, neque in ullo *ſciens* invenerit. Adde iis libris Editionem I. & vetuſtiſſimam an. 1493. & Codices Mſs. tum Mediceos, tum Vaticanos. Pro *eum* Mediceus I. & Vatican. VI. habent *quemdam*, ut eſt in Edit. Ruellii.

48. *nec protinus crimen artis eſſe*) Al. *ne protinus crimen artis eſſet*; quod ferri non poteſt. Locum correxit Conſtantinus; quem Lindenius ſecutus eſt, Codice Medic. I. minime invito. Neque tamen ſilentio præteribo, in Codice illo poſt vocem *crimen* eſſe *fecerit*, non tamen in contextu.

49. *Non itaque, ſi quid*) Ita in Editione Lindenii; & niſi quod *ſi quid* transfertur ante *itaque* (vel *ita*, ut aliqui habent) in Mſs. quoque Mediceis, primo excepto. In illo enim, ut in vetuſtis Editionibus, legitur, *nos. Si quid itaque*; deinde, *id notam non habet*, pro *fidem non habet*, ut eſt in aliis Codicibus, & in Editione Lindenii; ſed in hac, *id fidem &c.* In verbis proximis vero variat hæc Editio ab aliis libris omnibus, cum ſic habeat: *vix milleſimo in corpore aliquem decipit.*

50. *alicui convertunt*) Alii legunt, ut habet Cod. Medic. I. *aliquid convertunt*; Lindenius, *aliquibus vertunt*. Ego ſic repoſui ex reliquis Mediceis Mſs. Revera habent *aliqui*; ſed quis neſcit in hoc ſæpe erraſſe librarios, ut *qui* deſcriberent pro *cui*? Ceterum hoc modo locutus eſt etiam Cicero in Bruto cap. 38. *quod vitium huic uni in bonum convertebat*. Sic enim legunt locum illum Victorius, Manutius, & Gruterus.

51. *eo quoque tranſibo*) Sic reſtitui ex Cod. Medic. I. Ita lib. 4. cap. ultimo: *eo tranſire, ut arbitrio ſuo vivat*. Alii legunt, *ea quoque tranſibo*; & in Codice modo allato ex *eo* a Palavicino factum eſt *ea*. Lindenius habet *ad ea &c.* ut eſt in margine Editionis Conſtantini. In Codice quoque Vatic. VI. extat particula *ad*, poſita alia manu ſupra vocem *ea*. Sed quis conſtructionem iſtam probabit? *tranſibo ad ea ſigna, ut notas indicem &c.*

ter eas, quid aut intus ſit, aut venturum ſit, oſtendunt. Ante febres, ſi caput grave eſt, aut ex ſomno oculi caligant, aut frequentia ſternutamenta ſunt, circa caput aliquis pituitæ impetus timeri poteſt. Si ſanguis, aut calor abundat, proximum eſt, ut aliqua parte profluvium ſanguinis fiat. Si ſine cauſa quis emacreſcit, ne in malum habitum corpus ejus recidat [52], metus eſt. Si præcordia dolent, aut inflatio [53] gravis eſt, aut toto die non concocta [54] fertur urina, cruditatem eſſe manifeſtum eſt. Quibus diu color ſine morbo regio malus eſt, hi vel capitis doloribus conflictantur, vel terram edunt. Qui diu habent faciem pallidam & tumidam, aut capite, aut viſceribus, aut alvo laborant. Si in continua febre puero venter nihil reddit, mutaturque ei color, neque ſomnus accedit, ploratque is aſſidue, metuenda nervorum diſtentio eſt. Frequens autem deſtillatio in corpore tenui longoque, tabem timendam eſſe teſtatur. Vbi pluribus diebus non deſcendit alvus, docet, aut ſubitam dejectionem, aut febriculam inſtare. Vbi pedes turgent, longæ dejectiones ſunt, ubi dolor [55] in imo ventre & coxis eſt, aqua inter cutem inſtat. Sed hoc morbi genus ab ilibus oriri ſolet. Idem propoſitum periculum eſt iis, quibus voluntas deſidendi eſt [56], venter nihil reddit, niſi & ægre & durum, tumor in pedibus eſt, idemque modo dextra, modo ſiniſtra parte ventris, invicem oritur atque finitur. Sed a jocinore

52. *recidat*) Lindenius, *decidat*.

53. *inflatio*) Al. *inflammatio*.

54. *aut toto die non concocta*) Lindenio ita reſtituenti locum hunc, ſuffragatur Cod. Medic. I. in quo tamen particula *non* punctis notata eſt, tamquam mendoſa; ſed perperam. Alii leg. *aut non toto die concocta*.

55. *longæ dejectiones ſunt, ubi dolor*) Locus hic ita legitur in omnibus fere impreſſis libris: *longæ dejectiones ſunt. Vbi dolor*. In Editione Conſtantini habetur, *& longæ dejectiones ſunt, ubi dolor*. Sed rectius fortaſſe tollatur *ubi*, quam *&* addatur. Nam in Mſs. reliquis Mediceis eſt: *longæ deiectiones ſunt. Dolor ſi*; in primo: *longa deiectio. Vbi dolor*. Lindenius addit *&*, ut Conſtantinus, ſed *ubi* mutat in *aut*, & in inciſo præcedenti *turgent* in *tument*.

56. *quibus voluntas deſidendi eſt*) Pantinus & omnes fere interpretes contendunt, invitis tamen libris, quantum video, pro *deſidendi*, *tuſſiendi* reponendum eſſe ex Hippocrate in Prognoſt. unde ſumpta eſt ſententia hæc. Ronſſeus *cupiditas* præterea mallet pro *voluntas*. Græca Hippocratis verba hæc ſunt: βῆχές τε καὶ θυμὸς τούτοισιν ἐγγίνεται; ut in recentioribus Codicibus habetur. Sed ita fuiſſe in antiquis quoque, ex Galeni lectione apparet. Igitur etiam Foeſius, pro *deſidendi*, *tuſſiendi* apud Celſum legendum putat. Attamen Lindenius retinet *deſidendi*, atque hunc locum ita leg. *quibus, cum voluntas deſidendi eſt, venter nihil reddit, niſi & ægre & durum. Cum tumor; &c.* deinde *finitur, a jocinore &c.* Porro *jocinoris*, *jocinori*, *jocinore*, Lindenius ſcribit Stephanum ſecutus: Stephanus tamen hoc loco habet *jecinore*. A Ruellio ſcribitur *jecinoris*, *jecinori*, *jecinore*; in Editionibus vetuſtioribus, & in Med. I. aliiſque Mſs. Codicibus *iocineris*, *iocineri*, *iocinere*.

nore id malum proficiſci videtur. Ejuſdem morbi nota eſt, ubi circa umbilicum inteſtina torquentur, ϛρόφυς Græci nominant [57], coxæque dolores manent; eaque [58] neque tempore, neque remediis ſolvuntur. Dolor [59] autem articulorum, prout in pedibus, manibuſve, aut alia qualibet parte ſic eſt, ut eo loco nervi contrahantur; aut ſi id membrum, ex levi cauſa fatigatum, æque frigido, calidoque offenditur, ποδάγραν χειράγρανve, vel ejus articuli, in quo id ſentitur, morbum futurum eſſe denuntiat. Quibus in pueritia ſanguis ex naribus fluxit, dein fluere deſiit, hi vel capitis doloribus conflictentur neceſſe eſt, vel in articulis aliquas exulcerationes graves habeant, vel aliquo morbo etiam debilitentur. Quibus fœminis menſtrua non proveniunt, neceſſe eſt capitis acerbiſſimi dolores ſint, vel quælibet alia pars morbo infeſtetur. Eademque iis pericula ſunt, quibus articulorum vitia, dolores tumoreſque [60], ſine podagra ſimilibuſque morbis, oriuntur, & deſinunt: utique, ſi ſæpe tempora iiſdem dolent, noctuque corpora inſudant. Si frons prurit [61], lippitudinis metus eſt. Si mulier a partu vehementes dolores habet, neque alia præter-

ea

57. *ϛρόφυς Græci nominant*) CΤΡΟΦΟΥC habet Cod. Medic. I. quæ vox, ſicut ſententia quoque loci hujus, ſumpta eſt ex Hippocrate Sectione 4. Aphor. 11. In Codice IV. quoque eſt ϛροφυς, interſcriptum alia manu. In III. VII. aliiſque habetur, *Alius* BACANICMON *græci nominant*. Vulgo legebatur ϛρέφον. Sed hoc membrum fortaſſe explicatio quædam eſt, varia pro interpretum varietate.

58. *eaque*) Linden. *qui*.

59. *Dolor*) Scribit Conſtantinus ſe inveniſſe in Codice quodam Ms. *Calor* pro *Dolor*. Adde Codici illi Mediceum I. & Vaticanum VI. & Ruellii Editionem.

60. *vitia, dolores tumoreſque*) Si Celſus ſcripſit *dolores tumoreſque*, vox *vitia* ſupervacua eſt. Vitia enim articulorum non alia, quam dolores ac tumores, memorat Auctor lib. 2. Prædict. quo Celſum reſpexiſſe Foeſius animadvertit. Et ſane hæc vox, quæ in omnibus eſt impreſſis libris, non eſt in Mſs. Mediceis, niſi in I. & ex hoc in IV. & VII. alia manu adſcripta. Vix tamen credibile eſt, ex interpretatione aliqua huc perveniſſe: res ſiquidem clara & aperta per aliam minus apertam explicaretur. Celſus autem *articulorum vitia* alibi dixit ad eorum dolorem tumoremque ſignificandum; in capite proximo bis, & in lib. 4. c. 24. Veriſimilius igitur eſt, *dolores tumoreſque* interpretationem eſſe, primum margini adſcriptam ex loc. cit. Prædict. deinde in textum conjectam. Nihil autem mirum, ſi vox *vitia* deeſt in pleriſque Codicibus, cum hoc ſæpe factum videamus, ut explicationes, extruſis iis quæ explicantur, ipſorum locum occupent. Lindenius leg. *vitia, ut dolores &c.* ut in Ms. quodam ſe inveniſſe teſtatur Conſtantinus. Ego *ut* nullo in Codice inveni.

61. *Si frons prurit*) Ita hæc ſententia a præcedenti dividitur in Medic. I. aliiſque Mſs. In impreſſis libris conjungitur membrum hoc cum ſuperiori; neque abſolvitur periodus, niſi poſt verba *metus eſt*; ſed incipit ab *Vtique*. Quin etiam Cæſarius, & poſt hunc alii fere omnes omittunt particulam *ſi*, atque hunc locum ita legunt: *& deſinunt. Vtique ſi ſæpe tempora iiſdem dolent, noctuque corpora inſudant, frons prurit, lippitudinis metus eſt*. Recte Stephanus, *& deſinunt; utique*.

ea[62] ſigna mala ſunt, circa viceſimum diem aut ſanguis per na-res erumpet, aut in inferioribus partibus aliquid abſcedet. Qui-cumque etiam dolorem ingentem circa tempora & frontem habe-bit, is alterutra ratione eum finiet[63]; magiſque, ſi juvenis erit, per ſanguinis profuſionem, ſi ſenior, per ſuppurationem[64]. Febris autem, quæ ſubito ſine ratione, ſine bonis ſignis finita eſt, fere revertitur. Cui fauces ſanguine & interdiu & noctu replentur, ſic ut neque capitis dolores, neque præcordiorum, neque tuſſis, neque vomitus, neque febricula præceſſerit; hujus aut in nari-bus, aut in faucibus ulcus reperietur. Si mulieri inguen & fe-bricula[65] orta eſt, neque cauſa apparet, ulcus in vulva eſt. Vri-na autem craſſa, ex qua quod deſidit[66], album eſt, ſignificat circa articulos, aut circa viſcera dolorem, metumque morbi eſſe. Eadem viridis, aut viſcerum dolorem, tumoremque cum aliquo periculo ſubeſſe, aut certe corpus integrum non eſſe, teſtatur. At ſi ſanguis aut pus in urina eſt, vel veſica vel renes exulce-rati ſunt. Si hæc craſſa, carunculas quaſdam exiguas quaſi capil-los[67] habet, aut ſi bullat, & male olet, & interdum quaſi are-

nam,

62. *neque alia præterea*) Vocem *alia* ab Egnatio reſtitutam, & a me in Mſs. in-ventam, omittunt Cæſarius & Lindenius; qui *partibus* item tollunt in inciſo ulti-mo. Ceterum, cum hac periodo exprimi vi-deatur locus ille in Prognoſtico: *Capitis dolores vehementes & continui cum febre &c.* ſed verba præcedentia, *Si mulier a partu*, Hippocratis ſententiæ non reſpondeant, Pan-tinus ea mendoſa putat, & ſic corrigenda: *Similiter caput, ſi*. Eamdem emendationem proponit Conſtantinus, ſed dubitanter, quod Codicem ſuum Ms. repugnantem invene-rit. Repugnant & Medicei.

63. *is alterutra ratione eum finiet*) Con-ſtantinus vocem *eum* tollendam putat. Lin-denius & hanc tollit, & *is* mutat in *ei*. Ego veteres libros libentius ſequor. Vati-canus I. deterioris notæ Codex, ſolus non habet *eum*. Mediceus VI. pro *eum* habet *cum*. Ad ſententiam quod attinet, quæ eſt ex eodem Prognoſtici loco, unde ſuperior, Pantinus & Conſtantinus *recentem* reponen-dum arbitrantur pro *ingentem*, quod Hip-pocrates ibi habeat *νεαρὴν*. Sed veterum li-brorum fidem vindicat Foeſius ex Coac. Prænot. 160. & ex quadam Hippocraticæ ſententiæ interpretatione, quam Galenus affert.

64. *per ſuppurationem*) Codices Medicei, *ſuppuratione*, primum excipio. In VI. *ſuſ-piratione*, mendoſe.

65. *inguen & febricula*) Ita eſt, & qui-dem recte, in Edit. Lindenii, & in quo-dam Codice, quem Foeſius inſpexit; & ita alia manu adſcribitur in Mediceo ſeptimo; ex primo, ut videtur. Sed in I. cum eſſet *inguenet*, perperam litteram *t* aliquis eraſit, fortaſſe Palavicinus ipſe, qui correxit *ex in-guine*: quæ lectio manavit in vulgus, & ne-ſcio quomodo, Almeloveenio quoque placuit præ Lindeniana. In aliis Mſs. Mediceis habetur *inguine* pro *inguen et*.

66. *deſidit*) Ita in Edit. Lindenii. In a-liis Edd. & in Mſs. Mediceis, *deſidet*.

67. *quaſi capillos*) Linden. *aut quaſi ca-pillos*; fortaſſe ex conjectura Pantini, cui ſic legendum videtur ex Hippocratis Apho-riſmo 75. ſect. 4. Sed mihi, tum ex Apho-riſmo illo, ut in vetuſtis Codicibus Gale-

nus

nam, interdum quaſi ſanguinem trahit, dolent autem coxæ, quæque inter has ſuperque pubem ſunt, & accedunt frequentes ructus, interdum vomitus bilioſus, extremæque partes frigeſcunt, urinæ crebra cupiditas, ſed magna difficultas eſt, & quod inde excretum eſt, aquæ ſimile, vel rufum, vel pallidum eſt, paulum tamen in eo levamenti eſt, alvus vero cum multo ſpiritu redditur, utique in renibus vitium eſt. At ſi paulatim deſtillat, vel ſi ſanguis per hanc editur, & in eo quædam cruenta concreta ſunt, idque ipſum cum difficultate redditur, & circa pubem interiores [68] partes dolent, in eadem veſica [69] vitium eſt. Calculoſi vero his indiciis cognoſcuntur: difficulter urina redditur, paulatimque, interdum etiam ſine voluntate, deſtillat; eadem arenoſa eſt; nonnumquam aut ſanguis [70], aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur; eamque quidam promptius recti, quidam reſupinati, maximeque ii, qui grandes calculos habent, quidam etiam inclinati reddunt, colemque extendendo, dolorem levant. Gravitatis quoque cujuſdam in ea parte ſenſus eſt: atque ea curſu, omnique motu augentur [71]. Quidam etiam, cum torquentur, pedes inter ſe, ſubinde mutatis vicibus, implicant. Fœminæ vero oras naturalium ſuorum manibus admotis ſcabere crebro [72] coguntur: nonnumquam, ſi digitum admoverunt, ubi veſicæ cervicem is urget, calculum ſentiunt. At qui ſpumantem ſanguinem exſcreant, his in pulmone vitium eſt. Mulieri gravidæ ſine modo fuſa alvus elidere [73] partum poteſt. Eidem ſi lac

ex

nus quoque invenit, tum ex alio loco Hippocratis de Nat. Hom. contrarium apparere videtur. Adde huc veterem lectionem Mſs. noſtris confirmari. Duo autem hæc inciſa: *& male olet, & interdum &c.* ſic leguntur in Edit. Ald. *aut ſi male olet: & interdum &c.* in margine Conſtantin. ex quodam Cod. *& ſi male olet, aut ſi interdum &c.* in Edit. Ronſſei: *aut male olet, & interdum &c.* in Lindeniana: *aut male olet, aut interdum &c.*

68. *interiores*) Ita in Codice quodam Ms. ut Conſtantinus affirmat, & in Editione Lindenii. Al. leg. *inferiores*.

69. *in eadem veſica*) Pantinus mallet *in ipſa veſica*, vel *circa ipſam veſicam*; Ronſſeus, *in eiſdem, aut veſica*; Rubeus, *in eadem* (ideſt pube) *aut veſica*. Et ſane in periodo præcedenti nihil eſt de veſica, quo vox *eadem* referri poſſit. Addita ea fuit, ut ego ſuſpicor, fortaſſe ab illo ipſo, qui cap. 3. prioris libri addidit *ejuſdem* in verbis illis: *quem novum genus ejuſdem laboris preſſit*.

70. *aut ſanguis*) Particula *aut* abeſt a Cod. Mediceo primo.

71. *augentur*) ea mala augentur. Cæſarius, Pantinus, & Lindenius leg. *augetur*; ideſt gravitas. Codices Medicei habent *augentur*.

72. *ſcabere crebro*) Adverbium *crebro* deeſt in primo; in Codicibus ceteris Mediceis & in Edit. Aldina eſt *ſcalpere* pro *ſcabere*.

73. *elidere*) Codex Medic. I. *excutere*.

ex mammis profluit, imbecillum eſt quod intus gerit: duræ mammæ, ſanum illud eſſe, teſtantur. Frequens ſingultus, & præter conſuetudinem continuus, jecur inflammatum eſſe, ſignificat. Si tumores ſuper ulcera [74] ſubito eſſe deſierunt, idque a tergo incidit, vel diſtentio nervorum, vel rigor timeri poteſt: at ſi a priore parte id evenit, vel lateris acutus dolor, vel inſania exſpectanda eſt; interdum etiam ejuſmodi caſum, quæ tutiſſima inter hæc eſt, profuſio alvi ſequitur. Si ora venarum, ſanguinem ſolita fundere, ſubito ſuppreſſa ſunt, aut aqua inter cutem, aut tabes ſequitur. Eadem tabes ſubit, ſi in lateris dolore orta ſuppuratio intra quadraginta dies purgari non potuit. At ſi longa triſtitia cum longo timore & vigilia eſt, atræ bilis morbus ſubeſt. Quibus ſæpe ex naribus fluit ſanguis, his aut lienis tumet, aut capitis dolores ſunt; quos ſequitur, ut quædam ante oculos tamquam imagines obverſentur. At quibus magni lienes ſunt, his gingivæ malæ ſunt, & os olet, aut ſanguis aliqua parte prorumpit: quorum ſi nihil evenit, neceſſe eſt in cruribus mala ulcera, & ex his nigræ cicatrices fiant. Quibus cauſa doloris, neque ſenſus ejus eſt, his mens labat. Si in ventrem ſanguis confluxit, ibi in pus vertitur. Si a coxis, & ab inferioribus partibus dolor in pectus tranſit, neque ullum ſignum malum acceſſit, ſuppurationis eo loco periculum eſt. Quibus ſine febre aliqua parte dolor, aut prurigo, cum rubore & calore [75] eſt, ibi aliquid ſuppurat. Vrina quoque, quæ in homine ſano parum liquida eſt [76], circa aures futuram aliquam ſuppurationem eſſe denuntiat.

Hæc vero, cum ſine febre quoque vel latentium, vel futurarum rerum notas habeant, multo certiora ſunt, ubi febris acceſſit; atque etiam aliorum morborum tum ſigna naſcuntur. Ergo protinus inſania timenda eſt, ubi expeditior alicujus, quam ſani fuit,

74. *ulcera*) In Codice modo allato, *viſcera*.

75. *& calore*) Ita in Cod. Medic. I. & in Edit. Lindenii. Al. leg. *aut calore*. Supra autem pro *ibi in pus vertitur*, ut alii Codices habent, Mediceus I. *ibi intus in pus vertitur*. Vox *intus* ex mendo eſt, quemadmodum infra, *dum is affectus intus verſatur* pro *in pus vertatur*. Videtur igitur emendatio *in pus*, quæ adſcripta fuerat, in textum recepta eſſe, non ſublato mendo.

76. *Vrina quoque, quæ in homine ſano parum liquida eſt*) Codices Medicei, præter I. ita habent: *Vrina quoque in homine ſano ſi parum liquida eſt*. Conſtantinus ex quodam Ms. *Vrina quoque (quæ in homine ſano parum) ſi liquida eſt*. Lindenius, *Vrina quoque, quæ in homine parum ſano liquida eſt*.

fuit, ſermo eſt, ſubitaque loquacitas orta eſt, & hæc ipſa ſolito audacior: aut ubi raro quis & vehementer ſpirat, venaſque concitatas habet, præcordiis duris & tumentibus. Oculorum quoque frequens motus; & in capitis dolore offuſæ oculis tenebræ; vel, nullo dolore ſubſtante, ſomnus ereptus, continuataque nocte & die vigilia; vel proſtratum contra conſuetudinem corpus in ventrem, ſic ut ipſius alvi dolor id non coegerit; item, robuſto adhuc corpore, inſolitus dentium ſtridor, inſaniæ ſigna ſunt. Si quid etiam abſceſſit, & antequam ſuppuraret [77], manente adhuc febre, ſubſedit, periculum affert primum furoris, deinde interitus. Auris quoque dolor acutus, cum febre continua vehementique, ſæpe mentem turbat; & ex eo caſu juniores interdum intra ſeptimum diem moriuntur; ſeniores tardius; quoniam neque æque magnas febres experiuntur, neque æque inſaniunt: ita ſuſtinent, dum is affectus in pus vertatur [78]. Suffuſæ quoque ſanguine mulieris mammæ, furorem venturum eſſe, teſtantur. Quibus autem longæ febres ſunt, his aut abſceſſus aliqui, aut articulorum dolores erunt. Quorum faucibus in febre illiditur [79] ſpiritus, inſtat his nervorum diſtentio. Si angina ſubito finita eſt, in pulmonem id malum tranſit; idque ſæpe intra ſeptimum diem occidit: quod niſi incidat, ſequitur ut aliqua parte ſuppuret. Deinde [80] poſt alvi longam reſolutionem, tormina; poſt hæc, inteſtinorum lævitas oritur; poſt nimias deſtillationes, tabes; poſt lateris dolorem, vitia pulmonum; poſt hæc, inſania; poſt magnos fervores corporis, nervorum rigor, aut diſtentio; ubi caput vulneratum eſt, delirium; ubi vigilia torſit, nervorum diſtentio; ubi vehementer ve-

77. *& antequam ſuppuraret*) Cum apud Hippocratem in Prognoſt. ita ſit: *ſi vero diſpareant abſceſſus & intro recurrant, ſputo non prodeunte & detinente febre, gravis morbi periculum & delirii & mortis ægro imminet*; Pantinus & Conſtantinus arbitrati ſunt apud Celſum quoque legendum eſſe *ſputum prodiret*, pro *ſuppuraret*. Lindenius eorum conjecturam in textum recepit; ſed invitis libris, opinor; noſtris quidem omnibus. Verba ſequentia: *manente adhuc febre*; ita ego reſtitui ex Cod. Mediceo primo, & ex Vaticano item primo. Communiter legebatur: *manente adhuc corpore in ſolita* (vel *inſolita*) *febre*.

78. *in pus vertatur*) In libris antiquis: *intus verſatur*; mendoſe. Pantinus opem his verbis attulit ſua conjectura, quam probavit Conſtantinus, Lindenius in textum induxit. Hæc quoque ſententia ſumpta eſt ex Hippocrate in Prognoſt.

79. *illiditur*) Ita in Mſs. Mediceis, & in Editionibus principe Florentina & Lindeniana. Al. *eliditur*.

80. *Deinde*) Linden. *Denique*; atque ita ſe in Ms. quodam inveniſſe Conſtantinus teſtatur. In Mediceis eſt *Deinde*.

næ ſuper ulcera [81] moventur; ſanguinis profluvium [82]. Suppuratio vero pluribus morbis [83] excitatur. Nam ſi longæ febres ſine dolore, ſine manifeſta cauſa remanent, in aliquam partem id malum incumbit; in junioribus tamen [84]: nam in ſenioribus ex ejuſmodi morbo quartana fere naſcitur. Eadem ſuppuratio fit, ſi præcordia dura, dolentia [85] ante viceſimum diem hominem non ſuſtulerunt, neque ſanguis ex naribus fluxit, maximeque in adoleſcentibus; utique, ſi inter principia aut oculorum caligo, aut capitis dolores fuerunt: ſed tum in inferioribus [86] partibus aliquid abſcedit. Aut ſi præcordia [87] tumorem mollem habent, neque habere intra ſexaginta dies [88] deſinunt, hæretque per omne id tempus febris: ſed tum in ſuperioribus partibus fit abſceſſus; ac ſi inter ipſa viſcera non fit [89], circa aures erumpit. Cumque omnis longus tumor ad ſuppurationem fere ſpectet, magis eo tendit is, qui in præcordiis, quam is, qui in ventre eſt; is, qui ſupra umbilicum [90],

quam

81. *ſuper ulcera*) Lindenius cum aliis quibuſdam, *ſupra ulcera*. Sed in Mſs. eſt *ſuper*.

82. *ſanguinis profluvium*) Supple *oritur*, ex ſuperioribus. Vulgo & in Mſs. fere omnibus additur *erit*; quod verbum ego omiſi ſecutus Codicem Medic. I.

83. *morbis*) In Edit. Lindenii, ut in Mſs. pleriſque, *modis*. In Medic. I. eſt *morbis*, ut alii legunt.

84. *in junioribus tamen*) Al. cum Cæſario habent *tantum*, pro *tamen*; Lindenius leg. *ſed in junioribus tantum*. In Mſs. quibuſdam deeſt hic præpoſitio *in*; at in duobus vetuſtioribus Mediceis aliiſque deeſt in verbis ſequentibus: *nam in ſenioribus*.

85. *dura, dolentia*) Lindenius interjicit *&*, fortaſſe recte. Attamen ea particula abeſt etiam a Mſs. Mediceis.

86. *ſed tum in inferioribus &c.*) Hic vero præpoſitio *in* deeſt in omnibus Mſs. Mediceis; & in primo *abſcedit*, in ceteris eſt *abſceſſit*; in IV. & V. *cum*, pro *tum*; unde vulgo, exceptis Editionibus Cæſarii an. 1528. & Lindeniana, *cum in inferioribus &c.* al. *cum inferioribus*, & *abſceſſit*.

87. *Aut ſi præcordia*) Senſus pendet a verbis illis quæ præcedunt: *Eadem ſuppuratio fit*. In Editione Cæſarii & recentioribus fere omnibus legitur: *At ſi præcordia*; & poſtea, *tum in ſuperioribus*, ſublata particula *ſed*.

88. *intra ſexaginta dies*) In multis Mſs. *intra XL dies*.

89. *inter ipſa viſcera non fit*) Ita ex Pantini & Morgagni conjectura, & ex manuſcriptis pluribus, duobus in primis vetuſtioribus: ſed *fit* ex conjectura dumtaxat. Nam Codices habent *fuit*; Vaticanus IV. littera *l* alia manu inſerta, *fluit*. Porro *fluit* legunt Gryphius, Pantinus, Conſtantinus, Stephanus, Ronſſeus, ſecuti non Cæſarium; nam prior Editio habet *fuit*; ſed Editionem an. 1538. Iidemque cum Editionibus vetuſtioribus, pro *viſcera*, habent *ulcera*, ut ego in aliquibus Mſs. inveni. In Vaticanis III. & V. eſt: *viſcera ulcera*; ſed in III. expungitur *ulcera*. Conſtantinus *initia* in alio invenit. Lindenius leg. *inter ipſa initia ſanguis e naribus non fluit*. Ceterum ſententia loci hujus explicanda eſt ex duobus illis Hippocratis locis in Prognoſtico: *Molles autem tumores & doloris expertes &c.* Et poſtea: *Quibus ex morbis pulmonis ad aures abſceſſus oriuntur &c.*

90. *quam is, qui in ventre eſt; is, qui ſupra umbilicum*) Totum hoc deeſt in impreſſis libris omnibus, præter Aldi, Ruellii, & Lindenii. Sed Aldus & Lindenius in ſecundo membro præmittunt *&*; quæ particula non eſt in Mſs. Mediceis.

quam is, qui infra eſt. Si laſſitudinis etiam ſenſus in febre eſt, vel in maxillis, vel in articulis aliquid abſcedit. Interdum quoque urina tenuis & cruda ſic diu fertur, ut alia ſalutaria ſigna ſint; exque eo caſu plerumque infra tranſverſum ſeptum (quod διάφραγμα Græci vocant [91]) fit abſceſſus. Dolor etiam pulmonis [92], ſi neque per ſputa [93], neque per ſanguinis detractionem, neque per victus rationem finitus eſt, vomicas aliquas interdum excitat [94], aut circa viceſimum diem, aut circa triceſimum, aut circa quadrageſimum [95], nonnumquam etiam circa ſexageſimum. Numerabimus autem ab eo die, quo primum febricitavit aliquis, aut inhorruit, aut gravitatem ejus partis ſenſit. Sed hæ vomicæ modo a pulmone, modo a contraria parte [96] naſcuntur. Quod ſuppurat, ab ea parte [97], quam afficit, dolorem inflammationemque [98] concitat; ipſum calidius eſt; & ſi in partem ſanam aliquis decubuit, one-

91. *quod διάφραγμα Græci vocant*) Suſpicor hæc verba addita eſſe ab aliquo interprete. Cur enim Celſus hic repetat quod ſemel dixit in Præfatione lib. primi? Auget ſuſpicionem lectionis varietas: nam Codices Medicei III. V. VI. VII. ita habent: *quod* CTPEBAΩCIN *Al.* ΔΙΑΦΡΑΓΜΑ *græci vocant*.

92. *Dolor etiam pulmonis*) Ita ex Mſs. Editiones antiquæ habent, *Dolor autem pulmonis:* Lindenius leg. *Dolor pulmonis*.

93. *neque per ſputa*) Inciſum illud, *neque per cucurbitulas*, quod huic vulgo adjungebatur, ego ſuſtuli tamquam adulterinum, & ex adnotatione ortum. Nam in Codice Medic. I. nihil eſt prorſus; in ceteris Mediceis eſt *cucurbitulas;* quæ vox contra verba illa, *per ſanguinis detractionem*, quæ ſtatim conſequuntur, ab aliquo adſcripta fuiſſe videtur, poſteaque ex margine in contextum traducta. Vulgaris lectio manavit ex Cod. Mediceo IV. cujus in margine alia manu additum habetur *neque per*; quod tamen expunctum eſt. Reperitur autem ſententia hæc, & in Coacis Prænot. 394. unde Celſus ſumpſiſſe videtur; & in Prognoſtico, ubi Hippocrates etiam medicamenta nominat. Sed neutro loco mentio fit cucurbitularum.

94. *interdum excitat*) Ita in Cod. Mediceo I. & pleriſque Editionibus. Hippocrates l. c. abſolute loquitur; nec particula *interdum* cum ejus verbis congruere videtur. Itaque libentius fortaſſe alii cum Egnatio & Conſtantino legent, *intus excitat;* ut eſt in ceteris Codicibus Mediceis.

95. *aut circa triceſimum, aut circa quadrageſimum*) Codices Mſs. alii, ut Mediceus I. habent *aut circa quadrageſimum;* alii *aut circa triceſimum*. Incertum eſt, utrum hæc varietas orta ſit ex notis numerorum perperam deſcriptis, an ex eo, quod de duobus inciſis alterum vitio ſit omiſſum; quod frequenter fieri a librariis ſolet. Sed illa quidem lectio, *aut circa quadrageſimum*, a pleriſque Editoribus probata, ſuſtineri poteſt; ut ſententia ſumpta ſit ex Coac. Prænot. 402. ubi diei triceſimi mentio non fit: hæc vero, *aut circa triceſimum*, quam Egnatius ſecutus eſt, ſuſtineri non poteſt, niſi alio addito inciſo *aut circa quadrageſimum;* ut eſt apud Lindenium. Nec aliter ſcripſit Hippocrates in Prognoſtico.

96. *a contraria parte*) ideſt a coſtis, quæ contra pulmonem ſitæ ſunt. Non erat cur Pantinus & Conſtantinus lectionem hanc, omnibus antiquis libris confirmatam, improbarent; multoque minus cur Lindenius in contextum induceret *a coſtarum parte*, quod illi reponendum cenſebant.

97. *ab ea parte*) Lindenius tollit præpoſitionem *ab:* ſed ego in omnibus Mſs. inveni.

98. *inflammationemque*) Codices Medicei, excepto primo, *inflationemque*.

onerare eam ex pondere aliquo videtur. Omnis etiam ſuppuratio, quæ nondum oculis patet, ſic deprehendi poteſt: ſi febris non dimittit, eaque interdiu levior eſt, noctu increſcit; multus ſudor oritur; cupiditas tuſſiendi eſt, & pene nihil in tuſſi exſcreatur; oculi cavi ſunt; malæ rubent; venæ ſub lingua inalbeſcunt; in manibus fiunt adunci ungues; digiti, maximeque ſummi, calent [99]; in pedibus tumores ſunt; ſpiritus difficilius trahitur; cibi faſtidium eſt; puſtulæ toto corpore oriuntur. Quod ſi protinus initio dolor & tuſſis fuit, & ſpiritus difficultas, vomica vel ante vel circa viceſimum diem erumpet: ſi ſerius iſta cœperint, neceſſe eſt quidem increſcant; ſed quo minus cito affecerint [1], eo tardius ſolventur. Solent etiam in gravi morbo pedes cum digitis unguibuſque nigreſcere; quod ſi non eſt mors conſecuta, & reliquum corpus invaluit [2], pedes tamen decidunt.

VIII. Sequitur, ut in quoque morbi genere proprias notas explicem, quæ vel ſpem, vel periculum oſtendant. Ex veſica dolenti [3], ſi purulenta urina proceſſit, inque ea læve & album ſubſedit, metum detrahit. In pulmonis morbo, ſi ſputo ipſo [4] levatur dolor, quamvis id purulentum eſt, tamen æger facile ſpirat, facile exſcreat, morbum ipſum non difficulter fert, poteſt ei ſecunda valetudo contingere. Neque inter initia terreri convenit, ſi protinus ſputum miſtum eſt rufo quodam, & ſanguine [5], dummodo ſtatim edatur [6]. Laterum dolores, ſuppuratione facta, deinde intra quadrageſimum diem purgata, finiuntur. Si in jocinore vo-

99. *calent*) Ita repoſuerunt Cæſarius, Pantinus, & Lindenius. Et ſane apud Hippocratem in Prognoſt. unde tota fere hæc ſententia eſt; itemque in Coac. Prænot. 402. legitur θερμαίνονται. In Mſs. tamen & Mediceis & Vaticanis habetur *pallent*, ut alii ediderunt.

1. *affecerint*) Lindenius leg. *adfuerint*.

2. *invaluit*) Verbo huic Celſi auctoritatem plane detrahere tentavit Lindenius, qui & hic leg. *convaluit*, & lib. 4. cap. ultimo *convaleſcit*. Sed ibi quidem Mſs. Codices variant: nam Mediceus I. habet, ſicut impreſſi, *invaleſcit*; Medicei ceteri *convaleſcit*. Hic omnes habent *invaluit*.

3. *dolenti*) Ita in Codice Mediceo I. & in Edit. Lindenii. Al. *dolente*.

4. *ipſo*) In Cod. Mediceo I. ſupra extremam litteram hujus vocis poſita eſt *e*, ut legatur *ipſe*; ſicut in aliis Mſs. legitur, atque in libris omnibus editis ante Lindenium.

5. *rufo quodam, & ſanguine*) Lege Hippocratis Prognoſt. & Coac. Prænotion. 390. Conſtantinus exiſtimat tollendam eſſe particulam *&*; neque ſane extat in Mſs. Mediceis III. & VI. Omittitur etiam a Lindenio; ſed cum Hippocraticæ ſententiæ & veri detrimento, ut mihi quidem videtur.

6. *edatur*) Lindenius leg. *ſedetur*; ut eſt in quodam Conſtantini Codice, & in Mediceis omnibus, præter primum, in quo *edatur*.

vomica eſt, & ex ea fertur pus purum & album, ſalus ei facilis [7] : id enim malum in tunica eſt. Ex ſuppurationibus vero eæ tolerabiles ſunt, quæ in exteriorem partem feruntur, & acuuntur: at [8] ex iis quæ intus procedunt, eæ leviores, quæ contra ſe cutem non afficiunt [9], eamque & ſine dolore & ejuſdem coloris, cujus reliquæ partes ſunt, ſinunt eſſe. Pus quoque, quacumque parte erumpit, ſi eſt læve, album, & unius coloris [10], ſine ullo metu eſt; & quo effuſo, febris protinus conquievit, deſieruntque urgere cibi faſtidium & potionis deſiderium. Si quando etiam ſuppuratio deſcendit in crura, ſputumque ejuſdem factum pro rufo purulentum eſt, periculi minus eſt. At in tabe ejus, qui ſalvus futurus eſt, ſputum eſſe debet album, æquale totum, ejuſdemque coloris, ſine pituita; eique etiam ſimile eſſe oportet, ſi quid in nares a capite deſtillat. Longe optimum eſt, febrem omnino non eſſe; ſecundum eſt, tantulam [11] eſſe, ut neque cibum [12] impediat, neque crebram ſitim faciat. Alvus in hac valetudine ea tuta eſt, quæ quotidie coacta, eaque convenientia iis, quæ aſſumuntur, reddit; corpus id, quod minime tenue, maximeque lati pectoris atque ſetoſi eſt, cujuſque cartilago exigua, & carnoſa eſt. Super tabem ſi mulieri ſuppreſſa quoque [13] menſtrua fuerunt, & circa pectus atque ſcapulas dolor manſit, ſubitoque ſanguis erupit, levari morbus ſolet: nam & tuſſis minuitur, & ſitis atque febricula [14] deſinunt. Sed iiſdem fere, niſi re-

7. *ſalus ei facilis*) Cod. Medic. I. habet *ſalus facilis eſt*.

8. *at*) Al. *&*.

9. *quæ contra ſe cutem non afficiunt*) Hippocrates in Prognoſt. *quæ nihil cum externa ſede communicant*. Quod ad formam dicendi attinet, ſæpe Celſus præpoſitionem *contra* ſimiliter uſurpat, modo caſu adjecto, modo ſine illo. Lib. 4. c. 8. *contra id ſcalpello aperiunt*; & cap. 13. *animadvertere oportet quo loco malum ſit: ſolet enim contra id tumere*; lib. 8. cap. 8. *Si acuta fragmenta ſunt, incidi contra cutis debet*. Quare locum hunc ſine cauſa Critici pertentant, exiſtimantes Celſum illam quoque Hippocraticæ ſententiæ partem attigiſſe, *in ſeſe contrahuntur*. Itaque Pantinus & Conſtantinus *contractæ* legendum putant, pro *contra ſe*; Lindenius leg. *concluſæ*; quod eſt a Scaligero. Mſs. noſtri omnes habent *contra ſe*.

10. *& unius coloris*) Expreſſit vocem ὁμόχροον; qua Hippocrates uſus eſt in Prognoſtico. Codices Medicei nihil variant; præterquam quod primus omittit particulam *&*. Lindenius leg. *& unius modi*.

11. *tantulam*) Ita in Mediceo I. nonnulliſque Vaticanis Codicibus, & in Edd. Cæſarii & Pantini. Al. leg. *tantulum*; Lindenius, ut malebat Conſtantinus, *tantillam*.

12. *neque cibum*) Lindenius interjicit *tantulum*: ſed præter rem, ut notat Morgagnus.

13. *ſuppreſſa quoque*) Ita ex Cod. Medic. I. Codices alii Mſs. habent *quoque oppreſſa*; libri omnes vulgati *quoque ſuppreſſa*.

14. *febricula*) Alii omnes leg. *febriculæ*. Ego ita repoſui ex Cod. Medic. I.

redit ſanguis, vomica erumpit; quæ quo cruentior, eo melior eſt. Aqua autem inter cutem minime terribilis eſt, quæ nullo antecedente morbo cœpit; deinde, quæ longo morbo ſupervenit: utique, ſi firma viſcera ſunt; ſi ſpiritus facilis; ſi nullus dolor; ſi ſine calore corpus eſt, æqualiterque in extremis partibus macrum eſt; ſi venter mollis; ſi nulla tuſſis; nulla ſitis; ſi lingua, ne per ſomnum quidem, inareſcit; ſi cibi cupiditas eſt; ſi venter medicamentis movetur; ſi per ſe excernit mollia & figurata; ſi extenuatur [15]; ſi urina, & vini mutatione, & epotis aliquibus medicamentis mutatur; ſi corpus ſine laſſitudine eſt, & morbum facile ſuſtinet [16]: ſiquidem in quo omnia hæc ſunt, is ex toto tutus eſt; in quo plura ex his ſunt, is in bona ſpe eſt. Articulorum vero vitia, ut podagræ chiragræque, ſi juvenes tentarunt, neque callum induxerunt, ſolvi poſſunt: maximeque torminibus leniuntur, & quocumque modo [17] venter fluit. Item morbus comitialis ante pubertatem ortus, non ægre finitur: & in quo ab una parte corporis venientis acceſſionis ſenſus incipit, optimum eſt a manibus pedibuſve initium fieri; deinde, a lateribus; peſſimum inter hæc, a capite. Atque in his quoque ea maxime proſunt, quæ per dejectiones excernuntur. Ipſa autem dejectio ſine ulla noxa eſt, quæ ſine febre eſt; ſi celeriter deſinit; ſi contrectato [18] ventre nullus motus ejus ſentitur; ſi extremam alvum ſpiritus ſequitur. Ac ne tormina quidem [19] periculoſa ſunt, ſi ſanguis & ſtrigmenta [20]

15. *ſi extenuatur*) ſcilicet venter. De corpore quod alitur, intelligere videtur Lindenius, qui leg. *ſi non extenuatur*: ſed ſequendus non eſt. Nam Codd. Medicei & Vaticani non habent particulam *non*; aptaque hæc ſententia eſt, planeque idonea. *Id enim, quod extenuatur, medicinam ſentit*; ut eſt in lib. 3. cap. 21.

16. *morbum facile ſuſtinet*) Ex lib. 2. Prædict. Non improbat Pantinus vulgatam lectionem; attamen dubitat, num *morbum* perperam deſcriptum ſit, pro *motum*; quod ταλαιπωρίην habeat Græcus Auctor; ideſt *laborem*, *fatigationem*, ut Interpretes reddunt. Atque iſta mendi ſuſpicio, Conſtantino ſatis firma, Lindenio autem adeo certa viſa eſt, ut *motum* in contextum induxerit. Ego *morbum*, quod etiam in Mſs. & Mediceis & Vaticanis inveni, omnino retinendum puto. Nam qui facile morbum ſuſtinet, laborem quoque videtur non difficulter ſuſtinere poſſe.

17. *& quocumque modo*) Ita in Edit. Conſtantini & in Mſs. fere omnibus. Mediceus I. habet *et ex quocumque modo*; ut al. legunt. Lindenius edidit, *& ſi quocumque modo*.

18. *contrectato*) In Mſs. Mediceis & in Editionibus antiquis *contracto*. Lindenius repoſuit *contrectato*; quemadmodum Pantinus & Conſtantinus corrigendum monuerant.

19. *Ac ne tormina quidem*) Locus hic egregie a Lindenio reſtitutus eſt. Nam antea ſic legebatur: *Acria tormina quidem peri-*

ta [20] deſcendunt, dum febris ceteræque accceſſiones hujus morbi abſint: adeo ut etiam gravida mulier, non ſolum reſervari [21] poſſit, ſed etiam partum reſervare. Prodeſtque in hoc morbo, ſi jam ætate aliquis proceſſit. Contra, inteſtinorum lævitas facilius a teneris ætatibus depellitur; utique, ſi ferri urina, & ali cibo corpus incipit. Eadem ætas prodeſt & in coxæ dolore, & humerorum, & in omni reſolutione nervorum. Ex quibus coxa, ſi ſine torpore eſt, ſi leviter friget, quamvis magnos dolores habet, tamen & facile & mature ſanatur: reſolutumque membrum, ſi nihilo minus alitur, fieri ſanum poteſt. Oris reſolutio etiam alvo cita finitur. Omniſque dejectio lippienti prodeſt. At varix ortus, vel per ora venarum ſubita profuſio ſanguinis, vel tormina, inſaniam tollunt. Humerorum dolores, qui ad ſcapulas vel manus tendunt, vomitu atræ bilis ſolvuntur: & quiſquis dolor deorſum tendit, ſanabilior eſt. Singultus ſternutamento [22] finitur. Longas dejectiones ſupprimit vomitus. Mulier ſanguinem vomens, profuſis menſtruis, liberatur. Quæ menſtruis non purgatur, ſi ſanguinem ex naribus fudit, omni periculo vacat. Quæ locis laborat, aut difficulter partum edit, ſternutamento levatur. Æſtiva quartana fere brevis eſt. Cui calor & tremor eſt, ſaluti delirium eſt. Lienoſis bono tormina ſunt. Denique ipſa febris, quod maxime mirum videri poteſt, ſæpe præſidio eſt. Nam & præcordiorum dolores, ſi ſine inflammatione ſunt, finit; & jocinoris dolori [23] ſuccurrit; & nervorum diſtentionem rigoremque, ſi poſtea cœpit, ex toto tollit; & ex difficultate urinæ morbum tenuioris inteſti-

ni

riculoſa non ſunt. In Mſs. Mediceis ceteris habetur: *Acria tormina quidem periculoſa ſunt*; in primo autem non *Acria*, ſed *Agne*; ſcilicet *Ac ne*. Nam harum litterarum C & G altera pro altera ſæpe invenitur in antiquis Codicibus, ut jampridem Critici animadverterunt.

20. *ſtrigmenta*) Codices Medicei alii *ſtrigmata*; al. *ſtigmata*: & deinde *dum febris*. Primus *ſtricmenta*, & *cum febris*.

21. *reſervari*) Conſtantinus mallet *ſervari*; Lindenius leg. *conſervari*. Ego veterum Codicum auctoritatem ſequor.

22. *ſternutamento*) *ſternumento* tum hic, tum infra habet Codex Medic. I. in quo hæc varietas alibi quoque reperitur, neque tamen ubique. Id ſemel adnotaſſe ſatis ſit. Atque alicubi habet *ſternutamentum*, ſed ſyllaba *ta* expungitur. Quod illorum ſententiæ favet, qui *ſternumentum* rectius dici putant.

23. *jocinoris dolori*) Lib. 2. cap. 11. *nec poſſe vehementi malo, niſi æque vehemens auxilium ſuccurrere*; lib. 4. c. 11. *neque tamen ulli morbo minori momento ſuccurritur*. Et omnino Celſo familiaris eſt conſtructio h[illegible]. Al. omnes leg. *in jocinoris dolore*. Ego ita repoſui ex Cod. Medic. I. in quo tamen ſupra extremam litteram vocis *dolori* ponitur littera *s*, ut legatur *doloris*.

ni ortum, ſi urinam per calorem movet, levat. At dolores capitis, quibus oculorum caligo, & rubor cum quadam frontis prurigine accedunt, ſanguinis profuſione, vel fortuita, vel etiam petita, ſummoventur. Si capitis, ac frontis dolores ex vento, vel frigore, aut æſtu ſunt, gravedine & ſternutamentis finiuntur. Febrem autem ardentem, quam Græci καυσώδη [24] vocant, ſubitus horror exſolvit. Si in febre aures obtuſæ ſunt, ſi ſanguis e naribus fluxit, aut venter reſolutus eſt, illud malum definit ex toto. Nihil plus adverſus ſurditatem, quam bilioſa alvus poteſt. Quibus in fiſtula urinæ minuti abſceſſus [25], quos φύματα Græci vocant, eſſe cœperunt, iis, ubi pus ea parte profluxit, ſanitas redditur. Ex quibus cum pleraque per ſe proveniant, ſcire licet, inter ea quoque [26], quæ ars adhibet, naturam plurimum poſſe.

Contra, ſi caput febre continenti dolet [27], neque quidquam reddit, malum atque mortiferum eſt; maximeque id periculum eſt pue-

24. *καυσώδη*) Al. *καῦσονα*; al. *καῦσον*. Editio I. & aliæ vetuſtiſſimæ *cauſoden*. In Cod. Medic. I. ΚΑΥCΩΔΗΝ; in aliis ΚΑΥCΩΘΕΝ; in aliis ΚΑΥΩΘΕΝ. Ego ſecutus ſum Ruellium, Stephanum, & Lindenium.

25. *minuti abſceſſus*) Ante Lindenium legebatur: *uti minuti abſceſſus*; & ita eſt in Cod. Medic. I. Particula *uti* a Lindenio expulſa eſt, neque habetur in reliquis Mediceis Codicibus. Sed in iis & in Aldina Edit. eſt *apices*, pro *abſceſſus*. Deinde Editiones vetuſtiores cum Codice Medic. I. habent ΘΥΝΑΤΑ, vel *thynata*, pro φύματα: abeſt autem a Codice vox *Græci*, quæ conſequitur. Verum hæc explicatio, *quos φύματα Græci vocant*, etſi inde petita, unde hæc ſententia ſumpta eſt, id eſt ex Hippocrate Sect. 4. Aphor. 81. fortaſſe tamen Celſi non eſt. Nam ex iis, quæ ad lib. 5. cap. 18. Sect. 19. & alibi adnotabo, facile erit intelligere, fuiſſe aliquem, qui pluribus in locis hujuſmodi interpretationem margini adſcripſit, ubi in textu latinam vocem *tuberculum* apud Celſum invenit.

26. *inter ea quoque*) Lindenius omittit *quoque*; quod extat in Mſs. Codicibus.

27. *ſi caput febre continenti dolet*) Verbum *reddit*, quod poſtea ſequitur, ut habent omnes libri veteres, oſtendit vitium aliquod hic ſubeſſe. Lindenius pro *reddit* reponit *remittit*. Ego Pantino accedo, qui putat *veſica* reponendum eſſe pro *caput*. Conjecturam ſuam confirmat ex ordine, quo Celſus morbos digeſſit in priore capitis parte, quem ordinem fere ſervat etiam in poſteriore, quæ hic incipit: prior autem pars incipit his verbis: *Ex veſica dolenti*. Deinde ex eo probat, quod & hæc & quæ in prima parte his reſpondent, manifeſto deprehenduntur eſſe ex uno eodemque Hippocratis loco; videlicet ex illo Prognoſtici: *Veſicæ tum duræ, tum dolentes &c.* aut ex Coac. Prænot. 475. His ego tertium argumentum addo a Mſs. petitum, in quibus omnibus eſt: *Contra ſive caput febre continenti dolet*. Vides ſyllabam *ſi* dumtaxat deeſſe, quæ inter ultimam ſyllabam vocis *ſive*, & priorem vocis *caput* interjecta, *veſica* cum iis conficiat. Ea ſyllaba, cum diffugiente atramento, vel alia de cauſa, minus appareret, ex *ca* aliquis fecit *caput*. Omnino legendum: *Contra ſi veſica febre continenti dolet*, vel, quo modo Lindenius edidit: *in febre continenti dolet*. Vox etiam *neque*, quæ continuo ſequitur, corrupta fortaſſe videatur ex *nec venter*: ita enim exprimeretur illud ex Coacis loc. cit. *alvus his nihil admodum reddit*. Suſtineri tamen poteſt communis lectio, Mſs. nihil variantibus.

pueris, a ſeptimo anno ad quartumdecimum. In pulmonis morbo, ſi ſputum primis diebus non fuit, deinde a ſeptimo die cœpit, & ultra ſeptimum manſit, periculoſum eſt; quantoque magis miſtos, neque inter ſe diductos colores habet, tanto deterius. Et tamen nihil pejus eſt, quam ſincerum id edi, ſive rufum eſt, ſive cruentum, ſive album, ſive glutinoſum, ſive pallidum, ſive ſpumans: nigrum tamen peſſimum eſt. In eodem morbo periculoſa ſunt tuſſis, deſtillatio; etiam, quod alias ſalutare habetur, ſternutamentum: periculoſiſſimumque eſt, ſi hæc ſecuta ſubita dejectio eſt. Fere vero quæ in pulmonis, eadem in lateris doloribus, & mitiora ſigna, & aſperiora eſſe conſuerunt. Ex jocinore ſi pus cruentum exit, mortiferum eſt. At ex ſuppurationibus eæ peſſimæ ſunt, quæ intus tendunt, ſic ut exteriorem quoque cutem decolorent: ex iis deinde, quæ in exteriorem partem prorumpunt, quæ maximæ [28], quæque planiſſimæ ſunt. Quod ſi, ne rupta quidem vomica, vel pure extrinſecus emiſſo, febris quievit, aut quamvis quieverit, tamen repetit; item ſi ſitis eſt, ſi cibi faſtidium, ſi venter liquidus, ſi pus eſt lividum & pallidum, ſi nihil æger exſcreat niſi pituitam ſpumantem, periculum certum eſt. Atque ex iis quidem ſuppurationibus, quas pulmonum morbi concitarunt, fere ſenes moriuntur; ex ceteris juniores. At in tabe ſputum miſtum purulentum, febris aſſidua, quæ & cibi tempora eripit, & ſiti affligit, in corpore tenui periculum ſubeſſe teſtantur [29]. Si quis etiam in eo morbo diutius traxit, ubi capilli fluunt; ubi urina quædam araneis ſimilia ſubſidentia [30] oſtendit, atque in his odor fœdus eſt [31]; maximeque ubi poſt hæc orta dejectio eſt, proti-

28. *prorumpunt, quæ maximæ*) Editiones princeps Florentina, & duæ vetuſtiſſimæ ann. 1493. 1497. & Juntina habent *prorumpit* pro *prorumpunt*: quibuſcum utraque Cæſarii facit, & Lindeniana quoque. Sed in hac in erratis locus hic corrigitur inſerta particula *tum*, ante *quæ*; quam lectionem ſecutus eſt Almeloveenius. In Mſs Mediceis & in quibuſdam Vaticanis poſt *prorumpunt* additur ex gloſſemate *eæ peſſimæ* (in Medic. I. *heæ ſepiſſime*).

29. *teſtantur*) Ita ex Cod. Medic. primo. Al. *teſtatur*.

30. *ſubſidentia*) Celſus videtur legiſſe, ut habent etiam vulgati libri, ὑφισταμένας apud Hippocratem in Prognoſt. ubi alii cum Galeno legunt ἐφισταμένας; & ideo, pro *ſubſidentia*, quidam malunt, ut ſcribit Conſtantinus, *inſidentia*. Lindenius leg. *ſuperſidentia*: ſed contra veteres libros, quos ego quidem viderim

31. *atque in his odor fœdus eſt*) Hoc Pantinus non urinæ, ſed ſputo congruere exiſtimat, propter Aphoriſmum Hippocratis 11. Sect. 5. Itaque pro *in his* fortaſſe legendum *in ſputis*, ut Conſtantinus malebat, &

nus moritur: utique ſi tempus autumni eſt, quo fere, qui cetera parte anni traxerunt, reſolvuntur. Item pus exſpuiſſe in hoc morbo, deinde ex toto ſpuere deſiiſſe, mortiferum eſt. Solent etiam in adoleſcentibus [32] ex eo morbo vomicæ fiſtulæque oriri; quæ non facile ſaneſcunt, niſi ſi multa ſigna bonæ valetudinis ſubſecuta ſunt. Ex reliquis vero minime facile ſanantur virgines, aut eæ mulieres, quibus ſuper tabem [33] menſtrua ſuppreſſa ſunt. Cui vero ſano ſubitus dolor capitis ortus eſt, dein ſomnus oppreſſit, ſic ut ſtertat, neque expergiſcatur, intra ſeptimum diem pereundum eſt; magis, cum alvus cita non anteceſſerit, ſi palpebræ [34] dormientis non coeunt, ſed album [35] oculorum apparet. Quos tamen ita mors ſequitur, ſi id malum non eſt febre diſcuſſum. At aqua inter cutem, ſi ex acuto morbo cœpit, ad ſanitatem raro perducitur: utique ſi contraria iis, quæ ſupra poſita ſunt, ſubſequuntur. Æque in ea quoque tuſſis ſpem tollit: item, ſi ſanguis ſurſum deorſumque [36] erupit, & aqua medium corpus implevit. Quibuſdam etiam in hoc morbo tumores oriuntur, deinde deſinunt, deinde rurſus aſſurgunt. Hi tutiores quidem ſunt, quam qui ſupra comprehenſi ſunt, ſi attendunt [37]; ſed fere fiducia ſecundæ valetudinis opprimuntur. Illud jure aliquis mirabitur, quomodo quædam ſimul & affligant

& ut edidit Lindenius. Hæſitabit tamen quicumque conſiderabit locum illum lib. 3. cap. 22. *quidquid exſcreatum eſt, ſi in ignem impoſitum eſt, mali odoris eſt: itaque qui de morbo dubitant, hac nota utuntur*. Videtur enim Celſus pro mortis indicio tale ſputum non habere, cum id notari dicat, etiam cum adhuc de morbo dubitari poteſt: ideoque re nondum deſperata. Sed nimirum exitiale ſignum evadit, ubi alia, quæ hic exponuntur, accedunt. Cum tamen *his* invenerim in omnibus Mſs. non auſim verba in textu mutare.

32. *Solent etiam in adoleſcentibus &c.*) Lindenius leg. *Solet etiam in adoleſcentibus is morbus, ex vomica, fiſtulave oriri: qui &c.* fortaſſe rectius: certe in ſententiam Auctoris lib. 2. Prædict. Nititur Lindenii lectio conjectura Conſtantini: vellem probato aliquo codice. Noſtri aliter habent.

33. *quibus ſuper tabem*) Eodem modo loquitur in prima hujus capitis parte: *ſuper tabem ſi mulieri ſuppreſſa quoque menſtrua fuerunt*; ut animadvertit Ronſſeus. Lindenius leg. *quibus ſupervenit tabes, quod menſtrua ſuppreſſa ſint*; cui non veteres libros favere video, ſed Conſtantini conjecturam, ductam ex modo citato Prædict. libro.

34. *cum alvus cita non anteceſſerit, ſi palpebræ*) Al. *ſi eum alvus cita &c.* ut legitur in Cod. Medic. I. in quo tamen apparet primo fuiſſe *cum*; id poſtea mutatum in *eum*. Lindenius leg. *ſi, cum alvus cita non anteceſſerit, palpebræ*; quemadmodum Conſtantinus corrigendum putabat. Ego ita repoſui ex reliquis Mediceis Codicibus.

35. *ſed album*) Sic in Edit. Lindenii. Antea legebatur *ſi album*.

36. *deorſumque*) Lindenius, *deorſumve*.

37. *attendunt*) Edit. Conſtantini *attenditur*; at in margine *attendunt*. Ita edidit Lindenius, & ego in multis Mſs. inveni. Alii legunt *attenduntur*, ut eſt in Medic. I.

gant noſtra corpora, & parte aliqua tueantur. Nam, ſive aqua inter cutem quem implevit, ſive in magno abſceſſu multum puris coiit, ſimul id omne effudiſſe, æque mortiferum eſt, ac ſi quis ſani corporis vulnere factus exſanguis eſt. Articuli vero cui ſic dolent [38], ut ſuper eos ex callo quædam tubercula innata ſint, numquam liberantur: quæque eorum vitia vel in ſenectute cœperunt, vel in ſenectutem ab adoleſcentia pervenerunt, ut aliquando leniri poſſunt, ſic numquam ex toto finiuntur. Morbus quoque comitialis poſt annum quintum & viceſimum ortus ægre curatur; multoque ægrius is, qui poſt quadrageſimum annum cœpit; adeo ut in ea ætate aliquid in natura ſpei, vix quidquam in medicina ſit. In eodem morbo, ſi ſimul totum corpus afficitur, neque ante in partibus aliquis venientis mali ſenſus eſt, ſed homo ex improviſo concidit, cujuſcumque is ætatis eſt, vix ſaneſcit: ſi vero aut mens læſa eſt, aut nervorum facta reſolutio, medicinæ locus non eſt. Dejectionibus quoque ſi febris acceſſit; ſi inflammatio jocinoris, aut præcordiorum, aut ventris; ſi immodica ſitis; ſi longius tempus; ſi alvus varia; ſi cum dolore eſt, etiam mortis periculum ſubeſt: maximeque, ſi inter hæc tormina vetera [39] eſſe cœperunt. Iſque morbus maxime pueros abſumit uſque ad annum decimum: ceteræ ætates facilius ſuſtinent. Mulier quoque gravida ejuſmodi caſu rapi poteſt; atque etiamſi ipſa convaluit, partum tamen perdit. Quin etiam tormina ab atra bile orſa mortifera ſunt; aut ſi ſub his, extenuato jam corpore, ſubito nigra alvus profluxit. At inteſtinorum lævitas periculoſior eſt, ſi frequens dejectio eſt; ſi venter omnibus horis & cum ſono [40] & ſine hoc profluit; ſi ſimiliter noctu & interdiu; ſi quod excernitur, aut crudum eſt, aut nigrum, & præ-

38. *cui ſic dolent*) Ita ex Cod. Medic. I. atque ex Edit. Lindenii. Alii leg. *qui ſic dolent*.

39. *vetera*) Vox hæc vacare videtur, & ab aliquo inducta eſſe, qui ſenſum horum verborum non attigit. Mihi talis eſſe videtur: ſi cum ceteris malis tormina quoque dejectionibus accedant. Lib. 4. cap. 19. de dejectione: *uno die fluere alvum ſæpe pro valetudine eſt; atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat &c. Verum ſpatium periculoſum eſt: interdum enim tormina ac febriculas excitat.* Huic autem dicendi formæ, *tormina eſſe cœperunt*, ſimilis eſt quæ ſupra in hoc ipſo capite habetur: *in fiſtula urinæ minuti abſceſſus eſſe cœperunt*.

40. *cum ſono*) Olim legebatur *cum ſomno*; mendoſe, ut oſtendunt græca verba ξὺν ψόφοισι Auctoris lib. 2. Prædict. Locum reſtituit Lindenius, præeuntibus conjectura ſua Pantino & Conſtantino.

præter id, etiam læve, & mali odoris; ſi ſitis urget; ſi poſt potionem urina non redditur (quod evenit, quia tunc liquor omnis non in veſicam, ſed in inteſtina deſcendit) ſi os exulceratur, rubet facies [41], & quaſi maculis quibuſdam colorum omnium diſtinguitur; ſi venter eſt quaſi fermentatus, pinguis atque rugoſus; ſi & cibi cupiditas non eſt. Inter quæ cum evidens mors ſit, multo evidentior eſt, ſi jam longum [42] quoque id vitium eſt; maxime etiam ſi [43] in corpore ſenili eſt. Si vero in tenuiore inteſtino morbus eſt, vomitus, ſingultus, nervorum diſtentio, delirium, mala ſunt. At in morbo arquato, durum fieri jecur, perniciofiſſimum eſt. Quos lienis male habet, ſi tormina prehenderunt, deinde verſa [44] ſunt vel in aquam inter cutem, vel in inteſtinorum lævitatem, vix ulla medicina periculo ſubtrahit. Morbus inteſtini tenuioris niſi reſolutus eſt [45], intra ſeptimum diem occidit. Mulier ex partu, ſi cum febre vehementibus etiam & aſſiduis capitis doloribus premitur, in periculo mortis eſt. Si dolor atque inflammatio eſt in iis partibus, quibus viſcera continentur, frequenter ſpirare, ſignum malum eſt. Si ſine cauſa longus dolor capitis eſt, & in cervices ac ſcapulas tranſit, rurſuſque in caput revertitur, aut a capite ad cervices ſcapulaſque pervenit, perniciofus eſt: niſi vomicam aliquam excitavit, ſic ut pus extuſſiretur [46]; aut niſi ſanguis ex aliqua parte prorupit; aut niſi in capite multa porrigo [47], totove corpore puſtulæ ortæ ſunt. Æque magnum malum eſt, ubi torpor atque prurigo pervagantur,

41. *rubet facies*) Vulgo *ſi rubet facies*. Sed particula *ſi* non eſt in Mſs. Mediceis, niſi alia manu in I. & IV.

42. *longum*) Cæſar. & Linden. *in longinquum*.

43. *maxime etiam ſi*) Ego & Lindenius priſcas Editiones ſecuti ſumus. Al. leg. *maximeque ſi etiam*, ut eſt in Mſs. Mediceis, præterquam in primo, qui habet: *id maxime etiam ſi*.

44. *verſa*) Ita in Editione Aldina, & in Codicibus Manuſcriptis, exceptis Medic. I. & Vatic. VI. qui habent, ut alii leg. *inverſa*. Lindenius leg. *converſa*, ut malebat Conſtantinus.

45. *niſi reſolutus eſt*) Hippocratis ſententiam Aphor. 44. ſect. 6. integram habebis, ut monet Foeſius, ſi hæc cum iis conjunges, quæ Celſus ſcribit in priore parte hujus capitis: *ex difficultate urinæ morbum tenuioris inteſtini ortum, ſi urinam per calorem movet, levat*; ſcilicet febris. Lindenius multa hic inſerſit, pleraque ex conjectura Conſtantini: *ex urinæ difficultate, niſi febre reſolutus eſt*.

46. *ſic ut pus extuſſiretur*) Conſtantinus putat legendum: *aut pus extuſſiatur*; Lindenius leg. *ſic ut pus extuſſiatur*; ſupra autem *excitat*; infra *prorumpit*.

47. *porrigo*) Sic legendum cum Lindenio ex Auctore lib. 2. Prædict. & ex fide Cod. Medic. I. Alii leg. *prurigo*; quod ortum videtur ex mendo in quibuſdam Mſs. inſidente, ut in Medic. III. qui habet *prorigo*.

tur, modo per totum caput [48], modo in parte; aut ſenſus alicujus ibi quaſi frigoris eſt; eaque ad ſummam quoque linguam perveniunt. Et cum in iiſdem abſceſſibus [49] auxilium ſit, eo tamen difficilior ſanitas eſt, quo minus ſæpe ſub his malis illi ſubſequuntur. In coxæ vero doloribus, ſi vehemens torpor eſt, frigeſcitque crus & coxa; alvus [50] niſi coacta non reddit, idque quod excernitur, mucoſum eſt; jamque ætas ejus hominis quadrageſimum annum [51] exceſſit; is morbus erit longiſſimus, minimumque [52] annuus; neque finiri poterit, niſi aut vere, aut autumno. Difficilis æque curatio eſt, in eadem ætate, ubi humerorum dolor vel ad manus pervenit, vel ad ſcapulas tendit, torporemque & dolorem creat, neque bilis vomitu levatur [53]. Quacumque vero parte corporis membrum aliquod reſolutum eſt, ſi neque movetur, & emacreſcit, in priſtinum habitum non revertitur; eoque minus, quo vetuſtius id vitium eſt, & quo magis in corpore ſenili eſt. Omnique reſolutioni nervorum ad medicinam non idonea tempora ſunt hiems & autumnus: aliquid ſperari poteſt vere & æſtate. Iſque morbus mediocris vix ſanatur, vehemens ſanari non poteſt. Omnis etiam dolor minus medicinæ patet [54], qui ſurſum procedit. Mulieri gravidæ ſi ſubito mammæ emacuerunt, abortus periculum eſt. Quæ neque peperit, neque gravida eſt, ſi lac habet, a menſtruis defecta eſt. Quartana autumnalis [55] fere longa eſt; maxime-

48. *modo per totum caput*) Totum hoc deeſt in Cod. Medic. I.

49. *in iiſdem abſceſſibus*) quibus & in longo dolore capitis. Sic recte explicat Conſtantinus. Aliter Lindenius, qui leg. *in iiſdem ex abſceſſibus*.

50. *alvus*) Al. Aldinam Edit. ſecuti, *alvuſque*.

51. *quadrageſimum annum*) Cod. Medic. I. *quadraginta annos*.

52. *minimumque*) Sic in Edit. Lindenii, & in margine Conſtantinianæ, tum hic, tum lib. 3. cap. 4. *minimum pars dimidia*. Alii leg. *minimeque*, & *minime*; ut in Mſs. quoque Mediceis inveni.

53. *levatur*) ſcilicet dolor. Lindenius *levata eſt*; quod quidem in Mſs. fere omnibus habetur; ſed minus probandum eſt. In Medic. I. & Vatic. VI. *levatur*.

54. *patet*) Lindenius, *paret*; & ita in quodam Codice invenit Conſtantinus. Ego in Mediceis inveni *patet*; ut alii omnes legunt. Etiam lib. 7. cap. 7. ſect. 15. *Lata etiam capita vix medicinæ patent*: Conſtantinus in margine habet *parent*, ſed ſine Codicis teſtimonio. Ubi notanda eſt Lindenii inconſtantia: nam veterem lectionem retinet. Ceterum *patere medicinæ* dictum eſt, ut *patere morbis* lib. 2. cap. 1.

55. *Quartana autumnalis*) Communiter legitur: *Quartana æſtiva brevis, autumnalis &c.* Sed Lindenius tollit illud membrum, *Æſtiva quartana fere brevis eſt*, in priore hujus capitis parte; ne idem hic fruſtra repeta-

meque, quæ cœpit hieme appropinquante. Si ſanguis profluxit, deinde ſecuta eſt dementia cum diſtentione nervorum, periculum mortis eſt: itemque, ſi medicamentis purgatum, & adhuc inanem, nervorum diſtentio oppreſſit; aut ſi in magno dolore, extremæ partes frigent. Neque is ad vitam redit, qui ex ſuſpendio, ſpumante ore, detractus eſt. Alvus nigra, ſanguini atro ſimilis, repentina, ſive cum febre, ſive etiam ſine hac eſt [56], perniciofa eſt.

IX. Cognitis indiciis, quæ nos vel ſpe conſolentur, vel metu terreant, ad curationes morborum tranſeundum eſt. Ex his quædam communes ſunt, quædam propriæ: communes, quæ pluribus morbis opitulantur; propriæ, quæ ſingulis. Ante de communibus dicam: ex quibus tamen quædam non ægros ſolum, ſed ſanos quoque ſuſtinent; quædam in adverſa tantum valetudine adhibentur. Omne vero auxilium corporis, aut demit aliquam materiam, aut adjicit, aut evocat, aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, ſimulque aut durat, aut mollit. Quædam non uno modo tantum, ſed etiam duobus inter ſe non contrariis adjuvant. Demitur materia, ſanguinis detractione, cucurbitula, dejectione, vomitu, frictione, geſtatione, omnique exercitatione corporis, abſtinentia, ſudore. De quibus protinus dicam.

X. Sanguinem, inciſa vena, mitti novum non eſt: ſed nullum pene morbum eſſe, in quo non mittatur, novum eſt. Item, mitti junioribus, & fœminis uterum non gerentibus, vetus eſt: in pueris vero idem experiri, & in ſenioribus, & in gravidis quoque mulieribus, vetus non eſt: ſiquidem antiqui, primam ultimamque ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilii genus judicabant; perſuaſerantque ſibi, mulierem gravidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe facturam. Poſtea vero uſus oſtendit, nihil in his [57] eſſe perpetuum, aliaſque potius obſervationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curantis conſilium debeat. Intereſt enim, non quæ ætas ſit,

tatur. Ego duo verba *æſtiva brevis* hinc ſuſtuli ex fide Codicis Medic. I. membrum vero a Lindenio ejectum, ex eodem Codice & Mediceis ceteris retineo; ut inter notas, quæ bonam in morbis ſpem oſtendunt, ea quoque locum obtineat.

56. *ſine hac eſt*) Quidam cum Egnatio omittunt *eſt*.

57. *in his*) Al. *ex his*. Ego ſic repoſui ex Cod. Medic. I.

ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint. Ergo ſi juvenis imbecillus eſt, aut ſi mulier, quæ gravida non eſt, parum valet, male ſanguis mittitur [58]: emoritur enim vis, ſi qua ſupererat, hoc modo erepta [59]. At firmus puer, & robuſtus ſenex, & gravida mulier valens, tuto curatur [60]. Maxime tamen in his medicus imperitus falli poteſt: quia fere minus roboris illis ætatibus ſubeſt; mulierique prægnanti poſt curationem quoque viribus opus eſt, non tantum ad ſe, ſed etiam ad partum ſuſtinendum. Non quidquid autem [61] intentionem animi & prudentiam exigit, protinus ejiciendum eſt; cum præcipua in hoc ars ſit, quæ non annos numeret, neque conceptionem ſolam videat, ſed vires æſtimet, & ex eo colligat, poſſit necne ſupereſſe, quod vel puerum, vel ſenem, vel in una muliere duo corpora ſimul ſuſtineat. Intereſt etiam inter valens corpus, & obeſum; inter tenue, & infirmum: tenuioribus magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat. Facilius itaque illi detractionem ejuſmodi ſuſtinent; celeriuſque ea, ſi nimium eſt pinguis, aliquis [62] affligitur. Ideoque vis corporis melius ex venis, quam ex ipſa ſpecie æſtimatur. Neque ſolum [63] hæc conſideranda ſunt, ſed etiam morbi genus quod ſit: utrum ſuperans, an deficiens materia læſerit; corruptum corpus ſit, an integrum. Nam ſi materia vel deeſt, vel integra eſt, iſtud alienum eſt: at ſi vel copia ſui male habet, vel corrupta eſt, nullo modo melius ſuccurritur. Ergo vehemens febris, ubi rubet corpus, plenæque venæ tument, ſanguinis detractionem requirit: item viſcerum morbi, nervorumque reſolutio, & rigor, & diſtentio: quidquid denique fauces difficultate ſpiritus ſtrangulat; quid-

quid

58. *mittitur*) *emittitur* omnes legunt præter Lindenium.

59. *ſi qua ſupererat, hoc modo erepta*) Ita in Cod. Medic. I. Pro *ſi qua*, Lindenius habet *ſi quæ*. Al. *ſi quæ ſupererat hoc modo erepta eſt*. Al. *ſi quæ his ſupererat & hoc modo erepta eſt*.

60. *curatur*) In libris impreſſis *curantur*. In Edit. Lindenii *ſic curantur*. Ego ſecutus ſum Codices Mſs. In Mediceo I. *curantur* eſt a Palavicino.

61. *Non quidquid autem &c.*) Sic reſtitui locum hunc ex Cod. Medic. I. Alii leg. *Non quicquid autem* (quidam cum Cæſario *aut*) *intentionem animi aut prudentiam exigit, protinus faciendum eſt*: Lindenius: *Non, quicquid aut intentionem animi, aut prudentiam exigit, protinus ejiciendum eſt*.

62. *ſi nimium eſt pinguis, aliquis*) Al. omittunt *aliquis*; Egnatius habet *quis*; Lindenius leg. *qui nimium eſt pinguis, affligitur*.

63. *Neque ſolum*) Ita in Cod. Medic. I. & in Editione Lindenii; & recte quidem. Al. *Neque enim ſolum*.

quid ſubito ſupprimit vocem; quiſquis intolerabilis dolor eſt; & quacumque de cauſa ruptum aliquid intus atque colliſum eſt: item malus corporis habitus, omneſque acuti morbi, qui modo, ut ſupra dixi, non infirmitate, ſed onere nocent. Fieri tamen poteſt, ut morbus quidem id deſideret, corpus autem vix pati poſſe videatur: ſed ſi nullum tamen appareat aliud auxilium, perituruſque ſit qui laborat, niſi temeraria quoque via fuerit adjutus; in hoc ſtatu boni medici eſt oſtendere, quam nulla ſpes ſit [64] ſine ſanguinis detractione, faterique, quantus in hac ipſa [65] metus ſit: & tum demum, ſi exigetur, ſanguinem mittere. De quo dubitare in ejuſmodi re non oportet: ſatius eſt enim anceps auxilium experiri, quam nullum. Idque maxime fieri debet, ubi nervi reſoluti ſunt; ubi ſubito aliquis obmutuit; ubi angina ſtrangulatur; ubi prioris febris acceſſio pene confecit, paremque ſubſequi veriſimile eſt, neque eam [66] videntur ſuſtinere ægri vires poſſe. Cum ſit autem minime crudo ſanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuum eſt: neque enim ſemper concoctionem res exſpectat. Ergo ſi ex ſuperiore parte aliquis decidit, ſi contuſus eſt, ſi ex aliquo ſubito caſu ſanguinem vomit; quamvis paulo ante ſumpſit cibum; tamen protinus ei demenda materia eſt, ne, ſi ſubſederit, corpus affligat. Idemque etiam in aliis caſibus repentinis, qui ſtrangulabunt, dictum erit. At ſi morbi ratio patiatur, tum demum nulla cruditatis ſuſpicione remanente id fiet. Ideoque ei rei videtur aptiſſimus adverſæ valetudinis dies ſecundus, aut tertius. Sed ut aliquando etiam primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſic numquam utile poſt diem quartum eſt, cum jam ſpatio ipſo materia & exhauſta eſt, & corpus corrupit [67]: ut detractio imbecillum id facere poſſit, non poſſit integrum. Quod ſi vehemens febris urget, in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere, hominem jugulare eſt. Exſpectanda ergo remiſſio

eſt [68];

64. *nulla ſpes ſit*) Vulgo verbum *ſit* tranſponitur poſt vocem *detractione*; non item in Cod. Medic. I.

65. *in hac ipſa*) Vulgo additur *re*; quam ego vocem ſuſtuli ex fide Codicis modo allati.

66. *eam*) Legitur *eamdem*, præterquam in Edit. Lindenii & in Mſs. Medic. I. & Vatic. IV.

67. *& exhauſta eſt, & corpus corrupit*) In Editione Lindenii & in margine Conſtantinianæ: *vel exhauſta eſt, vel corpus corrupit*. Al. omnes leg. *& exhauſta eſt & corpus corrumpit*; ut Codices Mſs. habent.

eſt [68]; ſi non decreſcit, ſed creſcere deſiit, neque ſperatur remiſſio, tum quoque, quamvis pejor, ſola tamen occaſio non omittenda eſt. Fere etiam iſta medicina, ubi neceſſaria eſt, in biduum dividenda eſt: ſatius eſt enim, primum [69] levare ægrum, deinde perpurgare, quam ſimul omni vi effuſa fortaſſe præcipitare. Quod ſi in pure quoque aquaque [70], quæ inter cutem eſt, ita reſpondet [71], quanto magis neceſſe eſt in ſanguine reſpondeat? Mitti vero is debet, ſi totius corporis cauſa fit, ex brachio; ſi partis alicujus, ex ea ipſa parte, aut certe quam proxima: quia non ubique mitti poteſt, ſed in temporibus, in brachiis, juxta talos. Neque ignoro, quoſdam dicere, quam longiſſime ſanguinem inde, ubi lædit, eſſe mittendum: ſic enim averti materiæ curſum; at illo modo in idipſum, quod gravat [72] evocari. Sed id falſum eſt [73]: proximum enim locum primo exhaurit; ex ulterioribus autem eatenus ſanguis ſequitur, quatenus emittitur; ubi is ſuppreſſus eſt, quia non trahitur, ne venit quidem. Videtur tamen uſus ipſe docuiſſe, ſi caput fractum eſt, ex brachio potius ſanguinem eſſe mittendum; ſi quod in humero vitium eſt, ex altero brachio: credo, quia ſi quid parum ceſſerit, opportuniores eæ partes injuriæ ſunt, quæ jam male habent [74]. Avertitur quoque interdum ſanguis, ubi alia parte prorumpens, alia emittitur: deſinit enim fluere qua nolumus [75], inde objectis quæ pro-

68. *exſpectanda ergo remiſſio eſt*) Locus hic ita legitur in Edit. Lindenii: *expectanda ergo intermiſſio eſt: ſi non decedit, cum creſcere deſiit: ſi neque remiſſio ſperatur, tunc quoque &c.* reclamantibus Mſs. & Mediceis & Vaticanis, & ratione ipſa, ut Morgagnus oſtendit.

69. *primum*) Ante Cæſarium legebatur *in primum*, ut & in Codicibus Mediceis legitur; ſed in vetuſtiori *in primo*.

70. *in pure quoque, aquaque*) Hæc verba reſpiciunt locum illum cap. 8. *ſive aqua inter cutem quem implevit, ſive in magno abſceſſu multum puris coiit, ſimul id omne effudiſſe, æque mortiferum eſt, ac ſi quis ſani corporis vulnere factus exſanguis eſt*. Locum ego reſtitui ex Codice Medic. I. in quo eſt: *in pure quoq. aqua queq. inter &c.* Communiter legebatur: *in cura quoque aquæ*. Itaque Rhodius aliique advertendum cenſebant locum hunc, ubi Celſus *curam*, ſi Diis placet, adhibuiſſet pro *curatione*.

71. *ita reſpondet*) Al. *iſta reſpondet*.

72. *quod gravat*) Ita omnes libri antiqui. Lindenius leg. *quod gravatur*.

73. *id falſum eſt*) Al. *idipſum falſum eſt*. Ego ſic reſtitui ex Mſs. Mediceis & ex Edit. I.

74. *quæ jam male habent*) Senſus eſt: magis injuriam ſentiunt eæ partes, *quæ jam male habent*. Sic enim lego ex Codice Mediceo I. & Edd. vetuſtioribus. Alii, vi vocis *opportuniores* non intellecta, leg. *quam quæ jam male habent*. In Mſs. quibuſdam habetur: *quamquam jam male habent*.

75. *nolumus*) Ita ex Medic. I. & aliquo alio Ms. Codice; ut legit Lindenius quoque. Al. *volumus*.

hibeant, alio dato itinere. Mittere autem ſanguinem cum ſit expeditiſſimum, uſum habenti; tamen ignaro difficillimum eſt. Juncta enim eſt vena arteriis, his nervi: ita, ſi nervum ſcalpellus attingit, ſequitur[76] nervorum diſtentio, eaque hominem crudeliter conſumit. At arteria inciſa neque coit, neque ſaneſcit; interdum etiam, ut ſanguis vehementer erumpat, efficit. Ipſius quoque venæ, ſi forte præciſa eſt, capita comprimuntur, neque ſanguinem emittunt. At ſi timide ſcalpellus demittitur, ſummam cutem lacerat, neque venam incidit. Nonnumquam etiam ea latet, neque facile reperitur. Ita multæ res id difficile inſcio faciunt, quod perito facillimum eſt. Incidenda ad medium vena eſt: ex qua cum ſanguis erumpit, colorem ejus habitumque oportet attendere. Nam ſi is craſſus & niger eſt, vitioſus eſt; ideoque utiliter effunditur: ſi rubet & pellucet, integer eſt; eaque miſſio ſanguinis adeo non prodeſt, ut etiam noceat; protinuſque is ſupprimendus eſt. Sed id evenire non poteſt ſub eo medico, qui ſcit ex quali corpore ſanguis mittendus ſit. Illud magis fieri ſolet, ut æque niger aſſidue primo die[77] profluat: quod quamvis ita eſt, tamen ſi jam ſatis fluxit, ſupprimendus eſt; ſemperque ante finis faciendus eſt, quam anima deficiat. Deligandumque brachium ſuperimpoſito expreſſo ex aqua frigida penicillo: & poſtero die adverſo medio digito[78] vena ferienda[79], ut recens coitus ejus reſolvatur, iterumque ſanguinem fundat. Sive autem primo, ſive ſecundo die ſanguis, qui craſſus & niger initio fluxerat, & rubere, & pellucere cœpit, ſatis materiæ detractum eſt, atque quod ſupereſt, ſincerum eſt: ideoque protinus brachium deligandum, habendumque ita eſt, donec valens cicatricula ſit; quæ celerrime in vena confirmatur.

XI. Cucurbitularum vero duo genera ſunt; æneum, & corneum. Ænea, altera parte patet, altera, clauſa eſt: cornea, altera parte æque patens, altera, foramen habet exiguum. In æneam lina-men-

76. *attingit, ſequitur*) Ex Cod. Medic. I. Alii vulgo leg. *attigit;* & pro *ſequitur*, Lindenius, *ſequetur*.

77. *primo die*) Ante Lindenium legebatur *ac primo die:* ſed perperam.

78. *adverſo medio digito*) In Editionibus Aldi & Ruellii hæc verba adduntur: *non autem ſcalpello;* quæ explicatio Celſi non eſt. Pro *adverſo*, quidam cum Editione Aldina, & pleriſque Mſs. ipſoque Medic. I. habent *averſo*.

79. *ferienda*) Lindenius, *fricanda*.

mentum ardens conjicitur, ac ſic [80] os ejus corpori aptatur, imprimiturque, donec inhæreat. Cornea per ſe corpori imponitur; deinde, ubi ea parte, qua exiguum foramen eſt, ore ſpiritus adductus eſt, ſuperque cera cavum id clauſum eſt, æque inhæreſcit. Vtraque non ex his tantum materiæ generibus, ſed etiam ex quolibet alio recte fit. Ac ſi cetera defecerunt, caliculus quoque aut pultarius [81], oris compreſſioris, ei rei commode aptatur. Vbi inhæſit, ſi conciſa ante ſcalpello cutis eſt, ſanguinem extrahit; ſi integra eſt, ſpiritum. Ergo ubi materia, quæ intus eſt, lædit, illo modo; ubi inflatio, hoc imponi ſolet. Vſus autem cucurbitulæ præcipuus eſt, ubi non in toto corpore, ſed in parte aliqua vitium eſt, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem ſatis eſt. Idque ipſum teſtimonium eſt, etiam ſcalpello ſanguinem, ubi membro ſuccurritur, ab ea potiſſimum parte, quæ jam læſa eſt, eſſe mittendum, quod nemo cucurbitulam diverſæ parti imponit, niſi cum profuſionem ſanguinis eo avertit; ſed ei ipſi, quæ dolet, quæque liberanda eſt. Opus etiam eſſe [82] cucurbitula poteſt in morbis longis, quamvis & iis jam [83] ſpatium aliquod acceſſit; ſive corrupta materia, ſive ſpiritu male habente: in acutis quoque quibuſdam, ſi & levari corpus debet, & ex vena ſanguinem mitti vires non patiuntur. Idque auxilium ut minus vehemens, ita magis tutum; neque umquam periculoſum eſt, etiamſi in medio febris impetu, etiamſi in cruditate adhibetur. Ideoque ubi ſanguinem mitti opus eſt, ſi inciſa vena præceps periculum eſt, aut ſi in parte corporis etiam vitium eſt [84], huc potius confugiendum eſt: cum eo tamen, ut ſciamus, hic ut nullum periculum, ita levius præſidium eſſe; nec poſſe vehementi malo, niſi æque vehemens auxilium ſuccurrere.

80. *ac ſic*) Almeloveeniana Editio & aliqui Mſs. Codices mendoſe habent *ac ſi*.

81. *aut pultarius*) Putat Scaliger vocem *pultarius* adjectam fuiſſe ſubſtantivæ voci *caliculus*, ideoque particulam *aut* tolli oportere. Ego, invitis Mſs., nihil mutare auſim.

82. *Opus etiam eſſe*) Cæſarius & Lindenius omittunt particulam *etiam*.

83. *quamvis & iis jam* &c.) Ita in Editione Cæſarii, quam poſtea omnes fere ſecuti ſunt. Editiones antiquiores & Codices multi Mſs. ita habent: *quamvis etiam* &c. Cod. Medic. I. & Ruell. Edit. *quamvis iam & his* (Ruell. *iis*). Fortaſſe legendum, *quamvis jam iis*, ſublata particula &.

84. *aut ſi in parte corporis etiam vitium eſt*) Ita in antiquis libris: & quidem recte. Nam hæc ad illa referuntur, quæ paulo ſupra habentur: *ubi non in toto corpore, ſed in parte aliqua vitium eſt*. Lindenius leg. *aut ſi in nobili parte corporis*, ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ: deinde vero, *vitium eſt, etiam huc* &c.

XII. 1. Dejectionem autem antiqui variis medicamentis, crebraque alvi ductione in omnibus pene [85] morbis moliebantur: dabantque aut nigrum veratrum, aut filiculam, aut ſquamam æris, quam λεπίδα χαλκῦ Græci vocant; aut lactucæ marinæ lac, cujus gutta pani adjecta abunde purgat; aut lac vel aſininum, vel bubulum, vel caprinum, eique ſalis paulum adjiciebant, decoquebantque id, & ſublatis iis, quæ coierant, quod quaſi ſerum ſupererat, bibere cogebant. Sed medicamenta ſtomachum fere lædunt [86]: alvus ſi vehementius fluit, aut ſæpius ducitur, hominem infirmat. Ergo numquam in adverſa valetudine medicamentum ejus rei cauſa recte datur, niſi ubi is morbus ſine febre eſt; ut cum veratrum nigrum aut atra bile vexatis, aut cum triſtitia inſanientibus, aut iis, quorum nervi parte aliqua reſoluti ſunt, datur. At ubi febres ſunt, ſatius eſt ejus rei cauſa cibos potioneſque aſſumere, qui ſimul & alant, & ventrem molliant. Suntque valetudinis genera, quibus ex lacte purgatio convenit.

2. Plerumque vero alvus potius ducenda eſt [87]; quod ab Aſclepia-

85. *pene*) Libri omnes editi habent *fere*. Ego *pene* repoſui ex Mſs.

86. *Sed medicamenta ſtomachum fere lædunt*) Vulgo omnes addunt: *ideoque omnibus catharticis aloe miſcenda eſt*: quæ verba ego Celſi eſſe non arbitror. Nam primum id concludunt, quod ex præmiſſis non oritur: nihil enim de aloe dictum fuit, unde inferri poſſit, ſtomachum a medicamentis, quibus ea miſta fuerit, læſum non iri. Deinde ſententiam turbant, quæ hujuſmodi eſſe videtur: medicamenta ſtomachum lædunt, alvumque vehementius purgando hominem infirmant: ergo ad ea veniendum non eſt, niſi &c. Monitum quoque ipſum ab ea medendi ratione abhorret, quam Celſus ſecutus videtur. Is enim non ſolum nigro veratro, ſed ne ſcammoniæ quidem, quam omnium eorum, quæ alvum purgant, ſtomacho inimiciſſimam eſſe antiqui medici exiſtimarunt, aloen adjecit; ut ex 18. & 20. & 23. ſequentis libri capite colligitur. Huc accedit, quod *catharticum* græca vox eſt: Celſus autem græcas voces, niſi ubi id neceſſitas poſcit, quæ certe hic nulla eſt, fere non adhibet. Itaque *philoſophiam* ipſam, quo verbo conſuetudo, ut ait Cicero, pro latino jam utebatur, *ſtudium ſapientiæ* vocavit, ut in Præfat. lib. 1. videre licet. Qui *alvum*, aut *ventrem purgare*, *liquare*, *ſolvere*, *movere*, pluribus locis, alicubi, *purgationem* habet eadem ſignificatione, poterat hoc loco dicere, *alvum purgantia*, aut, *quæ alvum purgant*. Cur enim malit *cathartica*? quam vocem neque ipſe alibi, nec ullus fortaſſe latinus Scriptor uſurpavit ante Tertullianum in lib. de Pallio. Hæc fere momenta me impellebant, ut membrum iſtud adulterinum eſſe ſuſpicarer, formatumque ex Dioſcoride lib. 3. cap. 25. ubi ait: *aliis catharticis admiſta* (aloe) *præſtat*, *ut minus ſtomachum infeſtent*, aut ex Avicenna lib. 2. tract. 2. cap. 66. ubi hæc habet inter cætera: *aloe cum ponitur in medicinis ſolutivis*, *expellit nocumentum earum a ſtomacho*. Quam ego ſuſpicionem cum Viro doctiſſimo Angelo Mariæ Bandinio Laurentianæ Bibliothecæ Præfecto aperuiſſem, Codice ullo nondum inſpecto, mox comperimus in vetuſtiore ea verba deeſſe. Itaque illa ex ipſius fide tollenda eſſe judicavi.

87. *alvus potius ducenda eſt*) quam medicamentis ſolvenda. Illa enim ſtomachum fere lædunt; quemadmodum ſupra dixit. Pro

piade quoque ſic temperatum [88], ut tamen ſervatum ſit, video plerumque ſæculo noſtro præteriri. Eſt autem ea moderatio, quam is ſecutus videtur, aptiſſima: ut neque ſæpe ea medicina [89] tentetur, & tamen ſemel, vel ſummum bis, non omittatur, ſi caput grave eſt; ſi oculi caligant; ſi morbus majoris inteſtini eſt, quod Græci κόλον nominant; ſi in imo ventre, aut in coxa dolores ſunt; ſi in ſtomachum quædam bilioſa concurrunt, vel etiam pituita eo ſe, humorve aliquis aquæ ſimilis confert; ſi ſpiritus difficilius redditur; ſi nihil per ſe venter excernit; utique, ſi juxta quoque ſtercus eſt, & intus remanet; aut ſi ſtercoris odorem nihil dejiciens æger ex ſpiritu ſuo ſentit; aut ſi corruptum eſt, quod excernitur; aut ſi prima inedia febrem non ſuſtulit; aut ſi ſanguinem mitti, cum opus ſit, vires non patiuntur, tempuſve ejus rei præteriit; aut ſi multum ante morbum aliquis potavit; aut ſi is, qui ſæpe vel ſponte, vel caſu purgatus eſt, ſubito habet alvum ſuppreſſam. Servanda vero illa ſunt: ne ante diem tertium ducatur; ne ulla cruditate ſubſtante; ne in corpore infirmo, diuque in adverſa valetudine [90] exhauſto; neve in eo, cui ſatis alvus quotidie reddit, quive eam liquidam habet; neve in ipſo acceſſionis impetu, quia, quod tum infuſum eſt, alvo continetur, regeſtumque in caput, multo gravius periculum efficit. Pridie vero abſtineri [91] debet æger, ut aptus tali curationi ſit: eodem die ante aliquot horas aquam calidam bibere, ut ſuperiores ejus partes madeſcant. Tum immittenda in alvum [92] eſt,

ſi le-

Pro *potius*, Cæſarius & alii eum ſecuti leg. *potionibus*; Lindenius *lotionibus*. Sed neutra mutatio admittenda eſt. Nam, ut Morgagnus animadvertit, præter quam quod nulla veterum librorum auctoritate nituntur, altera ſententiæ officit, altera omnino non eſt neceſſaria. Quippe Celſus alvi ductionem a purgatione, quæ fit per medicamenta, non ſolum diſtinguit, ſed etiam opponit; & hæc verba: *alvus ducenda eſt*, ſi *lotionibus* addatur, tantumdem ſignificant.

88. *temperatum*) Quidam leg. *vituperatum:* atque ita eſt in omnibus Codicibus Mediceis, præterquam in primo.

89. *ea medicina*) Lindenius omittit *ea*. Omnes tamen Codices habent vocem hanc: atque in Mediceo I. quidem legitur, *ea medicina*; in aliis vero, *medicina ea*.

90. *in adverſa valetudine*) Egnatius tollit præpoſitionem *in*. Fortaſſe recte.

91. *abſtineri*) Ita in Mſs. Codicibus; niſi quod in Mediceo primo *i* mutatum fuit in *e*, ut legatur *abſtinere*; quo modo Lindenius & alii quidam ediderunt.

92. *immittenda in alvum* &c.) Alii leg. *injiciẽnda alvus*; alii ex Cæſario, *dejicienda alvus*: ſed perperam. Ego ſecutus ſum Codicem Mediceum I. Editioneſque Aldinam & Lindenianam. Ex hoc autem loco intelligitur, quid ſit alvum ducere.

ſi levi medicina contenti ſumus, pura aqua; ſi paulo valentiori, mulſa; ſi leni, ea in qua [93] fœnum Græcum, vel ptiſana, vel malva decocta ſit; ſi reprimendi cauſa, ex verbenis. Acris autem eſt marina aqua, vel alia ſale adjecto: atque utraque decocta commodior eſt. Acrior fit, adjecto vel oleo, vel nitro, vel melle: quoque acrior eſt [94], eo plus extrahit, ſed minus facile ſuſtinetur. Idque quod infunditur, neque frigidum eſſe oportet, neque calidum; ne alterutro modo lædat. Cum infuſum eſt, quantum fieri poteſt, continere ſe in lectulo debet æger, nec primæ cupiditati dejectionis protinus cedere: ubi neceſſe eſt, tum demum deſidere. Fereque eo modo dempta materia, ſuperioribus partibus levatis, morbum ipſum mollit. Cum vero, quoties res coegit, deſidendo aliquis ſe exhauſit, pauliſper debet conquieſcere; &, ne vires deficiant, utique eo die cibum aſſumere: qui plenior, an exiguus ſit dandus [95], ex ratione ejus acceſſionis, quæ exſpectabitur, aut in metu non erit, æſtimari oportebit.

XIII. At vomitus, ut in ſecunda quoque valetudine ſæpe neceſſarius bilioſis eſt, ſic etiam in iis morbis, quos bilis concitavit. Ergo omnibus, qui ante febres horrore & tremore vexantur; omnibus, qui cholera laborant; omnibus etiam cum quadam hilaritate inſanientibus; & comitiali quoque morbo oppreſſis neceſſarius eſt. Sed ſi acutus morbus eſt, ſicut in cholera; ſi febris eſt, ut inter horrores [96], aſperioribus medicamentis opus non eſt; ſicut in dejectionibus quoque ſupra dictum eſt: ſatiſque eſt, ea vomitus cauſa ſumi, quæ ſanis quoque ſumenda eſſe propoſui. At ubi longi valenteſque morbi ſine febre ſunt, ut comitialis aut inſania [97], veratro quoque albo utendum eſt. Id neque hieme, neque

93. *ſi leni, ea in qua* &c.) Lindenius leg. *ſi leni, aqua, in qua* &c. alii omnes, *ſi leni, ex aqua in qua* &c. Ego ita repoſui ex Cod. Medic. I. Pro *leni*, aliqui Codices habent *levi;* nullus, quem ego viderim, *leniendi cauſa*, quemadmodum in Forolivienſi Morgagnus ſupra vocem *leni* ſcriptum invenit.

94. *vel melle: quoque acrior eſt* &c.) Hunc quoque locum ego reſtitui ex Codice Mediceo I. Nam antea ita legebatur: *vel melle quoque. Si acrior eſt* &c. Infra, pro *Idque quod*, Lindenius habet *Id quod:* & poſtea Cod. Medic. I. *lecticulo* pro *lectulo*.

95. *an exiguus ſit dandus*) Vox *dandus* deeſt in Codice Mediceo I.

96. *ut inter horrores*) Lindenius tollit particulam *ut*, &, pro *horrores*, legit, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ, *rigores*. Ego ſecutus ſum Editiones antiquas & Codices Mſs. quamvis ſuſpicer, tria hæc verba Celſi non eſſe.

97. *aut inſania*) In Codice Mediceo I. legitur, *ut inſania*.

que æſtate recte datur; optime vere; tolerabiliter autumno. Quiſquis daturus erit, id agere ante debet, ut accepturi corpus humidius ſit. Illud ſcire oportet, omne ejuſmodi medicamentum, quod potui datur, non ſemper ægris prodeſſe, ſemper ſanis nocere.

XIV. De frictione vero [98] adeo multa Aſclepiades, tamquam inventor ejus, poſuit in eo volumine, quod communium auxiliorum inſcripſit, ut, cum trium [99] tantum faceret mentionem, hujus & aquæ [1] & geſtationis, tamen maximam partem in hac [2] conſumpſerit. Oportet autem neque recentiores viros in iis fraudare, quæ vel repererunt, vel recte ſecuti ſunt; & tamen ea, quæ apud antiquiores aliquos poſita ſunt, auctoribus ſuis reddere. Neque dubitari poteſt, quin latius quidem, & dilucidius, ubi & quomodo frictione utendum eſſet, Aſclepiades præceperit; nihil tamen repererit [3], quod non a vetuſtiſſimo auctore Hippocrate paucis verbis comprehenſum ſit: qui dixit, frictione, ſi vehemens ſit, durari corpus; ſi lenis, molliri; ſi multa, minui; ſi modica, impleri. Sequitur ergo, ut tum utendum ſit, cum aut adſtringendum corpus ſit, quod hebes [4] eſt; aut molliendum, quod induruit; aut digerendum in eo, quod copia nocet [5]; aut alen-

98. *De frictione vero*) Vulgo additur *& geſtatione*; ſed temere, ut Morgagnus docet, & Codex Medic. I. qui duo illa verba non habet.

99. *ut*, *cum trium*) Ita ex Edit. Lindenii. Alii non habent *ut*, ſed ſupra addunt *quod* ante verba illa, *in eo volumine*. In Codice Medic. I. non eſt neque *quod*, neque *ut*.

1. *hujus & aquæ*) Pro *aquæ* alii legunt *equi*; quam vocem in ſex inveni Mediceis Codd. & in Vaticanis III. V. VII. Sed ex *aquæ* corrupta eſt vox illa; ut recte monet Morgagnus. Ego lego *aquæ* ex Codicibus Mediceo I. Vaticanis II. V. VI. & ex Editione Aldina; quam lectionem videtur is quoque, quem modo nominavi, Præſtantiſſimus Vir ex ſuo Codice magis probare. Lindenius habet *vini*: ſic enim Conſtantinus legendum putat ex Plinio lib. 26. H. N. cap. 3. Sed ex Plinii verbis prorſus contrarium colligitur. Nam vini abſtinentiam inter quinque res communium auxiliorum Aſclepiadem profeſſum ſcribit. In voce *hujus* quoque ab aliquibus variatur. Aldina Edit. habet *vinis. s.* hoc eſt *vini ſcilicet*; quo modo Morgagnus invenit in ſuo Codice. In tribus Vaticanis eſt *viri ſcilicet*. In Mediceo I. erat, quantum ex litura cognoſci poteſt, *huius*, littera *s* poſita ſupra extremam vocis *huiu*. Poſtea ex *huiu* factum eſt *viri*, additumque *cilicet* litteræ *s*, ut ſit *ſcilicet*. Sed niſi legatur *hujus*, ut reliqui Codices habent, quomodo ſententia conſtabit? Ex tribus enim auxiliis, frictio præcipuum eſt.

2. *in hac*) Ita ex Cod. Medic. I. Alii leg. *in hoc*.

3. *repererit*) Lindenius, *reperit*.

4. *hebes*) laxum. Ego ſic repoſui ex Codice modo allato, atque hac voce alibi Celſus utitur eadem ſignificatione, ut poſtea apparebit. Communiter legebatur *fluens*.

5. *quod copia nocet*) materia, quæ copia ſui lædit. Lindenius pro *quod* legit *cui*, minus recte.

alendum id, quod tenue & infirmum eſt. Quas tamen ſpecies ſi quis curioſius æſtimet (quod jam ad medicum non pertinet) facile intelliget, omnes ex una cauſa pendere, quæ demit. Nam & adſtringitur aliquid, eo dempto, quod interpoſitum, ut id laxaretur, effecerat; & mollitur, eo detracto, quod duritiem creabat; & impletur, non ipſa frictione, ſed eo cibo, qui poſtea uſque ad cutem, digeſtione quadam relaxatam, penetrat. Diverſarum vero rerum in modo cauſa eſt. Inter unctionem autem & frictionem multum intereſt. Vngi enim, leniterque pertractari corpus, etiam in acutis & recentibus morbis oportet; in remiſſione tamen, & ante cibum: longa vero frictione uti, neque in acutis morbis, neque increſcentibus convenit; præterquam cum phreneticis ſomnus ea quæritur. Amat autem hoc auxilium valetudo longa, & jam a primo impetu inclinata. Neque ignoro, quoſdam dicere, omne auxilium neceſſarium eſſe increſcentibus morbis, non cum jam per ſe finiuntur. Quod non ita ſe habet. Poteſt enim morbus, etiam qui per ſe finem habiturus eſt, citius [6] tamen adhibito auxilio tolli: quod duabus de cauſis neceſſarium eſt; & ut quam primum bona valetudo contingat; & ne morbus, qui remanet, iterum, quamvis levi de cauſa, exaſperetur. Poteſt morbus [7] minus gravis eſſe, quam fuerit, neque ideo tamen ſolvi, ſed reliquiis [8] quibuſdam inhærere, quas admotum aliquod auxilium diſcutit [9]. Sed ut, levata quoque adverſa valetudine, recte frictio adhibetur; ſic numquam adhibenda eſt febre increſcente: verum, ſi fieri poterit, cum ex toto corpus ea vacabit; ſin minus [10], certe cum ea remiſerit. Eadem autem modo in totis corporibus [11] eſſe debet, ut cum infirmus aliquis im-

6. *citius*) In Cod. Mediceo I. *celerius*; & poſtea *pelli*, pro *tolli*.

7. *Poteſt morbus*) Vulgo interjicitur *enim*, quam particulam ego expuli ex Mſs. fide.

8. *reliquiis*) In Cod. Medic. I. & in Ruellii Editione, itemque in Cominiana an. 1750. *reliquis*.

9. *diſcutit*) Lindenius, *diſcutiat*.

10. *ſin minus*) Ita in Edit. Lindenii, ita in margine Conſtantinianæ, & in Cod. Medic. I. ſed is habet *ſi minus*. In aliis Editionibus, itemque in Mſs. Mediceis reliquis deeſt *ſin*, vel *ſi*.

11. *Eadem autem modo in totis corporibus*) Legebatur, ut in Codice Medic. I. *Eodem autem modo in tutis corporibus*; & infra, *modo eſt in partibus*. Codex tamen revera habet *totis*; quod a Palavicino mutatum eſt in *tutis*. In ceteris Codicibus Mediceis habetur: *Eadem autem modo in partibus*, priori membro ab errante librario omiſſo. Locus hic a Conſtantino jam antea ex Ms. quo-

implendus; modo in partibus, aut quia ipſius ejus [12] membri imbecillitas id requirit, aut quia alterius. Nam & capitis longos dolores ipſius frictio levat; non in impetu tamen doloris: & membrum aliquod reſolutum ipſius frictione confirmatur. Longe tamen ſæpius aliud perfricandum eſt, cum aliud dolet; maximeque cum a ſummis, aut a mediis partibus corporis evocare materiam volumus; ideoque extremas partes perfricamus. Neque audiendi ſunt, qui numero finiunt, quoties aliquis perfricandus ſit. Id enim ex viribus hominis colligendum eſt: & ſi is [13] perinfirmus eſt, poteſt ſatis eſſe quinquagies; ſi robuſtior, poteſt ducenties eſſe faciendum [14]; inter utrumque deinde, prout vires ſunt. Quo fit, ut etiam minus ſæpe in muliere, quam in viro; minus ſæpe in puero, vel ſene, quam in juvene, manus dimovendæ ſint. Denique, ſi certa membra perfricantur, multa valentique frictione opus eſt. Nam neque totum corpus infirmari cito per partem poteſt, & opus eſt quam plurimum materiæ digeri, ſive idipſum membrum, ſive per id aliud levamus. At ubi totius corporis imbecillitas hanc curationem per totum id exigit, brevior eſſe debet & lenior; ut tantummodo ſummam cutem emolliat, quo facilius capax ex recenti cibo novæ materiæ fiat. In malis jam ægrum eſſe [15], ubi exterior pars corporis friget, interior cum ſiti calet, ſupra poſui. Sed tunc quoque unicum in frictione præſidium eſt; quæ ſi calorem in cutem evocavit [16], poteſt alicui medicinæ locum facere.

XV. Geſtatio quoque longis & jam inclinatis morbis aptiſſima

L eſt:

quodam reſtitutus, recte legitur iu Editione Lindenii. Hanc ego ſecutus ſum.

12. *ipſius ejus*) Alii cum Aldo omittunt *ejus*; Pantinus & Lindenius cum Cæſario leg. *ipſa ejus*.

13. *& ſi is*) Linden. *Vt ſi quis*.

14. *eſſe faciendum*) Hoc gloſſema eſſe puto. Nam his verbis depravatur conſtructio. Infra, pro *frictione*, Pantinus & Lindenius legunt, ut eſt in Editione Cæſarii an. 1538. *fricatione*. Alibi quoque, pro *frictio*, in Edit. Lindenii, & aliis quibuſdam eſt *fricatio*; alicubi etiam in Cod. Medic. I.

15. *ægrum eſſe*) Ego hunc locum ſuæ fidei reſtitui ex Mſs. Mediceis. Nam communiter legebatur, *ægrum eſſe teſtatur*; & poſtea, *ut ſupra poſui*. In Codice quidem primo legitur, *ut ſupra poſui*; ſed particula *ut* abeſt a reliquis. Verbum autem *teſtatur* nullus habet, niſi quartus in margine alia manu, qui & particulam *ut* ante *ſupra poſui* additam habet. Scilicet qui particulam iſtam ex Codice I. addidit, verbo *teſtatur* conſtructioni mederi voluit.

16. *in cutem evocavit*) Lindenius omittit duas voces *in cutem*; deceptus fortaſſe ab Editione Cæſarii an. 1538. Sed habentur & in Cæſarii priore & in aliorum Editionibus, & in Mſs. noſtris omnibus.

eſt: utiliſque eſt & iis corporibus, quæ jam ex toto febre carent, ſed adhuc exerceri per ſe non poſſunt; & iis, quibus lentæ morborum reliquiæ remanent, neque aliter eliduntur. Aſclepiades etiam in recenti vehementique, præcipueque ardente febre, ad diſcutiendam eam, geſtatione dixit utendum [17]: ſed id periculoſe fit; meliuſque quiete [18] ejuſmodi impetus ſuſtinetur. Si quis tamen experiri volet, ſic experiatur, ſi lingua non erit aſpera, ſi nullus tumor, nulla durities, nullus dolor viſceribus, aut capiti, aut præcordiis ſuberit. Et ex toto [19] numquam geſtari corpus dolens debet, ſive id in toto, ſive in parte eſt; niſi tamen ſolis nervis dolentibus; neque umquam increſcente febre, ſed in remiſſione ejus. Genera autem geſtationis plura ſunt; quæ adhibenda ſunt [20] & pro viribus cujuſque, & pro opibus; ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili deſint [21]. Leniſſima [22] eſt navi, vel in portu, vel in flumine; vehementior vel in alto mari nave [23], vel lectica; etiamnum acrior vehiculo. Atque hæc ipſa & intendi & leniri poſſunt. Si nihil horum eſt, ſuſpendi lectus debet, & moveri: ſi ne id quidem eſt, at certe uni pedi ſubjiciendum fulmentum [24] eſt, atque ita lectus huc & illuc manu impellendus. Et levia quidem genera exercitationis infirmis [25] conve-

17. *utendum*) Al. *utendum eſſe*.

18. *quiete*) Lindenius, *in quiete*.

19. *Et ex toto*) In Edit. Lindenii & in margine Conſtantinianæ: *At ex toto*.

20. *plura ſunt; quæ adhibenda ſunt*) Ita in Editione Lindenii. In aliis Editionibus & in Mſs. Mediceis ſic: *plura ſunt adhibenda; quæ ſunt*. Fortaſſe legendum: *plura ſunt: adhibendaque ſunt*.

21. *humili deſint*) Alii leg. *humili obſint*. Melius Lindenius, quem ego ſecutus ſum. Mendoſa ſunt hæc verba in Codice Medic. I. ſic tamen ut probam lectionem oſtendant. Nam legitur *humidæ ſint*.

22. *Leniſſima*) Communiter præmittitur *Geſtationum*. Ego ſuſtuli tamquam gloſſema; & quidem ex fide Codicis Medic. I.

23. *vehementior vel in alto mari nave &c.*) Ita hæc verba edidi ex modo allato vetuſto Codice. Alii leg. *vehementior in alto mari navi, vel lectica, aut ſcamno* (al. *ſcanno*) *acrior vehiculo. Atque hæc ipſa*; Lindenius, *vel lectica, aut ſcamno: acrior vehiculo: vehementior in alto mari navi. Atque hæ ipſæ*. Almeloveenius vocem *navi*; Morgagnus & hanc, & alteram *mari* ex gloſſemate irrepſiſſe putat. Quibus ego facile aſſentior.

24. *uni pedi ſubjiciendum fulmentum*) Alii habent: *uni pedi lecti funiculus ſubjiciendus*; Lindenius, pro *funiculus ſubjiciendus*, repoſuit *fulmentum ſubjiciendum*, ut & Scaliger in quodam Codice, & ego, ſed tranſlatis vocibus, in Medic. I. inveni. Almeloveenius Lindenium ſequitur, ſed habet *fulcimentum*, quod idem eſt. Ex fide vero allati Medicei Codicis ego delevi vocem *lecti*, quæ ex gloſſemate irrepſerat.

25. *exercitationis infirmis*) Vox *exercitationis* fortaſſe ejicienda eſt, tamquam a malo interprete invecta; aut mutanda in *geſtationis*, de qua Celſus loquitur. Si *exercitationis* ſcripſiſſet, non addidiſſet, opinor, periodum illam, quæ eſt in fine capitis. Pro *infirmis*, ut habet Codex Medic. I. alii legunt *infirmiſſimis*.

veniunt: valentiora vero iis, qui jam pluribus diebus febre liberati ſunt; aut iis [26], qui gravium morborum initia ſic ſentiunt, ut adhuc febre vacent (quod & in tabe, & in ſtomachi vitiis, & cum aqua cutem ſubiit, & interdum in morbo regio fit) aut ubi quidam morbi, qualis comitialis, qualis inſania eſt, ſine febre, quamvis diu, manent. In quibus affectibus ea quoque genera exercitationum neceſſaria ſunt, quæ comprehendimus eo loco, quo, quemadmodum ſani, neque firmi homines ſe gererent [27], præcepimus.

XVI. Abſtinentiæ vero duo genera ſunt: alterum, ubi nihil aſſumit æger; alterum, ubi non niſi quod oportet. Initia morborum primum famem, ſitimque deſiderant: ipſi deinde morbi, moderationem, ut neque aliud quam expedit, neque ejus ipſius nimium ſumatur. Neque enim convenit juxta inediam protinus ſatietatem eſſe. Quod ſi ſanis quoque corporibus inutile eſt, ubi aliqua neceſſitas famem fecit; quanto inutilius eſt in corpore etiam ægro [28]? Neque ulla res magis adjuvat laborantem, quam tempeſtiva abſtinentia. Intemperantes homines apud nos, ipſi cibi tempora curantibus dant [29]. Rurſus alii, tempora medicis pro dono remittunt, ſibi ipſis modum vindicant. Liberaliter agere ſe credunt, qui cetera illorum arbitrio relinquunt [30], in genere cibi liberi ſunt; quaſi quæratur, quid medico liceat, non quid ægro ſalutare ſit. Cui vehementer nocet, quoties in ejus, quod aſſumitur, vel tempore, vel modo, vel genere peccatur.

XVII. Sudor etiam [31] duobus modis elicitur: aut ſicco calore, aut balneo. Siccus calor eſt, & arenæ calidæ, & laconici,

L 2 &

26. *qui jam pluribus diebus febre liberati ſunt; aut iis*) Verba hæc, quæ in prioribus Editionibus deſiderantur, reſtituta ſunt ab Egnatio. Habentur etiam in Mſs. Mediceis.

27. *gererent*) Lindenius leg. *gerere debent*.

28. *in corpore etiam ægro*) Lindenius leg. *infirmo, nedum ægro?* In Codice Medic. I. *etiam in corpore ægro*. Pro *ægro* Conſtantinus habet *ægroto*.

29. *ipſi cibi tempora curantibus dant*) præcipiunt curantibus, quando ſibi cibum dari velint. In quibuſdam Codicibus Mſs. deeſt vox *ipſi*; in Medic. I. eſt *dantur* pro *dant*. In Editione Lindenii ſic habetur: *ſibi cibi tempora, modum curantibus dant*. Sed veterem Codicem requiro, qui lectionem iſtam confirmet. Infra, pro *ſibi ipſis*, in multis Mſs. eſt *ſibi ipſi*.

30. *qui cetera illorum arbitrio relinquunt*) In Cod. Medic. I. *qui cum cetera illorum arbitrio relinquant*.

31. *etiam*) Non eſt otioſa hæc particula, ut Cæſarius & Lindenius exiſtimarunt, ſed reſpondet verbis illis initio capitis ſuperioris, *duo genera ſunt*.

& clibani, & quarumdam naturalium ſudationum, ubi terra [32] profuſus calidus vapor ædificio includitur, ſicut ſuper Bajas in myrtetis [33] habemus. Præter hæc, ſole quoque, & exercitatione movetur [34]. Vtiliaque hæc genera ſunt, quoties humor intus nocet, iſque digerendus eſt. Ac nervorum quoque quædam vitia ſic optime curantur. Sed cetera infirmis poſſunt convenire: ſol, & exercitatio tantum robuſtioribus; qui tamen ſine febre, vel inter initia morborum [35], vel etiam gravibus morbis [36] tenentur. Cavendum autem eſt, ne quid horum vel in febre, vel in cruditate tentetur. At balnei duplex uſus eſt. Nam modo, diſcuſſis febribus, initium cibi plenioris, vinique firmioris, valetudini facit; modo febrem ipſam tollit. Fereque adhibetur, ubi ſummam cutem relaxari, evocarique corruptum humorem, & habitum corporis mutari expedit. Antiqui timidius eo utebantur: Aſclepiades audacius. Neque terrere autem ea res, ſi tempeſtiva eſt, debet: ante tempus [37], nocet. Quiſquis febre liberatus eſt, ſimulatque ea uno die non acceſſit, eo qui proximus eſt, poſt tempus acceſſionis, tuto lavari poteſt. At ſi circuitum habere ea febris ſolita eſt, ſic ut tertio, quartove die revertatur, quandocumque non acceſſit, balneum tutum eſt. Manentibus vero adhuc febribus, ſi hæ ſunt lentæ, leneſque jamdiu male habent [38], recte

32. *terra*) Alii *e terra*; Lindenius *a terra*. In Codice Medic. I. legitur ſine præpoſitione.

33. *ſuper Bajas in myrtetis*) Al. *murtetis*; & ita ſcribitur in Cod. Medic. I. In Editione Cæſarii anni 1538. & in Lindeniana, pro *Bajas* eſt *Batas*; in Mſs. præterquam in Medic. I. & Vatic. VI. *vias*. Etiam lib. 3. cap. 21. *quales ſuper Bajas in myrtetis habemus*; Codices Medicei præter primum habent *vias*; Mediceus primus & quinque Vaticani *Babias*; Editio Lindenii *Batas*.

34. *movetur*) Alii omnes præmittunt *is*; quod pronomen ego omiſi ex fide Codicis Medic. I.

35. *inter initia morborum*) Ab aliis legitur *initio morbi*; ſed alterum, quod ego ex Codice Medic. I. repoſui, Celſo magis uſitatum. In margine Editionis Conſtantin. *inter initia morbi*.

36. *gravibus morbis*) qualis aqua inter cutem eſt. Et quot morbi ſunt omnino graves, ſed ſine febre, in quibus Celſus exercitatione utendum dicit? Vide lib. 3. & 4. Cave igitur a Lindenio, qui edidit, *non gravibus morbis*; & a Conſtantino item, qui locum hunc ita legendum putat: *vel & jam cum non amplius gravibus morbis*.

37. *ante tempus*) Al. *& ante tempus*; Lindenius, *at ante tempus*. Ego ſecutus ſum Cod. Medic. I.

38. *leneſque jamdiu male habent*) Locus hic ita legitur in Codice Medic. I. *ſi heæ ſuntque lentæ leneſque jamdiu male habent*; ex quo ego *leneſque* repoſui. Nam *lieneſque*, ut communiter legebatur, ferendum non videtur, cum illa ſubjiciantur: *cum eo tamen, ne præcordia dura ſint, neve ea tumeant*. Enimvero & dura ſunt & tument præcordia, ubi lienis affectus eſt; ut ex lib. 4. cap.

ſte medicina iſta tentatur: cum eo tamen, ne præcordia dura ſint, neve ea tumeant, neve lingua aſpera ſit, neve aut in medio corpore, aut in capite dolor ullus ſit, neve tum febris increſcat. Et in iis quidem febribus, quæ certum circuitum habent, duo balnei tempora ſunt; alterum, ante horrorem; alterum, febre finita: in iis vero, qui lentis febriculis diu detinentur, cum aut ex toto receſſit acceſſio; aut, ſi id non ſolet, certe lenita eſt, jamque corpus tam integrum eſt, quam maxime eſſe in eo genere valetudinis ſolet. Imbecillus homo, iturus in balneum, vitare debet, ne ante frigus aliquod experiatur: ubi in balneum venit, pauliſper reſiſtere [39], experirique, num tempora adſtringantur, & an ſudor aliquis oriatur: illud ſi incidit, hoc non ſecutum eſt, inutile eo die balneum eſt; perungenduſque is leniter, & auferendus eſt [40], vitandumque omni modo frigus, & abſtinentia utendum. At ſi temporibus integris, primum ibi, deinde alibi ſudor incipit, fovendum os aqua calida; tum in ſolio deſidendum eſt; atque ibi quoque videndum, num ſub primo contactu aquæ calidæ ſumma cutis inhorreſcat: quod vix tamen fieri poteſt [41], ſi priora recte ceſſerunt [42]; certum id autem ſignum inutilis balnei eſt. Ante vero, quam in aquam calidam [43] ſe demit-

cap. 9. apparet. Adhuc tamen aliquid vitii in his verbis ineſſe ſuſpicor. Fortaſſe tolli poteſt delendo vocem *leneſque*, quæ, quia præcedit *lentæ*, redundare videtur; reponendoque particulam *et*. Niſi quis malit eam particulam addere poſt *leneſque*, & hanc vocem retinere, quod ſimiliter Cicero ad Atticum ſcribens, *levius* & *lenius* conjunxerit lib. 13. epiſt. 21. *De Attica optime*, *quod levius ac lenius*, *& quod fert* ἀκόλως. Sed *ac lenius*, Lambinus non ſine cauſa tollendum putat.

39. *reſiſtere*) *reſidere* quidam legunt, Cæſarium ſecuti. Sed ſtant contra Cæſarium Editiones vetuſtiores & Codices Mſs.

40. *perungenduſque is leniter, & auferendus eſt*) Codex Mediceus primus habet: *perunguenduſque bis leniter referendus eſt*; reliqui, ut a pleriſque vulgo legitur: *perungendus eſt is leniter & auferendus eſt*. Alii duce Cæſario, pro *auferendus*, leg. *referendus*; Lindenius, *& perungendus eſt is leniter & referendus*. In Codice Medic. I. *referendus* mendoſum videtur pro *& auferendus*; quemadmodum infra quoque Celſus loquitur: *ſed maturius is auferendus*.

41. *vix tamen fieri poteſt*) Particula *tamen* non eſt in Codice Mediceo vetuſtiori.

42. *recte ceſſerunt*) Ita ex Cod. Medic. I. atque ex Editionibus Aldina, aliiſque quibuſdam. Alii leg. *recte acceſſerunt*. Codex modo allatus non habet *id* in verbis proximis: *certum id autem*; ſive, ut Lindenius leg. *certum autem id*.

43. *Ante vero, quam in aquam calidam &c.*) Ita in Edit. Lindenii & in margine Conſtantinianæ. Alii habent, ut Codex Medic. I. *Ante vero, an poſtea quam in aquam calidam ſe demittat*; reliqui Codices Medicei: *Ante vero, an poſteaquam ſe in calidum dimittit*. Verba, *quam in aquam calidam ſe demittat*, mihi ſuſpecta ſunt. Si tollantur, perſpicuus nihilo minus ſenſus erit.

mittat, an poſtea aliquis perungi debeat, ex ratione valetudinis ſuæ cognoſcat. Fere tamen, niſi ubi nominatim, ut poſtea fiat, præcipietur [44], moto ſudore leniter corpus perungendum; deinde in aquam calidam demittendum eſt. Atque hic quoque habenda virium ratio eſt, neque committendum, ut per æſtum anima deficiat; ſed maturius is auferendus, curioſeque veſtimentis involvendus eſt, ut neque ad eum frigus aſpiret, & ibi quoque, antequam aliquid aſſumat, inſudet. Fomenta quoque calida ſunt, milium, ſal, arena; quodlibet eorum calefactum, & in linteum conjectum; ſi minore vi opus eſt, etiam ſolum linteum; at ſi majore, extincti titiones, involutique panniculis [45], & ſic circumdati. Quin etiam calido oleo replentur utriculi; & in vaſa fictilia, a ſimilitudine quas lenticulas vocant [46], aqua conjicitur; & ſal ſacco linteo [47] excipitur, demittiturque in aquam bene calidam, tum ſuper id membrum, quod fovendum eſt, collocatur. Juxtaque ignem, ferramenta duo [48] ſunt, capitibus paulo latioribus: alterumque ex his demittitur in eum ſalem [49], & aqua ſuper leviter aſpergitur; ubi frigere cœpit, ad ignem refertur, & idem in altero fit; deinde invicem in utroque: inter quæ [50] deſcendit ſalſus & calidus ſuccus, qui contractis aliquo morbo nervis opitulatur. His omnibus commune eſt, digerere id, quod vel præcordia onerat, vel fauces ſtrangulat, vel in aliquo membro

no-

44. *præcipietur*) Alii omnes præmittunt *id*, quod pronomen non eſt in Cod. Mediceo I. In aliis Codd. leg. *id præcipitur*.

45. *extincti titiones, involutique panniculis*) In Mſs. Mediceis & Edd. priſcis *extinctiones*; in Mediceo primo Palavicinus expungit litteram *s* in voce *panniculis*. Hinc vulgo ante Ruellium *panniculi*. Ruellius leg. *extincti involutique panniculis*; Egnatius, *extincti titiones involutique panniculi*. Recte demum Gryphius: *extincti titiones involutique panniculis*; quam lectionem recentiores Editores omnes probarunt.

46. *a ſimilitudine quas lenticulas vocant*) Sic legitur locus hic in margine Editionis Conſtantini, & in Codice Mediceo I. ſed in Codice eadem littera quæ abſolvit vocem *fictilia*, etiam proximæ præpoſitioni inſervit, ut ſæpe fit in Mſs. Lindenius leg. *quas a ſimilitudine &c.* Alii, *ad ſimilitudinem quas &c.* Relativum *quas* abeſt a Medic. III. aliiſque Mſs. recte fortaſſe.

47. *ſacco linteo*) Codices Mſs. *linteo*; ſed alii, ut Mediceus vetuſtior, *ſacco*; alii *ſicco*. Vulgo plerique cum poſterioribus faciunt; Lindenius cum prioribus, ſed habet *lineo*.

48. *ferramenta duo*) Lindenius addit *ignita*, quod eſt ſupervacaneum, & Mſs. noſtrorum teſtimonio refellitur.

49. *in eum ſalem*) In Editione Lindenii, *in ſiccum ſalem*; quæ lectio minime probanda eſt. Primum enim ſiccus eſſe non poteſt, qui in aquam bene calidam jam demiſſus fuerit: deinde nihil refert ſiccum eſſe, quia aqua ſuper leviter aſpergenda eſt.

50. *inter quæ*) Lindenius, *intereaque*; ut in libri margine habet Conſtantinus.

nocet. Quando autem quoque utendum ſit, in ipſis morborum generibus dicetur.

XVIII. Cum de iis dictum ſit, quæ detrahendo juvant; ad ea veniendum eſt, quæ alunt [51], id eſt cibum, & potionem. Hæc autem non omnium tantum morborum, ſed etiam ſecundæ valetudinis communia præſidia ſunt: pertinetque ad rem, omnium proprietates noſſe; primum, ut ſani ſciant, quomodo his utantur; deinde, ut exſequentibus nobis morborum curationes, liceat ſpecies rerum, quæ aſſumendæ erunt [52], ſubjicere, neque neceſſe ſit ſubinde ſingulas eas nominare. Scire igitur oportet, omnia legumina, quæque ex frumentis panificia ſunt, generis valentiſſimi eſſe (valentiſſimum [53] voco, in quo plurimum alimenti eſt) item omne animal quadrupes domi natum; omnem grandem feram, quales ſunt caprea, cervus, aper, onager; omnem grandem avem, quales ſunt anſer, & pavo, & grus; omnes belluas marinas, ex quibus cetus eſt, quæque his pares ſunt: item mel, & caſeum. Quo minus mirum eſt, opus piſtorium valentiſſimum eſſe, quod ex frumento, adipe, melle, caſeo conſtat. In media vero materia numerari ex oleribus debere ea, quorum radices, vel bulbos aſſumimus; ex quadrupedibus, leporem; aves omnes a minimis ad phœnicopterum; item piſces omnes, qui ſalem non patiuntur [54], ſolidive ſaliuntur. Imbecilliſſimam vero materiam eſſe, omnem caulem oleris [55], & quidquid in caule naſcitur, qualis eſt cucurbita, & cucumis, & capparis; omnia poma, oleas, cochleas, itemque conchylia. Sed quamvis hæc ita diſcreta ſint, tamen etiam, quæ ſub eadem ſpecie ſunt, magna diſcrimina recipiunt; aliaque res alia vel valentior eſt, vel infirmior. Siquidem plus alimenti eſt in

51. *quæ alunt*) Antea legebatur, *quæ nos alunt*. Melius in Codice Medic. I. quem ego ſecutus ſum.

52. *aſſumendæ erunt*) Hunc quoque locum ſic reſtitui ex Codice modo allato. Alii leg. *aſſidue neceſſariæ erunt*. Lindenius, *aſſumendæ neceſſario erunt*, ut eſt in margine Edit. Conſtantini. Sed vox *neceſſario* minime neceſſaria eſt.

53. *valentiſſimum*) Al. *Id valentiſſimum*.

54. *ſalem non patiuntur*) Vulgarem hanc lectionem Codex Medic. I. confirmat; in reliquis ſex deeſt particula negativa *non*.

55. *omnem caulem oleris*) Nam bulbi & radices in media materia ſunt. Ex quo intelligitur, *omne olus*, ut communiter legebatur, retineri non poſſe. Ego ſic repoſui ex Cod. Mediceo I. ut & deinde *in caule*, cum antea legeretur *in cauliculo*.

in pane [56], quam in ullo alio: firmius eſt triticum, quam milium; idipſum, quam hordeum; & ex tritico firmiſſima ſiligo, deinde ſimila, deinde cui nihil ademptum eſt, quod αὐτόπυρον Græci vocant; infirmior eſt, ex polline; infirmiſſimus, cibarius panis. Ex leguminibus vero valentior faba, vel lenticula, quam piſum. Ex oleribus valentior rapa, napique, & omnes bulbi (in quibus cepam quoque, & allium numero) quam paſtinaca, vel quæ ſpecialiter [57] radicula appellatur: item firmior braſſica, & beta, & porrum, quam lactuca, vel cucurbita, vel aſparagus. At ex fructibus [58] ſurculorum valentiores uvæ, ficus, nuces, palmulæ, quam quæ poma proprie nominantur [59]: atque ex his ipſis firmiora, quæ ſuccoſa, quam quæ fragilia [60] ſunt. Item ex iis avibus, quæ in media ſpecie ſunt, valentiores eæ, quæ pedibus [61], quam quæ volatu magis nituntur; & ex iis, quæ volatu fidunt,

56. *in pane, quam in ullo alio*) h. e. quam in ulla alia re. Hujus loquendi formæ duo exempla occurrunt in uno capite 17. lib. 5. *neque hujus ullus modus eſt*, pro hujus rei: deinde *alicui molliori*, pro rei alicui molliori. Antea legebatur *carne*; & ita Codices habent Mediceus I. & Vaticani II. & VII. Lindenius repoſuit *pane*, quod ceteri Codices habent. Sed & ipſe Lindenius, & alii omnes, præter unum Stephanum, hæc verba a ſequentibus ita dividunt: *alio. Firmius eſt triticum &c.* minus bene: nam Celſus ſententiam continuat, explicans ex variis frumentis, ex quibus panis fit, quæ firmiora, quæque infirmiora ſint. Non poteſt igitur legi *carne*; quod cum ſuperioribus proximiſque nullo modo cohæreat. Diſcrimina enim proponuntur, non quæ, exempli gratia, inter carnes & frumenta, inter frumenta & olera intercedunt; ſed quæ inter carnem & carnem, inter frumentum & frumentum, inter olus & olus.

57. *quæ ſpecialiter*) In Codice Medic. I. deeſt *quæ*. Vox *ſpecialiter* mihi ſuſpecta eſt. Nam & recte legas, *quæ radicula appellatur*, ut apud Plinium lib. 19. H. N. cap. 3. *At quæ vocatur radicula*: & Celſus *proprie* uſurpare ſolet hac ſignificatione; quod in ejus ſcriptis frequenter occurrit. *Specialiter* fortaſſe ab illo eſt, qui hæc verba, *& id quod ſpecialiter ſic vocatur*, addidit in lib. 5. cap. 24. ſect. 4. Adverte radiculam a Celſo appellari, quam alii radicem Syriacam, vel radicem ſimpliciter, alii raphanum nominant. Plinio vero l. c. radicula eſt radix lanaria; στρούθιον Græci vocant.

58. *fructibus*) Codices Medicei, præter primum, *frugibus*.

59. *quam quæ poma proprie nominantur*) Pomum modo commune nomen eſt, ut ſupra, *poma omnia*; ubi etiam uvas, ficus, nuces, palmulaſque Celſus intelligit: modo proprium, ut hoc loco. Atque hoc diſcrimen, ab idoneis Auctoribus poſitum inter poma proprie dicta, atque uvas, ficus, nuces, Macrobius jam adnotavit lib. 2. Saturn. cap. 15. Pro *quam quæ* Lindenius leg. *quæque*; ſed perperam.

60. *fragilia*) Ita ex Mſs. & ex Edd. Aldina & Lindeniana. Alii leg. *frigida*.

61. *valentiores eæ, quæ pedibus*) In Mſs. *valentiora ea quæ pedibus*. In Mediceo I. *valentiorra ea &c.* deinde *nititur*; ex emendatione autem Palavicini *valentior*: unde & in Vatic. VI. & vulgo quoque legit. *valentior ea quæ pedibus*, & *nititur*. Ego ſecutus ſum Lindenii lectionem, cum in ceteris Mſs. invenerim, non *nititur*, ſed *nituntur*. Libentius tamen legerim, *valentiores, quæ pedibus*. Nam in Mſs. *valentiora ea* videtur corruptum eſſe ex *valentiores*.

ſidunt, firmiores quæ grandiores aves, quam [62] quæ minutæ ſunt; ut ficedula & turdus. Atque eæ quoque, quæ in aqua degunt, leviorem cibum præſtant, quam quæ natandi ſcientiam non habent. Inter domeſticas vero quadrupedes, leviſſima ſuilla eſt; graviſſima, bubula: itemque ex feris, quo majus quodque animal, eo robuſtior ex eo cibus eſt. Piſciumque eorum, qui ex media materia ſunt, quibus maxime utimur, tamen graviſſimi ſunt ex quibus [63] ſalſamenta quoque fieri poſſunt, qualis lacertus eſt; deinde qui [64], quamvis teneriores, tamen duri ſunt, ut aurata, corvus, ſparus [65], oculata; tum plani; poſt quos etiamnum [66] leviores lupi, mullique; & poſt hos, omnes ſaxatiles. Neque vero in generibus rerum tantummodo diſcrimen eſt, ſed etiam in ipſis: quod & ætate fit, & membro, & ſolo, & cœlo, & habitu. Nam quadrupes omne animal, ſi lactens eſt [67], minus alimenti præſtat: itemque quo tenerior pullus cohortalis eſt: in piſcibus quoque media ætas, quæ nondum ſummam [68] magnitudinem implevit. Deinde ex eodem ſue, ungulæ, roſtrum, aures, cerebellum; ex agno, hœdove, cum petiolis totum caput aliquanto, quam cetera membra, leviora ſunt: adeo ut in media materia poni poſſint. Ex avibus, colla, alæve recte infirmiſſimis [69] annumerantur. Quod ad ſolum vero pertinet, frumentum quoque [70] valentius eſt colli-

62. *firmiores quæ grandiores aves, quum &c.*) Vox *aves* gloſſema ſapit. Locus hic ita habetur in Mſs. Mediceis, ſi primum excipias: *& ex his quæ volant media ſpecie ſunt valentiores.*

Quæ grandiores aves quam quæ minutæ ſunt. Ex hoc librarii errore colligitur, *valentiores* ſupra legendum eſſe. In Lindeniana Edit. habetur: *firmiores ſunt grandiores aves, quam minutæ, ut &c.*

63. *tamen graviſſimi ſunt ex quibus*) h. e. graviſſimi ſunt ii, ex quibus &c. Male Lindenius: *tamen graviſſimi ſunt: tum ex quibus &c.* Idem ſupra leg. *quamvis maxime utimur*, pro *quibus maxime utimur*.

64. *deinde qui*) Linden. *deinde hi, qui*. In Codice quoque primo eſt *hii;* ſed a reliquis Mediceis abeſt pronomen.

65. *ſparus*) Sic legendum cum Lindenio, ſuffragante Codice Mediceo vetuſtiori. Alii leg. *ſcarus*.

66. *etiamnum*) Antea legebatur *etiam*: non male quidem: ego tamen ex Cod. Medic. I. repoſui *etiamnum*, quod ſic alibi a Noſtro uſurpatur; velut lib. 5. cap. 28. ſect. 17. lib. 6. c. 6. ſect. 1. lib. 7. c. 7. ſect. 15. Lindenius leg. *etiam leviores ſunt*.

67. *quadrupes omne animal, ſi lactens eſt*) Lindenius ſic mutavit: *quadrupes vel omne animal, ſi lactens eſt*. Ego præter quadrupedum, non aliud brutorum genus novi, quod lactet. Alii leg. *lactans*.

68. *ætas, quæ nondum ſummam*) In Edit. Lindenii: *ætas, quæque nondum ſummam*; in Cod. Medic. I. *ætas quæ non ſummam*.

69. *infirmiſſimis*) Alii leg. *infirmis*, ut eſt in Cod. Medic. I. & in Vatic. VI. In ceteris eſt *infirmiſſimis*, ut Lindenius edidit.

70. *frumentum quoque*) Legendum opinor *quodque*, pro *quoque*.

num, quam campeſtre: levior piſcis inter ſaxa editus, quam in arena; levior in arena, quam in limo: quo fit, ut ex ſtagno, vel lacu, vel flumine eadem genera graviora ſint: leviorque, qui in alto, quam qui in vado vixit [71]. Omne etiam ferum animal domeſtico levius; & quodcumque humido cœlo, quam quod ſicco natum eſt. Deinde eadem omnia [72] pinguia, quam macra; recentia, quam ſalſa; nova, quam vetuſta, plus alimenti habent. Tum res eadem magis alit jurulenta, quam aſſa; magis aſſa, quam elixa [73]. Ovum durum valentiſſimæ materiæ eſt; molle, vel ſorbile, imbecilliſſimæ. Cumque panificia omnia firmiſſima ſint, elota tamen quædam genera frumenti, ut alica, oryza, ptiſana, vel ex iiſdem facta ſorbitio, vel pulticula, & aqua quoque madens panis, imbecilliſſimis annumerari poteſt.

Ex potionibus vero, quæcumque ex frumento facta eſt, itemque lac, mulſum, defrutum, paſſum, vinum aut dulce, aut vehemens, aut muſtum, aut magnæ vetuſtatis, valentiſſimi generis eſt. At acetum, & id vinum quod paucorum annorum, vel auſterum, vel pingue [74] eſt, in media materia eſt: ideoque infirmis numquam generis alterius dari debet [75]. Aqua omnium imbecilliſſima eſt. Firmiorque ex frumento potio eſt, quo firmius fuit ipſum frumentum: firmior ex eo vino, quod bono ſolo, quam quod tenui; quodque temperato cœlo, quam quod aut nimis humido, aut nimis ſicco, nimiumque aut frigido, aut calido natum eſt. Mulſum, quo plus mellis habet; defrutum, quo magis in-

71. *vixit*) Lindenius *vivit*.

72. *eadem omnia*) In Cod. Medic. I. *etiam omnia*.

73. *elixa*) Ita in Manuſcriptis Medic. I. & Vatic. VI. & in Editionibus Aldi & Ruellii. Alii habent *frixa*; quod non eſt probandum.

74. *pingue*) Alii leg. *lene*; fortaſſe ab interpretatione. Ruellius & Lindenius, *pingue*; & ita habent Codices Mſs. Medic. I. & Vatic. VI. Pinguis vini mentio fit lib. 3. cap. *6.* & lib. *6.* c. *6.* ſect. 15. Plinius quoque lib. 3. H. N. cap. 1. memorat vinum pingue, nigrum; & tenui, auſtero opponit. Attamen & *vinum lene* Celſus habet non uno loco; ſed ſine controverſia lib. 4. cap. 5. & *6.*

75. *numquam generis alterius dari debet*) Lindenius leg. *numquam ejus generis dari debet*. Cujus igitur generis dabitur? valentiſſimi, opinor. Quaſi Celſus ſub finem capitis hæc non addiderit: *imbecillis hominibus rebus infirmiſſimis opus eſt; mediocriter firmos media materia optime ſuſtinet; & robuſtis apta validiſſima eſt*. Itaque retinenda eſt vetus lectio, Mſs. omnibus confirmantibus. Senſus eſt: ubi vinum infirmis dandum eſt, non aliud, dari debet, quam quod ex media materia eſt.

incoctum [76]; paſſum, quo ex ſicciore uva eſt, eo valentius eſt. Aqua leviſſima pluvialis eſt; deinde fontana; tum ex flumine; tum ex puteo; poſthæc ex nive, aut glacie; gravior his, ex lacu; graviſſima, ex palude. Facilis etiam, & neceſſaria cognitio eſt naturam ejus requirentibus. Nam levis, pondere apparet; & ex iis, quæ pondere pares ſunt, eo melior quæque eſt, quo celerius & calefit & frigeſcit, quoque celerius ex ea legumina percoquuntur. Fere vero ſequitur, ut, quo valentior quæque materia eſt, eo minus facile concoquatur; ſed ſi concocta eſt, plus alat. Itaque utendum eſt materiæ genere pro viribus; moduſque omnium [77] pro genere ſumendus. Ergo imbecillis hominibus, rebus infirmiſſimis opus eſt; mediocriter firmos, media materia optime ſuſtinet; & robuſtis apta validiſſima eſt. Plus deinde aliquis aſſumere ex levioribus poteſt: magis in iis, quæ valentiſſima ſunt, temperare ſibi debet.

XIX. Neque hæc ſola diſcrimina ſunt; ſed etiam aliæ res boni ſucci, aliæ mali ſunt; quas ἄχυλους vel κακόχυλους [78] Græci vocant; aliæ lenes, aliæ acres; aliæ craſſiorem pituitam in nobis faciunt, aliæ tenuiorem; aliæ idoneæ ſtomacho, aliæ alienæ ſunt: itemque aliæ inflant, aliæ ab hoc abſunt; aliæ calefaciunt, aliæ refrigerant; aliæ facile in ſtomacho aceſcunt, aliæ non facile intus corrumpuntur; aliæ movent alvum, aliæ ſupprimunt; aliæ citant urinam, aliæ tardant [79]; quædam ſomnum movent, quædam ſenſus excitant. Quæ omnia ideo noſcenda ſunt, quoniam aliud alii, vel corpori, vel valetudini, convenit.

XX. Boni ſucci ſunt, triticum, ſiligo, alica, oryza, amy-

76. *incoctum*) Lindenius leg. *decoctum*; Conſtantini Editio in margine *excoctum*. Sed Codices Medicei I. III. aliique utique habent *incoctum*.

77. *moduſque omnium*) rerum. Sic autem habetur in Cod. Medic. I. & in margine Edit. Conſtantini. Alii ad perſonas transferunt, & leg. *moduſque omnibus*; ſed minus probandi ſunt.

78. *ἄχυλους vel κακόχυλους*) Ita in Codice Medic. I. & in Editionibus Ruellii & Stephani. Fortaſſe adnotatio eſt ſumpta ex margine; ut & ex varietate lectionis ſuſpicari licet. Nam alii leg. *ἀχύλας vel κακόχυλας*; Conſtantinus ἄχυλα & κακόχυλα; Lindenius *quæ ἄχυμα*, & *κακοχύμα*. In Mſs. Mediceis tertio, ſeptimo, aliiſque eſt: ΧΥΧΟΤΡΟΦΑC (in al. ΧΥΛΟΤΡΟΦΑC, fortaſſe καλότροφας) *vel* ΚΑΚΟΤΡΟΦΑC.

79. *aliæ tardant*) Non apparet ex ſequentibus, quæ res urinam tardent. Earum uſus ſi umquam, maxime neceſſarius eſſet, cum urina ſupra potionum modum profluens periculum facit. Sed lib. 4. cap. 20. ſect. 2. nihil ejuſmodi reperitur; vitanda dumtaxat dicuntur *omnia*, *quæ urinam movere conſueꝛunt*.

lum [80], tragum, ptiſana, lac, caſeus mollis, omnis venatio, omnes aves, quæ ex media materia ſunt; ex majoribus quoque eæ, quas ſupra nominavi [81]: medii inter teneros duroſque piſces, ut mullus, & lupus: verna lactuca [82], urtica, malva, cucumis, cucurbita, ovum ſorbile [83], portulaca, cochleæ, palmulæ: ex pomis quodcumque neque acerbum, neque acidum eſt: vinum dulce, vel lene, paſſum, defrutum, oleæ, quæ ex his duobus [84] in alterutro ſervatæ ſunt: vulvæ, roſtra, trunculique ſuum [85], omnis pinguis caro, omnis glutinoſa, omne jecur.

XXI. Mali vero ſucci ſunt, milium, panicum, hordeum, legumina, caro domeſtica permacra, omniſque caro ſalſa, omne ſalſamentum, garum, vetus caſeus, ſiſer, radicula, rapa, napi, bulbi, braſſica, magiſque etiam cyma ejus, aſparagus, beta, cucumis, porrum, eruca, naſturtium, thymum, nepeta, ſatureia, hyſſopum, ruta, anethum, fæniculum, cuminum, aniſum, lapathum, ſinapi, allium, cepa, lienes, renes, inteſtina, pomum quodcumque acidum vel acerbum eſt, acetum, omnia acria, acida, acerba, oleum, piſces quoque ſaxatiles, omneſque, qui ex tenerrimo genere ſunt, aut qui rurſus [86] nimium duri viroſique ſunt, ut fere quos ſtagna, lacus, limoſique rivi ferunt, quique in nimiam magnitudinem exceſſerunt.

XXII.

80. *amylum*) *amulum* hic & fere ubique ſcribitur in Codice Medic. I. Exceptis autem eo Codice, & Editione Lindenii, in aliis adduntur hæc verba, huc temere traducta, opinor, ex margine: *item & lenes ſunt, & ſtomacho aptæ, & calefaciunt*.

81. *nominavi*) Ita ex Codice Medic. I. Al. *nominavimus*. In allato Codice infra: *ut mullus, et lupus*.

82. *verna lactuca*) Alia æſtiva eſt, ſomno aptior. Vid. cap. 32. Pro *verna*, Lindenius repoſuit *olera*.

83. *cucumis, cucurbita, ovum ſorbile*) Credibile eſt, in hoc & capitibus proximis multa peccaſſe librarios, ut in his rebus proclive eſt, alia omittendo, alia repetendo, alia loco movendo, quædam ex margine ſumendo. *cucumis* & hic, & in capite ſequenti habetur, ut notat Conſtantinus. Alterutro ex loco tollenda eſt vox hæc, & quidem hinc potius, ſi Galeni, aliorumque veterum Medicorum ſententia ſequenda eſt. Sed neque *cucurbita* ferenda eſſet, ut iſti putant. *ovum ſorbile* in Edit. Lindenii transfertur poſt *jecur* in fine capitis; in Codice Medic. I. non extat. Fortaſſe ab aliquo additum eſt ex Oribaſio lib. 3. Collect. cap. 15. vel ex Aetio Tetrab. 1. ſerm. 2. cap. 52. vel ex aliquo alio græcæ diſciplinæ.

84. *oleæ, quæ ex his duobus &c.*) oleæ ex paſſo defrutove ſervatæ. Lindenius leg. *oleæ, quæve ex his duobus &c.*

85. *trunculique ſuum*) Alii leg. *trunculique. In ſumma*. Locum reſtituit Lindenius; pro cujus lectione teſtimonium affero Codicis Medicei vetuſtioris.

86. *aut qui rurſus*) Sic leguntur in allato Codice, tum hæc, tum illa infra: *limoſique rivi ferunt, quique &c.* Alii leg. *aut hi, qui rurſus*; & *limoſive rivi ferunt, quive &c.*

XXII. Lenes autem ſunt, ſorbitio [87], pulticula, laganum, amylum, ptiſana, pinguis caro, & quæcumque glutinoſa eſt: quod fere quidem in omni domeſtica fit [88], præcipue tamen in ungulis, trunculiſque ſuum, in petiolis capituliſque hœdorum & vitulorum & agnorum, omnibuſque cerebellis: item qui proprie bulbi nominantur [89], lac, defrutum, paſſum, nuclei pinei. Acria ſunt, omnia nimis auſtera, omnia acida, omnia ſalſa, & mel quidem, quo melius eſt, eo magis: item allium, cepa, eruca, ruta, naſturtium, cucumis, beta, braſſica, aſparagus, ſinapi, radicula, intubus, ocimum, lactuca, maximaque olerum pars.

XXIII. Craſſiorem autem pituitam faciunt, ova ſorbilia, alica, oryza, amylum, ptiſana, lac, bulbi, omniaque fere glutinoſa. Extenuant eamdem, omnia ſalſa, atque acria, atque acida [90].

XXIV. Stomacho autem aptiſſima ſunt, quæcumque auſtera ſunt, etiam quæ acida ſunt [91], quæque contacta ſale modice ſunt: item panis ſine fermento, & elota alica, vel oryza, vel ptiſana; omnis avis, omnis venatio; atque utraque vel aſſa, vel elixa: ex domeſticis animalibus bubula: ſi quid ex ceteris ſumitur, macrum potius, quam pingue: ex ſue, ungulæ, roſtra, aures, vulvæque ſteriles: ex oleribus, intubus [92], lactuca, paſtinaca, cucurbita elixa, ſiſer: ex pomis, ceraſum, morum, ſorbum, pirum fragile, quale Cruſtuminum vel Nævianum eſt: item pira, quæ reponuntur, Tarentina atque Signina; malum orbiculatum, aut Scandianum, vel Amerinum, vel cotoneum, vel Punicum [93], u-

væ

87. *ſorbitio*) Al. *ſorbitiones*.

88. *in omni domeſtica fit*) Ita ex Codice Medic. I. Alii leg. *in omni quæ domeſtica fit*; Ruellius & Conſtantinus *ſit*.

89. *item qui proprie bulbi nominantur*) Hac dicendi ratione allium & cepam excipit, quæ cap. 18. bulbis adnumerat, poſtea capite 19. ab illis diſtinguit. Alii leg. *item ſi qui &c.* ut habent Mſs. Codices, præter Mediceum I. Ego ſecutus ſum Conſtantinum. Et particula quidem *ſi* abeſt etiam a Codice Mediceo modo memorato, reliqua autem verba in eo ſic ſe habent: *Item quod porr dulce nominatur*; ſupra extremam vero litteram vocis *porr* additur *i*, ut legatur *porri*. Sed ex litura apparet antea fuiſſe *proprie*. Lindenius ſimilem Codicem fortaſſe nactus leg. *Item lac & quæ proprie dulcia nominantur*; *defrutum*.

90. *atque acida*) Ita in Cod. Medic. I. Al. *et acida*.

91. *etiam quæ acida ſunt*) Linden. *& quæ acida*; & ſupra *apta*, pro *aptiſſima*. Poſtea, *contacta ſale modice ſunt*, ego lego ex Mſs. Mediceis; *modico*, ut vulgo legitur, eſt in vetuſtiore a Palavicino.

92. *intubus*) Lindenius, *intuba*; & infra, *ponuntur*, pro *reponuntur*.

93. *vel Punicum*) In Codice Medic. I. & in Edd. Ruellii & Lindenii hæc adduntur: *abſinthium*, *murices*, *purpuræ*, *cochleæ*; quæ Codices reliqui Medicei non habent.

Vi-

væ ex olla, molle ovum, palmulæ, nuclei pinei, oleæ albæ ex dura muria, eædem aceto intinctæ, vel nigræ, quæ in arbore bene permaturuerunt [94], vel quæ in paſſo, defrutove ſervatæ [95] ſunt: vinum auſterum, licet etiam aſperum ſit, item reſinatum: duri ex media materia piſces, oſtrea, pectines, murices, purpuræ, cochleæ [96]: cibi, potioneſque frigidæ, vel ferventes: abſinthium [97].

XXV. Aliena vero ſtomacho ſunt, omnia tepida, omnia ſalſa, omnia jurulenta, omnia prædulcia [98], omnia pinguia, ſorbitio, panis fermentatus, idemque vel ex milio, vel ex hordeo, oleum, radices olerum, & quodcumque olus ex oleo garove eſtur, mel, mulſum, defrutum, paſſum, lac, omnis caſeus, uva recens, ficus & viridis & arida [99], legumina omnia, quæque inflare conſueverunt: item thymum, nepeta, ſatureia, hyſſopum, naſturtium, lapathum, lapſana, juglandes [1]. Ex his autem intelligi poteſt, non,

Videntur infititia. De duobus, *murices*, *purpuræ*, dubitari non poteſt. Vid. VI. Morgagni Epiſt. & quæ ego infra ſum adnotaturus.

94. *bene permaturuerunt*) *bene maturuerunt* habet Codex Medic. I.

95. *ſervatæ*) Almeloveenii Editio, *verſatæ*. Sed fortaſſe Operarum error eſt. Legendum *ſervatæ*, ut aliæ Edd. habent, & Codices Mſs. confirmant, & eadem loquendi forma jam uſurpata cap. 20. Deinde, *licet etiam aſperum ſit*, lego ex Codice Medic. I. pro *licet jam aſperum ſit*, ut vulgo legebatur.

96. *murices*, *purpuræ*, *cochleæ*) Ita ab omnibus communiter legitur. Et duas quidem voces, *murices*, *purpuræ*, omnes quoque Medicei Codices habent; vocem vero *cochleæ* nullus habet, niſi quartus alia manu margini adſcriptam. In primo vox hæc, ut dixi, ſupra legitur. Ceterum ſi retinenda eſt, hoc, quam illo loco malim. Porro quemadmodum *murices*, *purpuræ*; ita *nuclei pinei* bis ponitur in Cod. Medic. I. ſemel ſupra, ut in aliis; iterum hic poſt *turtures*: ſic enim is mendoſe habet, pro *purpuræ*.

97. *abſinthium*) In aliis Editionibus & in Codd. Mediceis ceteris huc transfertur vox hæc; quam primus & Lindenii Editio habet poſt verba illa *vel Punicum*, quæ ſupra ſunt. Ruellii Editio habet utroque loco. Pro præcedenti voce *ferventes*, Lindenius reponit *fervidæ*. Oribaſius lib. 3. Collect. cap. 19. abſinthium ponit inter ea, quæ ſtomacho apta ſunt, ſed ad medicamenta refert cum aloe, non vero ad cibos. Attamen infra quoque cap. 31. cum aliis, quæ urinam movent, habetur *abſinthium*.

98. *omnia prædulcia*) Editores omnes, præter Lindenium, omittunt *omnia*; neque ex Mediceis Mſs. alius habet vocem hanc, præter primum. Poſtea, pro *omnia pinguia*, ut communiter legitur, Codices Medicei, excipe ibi quoque primum, habent *omnia dulcia*.

99. *& viridis & arida*) Codex Medic. I. *et virides et aridæ*.

1. *lapathum*, *lapſana*, *juglandes*) Duæ voces poſteriores deſiderantur in Codicibus Mediceis, ſi primum excipias. Sed habet *lapſanum*, ut vulgo legebatur ante Cæſarium: capite vero 31. *labſanum*, ubi ſex reliqui *lapſanum*. Lindenius utrobique *lampſana*. Apud Varronem & Columellam in Edit. Geſneri, & apud Plinium in Edit. Harduini ſcribitur *lapſana*. Pro *lapathum*, ut recentiores Editores legunt cum Cæſario, alii cum Codice Mediceo I. habent *lapatium*. Codex Medic. III. *lapatum*.

non, quidquid boni ſucci eſt, protinus ſtomacho convenire; neque quidquid ſtomacho convenit, protinus boni ſucci eſſe.

XXVI. Inflant autem, omnia fere legumina, omnia pinguia, omnia dulcia[2], omnia jurulenta, muſtum, atque etiam id vinum, cui nihil adhuc ætatis acceſſit: ex oleribus, allium, cepa, braſſica, omneſque radices, excepto ſiſere & paſtinaca, bulbi, ficus etiam aridæ, ſed magis virides, uvæ recentes, nuces omnes, exceptis nucleis pineis, lac, omniſque caſeus, quidquid deinde[3] ſubcrudum aliquis aſſumpſit. Minima inflatio fit ex venatione, aucupio, piſcibus, pomis, oleis, conchiliis, ovis vel mollibus vel ſorbilibus, vino vetere. Fæniculum vero, & anethum, inflationes etiam levant.

XXVII. At calefaciunt, piper, ſal, caro omnis jurulenta, allium, cepa, ficus arida, ſalſamentum, vinum, & quo meracius eſt, eo magis. Refrigerant olera, quorum crudi caules aſſumuntur, ut intubus, & lactuca: item[4] coriandrum, cucumis, elixa cucurbita, beta, mora, ceraſa[5], mala auſtera, pira fragilia, caro elixa, præcipueque acetum, ſive cibus ex eo, ſive potio aſſumitur.

XXVIII. Facile autem intus corrumpuntur, panis fermentatus, & quiſquis alius quam ex tritico eſt, lac, mel; ideoque etiam lactentia atque omne piſtorium opus[6]; teneri piſces, oſtrea, ole-

2. *dulcia*) Lindenius, *prædulcia*.

3. *deinde*) Pro *deinde*, Lindenii Editio habet *denique*, tum hic, tum infra cap. 28.

4. *item*) In Cod. Medic. I. *et item*; in Edit. Lindenii *itemque*.

5. *ceraſa*) Ante Edit. an. 1538. quam omnes poſtea ſecuti ſunt, legebatur *ceraſia*, ut ego in Mſs. Mediceis inveni, tum hic, tum infra cap. 29. ubi Editiones Conſtant. & Linden. ſolæ habent *ceraſa*. Capite quoque 24. pro *ceraſum* omnes fere ſcribunt *ceraſium*.

6. *ideoque etiam lactentia, atque omne piſtorium opus*) quia mel adhibetur ad opus piſtorium, lac ad lactentia conficienda. Lactentia videntur a Celſo vocari cibi ex lacte facti; eoque verbo fortaſſe animalia quoque lactentia ſignificantur. Porro *lactentia*, ut Lindenius edidit, Codex habet Medic. primus; ſex reliqui & Editiones priſcæ, *lactantia*. Capite autem proximo omnes, Medicei Codices, *lactantia*, Lindenii Edit. *lactentia*. Cæſarius, quem multi ſecuti ſunt, utrobique leg. *lactaria*; neque aliter Caſaubonus legendum putat. Sed ego allatos veteres Codices non deſeram, niſi aliquis oſtendat, Cæſarium, non ex ingenio, ſed ex aliis probatis Codicibus illo modo emendaſſe. Nam quod apud Latinos quoſdam Scriptores *lactaria* reperiatur, itemque *lactarii*, h. e. qui ejuſmodi cibos conficiunt; id non probat, *lactentia* eadem ſignificatione dici non poſſe. Ego *ideoque etiam lactentia* reſtitui ex Cod. Medic. I. nam alii non habent particulam *etiam*. Lindenius verba aliter collocat, & quædam mutat: *& omne piſtorium opus, lac, mel; itemque lactentia atque teneri piſces*. Is animalia lactentia ſignificari putat.

lera, caſeus & recens & vetus, craſſa vel tenera caro, vinum dulce, mulſum, defrutum, paſſum; quidquid deinde vel jurulentum eſt, vel nimis dulce, vel nimis tenue. At minime intus vitiantur, panis ſine fermento, aves, & eæ potius duriores, duri piſces; neque ſolum aurata puta, aut ſcarus [7]; ſed etiam lolligo, locuſta, polypus: item bubula, omniſque dura caro; eademque aptior eſt, ſi macra, ſi ſalſa eſt; omniaque ſalſamenta; cochleæ, murices, purpuræ; vinum auſterum, vel reſinatum.

XXIX. At alvum movent, panis fermentatus, magiſque ſi cibarius vel hordeaceus eſt; braſſica, ſi ſubcruda eſt, lactuca, anethum, naſturtium, ocimum, urtica, portulaca, radicula, capparis, allium, cepa, malva, lapathum, beta, aſparagus, cucurbita, ceraſa, mora, poma omnia mitia [8], ficus etiam arida, ſed magis viridis, uvæ recentes, pingues minutæ aves, cochleæ, garum, ſalſamentum, oſtrea, pelorides, echini, muſculi, & omnes fere conchulæ, maximeque jus earum; ſaxatiles, & omnes teneri piſces, ſepiarum atramentum; ſi qua caro aſſumitur pinguis, eadem vel jurulenta, vel elixa; aves, quæ natant; mel crudum, lac, lactentia omnia, mulſum, vinum dulce vel ſalſum, aqua, tenera omnia, tepida, dulcia [9], pinguia, elixa, jurulenta, ſalſa, diluta.

XXX.

7. *aurata puta, aut ſcarus*) Pro *puta*, quod eſt in Codice Medic. I. in Edit. Lindenii & in margine Conſtantinianæ; valet autem *exempli gratia*; alii leg. *pura*, ut eſt in allato Codice a Palavicino. In Mediceis ceteris eſt *tuta*. Sed, pro *ſcarus*, omnino legendum *ſparus*, qui etiam cap. 18. cum aurata inter duros piſces refertur. Scarus eſt ex ſaxatilibus, quod genus omnium leviſſimum eſt, ut eſt in eodem cap. 18.

8. *poma omnia mitia*) Ita in Edit. Lindenii. In Mſs. non *poma*, ſed *uva* inveni. Itaque alii leg. *uva*, *omnia mitia*; quos refellunt hæc verba, *uvæ recentes*, *pingues minutæ aves*; quæ poſtea ſequuntur. (Sic interpungendum: *recentes*, *pingues minutæ aves*; ex Morgagno; ut eſt in Editione Conſtantini, & in Codicibus quibuſdam Mſs. cum alii habeant: *recentes pingues*, *minutæ aves*). Pro *uva*, Ronſſeus *vina* legendum putat.

9. *aqua*, *tenera omnia*, *tepida*, *dulcia*) Alii, duce Cæſario, hæc verba ita diſtinguunt: *aqua tenera*, *omnia tepida*, *dulcia*; ut *aqua tenera* opponatur *duræ*. Sed fortaſſe non eſt neceſſe; quia diſcrimen ſatis apparet ex ipſa *aqua dura* capitis proximi. Ita *mulſum* hic ponitur nullo expreſſo diſcrimine: quod nimirum exprimatur in capite ſequenti his verbis; *mulſum quod inferbuit*: quo in capite legitur etiam *minutæ aves*, ſine exceptione; ſed *pingues minutæ aves* jam poſitum eſt in hoc capite. Igitur *tenera omnia*, vel, ut Lindenius edidit, *omnia tenera*, fortaſſe reſpondent his, *omnia dura* capitis proximi; quemadmodum *dulcia pinguia*, reſpondent his, *macra*, *auſtera*, *aſpera*. Sane in lib. 4. cap. 20. ſect. 2. tenerorum ciborum mentionem facit, ac cibo comprimenti eos opponit. Ceterum, ſi quidquam fidei Codices Mſs. habent in ejuſmodi rebus, hæc verba ita collocantur & diſtinguuntur in Medic. I. *aqua*, *tenera omnia*, *dulcia tepida*; in aliis, *aqua*, *tenera omnia*, *tepida dulcia*.

XXX. Contra adſtringunt, panis ex ſiligine, vel ex ſimila; magis, ſi ſine fermento eſt; magis etiam ſi uſtus [10] eſt; intenditurque vis ejus etiam, ſi bis coquitur: pulticula vel ex alica, vel ex panico, vel ex milio; itemque ex iiſdem ſorbitio; & magis, ſi hæc ante fricta ſunt: lenticula, cui vel beta, vel intubus, vel ambubeia, vel plantago adjecta eſt; magiſque etiam, ſi illa ante fricta eſt: per ſe etiam intubus, vel ex plantagine, vel ambubeia fricta [11]: minuta olera, braſſica bis decocta: dura ova, magiſque ſi aſſa ſunt: minutæ aves, merula, palumbus [12], magiſque ſi in poſca decoctus eſt; grus, omnes aves [13], quæ magis currunt, quam volant; lepus, caprea; jecur ex iis, quæ ſevum habent, maximeque bubulum, ac ſevum ipſum: caſeus, qui vehementior vetuſtate fit, vel ea mutatione, quam in eo tranſmarino [14] videmus, aut ſi recens eſt, ex melle, mulſove decoctus: item mel coctum, pira immatura, ſorba, magiſque ea, quæ torminalia vocantur [15], mala cotonea [16], & Punica, oleæ vel albæ vel perma-

N tu-

10. *uſtus*) Lindenius ex Conſtantini emendatione leg. *toſtus*. Et ſane in lib. 3. cap. 6. eſt *panis toſtus*. Hic tamen veteres Editiones omnes cum Codicibus Mſs. habent *uſtus*; quam lectionem, quamvis Lindeniana arrideat, rejicere non auſim. Nam Plinius quoque uſtum panem dixit in lib. 33. cap. 1. ubi de aceto loquitur: *cibos quidem & ſapores non alius magis ſuccus commendat: in quo uſu mitigatur uſto pane, aut cum vino; vel accenditur pipere ac laſere: utique ſale compeſcitur*. Niſi *uſto pane* ipſius carbo ſignificatur. Quod minus veriſimile eſt, quia carbone ſapores corrumpi videntur; & alioquin aceti vehementia pane bene toſto nonnihil mitigatur. Celſus autem ita panem uſtum fortaſſe dixit, quemadmodum papaveris lacrimam combuſtam, quæ fricta i. e. toſta eſt, lib. 6. cap. 6. ſect. 4. Galli dicunt *du pain brulé*.

11. *vel ex plantagine, vel ambubeia fricta*) Conſtantinus arbitratur legendum *plantago*; in quo ego ei aſſentior. Vox *fricta* quoque mihi valde ſuſpecta eſt. In Mſs. eſt, non *fricta*, ſed *facta*, quod gloſſema puto. Itaque fortaſſe legendum: *vel plantago, vel ambubeia*; ut ſenſus ſit: lenticulam, cui vel intubus, vel ambubeia, vel plantago adjecta eſt, alvum ſiſtere, magiſque ſi ante fricta eſt: ſed intubum quoque & plantaginem & ambubeiam per ſe ſine lenticula, idem præſtare.

12. *palumbus*) Lindenius, *palumbes*; deinde, *decocta*.

13. *grus, omnes aves*) Ita in Mſs. Mediceis, præterquam in I. & in Editionibus vetuſtioribus; quibus utraque Cæſarii accedit, & Lindeniana quoque; ſed hæc habet *omneſque* pro *omnes*. Aldina Editio, *graves quoque aves*. Alii leg. *graves omnes aves*, ut eſt in Codice Medic. I. & ut malebat Cæſarius.

14. *in eo tranſmarino*) Ita Editio Lindenii cum primo; aliæ cum ceteris Mſs. Mediceis, *in caſeo tranſmarino*. Ego ſive *eo* ſive *caſeo* ex gloſſemate inſertum reor.

15. *vocantur*) Codex Medic. I. *nominantur*.

16. *cotonea*) Al. *cydonia*, tum hic, tum alibi; & ita habetur in quibuſdam Mſs. vel, quod idem eſt, *cydonea*. In aliis eſt *citonia*; in Medic. I. & Lindenii Edit. *cotonea*, ut ſupra quoque cap. 24. & infra cap. 33. Scaliger tamen vocem *cotoneum* barbaram & ex Syriaca *Keton* ortam judicat; ideoque melius dici *cydonium*. Variat ſane hæc

turæ [17], myrta, palmulæ, purpuræ, murices, vinum reſinatum vel aſperum, item meracum, acetum, mulſum quod inferbuit, item defrutum [18], paſſum, aqua vel tepida vel præfrigida, dura, id eſt ea, quæ tarde puteſcit; ideoque pluvia [19] potiſſimum: omnia dura, macra, auſtera, aſpera, toſta, & in eadem [20] carne, aſſa potius, quam elixa.

XXXI. Vrinam autem movent, quæcumque in horto naſcentia boni odoris ſunt, ut apium, ruta, anethum, ocimum, mentha, hyſſopum, aniſum, coriandrum, naſturtium, eruca, fœniculum: præter hæc, aſparagus, capparis, nepeta, thymum, ſatureia, lapſana, paſtinaca, magiſque agreſtis, radicula, ſiſer, cepa; ex venatione, maxime lepus; vinum tenue, piper & rotundum & longum, ſinapi, abſinthium, nuclei pinei [21].

XXXII. Somno vero aptum eſt papaver, lactuca, maximeque æſtiva, cujus cauliculus [22] jam lacte repletus eſt, morum, porrum [23]. Senſus excitant, nepeta, thymum, ſatureia, hyſſopum, præcipueque pulegium, ruta, & cepa.

XXXIII. Evocare vero materiam multa admodum poſſunt: ſed ea, cum ex peregrinis medicamentis maxime conſtent [24], aliiſque magis, quam quibus ratione victus ſuccurritur, opitulentur, in præſentia differam: ponam vero ea, quæ prompta, & iis morbis, de quibus protinus dicturus ſum, apta, corpus erodunt, &

hæc vox in antiquis libris; quod allata exempla ſignificant: ſed Latinos & *cotoneum* dixiſſe ex Plinii verbis apparet; ubi lectionis varietatem nemo, quod ſciam, commentus eſt. Plinius igitur lib. 15. cap. 11. ita ſcribit: *mala, quæ vocamus cotonea, & Græci cydonia*.

17. *permaturæ*) Cæſarius & Lindenius, *præmaturæ*. Vox autem proxima *murta* per *u* ſcribitur in Cod. Medic. I. Sic & infra cap. 33. *murti foliis*, & alibi.

18. *item defrutum*) Lindenius leg. *aſperum item defrutum*; ſed minime probandus videtur.

19. *pluvia*) *pluviatilis* habet Lindenii Editio, neque alius præterea impreſſus aut manuſcriptus liber, quem ego viderim.

20. *& in eadem*) Tres hæ voces deſunt in Codice Medic. I.

21. *nuclei pinei*) In Codice Medic. I. hæc adduntur: *et quæ tertio libro hydropi enumerantur titulo XV.* quæ nemo negabit, temere ex margine deſcripta eſſe. Medicei ceteri iſta non habent.

22. *cauliculus*) Cod. Medic. I. *coliculus*; & cap. proximo *colibus*, pro *caulibus*.

23. *morum, porrum*) Pro *porrum* Codex Medic. I. *porrus*. Ceterum locus hic non eſt ſine ſuſpicione vitii alicujus; ut alii ante me animadverterunt. Infra, pro *excitant*, modo allatus Codex habet *excitat*.

24. *cum ex peregrinis medicamentis maxime conſtent*) Ita in Edit. Lindenii, & in Codice quoque Mediceo I. Alii leg. *quæ ex peregrinis medicamentis maxime conſtant*; & deinde, *opitulantur*. Iſti non videntur intellexiſſe, diſtingui a Celſo quæ materiam evocant, ab iis quæ corpus rodendo eamdem extrahunt.

& ſic eo [25], quod mali eſt, extrahunt. Habent autem hanc facultatem, ſemina erucæ, naſturtii, radiculæ; præcipue tamen omnium, ſinapi. Salis quoque & fici eadem vis eſt.

Leniter vero ſimul & reprimunt & molliunt, lana ſuccida ex aceto vel vino, cui oleum [26] adjectum eſt; contritæ palmulæ, furfures in ſalſa aqua vel aceto decocti [27]. At ſimul reprimunt & refrigerant, herba muralis, παρθένιον vel περδίκιον [28] appellant, ſerpyllum [29], pulegium, ocimum, herba ſanguinalis, quam Græci πολύγονον vocant, portulaca, papaveris folia, capreolique vitium, coriandri folia, hyoſcyamum [30], muſcus, ſiſer, apium, ſolanum, quam στρύχνον Græci vocant, braſſicæ folia, intubus, plantago, fœniculi ſemen, contrita pira vel mala, præcipueque cotonea, lenticula, aqua frigida, maximeque pluvialis, vinum, acetum, & horum aliquo madens [31] vel panis, vel farina, vel ſpongia,

25. *& ſic eo*) Alii Cæſarium ſequuntur, & leg. *ex eo, quod &c.* Sed præpoſitio *ex* abeſt ab Editionibus vetuſtis, & a Codicibus Mſs. Lindenius leg. *ex eo, quidquid mali eſt*. Ego veterem lectionem Mſs. confirmatam rejicere non auſim.

26. *lana ſuccida ex aceto vel vino, cui oleum*) Ita legunt cum Cæſario Lindenius aliique. In Editionibus vetuſtioribus habetur: *lana ſuccida vel aceto vel vino, quo oleum*; ut Palavicinus correxit in Codice Medic. I. cum eſſet: *lana ſuccida quo cum aceto vel vino oleum*. Codices ceteri Medicei habent: *lana ſuccida vel aceto et vino* (aliqui *vel vino*) *oleum*. Fortaſſe retinendum eſt *quo*: cum ita Celſus etiam alibi loquatur. Vid. Adnotat. 88. lib. 4. cap. 9.

27. *decocti*) *decoctæ* habent cum Codicibus Mediceis Editio Aldina & vetuſtiores omnes.

28. *παρθένιον vel περδίκιον*) His duabus vocibus Editores vulgo latinitatem tribuerunt ſcribentes: *parthenium vel perdicium*; præter unum Ruellium, ut animadvertit Morgagnus. Et ipſe Morgagnus in ſuo & ego in Mediceis Codicibus græce & ſcriptas & elatas invenimus.

29. *ſerpyllum*) Cod. Medic. I. *ſerpullum*; ut aliis pleriſque in locis.

30. *coriandri folia, hyoſcyamum*) Hyoſcyamum hoc loco eſt generis neutrius, ut quidem Editores communi conſenſu habent. Sed turbant Mſs. Codices. Nam plerique habent ΥΩCΚΥΑΜΙ. In Mediceo I. eſt *hyoſcyamum*; at non *coriandri folia*, ſed *coriandrum folia*. Itaque non deerit fortaſſe qui legere malit: *coriandrum, folia hyoſcyami*. Ceterum hæc vox neutro genere ſæpius uſurpatur a Plinio. En loca duo, de quibus dubitare non licet: lib. 25. cap. 9. *Hyoſcyamum contuſum cum foliis ex vino datur &c.* lib. 28. cap. 10. *ſi hyoſcyamum potum ſit*. Immo generis maſculini fortaſſe non invenitur apud illum Auctorem niſi in lib. 25. cap. 4. *apud Græcos vero hyoſcyamus appellatur*. Sed ibi reponendum videtur ὑοσκύαμος. Et ſane in Edit. antiquiſſima an. 1469. eſt *hyoſtyamos*; in pervetuſto Ms. Codice Florentiæ apud Riccardos *hyoſcyamos*.

31. *& horum aliquo madens*) Ego ſic repoſui ex Codice Medic. I. niſi quod *aliquod* habet mendoſe, pro *aliquo*. Ita Celſus ſolet conſtruere verbum *madeo*; ſupra cap. 18. *aqua madens panis*; lib. 5. c. 26. ſect. 33. *linteolum frigida aqua madens*; lib. 8. c. 7. *linteolum duplex madens vino & oleo*. Alii omnes leg. cum præpoſitione, ut eſt in ceteris Mſs. Mediceis, *& ex horum aliquo magis madens*; ſed Lindenius tollit *magis*.

gia, vel cinis [32], vel lana ſuccida, vel etiam linteolum, creta Cimolia, gypſum, melinum, myrteum, roſa, acerbum oleum, verbenarum contuſa cum teneris caulibus folia; cujus generis ſunt olea, cupreſſus, myrtus, lentiſcus, tamarix, liguſtrum, roſa, rubus, laurus, hedera, Punicum malum. Sine frigore autem reprimunt, cocta mala cotonea [33], malicorium, aqua calida, in qua verbenæ coctæ ſunt, quas ſupra poſui [34], pulvis vel ex fæce vini, vel ex myrti foliis, amaræ nuces. Calefacit vero, ex qualibet farina cataplaſma, ſive ex tritici, ſive ex farris, ſive hordei, ſive ervi, vel lolii, vel milii, vel panici, vel lenticulæ, vel fabæ, vel lupini, vel lini [35], vel fœni græci, ubi ea deferbuit, calidaque impoſita eſt. Valentior tamen ad id omnis farina eſt ex mulſo, quam ex aqua cocta. Præterea cyprinum, irinum, medulla, adeps ex fele [36], oleum, magiſque ſi vetus eſt, junctaque oleo ſal [37], nitrum, gith, piper, quinquefolium. Fereque, quæ vehementer & reprimunt & refrigerant [38], durant; quæ ca-

32. *cinis*) Lindenius, *lacinia*. Cur non *cinis?* cum lib. 7. cap. 1. inter reprimentia ponatur *cinis . . . . ex aceto vel etiam ex aqua*.

33. *mala cotonea*) Vox *mala* omittitur in Editione Cæſarii an. 1538. in Pantiniana & Lindenii.

34. *poſui*) Ita in Cod. Medic. I. Alii leg. *propoſui*.

35. *vel lini*) Hæc duo verba deſunt in Codice modo allato. In eodem infra eſt *tam ex mulſo*, pro *ex mulſo*; ſed perperam.

36. *adeps ex fele*) Calefacit & ſuillus, ut cum Plinio lib. 15. H. N. cap. 9. antiqui medici ſentiunt: immo non alio magis utebantur. De felis adipe nihil apud illos invenio, quamobrem credendum ſit, ſolum eum a Celſo eſſe poſitum. Niſi tollendæ ſunt duæ voces *ex fele*, ut ego ſuſpicor, licet in Mſs. Codicibus invenerim; malim legere *ex ſale*: nam ſalſus adeps impenſius calefacit, ut eſt apud Plinium loc. cit. Legitur *ex fele*, & in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ, & in Mediceo primo, multiſque aliis Mſs. Codicibus. In nonnullis eſt *ex felle*; atque ita veteres omnes Editiones habent. Sed neque id probandum videtur. Fel enim, quamvis calefaciat, ut eſt apud *Dioſcoridem* lib. 2. cap. 96. & apud Galenum lib. 10. de ſimpl. medic. facult. cap. 2. miſcere adipi, quo ad frictiones utebantur, moris non fuit antiquorum medicorum.

37. *oleum, magiſque ſi vetus eſt, junctaque oleo ſal &c.*) Sic reſtitui locum hunc ex Codice Mediceo vetuſtiori. Antea legebatur: *adeps ex fele* (vel *felle*) *juncta oleo, magiſque ſi vetus eſt, ſal &c.* Oleum utique calefacit, & quo vetuſtius eſt, eo magis. Itaque de hoc convenit. Quanto autem melior lectio ſit: *junctaque oleo ſal &c.* ii facile intelligunt, qui norunt, oleo ad frictiones ſæpe adjici ſal, nitrum, & alia calefacentia. Sic lib. 3. cap. 9. *frictio ex oleo & ſale*: & cap. 11. *perfricandæ partes manibus unctis ex vetere oleo, eique adjiciendum aliquid ex calefacientibus*: & cap. 16. *oleo ad frictiones adjicere calefacientia*: & cap. 21. *quotidie ter quaterve opus eſt uti frictione vehementi, cum oleo & quibuſdam calefacientibus*: & lib. 4. cap. 12. *perfricari ter aut quater die ſic, ut nitrum oleo adjiciatur*. Pro *ſal, nitrum*, quidam leg. *ſal nitrum*; Egnatius, *ſal nigrum*.

38. *quæ vehementer & reprimunt & refrigerant*) Quæ ſupra jam poſita ſunt. Codex Mediceus I. non habet particulam *&* ante *reprimunt*.

calefaciunt [39], digerunt & emolliunt [40]: præcipueque ad emolliendum poteſt cataplaſma ex lini vel fœni græci ſemine. His autem omnibus, & ſimplicibus, & permiſtis, varie medici utuntur; ut magis, quid quiſque perſuaſerit ſibi, appareat, quam quid evidenter compererit.

39. *& refrigerant, durant; quæ calefaciunt &c.*) Alii leg. *& refrigerant. Durant quæ calefaciunt &c.* & ſupra, *quinquefolium, fereque quæ vehementer &c.* In primo ſic habetur: *& refrigerant, durantque calfaciunt &c.* in Codicibus Mediceis ceteris, *& refrigerant dura quæ* (vel *que*) *calfaciunt &c.* Verba recte interpunxit Lindenius, in quo ei præiverat Ronſſeus in ſuis enarrationibus. Hos ego ſecutus ſum. Sed Lindenius leg. *& refrigerant, durant: quæ autem calefaciunt &c.*

40. *digerunt & emolliunt*) Ita in primo; in aliis Mſs. Mediceis; ut plerique omnes vulgo leg. *& digerunt & emolliunt* (vel *molliunt*). Lindenius leg. *& digerunt, ea emolliunt.*

LIBER TERTIUS.

I. PRoviſis [41] omnibus, quæ pertinent ad univerſa genera morborum, ad ſingulorum curationes veniam. Hos autem in duas ſpecies Græci diviſerunt; alioſque ex his acutos, alios longos eſſe dixerunt: ideoque, quoniam non ſemper eodem modo reſpondebant, eoſdem alii inter acutos, alii inter longos retulerunt. Ex quo, plura eorum genera eſſe, manifeſtum eſt. Quidam enim breves acutique [42] ſunt, qui cito vel tollunt hominem, vel ipſi cito finiuntur: quidam longi, ſub quibus neque ſanitas in propinquo, neque exitium eſt: tertiumque genus eorum eſt, qui modo acuti, modo longi ſunt; idque non in febribus tantummodo, in quibus frequentiſſimum eſt, ſed in aliis quoque fit. Atque etiam, præter hos, quartum eſt, quod neque acutum dici poteſt, quia non perimit; neque utique longum, quia, ſi occurritur, facile ſanatur. Ego, cum de ſingulis dicam, cujus quiſque generis ſit, indicabo. Dividam autem omnes in eos, qui in totis corporibus conſiſtere videntur, & eos, qui oriuntur in partibus. Incipiam a prioribus, pauca de omnibus præfatus. In nullo quidem morbo minus fortuna ſibi vindicare, quam ars poteſt [43]; utpote cum, repugnante natura, nihil medicina proficiat. Magis tamen ignoſcendum

41. *Proviſis*) Editio Conſtantini in margine, *Præviſis*. Etiam lib. 5. cap. 27. ſect. 2. *remedium eſt nec opinantem in piſcinam non ante ei proviſam projicere;* Conſtantinus mallet, *præviſam*. Lindenius, qui ibi retinet *proviſam*, hic recipit *Præviſis*. Sed veterem lectionem Codices Medicei confirmant.

42. *acutique*) Alii leg. *utique*, neque aliter habent Codices Medicei. Mihi magis probatur lectio Lindenii, ſive potius Conſtantini. Is enim *acutique* legendum eſſe, multo ante conjecerat.

43. *minus fortuna ſibi vindicare, quam ars poteſt*) *Siquidem in morbis, cum multum fortuna conferat &c.* inquit in Præfat. lib. 7. Lindenius, fortaſſe exiſtimans, hæc non cohærere cum proximis verbis, *utpote cum repugnante natura nihil medicina proficiat*, quædam addit, alia mutat, & ſic legit: *plus fortuna ſibi vendicare quam ars, ars, quam natura poteſt*. Sed voci *fortuna* ſatis reſpondet vox *natura*; ut ex allato quoque loco lib. 7. colligitur, ubi voci *fortuna* reſpondent hæc verba, *corporis beneficio*. Eſt enim in fortuna poſitum, repugnet, nec ne natura. Hic tamen, pro *repugnante natura*, Egnatius leg. *repugnante fortuna*, ut omnes, præter primum, Medicei Codices habent. Mihi probatur *natura*. Ceterum duo verba, *ſibi vindicare*, conſtructionem aliquanto duriorem faciunt, & ſi tollantur, ſenſus idem remanet. Verumtamen ſequemur libros antiquos. Pro *vindicare* Cæſarius leg. *vendicat*: in qua conſtructione verbum *poteſt* melius omitteretur.

dum medico eſt parum proficienti in acutis morbis, quam in longis. Hic enim breve ſpatium eſt, intra quod, ſi auxilium [44] non profuit, æger extinguitur: ibi & deliberationi, & mutationi remediorum tempus patet; adeo ut raro, ſi inter initia medicus acceſſit, obſequens æger ſine illius vitio pereat. Longus tamen morbus cum penitus inſedit, quod ad difficultatem pertinet, acuto par eſt. Et acutus quidem, quo vetuſtior eſt; longus autem, quo recentior, eo facilius curatur. Alterum illud ignorari non oportet, quod non omnibus ægris eadem auxilia conveniunt. Ex quo incidit, ut alia atque alia ſummi auctores, quaſi ſola, vindicaverint [45], prout cuique ceſſerant. Oportet itaque, ubi aliquid non reſpondet [46], non tanti putare auctorem, quanti ægrum, & experiri aliud atque aliud: ſic tamen, ut in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodeſt; in longis, quos tempus, ut facit, ſic etiam ſolvit, non ſtatim condemnetur, ſi quid non ſtatim profuit; minus vero removeatur, ſi quid paulum ſaltem juvat; quia profectus tempore expletur.

II. Protinus autem inter initia ſcire facile eſt, quis acutus morbus, quis longus ſit: non in iis ſolum [47], in quibus ſemper ita ſe habet; ſed in iis quoque, in quibus variat. Nam ubi ſine intermiſſionibus acceſſiones & dolores graves urgent [48], acutus morbus eſt: ubi lenti dolores, lentæve febres ſunt, & ſpatia inter acceſſiones porriguntur, acceduntque ea ſigna, quæ in priore volumine expoſita ſunt, longum hunc futurum eſſe, manifeſtum eſt. Videndum etiam eſt, morbus an increſcat, an conſiſtat, an minuatur: quia quædam remedia increſcentibus morbis, plura inclinatis conveniunt; eaque, quæ creſcentibus [49]

44. *ſi auxilium*) Ita ex Cod. Medic. I. cum antea legeretur: *ſi quod auxilium*; quod minus placet.

45. *vindicaverint*) Hoc ſenſu, eademque fere in re Plinius dixit: *Durabat tamen antiquitas firma, magnaſque confeſſæ rei vindicabat reliquias* lib. 26. cap. 3. Fortaſſe tamen legendum eſt *venditaverint*, ut Lindenius edidit. Ego meo inſtituto utar, & veteres Codices temere non deſeram. Porro Codices Mſs. alii habent *vendicaverint*, ut Editiones pleræque; alii *vendicarint*, ut Editio Aldina, vel *vindicarint*; Mediceus I. & aliquis alius *vindicaverint*. Nonnulli apud Conſtantinum malebant, *indicaverint*: quibus minime aſſentiendum.

46. *reſpondet*) Al. *reſpondit*; Almeloveen. *reſpondet*; ut & Ruellii Edit. & Cod. Medic. I. habet.

47. *ſolum*) Ita in Edit. Lindenii; in aliis Edd. & in Mſs. Mediceis, *ſolis*.

48. *acceſſiones & dolores graves urgent*) Ruellii Edit. *acceſſionum dolore gravi urgentur*; ut aliqui Mſs. Codices habent.

bus [49] apta ſunt, ubi acutus increſcens urget, in remiſſionibus potius experienda ſunt. Increſcit autem morbus, dum graviores dolores, acceſſioneſque veniunt; hæque & ante, quam proximæ, revertuntur, & poſtea deſinunt. Atque in longis quoque morbis, etiam tales notas non habentibus, ſcire licet, increſcere, ſi ſomnus incertus eſt, ſi deterior concoctio, ſi fœdiores [50] dejectiones, ſi tardior ſenſus, ſi pigrior mens, ſi percurrit corpus frigus aut calor, ſi id magis pallet. Ea vero, quæ contraria his ſunt, decedentis ejus notæ ſunt. Præter hæc, in acutis morbis ſerius æger alendus eſt, nec niſi jam inclinatis; ut primo [51] dempta materia impetum frangat: in longis maturius, ut ſuſtinere ſpatium affecturi [52] mali poſſit. Ac ſi quando is [53] non in toto corpore, ſed in parte eſt; magis tamen ad rem pertinet, vim totius corporis moliri [54], quam proprie partes ægræ ſanentur [55]. Multum etiam [56] intereſt, ab initio quis recte curatus ſit, an perperam: quia curatio minus iis prodeſt, in quibus aſſidue fruſtra fuit. Si quis temere habitus, adhuc integris viribus vivit, admota curatione momento reſtituitur.

Sed

49. *creſcentibus*) In Edd. antiquis, ut & in Mſs. Mediceis, *decreſcentibus*; ſed perperam. In Edit. Lindenii, itemque in margine Conſtantinianæ eſt *creſcentibus*. Ego malim, *increſcentibus*; quod Celſus hac voce conſtanter utatur: ceterum etiam *creſcentibus* recte dicitur.

50. *fœdiores*) Lindenius reponit *fœtidiores*, ut habet in margine Conſtantinus. Sed in Mſs. Mediceis eſt *fœdiores*; ut alii legunt. Vox tamen *fœdus* pro *fœtido* alibi non facile invenietur, niſi conjuncta cum voce *odor*; ut cap. 20. hujus libri; lib. 2. cap. 8. lib. 4. cap. 20.

51. *ut primo*) Ita in ceteris Editionibus; in Lindeniana, *ut inedia*. Cum prioribus faciunt Codices noſtri Mſs.

52. *affecturi*) Editiones Aldin. & Henr. Steph. *adventuri*; ut Codices Medicei habent omnes, præter primum.

53. *Ac ſi quando is &c.*) Hæc mihi ex ſuperioribus verbis, *maturius alendus eſt*, pendere videntur, eademque ſententia continuari; ideoque ſic interpungendum: *poſſit*; *ac ſi quando is non in toto corpore, ſed in parte eſt, magis tamen &c.* Lindenius, pro *Ac*, legit *At*, ut malebat Conſtantinus. Fortaſſe, pro *is*, legendum *id*, ut referatur ad malum.

54. *moliri*) Ita legunt, & recte, Conſtantinus & Lindenius, Codicibus pene omnibus ſuffragantibus. Mediceus I. habet, ut alii legunt, *molliri*.

55. *quam proprie partes ægræ ſanentur*) Hæc verba mihi ſuſpecta ſunt, quod & conſtructio laboret, &, iis ſublatis, ſententia conſtet. Ceterum conſtructioni opem tulerit, qui addiderit particulam *ut* poſt *quam*: niſi legere malit, *partes ægras ſanari*. Pro *proprie*, alii leg. *propriæ*, ut eſt in Cod. Medic. I. qui & *partis* habet, pro *partes*, &, quo modo quidam legunt, *ægre*, pro *ægræ*. Conſtantinus, *per quam propriæ &c.* Lindenius, *quam partis, cum per eam partes ægræ ſanentur*.

56. *Multum etiam &c.*) Non facile intelligitur, quomodo hæc cum antecedentibus cohæreant. Omnia plana erunt, ſi ad primum caput referantur, & caput alterum, non ſupra ab illis verbis *Protinus autem inter initia*, ſed infra ab iis inchoetur, *Sed cum ab iis cœperim*. Totum autem hoc caput conflatum eſt ex monitis quibuſdam inter ſe diſtinctis; atque hæc illa ſunt, quæ Celſus de omnibus morbis ſe præfaturum, paulo ante dixit.

Sed cum ab iis cœperim, quæ notas quaſdam futuræ adverſæ valetudinis exhibent, curationum quoque principium ab animadverſione ejuſdem temporis faciam. Igitur, ſi quid ex iis, quæ propoſita ſunt, incidit, omnium optima ſunt, quies & abſtinentia; ſi quid bibendum, aqua; idque interdum uno die fieri ſatis eſt; interdum, ſi terrentia manent, biduo: proximeque abſtinentiam ſumendus eſt cibus exiguus, bibenda aqua; poſtero die etiam vinum; deinde invicem alternis diebus, modo aqua, modo vinum, donec omnis cauſæ metus finiatur [57]. Per hæc enim ſæpe inſtans gravis morbus diſcutitur. Plurimique falluntur, dum ſe primo die protinus ſublaturos languorem, aut exercitatione, aut balneo, aut coacta dejectione, aut vomitu, aut ſudationibus, aut vino ſperant. Non quod non interdum id incidat, aut non decipiat [58]; ſed quod ſæpius fallat, ſolaque abſtinentia ſine ullo periculo medeatur: cum præſertim etiam pro modo terroris moderari liceat; & ſi leviora indicia fuerint, ſatis ſit a vino tantum abſtinere, quod ſubtractum plus, quam ſi cibo quid dematur [59], adjuvat: ſi paulo graviora, facile ſit [60] non aquam tantum bibere, ſed etiam cibo carnem ſubtrahere; interdum panis quoque minus, quam pro conſuetudine aſſumere, humidoque cibo eſſe contentum [61], & olere potiſſimum: ſatiſque ſit, tum ex toto a cibo, a vino, ab omni motu corporis abſtinere, cum vehementes notæ terruerunt. Neque dubium eſt, quin vix quiſquam, qui non diſſimulavit, ſed per hæc mature morbo occurrit, ægrotet.

III. Atque hæc quidem ſanis facienda ſunt, tantum cauſam metuentibus. Sequitur vero curatio febrium, quod & in toto

57. *omnis cauſæ metus finiatur*) Cæſarius & Lindenius leg. *omnis cauſa metus finiatur*. Sed Mſs. Codices habent *cauſæ*, non *cauſa*. Ita cap. proximo, *cauſam metuentibus:* ubi tamen Cod. Mediceus I. *cum cauſa metuentibus*. Infra in Codd. Mediceis & antiquis Edd. legitur, *non quo .... ſed quo &c.* Lindenius repoſuit *non quod .... ſed quod &c.* fortaſſe non ſine aliquo Codicum teſtimonio. Conſtantinus autem in ſecundo membro legere malebat *quod*; in primo *quo* retinebat. Alibi tamen ipſe quoque Lindenius & Conſtantinus leg. *non quo .... ſed quo*.

58. *aut non decipiat*) Tres hæ voces fortaſſe tollendæ ſunt. Nam quæ tandem eſt locutio iſta? *Non quod non interdum id incidat, aut non decipiat; ſed quod ſæpius fallat*. Niſi quis putat legendum, *aut omnino decipiat*. Conſtantinus ita reſtituendum putat: *aut non deinceps fiat*. In Codice Mediceo I. legitur, *aut non deciperet;* & omittitur *id* ante *incidat*.

59. *quid dematur*) Ita cum Mediceis I. III. aliiſque Mſs. habet Aldina Editio: ceteræ Editiones *aliquid dematur*.

60. *facile ſit*) Ita in Mſs. & Edd. pleriſque omnibus. Egnatius & Lindenius leg. *ſatis ſit*.

61. *contentum*) Cod. Medic. I. *contentos*.

corpore, & vulgare maxime morbi genus eſt. Ex his una quotidiana, altera tertiana, altera quartana[62] eſt: interdum etiam longiore circuitu quædam redeunt; ſed id raro fit. In prioribus, & morbi ſunt, & medicina. Et quartanæ quidem ſimpliciores ſunt. Incipiunt fere ab horrore; deinde calor erumpit; finitaque febre biduum integrum eſt: ita quarto die revertitur. Tertianarum vero duo genera ſunt. Alterum eodem modo, quo quartana, & incipiens, & deſinens; illo tantum interpoſito diſcrimine, quod unum diem præſtat integrum, tertio redit. Alterum longe pernicioſius, quod tertio quidem die revertitur, ex octo autem & quadraginta horis fere ſex & triginta per acceſſionem occupat, interdum etiam vel minus, vel plus; neque ex toto in remiſſione deſiſtit, ſed tantum levius eſt. Id genus plerique medici ἡμιτριταῖον appellant. Quotidianæ vero variæ ſunt, & multiplices. Aliæ enim protinus a calore incipiunt, aliæ a frigore, aliæ ab horrore. Frigus voco, ubi extremæ partes membrorum inalgeſcunt: horrorem, ubi totum corpus intremit. Rurſus aliæ ſic deſinunt, ut ex toto ſequatur integritas: aliæ ſic, ut aliquantum quidem minuatur ex febre, nihilominus tamen quædam reliquiæ remaneant, donec altera acceſſio accedat: ac ſæpe aliæ vix quidquam aut nihil remittant, ſed ita ut continuent[63]. Deinde, aliæ fervorem ingentem habent, aliæ tolerabilem: aliæ quotidie pares ſunt, aliæ impares; atque invicem altero die leniores, altero vehementiores: aliæ tempore eodem poſtridie revertuntur, aliæ vel ſerius vel celerius: aliæ diem noctemque acceſſione & deceſſione implent, aliæ minus, aliæ plus: aliæ, cum decedunt, ſudorem movent, aliæ non movent; atque alias per ſudorem ad integritatem venitur, alias corpus tantum imbecillius redditur. Acceſſiones etiam, modo ſingulæ ſingulis diebus fiunt, modo binæ pluresſve concurrunt: ex quo ſæpe evenit, ut quotidie plures acceſſiones remiſſioneſque ſint;

62. *altera quartana*) Primum excipe, ceteri Codices Medicei habent, ut eſt in Edit. Ruellii, *tertia quartana*: infra vero, ut & vulgo legitur, *raro evenit*; ubi ego *raro fit* repoſui ex primo. Deinde ex eodem Codice lego, *Et quartanæ*. Al. *At quartanæ*; Linden. *Ac quartanæ*.

63. *remittant, ſed ita ut continuent*) Legendum opinor, *remittunt*, ceteraque tollenda, tamquam ex gloſſemate inſerta. Niſi cui forte, cum in Codice Medic. I. ſit *remittant*, *ſed continuent*, non diſplicet *remittunt*, *ſed continuant*. Palavicinus *ita ut* addit in allato Codice, & mutat *ſed* in *ſe*, ut ita legatur: *remittant ſe; ita ut continuent*. Lindenius edidit, *remittunt*, *ſed ita*, *ut cœpere*, *continuant*.

ſint; ſic tamen, ut unaquæque alicui priori reſpondeat. Interdum vero acceſſiones quoque confunduntur, ſic, ut notari neque tempora earum, neque ſpatia poſſint. Neque verum eſt, quod dicitur a quibuſdam, nullam febrem inordinatam eſſe, niſi aut ex vomica, aut ex inflammatione, aut ex ulcere: facilior enim ſemper curatio foret, ſi hoc verum eſſet. Sed quod [64] evidentes cauſæ faciunt, facere etiam abditæ poſſunt. Neque de re, ſed de verbo controverſiam movent, qui, cum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt, non eaſdem inordinate redire, ſed alias aliaſque ſubinde oriri dicunt. Quod tamen ad curandi rationem nihil pertineret, etiamſi vere diceretur. Tempora quoque remiſſionum modo liberalia, modo vix ulla ſunt.

IV. Et febrium quidem ratio maxime talis eſt. Curationum vero diverſa genera ſunt, prout auctores aliquos [65] habent. Aſclepiades officium eſſe medici dicit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet. Id votum [66] eſt: ſed fere periculoſa eſſe nimia [67] & feſtinatio & voluptas ſolet. Qua vero moderatione utendum ſit, ut quantum fieri poteſt, omnia iſta contingant, prima ſemper habita ſalute, in ipſis partibus curationum conſiderandum erit. Et ante omnia quæritur, primis diebus æger qua ratione continendus ſit. Antiqui, medicamentis quibuſdam datis, concoctionem moliebantur; eo quod cruditatem maxime horrebant: deinde eam materiam, quæ lædere videbatur, ducendo ſæpius alvum ſubtrahebant. Aſclepiades medicamenta ſuſtulit; alvum non toties, ſed fere tamen in omni morbo, ſubduxit [68]: febre vero ipſa præcipue ſe ad remedium [69] uti profeſſus eſt. Convellendas enim [70] vires ægri putavit, luce, vigilia, ſiti ingenti, ſic, ut ne os qui-

64. *Sed quod*) Linden. *Nam quod*.

65. *aliquos*) Alii cum Aldo leg. *aliqui*; contra quos ſtant Editiones vetuſtiores & Codices Medicei.

66. *votum*) Egnatius & alii quidam leg. *notum*; ſed minus recte; quamvis non deſint depravati Codices, qui iis ſuffragentur.

67. *nimia*) Plerique leg. *nimium*.

68. *ſubduxit*) In Codice quoque Medic. I. eſt *ſubduxit*; ſed *ſub* expungitur. Itaque *duxit* fortaſſe legendum eſt ex more loquendi Celſiano. Significatur enim proprie alvi ductio, de qua lib. 2. cap. 12. ſect. 2. ubi etiam de hac Aſclepiadis conſuetudine mentio fit.

69. *ad remedium*) *ejus* addunt alii Aldinam Editionem ſecuti; quæ vox in Mſs. quoque reperitur, ſed minime neceſſaria eſt. Sic infra his verbis: *Optimum vero medicamentum*; in Codice Medic. I. non bene additur *eius*.

70. *enim*) Linden. *etiam*.

dem primis diebus elui ſineret. Quo magis falluntur, qui per omnia jucundam ejus diſciplinam eſſe concipiunt. Is enim [71] ulterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriæ ſubſcripſit; primis vero tortoris vicem exhibuit. Ego autem, medicamentorum dari potiones, & alvum duci non niſi raro debere, concedo: & id non ideo tamen [72] agendum, ut ægri vires convellantur, exiſtimo; quoniam ex imbecillitate ſummum periculum eſt. Minui ergo tantum materiam ſuperantem oportet, quæ naturaliter digeritur [73], ubi nihil novi accedit. Itaque abſtinendus a cibo primis diebus eſt, in luce [74] habendus æger, niſi infirmus, interdiu eſt, quoniam corpus iſta quoque digerit; iſque cubare quam maximo conclavi debet. Quod ad ſitim vero ſomnumque pertinet, moderandum eſt, ut interdiu vigilet, noctu, ſi fieri poteſt [75], conquieſcat: ac neque potet, neque nimium ſiti crucietur. Os etiam ejus elui poteſt, ubi & ſiccum eſt, & ipſi fœtet; quamvis id tempus aptum potioni non eſt. Commodeque Eraſiſtratus dixit, ſæpe, interiore parte humorem non requirente, os & fauces requirere; neque ad rem, male haberi ægrum, pertinere. Ac primo quidem ſic tenendus eſt. Optimum vero medicamentum eſt, opportune cibus datus: qui quando primum dari debeat, quæritur. Plerique ex antiquis tarde dabant, ſæpe quinto die, ſæpe ſexto: & id fortaſſe vel in Aſia, vel in Ægypto, cœli ratio patitur. Aſclepiades, ubi ægrum triduo per omnia fatigaverat, quarto die cibo deſtinabat [76]. At Themiſon nuper, non quando cœpiſſet febris, ſed quando deſiſſet, aut certe levata eſſet, conſiderabat; & ab illo tempore exſpectato die tertio, ſi non acceſſerat febris, ſtatim: ſi acceſſerat, ubi ea vel deſierat, vel, ſi aſ-

ſidue

71. *Is enim*) In Edit. Aldina, & in Mſs. pleriſque, *Et is enim;* in Lindeniana, *Etenim*; in aliis quibuſdam, ut in Cod. Medic. I. *His enim*.

72. *& id non ideo tamen*) In Cod. Medic. I. *non ideo tamen id*.

73. *digeritur*) Ita lib. 2. cap. 14. *opus eſt quam plurimum materiæ digeri*. Alii leg. *detrahatur*, ut in Mſs. omnibus inveni, præterquam in Medic. I. & Vatic. VI.

74. *primis diebus eſt, in luce &c.*) Lege, *primis diebus, & in luce*. Lindenius ſic mutavit: *primis diebus eſt, & in luce habendus æger (niſi infirmus) interdiu, quoniam &c.*

75. *ſi fieri poteſt*) Quidam omittunt *fieri*.

76. *quarto die cibo deſtinabat*) ſcilicet ægrum. Hanc lectionem Mſs. omnes confirmant. Conſtantinus mallet, *quartum diem cibo deſtinabat;* & ita legit Lindenius; ſed Operarum errore habet *die*, pro *diem*; quod mendum Almeloveenius ſuſtulit.

ſidue inhærebat, certe ſi ſe inclinaverat [77], cibum dabat. Nihil autem horum utique perpetuum eſt. Nam poteſt primo die primus cibus dandus eſſe, poteſt ſecundo, poteſt tertio, poteſt non niſi quarto, aut quinto; poteſt poſt unam acceſſionem, poteſt poſt duas, poteſt poſt plures. Rèfert enim, qualis morbus ſit, quale corpus, quale cœlum, quæ ætas, quod tempus anni: minimeque, in rebus multum inter ſe differentibus [78], perpetuum eſſe præceptum temporis poteſt. In morbo, qui plus virium aufert, celerius cibus dandus eſt: itemque eo cœlo, quod magis digerit [79]. Ob quam cauſam in Africa nullo die æger abſtineri recte videtur. Maturius etiam puero, quam juveni; æſtate, quam hieme, dari debet. Vnum illud eſt, quod ſemper, quod ubique [80] ſervandum eſt, ut ægri vires ſubinde aſſidens medicus inſpiciat, & quamdiu ſupererunt, abſtinentia pugnet; ſi imbecillitatem vereri cœperit, cibo ſubveniat. Id enim ejus officium eſt, ut ægrum, neque ſupervacua materia oneret, neque imbecillitatem fame prodat [81]. Idque apud Eraſiſtratum quoque invenio: qui, quamvis parum docuit, quando venter, quando corpus ipſum exinaniretur, dicendo tamen, hæc eſſe videnda, & tum cibum dandum, cum corpori deberetur, ſatis oſtendit, dum vires ſupereſſent, dari non opor-

77. *certe ſi ſe inclinaverat*) Alii leg. *ſi certe ſe inclinaverat*. Ego ſic repoſui ex Cod. Medic. vetuſtiori; ſed legendum, *certe ſeſe inclinaverat*. Pendet enim hoc inciſum ab antecedenti particula *ubi*.

78. *inter ſe differentibus*) Quidam cum Egnatio addunt, *quod intermittendum non eſt*; ſcilicet ex adnotatione.

79. *quod magis digerit*) Ita ex conjectura Conſtantini. Alii omnes, *quo magis digerit*; quod ferendum non eſt. Cœlum enim eſt, quod ægrum digerit. Ita ſupra: *corpus iſta quoque* (lux) *digerit*.

80. *Vnum illud eſt, quod ſemper, quod ubique*) *Vnum illud eſt ſemper quod ubique*, legitur in Editionibus vetuſtiſſimis, & in Mſs. Mediceis reliquis. Ego ſic reſtitui ex primo. Egnatius leg. *Vnum illud eſt, quod ſemper ubique*; alii cum Cæſario, *Vnum illud & ſemper & ubique*.

81. *imbecillitatem fame prodat*) id eſt hominem imbecillum fame perdat. Ita habent Codex Mediceus I. atque Editiones vetuſtiſſimæ 1478. 1493. 1497. & Juntina quoque. Cæſarius aliique reponunt *perdat*: Egnatius & Stephanus leg. *imbecillitatem fami prodat*; eadem loquendi forma, qua Salluſtius de B. J. dixit: *antequam arcem proderent hoſtibus*. Sed neque prior lectio, neque aliæ placent: atque *imbecillitatem* vix ferri poteſt, quia accuſativus verbi *prodat* & verbi *oneret* unus idemque eſt, ideſt *ægrum*. In Mediceo III. & quibuſdam aliis Codicibus eſt: *imbecillitate fami prodat*. Fortaſſe legendum: *imbecillitati fame prodat*; quod omnem difficultatem tollit. Alii vocem *imbecillitatem* ejiciendam, & *fame perdat*, vel *fami prodat* legendum putabunt; alii contra, *fame* explodentes, *imbecillitate perdat*, vel *imbecillitati prodat*; alii aliter. Sed conjecturæ ſunt, ex quibus nihil certi erui poteſt. Conjectura item eſt, ut opinor, & *imbecillum* apud Conſtantinum in libri margine, & *imbecilliorem fame perdat* in Editione Lindenii.

oportere; ne deficerent, conſulendum eſſe. Ex his autem intelligi poteſt, ab uno medico multos non poſſe curari: eumque, ſi artifex eſt, idoneum eſſe, qui non multum ab ægro recedit. Sed qui quæſtui ſerviunt, quoniam is major ex populo eſt, libenter amplectuntur ea præcepta, quæ ſedulitatem non exigunt; ut in hac ipſa re. Facile eſt enim dies vel acceſſiones numerare iis quoque, qui ægrum raro vident: ille aſſideat neceſſe eſt, qui, quod ſolum opus eſt, viſurus eſt, quando nimis imbecillus futurus ſit, niſi cibum acceperit. In pluribus tamen ad initium cibi dies quartus aptiſſimus eſſe conſuevit.

Eſt autem alia etiam de diebus ipſis dubitatio; quoniam antiqui potiſſimum impares ſequebantur, eoſque, tamquam tunc de ægris judicaretur, κρισίμους nominabant. Hi erant dies tertius, quintus, ſeptimus, nonus, undecimus, quartuſdecimus, unus & viceſimus; ita ut ſumma potentia ſeptimo, deinde quartodecimo, deinde uni & viceſimo daretur. Igitur ſic ægros nutriebant, ut dierum imparium acceſſiones exſpectarent; deinde poſtea cibum, quaſi levioribus acceſſionibus inſtantibus, darent: adeo ut Hippocrates [82], ſi alio die febris deſiſſet, recidivam timere ſit ſolitus. Id Aſclepiades jure ut vanum repudiavit; neque in ullo die [83], quia par imparve eſſet, iis [84] vel majus vel minus periculum eſſe dixit. Interdum enim pejores dies pares fiunt; & opportunius poſt eorum [85] acceſſiones cibus datur. Nonnumquam etiam in ipſo morbo dierum ratio mutatur; fitque gravior, qui remiſſior eſſe conſueverat. Atque ipſe quartuſdecimus par eſt, in quo eſſe magnam vim antiqui fatebantur. Qui cum octavum primi naturam habere contenderent, ut ab eo ſecundus ſeptenarius [86] inciperet, ipſi ſibi repugnabant, non

82. *adeo ut Hippocrates*) Hæc uſque ad finem periodi ex margine addita videntur, & ex adnotatione orta. Neque enim cum antecedentibus cohærent. Qui hæc verba retinere vult, transferet ante periodum ſuperiorem, *Hi erant dies tertius &c.*

83. *neque in ullo die*) Codex Medic. I. *atque in nullo die*.

84. *iis*) Linden. *ægris*.

85. *eorum*) dierum parium, ut recte explicat Morgagnus; qui neque *earum* cum Pantino, Stephano, & Ronſſeo, neque cum Lindenio *febrium* legi poſſe docet. Ex quo etiam apparet, verba antecedentia perperam ſic legi in Editione Stephani: *pejores dies impares fiunt*.

86. *ſeptenarius*) In Mſs. Mediceis, & in Editionibus ceteris additur vox ſubſtantiva, *numerus*; ſed melius ſubauditur, ut in Edit. Lindenii; quam ſequor. Sic *verſus* ſubauditur in verbis illis Ciceronis lib. 1. Tuſcul. cap. 44. *cum tam bonos ſeptenarios fundat ad tibiam*.

non octavum, neque decimum, neque duodecimum diem ſumendo, quaſi potentiorem: plus enim tribuebant nono, & undecimo. Quod cum feciſſent ſine ulla probabili ratione, ab undecimo, non ad tertiumdecimum, ſed ad quartumdecimum tranſibant. Eſt etiam apud Hippocratem, ei, quem ſeptimus dies liberaturus ſit, quartum eſſe graviſſimum. Ita, illo quoque auctore, in die pari & gravior febris eſſe poteſt, & certa futuri nota. Atque idem alio loco quartum quemque diem, ut in utrumque efficaciſſimum apprehendit; id eſt quartum, ſeptimum, undecimum, quartumdecimum, decimumſeptimum [87]. In quo & ab imparis ad paris rationem tranſit, & ne hoc [88] quidem propoſitum conſervavit; cum a ſeptimo die undecimus, non quartus, ſed quintus ſit. Adeo apparet, quacumque ratione ad numerum reſpexerimus [89], nihil rationis, ſub illo quidem auctore, reperiri. Verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt: cum hic quoque medicus non numerare dies debeat, ſed ipſas acceſſiones intueri; & ex his conjectare, quando dandus cibus ſit. Illud autem magis ad rem pertinet, ſcire, tum [90] oporteat dari, cum jam bene venæ conquieverunt, an etiamnum manentibus reliquiis febris. Antiqui enim quam integerrimis corporibus alimentum offerebant: Aſclepiades, inclinata quidem febre, ſed adhuc [91] tamen inhærente. In quo vanam rationem ſecutus eſt: non quod non ſit interdum maturius cibus dandus, ſi mature timetur altera acceſſio; ſed quod ſcilicet quam ſaniſſimo [92] dari debeat: minus enim corrumpitur, quod integro corpori infertur. Neque tamen verum eſt [93], quod Themiſoni videbatur, ſi

87. *quartumdecimum, decimumſeptimum*) Hæc deſunt in Codice Medic. I. Verba autem proxima in illo ita leguntur: *in quo et ab imparis et paris rationem*. Itaque, pro *impari*, ut alii legunt, ego repoſui *imparis*. Lindenius omittit particulam *&*, quæ eſt ante *ab*.

88. *tranſit, & ne hoc*) Linden. *tranſit. Et ne in hoc*.

89. *reſpexerimus*) Ita Lindenius. Al. *reſpeximus*, ut & in Mſs. inveni.

90. *tum*) Egnatius leg. *num*; alii cum Cæſario, *tum ne*; Lindenius, *cibum ne*: ſed infra omnes, *aut etiamnum*. Codices Medicei habent *tum*: deinde alii *aut etiamnum*; primus, quem ego ſecutus ſum, *an etiamnum*.

91. *adhuc*) Cod. Medic. I. *etiam nunc*.

92. *quam ſaniſſimo*) ſano, quam maxime eſſe poteſt. Ita paulo ante: *quam integerrimis corporibus alimentum offerebant*. Lindenius leg. *non niſi quam ſaniſſimo*; quod minus probandum videtur, neque ego in ullo Ms. Codice inveni.

93. *verum eſt*) *vanum eſt* habet Egnatius; ſed perperam.

ſi duabus horis integer futurus eſſet æger, ſatius eſſe tum dare; ut ab integro corpore potiſſimum diduceretur. Nam ſi diduci tam celeriter poſſet, id eſſet optimum: ſed cum hoc breve tempus non præſtet, ſatius eſt, principia cibi a decedente febre, quam reliquias ab incipiente excipi. Ita, ſi longius tempus ſecundum [94] eſt, quam integerrimo dandus eſt; ſi breve, etiam antequam ex toto integer fiat. Quo loco vero integritas eſt, eodem eſt remiſſio, quæ maxima [95] in febre continua poteſt eſſe. Atque hoc [96] quoque quæritur, utrum tot horæ exſpectandæ ſint, quot febrem habuerunt; an ſatis ſit, primam partem earum præteriri, ut ægris jucundius inſidat, quibus interdum non vacat [97]. Tutiſſimum eſt autem, ante totius acceſſionis tempus præterire: quamvis, ubi longa febris fuit, poteſt indulgeri ægro maturius, dum tamen ante minimum pars dimidia prætereatur. Idque non in ea ſola febre, de qua proxime dictum eſt, ſed in omnibus ita ſervandum eſt.

V. Hæc magis per omnia genera febrium perpetua ſunt: nunc ad ſingulas earum ſpecies deſcendam. Igitur ſi ſemel tantum acceſſit, deinde deſiit, eaque vel ex inguine, vel ex laſſitudine, vel ex æſtu, aliave ſimili re fuit, ſic, ut interior nulla cauſa metum fecerit, poſtero die, cum tempus acceſſionis ita tranſiit, ut nihil moverit [98], cibus dari poteſt. At ſi ex alto calor venit, & gravitas vel capitis vel præcordiorum ſecuta eſt, neque apparet, quid corpus confuderit; quamvis unam acceſſionem ſecuta inte-

94. *tempus ſecundum*) Integritatis tempus intelligit. Hunc locum ex Editionibus antiquis, & ex ſuo Codice, quocum Medicei quoque Codd. conſentiunt, reſtituit Morgagnus; cum Lindenius edidiſſet, *tempus ſecuturum*; & poſtea, ut mendoſe habent Junta & Cæſarius, *ſi etiam breve*, pro *ſi breve, etiam*.

95. *quæ maxima*) Sic repoſui ex Editione prima. Editiones aliæ habent *quæ maxime*, ut eſt in Codice Mediceo primo; Aldina *ſi qua maxime*, ut in aliis Codicibus; Conſtantiniana in margine *quanta maxima*.

96. *Atque hoc*) Alii leg. *Atque hic*; al. *At hic*; Linden. *At hoc*. Ego ſic repoſui ex Cod. Mediceo vetuſtiore.

97. *ut ægris jucundius inſidat, quibus interdum non vacat*) *Mitius corpori inſidere* ſimiliter dixit, aciam qua ſutura ſit, lib. 5. cap. 26. ſect. 23. Conſtantinus, pro *inſidat*, *accidat* legendum putat. Sed eamdem fere loquendi formam adhibuit Horatius lib. 2. Satyr. 2.

nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius eſcæ;
Quæ ſimplex olim tibi ſederit.

In Codice Mediceo I. ita legitur: *quod ægriys iucundius inſidit, ſi interdum non vacat*.

98. *moverit*) Ita ex Aldina aliiſque Editionibus. Alii leg. *moveret*, quemadmodum & Codex Mediceus I. habet.

tegritas eſt; tamen, quia tertiana timeri poteſt, exſpectandus eſt dies tertius: & ubi acceſſionis tempus præteriit, cibus dandus eſt, ſed exiguus; quia quartana quoque timeri poteſt: & [99] die quarto demum, ſi corpus integrum eſt, eo cum fiducia utendum. Si vero poſtero, tertiove, aut quarto die ſecuta febris eſt; ſcire licet, morbum eſſe. Sed tertianarum, quartanarumque, quarum & certus circuitus eſt, & finis integer [1], & liberaliter quieta tempora ſunt, expeditior ratio eſt: de quibus ſuo loco dicam. Nunc vero eas explicabo, quæ quotidie urgent. Igitur tertio quoque die cibus ægro commodiſſime datur: ut alter febrem minuat, alter viribus ſubveniat. Sed is dari debet, ſi quotidiana febris eſt, quæ ex toto deſinat, ſimul atque corpus integrum factum eſt: ſi quamvis non acceſſiones, febres tamen junguntur, & quotidie quidem increſcunt, ſed ſine integritate tamen remittunt, cum corpus ita ſe habet, ut major remiſſio non exſpectetur: ſi altero die gravior, altero levior acceſſio eſt, poſt graviorem. Fere vero graviorem acceſſionem levior nox ſequitur: quo fit, ut graviorem acceſſionem nox [2] quoque triſtior antecedat. At ſi continuatur febris, neque levior umquam fit, & dari cibum neceſſe eſt, quando dari debeat, magna diſſenſio eſt. Quidam, quia fere remiſſius matutinum tempus ægris eſt, tum putant dandum. Quod ſi reſpondet, non quia mane eſt, ſed quia remiſſio eſt ægris [3], dari debet. Si vero ne tunc quidem ulla requies ægris eſt, hoc ipſo [4] pejus id tempus eſt, quod cum ſua natura melius eſſe debeat, morbi vitio non eſt: ſimulque inſequitur tempus meridianum, a quo cum omnis æger fere pejor fiat, timeri poteſt, ne ille magis etiam,

P quam

99. *&*) Linden. *At*.

1. *circuitus eſt*, *& finis integer*) Poſt *integer* alii addunt *eſt*, quod quia Codex Mediceus I. non habet, ego omittere malui. Lindenius leg. *circuitus*, *& finis integer*. Deinde, pro *& liberaliter*, ut eſt in Cod. Medic. I. & in Edit. Lindeniana, alii perperam leg. *& quia liberaliter*.

2. *nox*) In Cod. Medic. I. deeſt vox hæc; itemque duæ voces, *altero levior*, quæ ſupra habentur.

3. *remiſſio eſt ægris*) Ita repoſuit Cæſarius, quem Lindenius aliique plures ſecuti ſunt. In Editionibus antiquioribus & in Codicibus Mſs. legitur, *remiſſior eſt æger*. Ego hactenus Cæſario aſſentior, ut *remiſſio eſt* Celſum ſcripſiſſe exiſtimem; ſed vocem *æger* ab interpretibus additam fuiſſe ſuſpicor, cum Codices mendoſe haberent, *remiſſior eſt*.

4. *hoc ipſo* &c.) hac ipſa de cauſa; ſcilicet quia ne tunc quidem ulla requies ægris eſt. Ita habent Mſs. Codices & antiquæ Editiones. Lindenius leg. *quia hoc ipſo*: qua particula tota periodi hujus conſtructio, atque adeo ſententia ipſa turbatur.

quam ex conſuetudine, urgeatur. Igitur alii veſpere tali ægro cibum dant. Sed cum eo tempore fere peſſimi ſint, qui ægrotant, verendum eſt, ne, ſi quid tunc moverimus, fiat aliquid aſperius. Ob hæc ad mediam noctem decurro [5]; id eſt finito jam graviſſimo tempore, eodemque longiſſime diſtante: ſecuturis vero antelucanis horis, quibus omnes fere maxime dormiunt; deinde matutino tempore, quod natura ſua leviſſimum eſt. Si vero febres vagæ ſunt, quia verendum eſt, ne cibum ſtatim ſubſequantur, quandocumque quis ex acceſſione levatus eſt, tunc [6] debet aſſumere. At ſi plures acceſſiones eodem die veniunt, conſiderare oportet, pares ne per omnia ſint, quod vix fieri poteſt, an impares. Si per omnia pares ſunt, poſt eam potius acceſſionem cibus dari debet, quæ non inter meridiem & veſperem deſinit: ſi impares ſunt, conſiderandum eſt, quo diſtent. Nam ſi altera gravior, altera levior eſt, poſt graviorem dari debet: ſi altera longior, altera brevior, poſt longiorem: ſi altera gravior, altera longior eſt, conſiderandum eſt, utra magis affligat, illa vi, an hæc tempore, & poſt eam dandus eſt. Sed plane plurimum intereſt, quantæ qualeſque inter eas remiſſiones ſint. Nam ſi poſt alteram febrem motio manet, poſt alteram integrum corpus eſt, integro corpore, cibo tempus aptius eſt: ſi ſemper febricula manet, ſed alterum tamen longius tempus remiſſionis eſt, id potius eligendum eſt; adeo ut, ubi acceſſiones continuantur, protinus, inclinata priore, dandus cibus ſit. Etenim perpetuum eſt, ad quod omne conſilium dirigi poteſt; cibum quam maxime ſemper ab acceſſione futura reducere; &, hoc ſalvo, dare quam integerrimo corpore. Quod non inter duas tantum, ſed etiam inter plures acceſſiones ſervabitur. Sed cum ſit aptiſſimum, tertio quoque die cibum dare; tamen, ſi corpus infirmum eſt, quotidie dandus eſt; multoque magis, ſi continentes febres ſine remiſſione ſunt, quanto magis [7]

5. *Ob hæc ad mediam noctem decurro* &c.) Periodum hanc Morgagnus ex Ms. Codice multiſque antiquis Editionibus reſtituit, cum Lindenius perperam ita immutaſſet: *Ob hæc alii differunt ad mediam noctem, decurſo jam graviſſimo tempore, eodemque longiſſime diſtante. Securius vero datur antelucanis horis* &c. Cum libris, quos Morgagnus adhibuit, tum Editiones ann. 1478. 1493. tum omnes noſtri Mſs. Codices conſentiunt; niſi quod horum plerique mendoſe habent *id* pro *id eſt*, & *ſecuturi* pro *ſecuturis*.

6. *tunc*) Aldina Editio, & Codices Medicei omnes, præter primum, habent *hunc*.

gis [7] corpus affligunt; aut ſi duæ pluresve acceſſiones eodem die veniunt. Quæ res efficit, ut & a primo die protinus cibus dari quotidie debeat, ſi protinus venæ conciderunt; & ſæpius eodem die, ſi inter plures acceſſiones ſubinde vis corpori deeſt. Illud tamen in his ſervandum eſt, ut poſt eas febres minus cibi detur, poſt quas, ſi per corpus liceret, omnino non daretur. Cum vero febris inſtet, incipiat, augeatur, conſiſtat, decedat, deinde in deceſſione conſiſtat, aut finiatur; ſcire licet, optimum cibo tempus eſſe febre finita; deinde, cum deceſſio ejus conſiſtit; tertium, ſi neceſſe eſt, quandocumque decedit; cetera omnia periculoſa eſſe. Si tamen propter infirmitatem neceſſitas urget, ſatius eſſe, conſiſtente jam incremento febris, aliquid offerre, quam increſcente; ſatius eſſe, inſtante, quam incipiente: cum eo tamen, ut nullo tempore is, qui deficit, non ſit ſuſtinendus. Neque hercule ſatis eſt, ipſas tantum febres medicum intueri, ſed etiam totius corporis habitum, & ad eum dirigere curationem; ſeu ſuperſunt vires, ſeu deſunt, ſeu quidam alii affectus interveniunt [8]. Cum vero ſemper ægros ſecuros agere conveniat, ut corpore tantum, non etiam animo laborent: tum præcipue, ubi cibum ſumpſerunt. Itaque, ſi qua ſunt, quæ exaſperatura eorum animos ſunt, optimum eſt, ea, dum ægrotant, eorum notitiæ [9] ſubtrahere: ſi id [10] fieri non poteſt, ſuſtinere tamen poſt cibum uſque ſomni tempus [11], & cum experrecti ſunt, tum exponere.

VI. Sed de cibo quidem facilior cum ægris ratio eſt; quorum [12]

7. *quanto magis*) Lindenius leg. *quantoque magis*; atque ita Palavicini manu ſcriptum eſt in Codice Mediceo I.

8. *quidam alii affectus interveniunt*) Infra cap. 18. *Superſunt vero alii corporis affectus, qui huic* (id eſt febri) *ſuperveniunt*. Ita ego repoſui ex Codice Mediceo I. Alii omnes leg. *quidam mali affectus interveniunt*.

9. *ea, dum ægrotant, eorum notitiæ* &c.) Alii leg. *eadem ægrotantium notitiæ* &c.

10. *ſi id*) Vox *id* in Codice Mediceo I. expungitur.

11. *poſt cibum uſque ſomni tempus*) Conſtantinus in libri margine habet *ad uſque*. Sed nihil eſt opus particula *ad*, cum Celſus præpoſitionem *uſque* eodem modo alibi uſurpet. Lindenius leg. *poſt cibum, poſtque ſomni tempus;* veritus, opinor, ne, ſi *uſque* retinuiſſet, ſomni tempus excluderetur. Verumtamen illud quoque comprehendi, ſatis declarat Celſus hiſce verbis, *& cum experrecti ſunt, tum exponere*. Ita lib. 8. cap. 4. *vulnus deligare, & quotidie reſolvere, ſimiliterque curare uſque ad diem quintum*: id eſt uſque ad diei quinti finem. Sequitur enim, *A ſexto die etiam vapore aquæ calidæ per ſpongiam fovere* &c.

rum [12] ſæpe ſtomachus hunc reſpuit, etiamſi mens concupiſcit: de potione vero ingens pugna eſt; eoque magis, quo major febris eſt. Hæc enim ſitim accendit, & tum maxime aquam exigit, cum illa periculoſiſſima eſt. Sed docendus æger eſt, ubi febris quieverit [13], protinus ſitim quoque quieturam; longioremque acceſſionem fore, ſi quod ei datum fuerit alimentum: ita celerius eum deſinere ſitire, qui non bibit. Neceſſe eſt tamen, quanto facilius etiam ſani famem, quam ſitim ſuſtinent, tanto magis ægris in potione, quam in cibo indulgere. Sed primo quidem die nullus humor dari debet; niſi ſubito ſic venæ conciderunt, ut cibus quoque dari debeat: ſecundo vero, ceteriſque etiam, quibus cibus non dabitur, tamen, ſi magna ſitis urgebit, potio dari poteſt. Ac ne illud quidem, ab Heraclide Tarentino dictum, ratione caret: ubi aut bilis ægrum, aut cruditas male habet, expedire quoque per modicas [14] potiones miſceri novam materiam corruptæ. Illud videndum eſt, ut qualia tempora cibo leguntur, talia potioni quoque, ubi ſine illo datur, deligantur aut cum ægrum dormire cupiemus [15]; quod fere ſitis prohibet; Satis autem convenit, cum omnibus febricitantibus nimius humor alienus ſit, tum præcipue eſſe fœminis, quæ ex partu in febres inciderunt.

Sed cum tempora cibo potionique febris & remiſſionis ratio det, non eſt expeditiſſimum ſcire, quando æger febricitet, quando melior ſit, quando deficiat; ſine quibus diſpenſari illa non poſſunt. Venis enim maxime credimus, fallaciſſimæ rei; quia ſæpe iſtæ leniores [16] celerioreſve ſunt, & ætate, & ſexu, & cor-

po-

12. *Sed de cibo quidem facilior . . . . quorum* &c.) Ita ex Cod. Medic. I. Alii leg. *Sed de cibo facilior quidem . . . . quorum* &c. Linden. *Sed de cibo facilior quidem . . . . . quoniam* &c.

13. *quieverit*) Al. *conquieverit*.

14. *modicas*) Al. *medicas*; ſed perperam.

15. *aut cum ægrum dormire cupiemus*) Vbi potio ſine cibo datur, vel tale ei tempus deligendum eſt, quale cibo deligitur; vel tempus illud, quo ægrum dormire cupiemus. Ita fortaſſe ſenſus expediendus eſt. Niſi potius Morgagno ſit accedendum, qui vel *ut* pro *aut* reponendum, vel his & proximis quatuor vocibus ante hanc periodum translatis, ſententiam ſic reſtituendam putat: *ubi aut bilis ægrum, aut cruditas male habet, expedire quoque per modicas potiones miſceri novam materiam corruptæ, aut cum ægrum dormire cupiemus; quod fere ſitis prohibet. Illud videndum eſt* &c. Lindenius tollit *aut*, Conſtantinum, opinor, ſecutus, cui particula hæc viſa eſt ſententiæ officere.

16. *leniores*) Lindenius leg. *lentiores*, ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ. Sed cum omnes Codices habeant *leniores*,

mu-

porum natura : & plerumque ſatis ſano corpore ; ſi ſtomachus infirmus eſt , nonnumquam etiam incipiente febre , ſubeunt & quieſcunt ; ut imbecillus is videri poſſit , cui facile laturo gravis inſtat acceſſio . Contra ſæpe eas concitat & reſolvit ſol , & balneum [17] , & exercitatio, & metus, & ira, & quilibet alius animi affectus : adeo ut, cum primum medicus venit , ſolicitudo ægri dubitantis , quomodo illi ſe habere videatur, eas moveat . Ob quam cauſam , periti medici eſt , non protinus ut venit , apprehendere manu brachium : ſed primum reſidere hilari vultu , percunctarique , quemadmodum ſe habeat ; & ſi quis ejus metus eſt , eum probabili ſermone lenire ; tum deinde ejus corpori [18] manum admovere. Quas venas autem conſpectus medici movet , quam facile mille res turbant ! Altera res eſt, cui credimus , calor , æque fallax : nam hic quoque excitatur æſtu, labore, ſomno, metu, ſolicitudine . Igitur [19] intueri quidem etiam iſta oportet ; ſed his non omnia credere . Ac protinus quidem ſcire [20] , non febricitare eum , cujus venæ naturaliter ordinatæ ſunt, teporque talis eſt, qualis eſſe ſanis ſolet : non protinus autem ſub calore motuque febrem eſſe concipere [21] ; ſed ita, ſi ſumma quoque arida inæqualiter cutis eſt ; ſi calor & in fronte eſt, & ex imis [22] præcordiis oritur; ſi ſpiritus ex

mutandum non puto . Similiter Juſtinus lib. 44. cap. 3. lenes amnium curſus torrentibus rapidiſque opponit : & Cæſar lib. 1. de B. G. cap. 12. dixit : *Flumen eſt Arar, quod per fines Æduorum & Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non poſſit* .

17. *concitat & reſolvit ſol, & balneum*) *reſolvit* idem eſt atque explicat, id eſt promptas ad motum atque expeditas reddit . Cohæret enim ſenſu verbum hoc cum verbo *concitat* ; utrumque autem opponitur duobus præcedentibus *ſubeunt & quieſcunt* . Locus tamen ſuſpicione non caret ; quippe in Codice Mediceo I. ita legitur : *concitare ſolet balneum* . Fortaſſe corrigendum , *concitat & ſol, & balneum* . Fieri enim poteſt, ut *concitat &* in *concitare* ab aliquo mutatum ſit , qui exiſtimaverit *ſolet* , quod pro *ſol &* ſcriptum eſſet , tertiam eſſe perſonam indicativi verbi *ſoleo* . Porro cum hæc varietas in Codice aliquo deſcripta fuiſſet, qui haberet *concitat & ſol, & balneum* , poſito *re* ſupra poſtremam litteram verbi *concitat* , *ſolet* ſupra *ſol &* , primum *reſolet* ortum eſt, deinde *reſolvit* , quod in ceteris Mediceis Codicibus legitur .

18. *corpori*) Lindenius leg. *carpo* , ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ . Conſtantinus vero explanationis gratia vocem illam addiderat , ut Morgagnus monet .

19. *Igitur*) Hæc particula omittitur in Codice Mediceo I.

20. *ſcire*) In Codice Mediceo I. legitur *ſcire eſt* .

21. *febrem eſſe concipere*) Ita ex Codice Mediceo I. & Morgagni conjectura . Alii leg. *febrem ſeſe concipere* . Supra vero Lindenius, *nec protinus etiam ſub calore motuque* , pro *non protinus autem* &c.

22. *ex imis*) Alii *intimis* ; alii *ex intimis* .

ex naribus cum fervore prorumpit ; ſi color , aut rubore, aut pallore novo mutatus eſt ; ſi oculi graves , & aut perſicci , aut ſubhumidi ſunt; ſi ſudor cum fit [23] , inæqualis eſt ; ſi venæ non æquis intervallis moventur . Ob quam cauſam medicus neque in tenebris , neque a capite ægri debet reſidere ; ſed illuſtri loco adverſus eum, ut omnes notas , ex vultu quoque cubantis perſpiciat [24] . Vbi vero febris fuit, atque decrevit, exſpectare [25] oportet , num tempora , parteſve corporis aliæ paulum madeſcant, quæ ſudorem venturum eſſe teſtentur: ac ſi qua nota eſt [26] , tunc demum dare potui calidam aquam; cujus ſalubris effectus eſt, ſi ſudorem per omnia membra diffundit. Hujus autem rei cauſa, continere æger ſub veſte ſatis multa manus debet; eademque crura, pedeſque contegere : qua mole plerique ægros in ipſo febris impetu , potiſſimeque [27] ubi ardens ea eſt , male habent. Si ſudare corpus cœpit, linteum tepefacere oportet, paulatimque ſingula membra detergere. At ubi ſudor omnis finitus eſt, aut ſi is non venit, ubi quam maxime potuit, idoneus eſſe cibo æger videtur [28] , ſub veſte leniter ungendus eſt, tum detergendus, deinde ei cibus dandus. Is autem [29] febricitantibus humidus eſt aptiſ-

23. *ſudor cum fit*) Mediceus I. aliique Mſs. Codices & Editio I. *ſudor cum ſit* . Infra, pro *æquis intervallis*, Codex Mediceus I. *equalibus intervallis* .

24. *perſpiciat*) In Codice Mediceo I. in Editione Ruelliana , & in margine Conſtantinianæ legitur *percipiat* : in quibuſdam aliis Codicibus *proſpiciat* .

25. *exſpectare*) Ita in Codice Mediceo I. in Editione Stephani, & in margine Conſtantinianæ, vel *expectare* . In Editione Lindeniana *ſpectare* : & fortaſſe rectius . Alii leg. *expectari* .

26. *ac ſi qua nota eſt*) Lindenius leg. *ac ſi qua ejus nota eſt* . Sed vox *ejus* abeſt ab omnibus Mſs.

27. *qua mole plerique ægros in ipſo febris impetu , potiſſimeque* &c.) Ita ex Lindenio ; niſi quod ego *febris impetu* repoſui pro *impetu febris* . Fortaſſe etiam non *potiſſimeque* , ſed *maximeque* , vel *præcipueque* , quorum utrumque Celſianum eſt, legendum . Editiones antiquæ & Codices Mſs. ita habent : *qua male plerique ægros in ipſo impetu febris* , (Codex Mediceus I. *febris impetu*) *peſſimeque ubi ardens ea eſt* , (Codices plerique Vaticani , & Medicei omnes , præter primum *ardens eſt*) *male habent* . Pantinus autem , & hunc ſecutus Conſtantinus corrigendum putabant ; *qua male plerique ægros in ipſo impetu febris* , *peſſimeque ubi ardens ea eſt* , *habent* .

28. *ubi quam maxime potuit , idoneus eſſe cibo æger videtur*) Verbum *potuit* redundat ; ſed ita Latini eleganter loqui ſolent . Non erat igitur , cur Conſtantinus legere mallet , *quam maxime tepuit* ; multoque minus , cur Lindenius Conſtantini conjecturam in textum induceret , ac legeret ; *ubi quam maxime tepuit , & idoneus eſſe cibo æger videtur* .

29. *Is autem*) Vulgo plerique omnes leg. *Cibus autem* ; ut eſt in Codice Mediceo I. Alii Codices habent *His autem* ; nec aliter Ruellii Editio . Ego repoſui *Is autem* .

aptiſſimus, aut humori certe quam proximus: utique ex materia quam leviſſima, maximeque ſorbitio; eaque, ſi magnæ febres fuerint [30], quam tenuiſſima eſſe debet. Mel quoque deſpumatum huic recte adjicitur, quo corpus magis nutriatur: ſed id, ſi ſtomachum offendit, ſupervacuum eſt; ſicut ipſa quoque ſorbitio. Dari vero in vicem ejus poteſt, vel intrita ex aqua calida, vel alica elota; ſi firmus eſt ſtomachus, & compreſſa alvus, ex aqua mulſa; ſi vel ille languet, vel hæc profluit, ex poſca. Et primo quidem cibo id ſatis eſt [31]. Secundo vero aliquid adjici poteſt, ex eodem tamen genere materiæ, vel olus, vel conchylium, vel pomum. Et dum febres quidem increſcunt, hic ſolus idoneus cibus eſt. Vbi vero aut deſinunt, aut levantur, ſemper quidem incipiendum eſt ab aliquo ex materia leviſſima, adjiciendum vero aliquid ex media, ratione habita ſubinde & virium hominis, & morbi. Ponendi [32] vero ægro varii cibi, ſicut Aſclepiades præcepit, tum demum ſunt, ubi faſtidio urgetur, neque ſatis vires ſufficiunt; ut paulum ex ſingulis deguſtando, famem vitet. At ſi neque vis, neque cupiditas deeſt, nulla varietate ſolicitandus æger eſt; ne plus aſſumat, quam concoquat. Neque verum eſt, quod ab eo dicitur, facilius concoqui cibos varios. Eduntur enim [33] facilius: ad concoctionem autem materiæ genus & modus pertinent. Neque inter magnos dolores, neque increſcente morbo, tutum eſt, ægrum cibo impleri; ſed ubi inclinata jam in melius valetudo eſt.

Sunt aliæ quoque obſervationes in febribus neceſſariæ. Atque id quoque [34] videndum eſt, quod quidam ſolum præcipiunt, adſtrictum [35] corpus ſit, an profluat; quorum alterum ſtrangulat, al-

30. *fuerint*) Ita ex Codice Mediceo I. Alii leg. *fuerunt*.

31. *id ſatis eſt*) Ita Codex Mediceus I. & Aldina Editio. Al. *ita ſatis eſt*.

32. *Ponendi*) In Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ *Apponendi*. Sed in antiquis libris *Ponendi*. Sic apud Catonem R. R. cap. 79. & 81. *ponito*, non *apponito*. Et apud Horatium lib. 2. Satyr. 6. v. 64.

Vncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo.

33. *enim*) Linden. *quidem*.

34. *quoque*) Ita in Codicibus Mſs. & Editionibus antiquis. Lindenius leg. *quidem*, ut malebat Pantinus: ſed minus recte.

35. *adſtrictum*) Antea legebatur, *an adſtrictum*. Ego expuli *an*, ex fide Codicis Medicei I. Videtur hæc particula ex mendoſis quibuſdam Codicibus fluxiſſe, qui, pro *adſtrictum*, habent *an ſtrictum*. Infra, poſt verbum *ſtrangulat*, alii addunt *quod continet*; quod ego omiſi, eumdem veterem Codicem & Lindenii Editionem ſecutus.

alterum digerit. Nam ſi adſtrictum eſt, ducenda alvus eſt; movenda urina, eliciendus omni modo ſudor. In hoc genere morborum ſanguinem etiam miſiſſe [36], concuſſiſſe vehementibus geſtationibus corpus, in lumine habuiſſe, imperaſſe famem, ſitim, vigiliam prodeſt. Vtile eſt etiam ducere in balneum, prius demittere in ſolium, tum ungere, iterum [37] ad ſolium redire, multaque aqua fovere inguina; interdum etiam oleum in ſolio cum aqua calida miſcere; uti cibo ſerius & rarius, tenui, ſimplici, molli, calido, exiguo; maximeque oleribus, qualia ſunt, lapathum, urtica, malva; vel jure etiam concharum, muſculorumve, aut locuſtarum: neque danda caro, niſi elixa, eſt. At potio eſſe debet magis liberalis, & ante cibum, & poſt hunc, & cum hoc, ultra quam ſitis coget: poteritque a balneo etiam pinguius [38], aut dulcius dari vinum; poterit ſemel, aut bis interponi Græcum ſalſum. Contra vero, ſi corpus profluet [39], ſudor coercendus, quies adhibenda erit; tenebris, ſomnoque, quandocumque volet, utendum; non niſi leni geſtatione corpus agitandum, & pro genere mali ſubveniendum. Nam ſi venter fluit, aut ſi ſtomachus non continet, ubi febris decrevit, liberaliter oportet aquam tepidam potui dare, & vomere cogere; niſi aut fauces, aut præcordia, aut latus dolet, aut vetus morbus eſt. Si vero ſudor exercet, duranda cutis eſt nitro [40], vel ſale, quæ cum oleo miſcentur: ac ſi levius id vitium eſt, oleo corpus ungendum; ſi vehementius, roſa, vel melino, vel myrteo, cui vinum auſterum ſit adjectum. Quiſquis autem fluore æger eſt, cum venit in balneum, prius ungendus, deinde in ſolium demittendus eſt. Si in cute vitium eſt, frigida quoque, quam calida aqua melius ute-

36. *ſanguinem etiam miſiſſe*) In Cod. Medic. I. *emiſiſſe ſanguinem*: deinde, *concuſſiſſe vehementius geſtationibus corpus*.

37. *iterum*) Al. *item*.

38. *pinguius*) Ita cum Codicibus Mediceis Vaticaniſque vetuſtiores Editiones habent: Lindeniana *pingue jus*: Conſtantiniana in margine *jus pingue*. Sed Celſus jus inter cibos refert; ut ex iis verbis colligi poteſt, quæ ſupra habentur: *jure etiam concharum* &c. Hic vero de potione loquitur: & vinum pingue jam nominavit lib. 2. cap. 18. ut ipſemet Lindenius edidit.

39. *profluet*) Ita in omnibus libris editis. In Mediceo I. aliiſque Mſs. Codicibus *profluit*. Infra in eodem Codice Mediceo I. *requies habenda erit*.

40. *nitro*) Alii leg. *vel nitro*: deinde, *At ſi levius*: & poſtea, *ungendum eſt*. Ego ita repoſui ex Codice Mediceo I.

utetur. Vbi ad cibum ventum eſt, dari debet is valens, frigidus, ſiccus, ſimplex, qui quam minime corrumpi poſſit, panis toſtus, caro aſſa, vinum auſterum [41], vel certe ſubauſterum; ſi venter profluit, calidum; ſi ſudores nocent, vomituſve ſunt, frigidum.

VII. 1. Deſiderat etiam propriam animadverſionem in febribus peſtilentiæ caſus. In hac minime utile eſt, aut fame, aut medicamentis uti, aut ducere alvum. Si vires ſinunt, ſanguinem mittere optimum eſt; præcipueque, ſi cum dolore [42] febris eſt: ſi id parum tutum eſt, ubi febris levata eſt [43], vomitu pectus purgare. Sed in hoc maturius, quam in aliis morbis, ducere in balneum opus eſt; vinum calidum, & meracius dare, & omnia glutinoſa; inter quæ carnem quoque generis ejuſdem. Nam quo celerius ejuſmodi tempeſtates corripiunt, eo maturius auxilia, etiam cum quadam temeritate, rapienda ſunt. Quod ſi puer eſt, qui laborat, neque tantum robur ejus eſt, ut ſanguis [44] mitti poſſit, cucurbitulis ei utendum eſt [45]; ducenda alvus vel aqua vel ptiſanæ cremore; tum demum levibus [46] cibis nutriendus. Et ex toto non ſic pueri, ut viri, curari debent. Ergo, ut in alio quoque genere morborum, parcius in his agendum eſt: non facile ſanguinem mittere, non facile ducere alvum, non crucia-

41. *auſterum*) Hic quoque ſecutus ſum Codicem Mediceum ſupra allatum, & cum eo Lindenii Editionem. Alii habent *aſperum*. Sed Lindenius ſupra, pro *is valens*, leg. *his valens*, ut malebat Conſtantinus; infra addit particulam *&* ante *ſi venter*.

42. *cum dolore*) Nam dolor ipſe per ſe, ſi magnus eſt, ſanguinis detractionem requirit; ut eſt in lib. 2. cap. 10. Pro *dolore*, Codices Medicei III. & VI. habent *ſudore*; Lindenii Edit. *ardore*.

43. *ubi febris levata eſt*) Ita habent omnes Medicei Codices, præter primum: nec aliter legendum eſt, quamvis vulgo aliter legatur; videlicet *ubi febris aut tenuata eſt, aut levata eſt*, ut eſt in Cod. Medic. I. Ruellius omittit *eſt* poſt *tenuata*, Conſtantinus & Lindenius, poſt *levata*. Significatio vocis *levata* apertiſſima eſt in his verbis cap. 4. *Themiſon nuper, non quando cœpiſſet febris, ſed quando deſiſſet, aut certe levata eſſet, conſiderabat*: ideoque nulla hic opus erat explanatione. Nam ad explanationem margini adſcripta fuit vox *tenuata*; quæ poſtea in contextum irrepſit. Celſus autem *febrem levari* ſæpe dixit, *tenuari* numquam dixit, quod ego ſciam.

44. *ut ſanguis*) In Cod. Medic. I. *ut ei ſanguis*.

45. *cucurbitulis ei utendum eſt*) Sic repoſuit Lindenius, cum antea legeretur: *ſiti ei utendum eſt*; ut habent etiam Medicei Codices.

46. *tum demum levibus*) Communiter poſt *demum* additur *is*. In Codice Medic. I. habetur, *tum deinde*, & fortaſſe recte: ante *levibus* autem erat alia vocula, qua deleta, Palavicinus repoſuit *is*. In Codicibus Mediceis reliquis legitur: *tum demum levibus*; ſed IV. habet *is* inſertum alia manu.

re vigilia, fameve, aut nimia ſiti, non vino curare [47]. Vomitus poſt febrem eliciendus eſt; deinde dandus cibus ex leviſſimis; tum is dormiat; poſteroque [48] die, ſi febris manet, abſtineatur; tertio, ad ſimilem cibum redeat. Dandaque opera eſt, quantum fieri poteſt, ut inter opportunam abſtinentiam ciboſque opportunos [49], omiſſis ceteris, nutriatur.

2. Si vero ardens febris extorret [50], nulla medicamenti danda potio eſt; ſed in ipſis acceſſionibus oleo & aqua refrigerandus eſt, quæ miſcenda manu ſunt, donec albeſcant; eo conclavi [51] tenendus, quo multum & purum aerem trahere poſſit; neque multis veſtimentis ſtrangulandus, ſed admodum levibus tantum velandus eſt. Poſſunt etiam ſuper ſtomachum imponi folia vitis in aqua frigida tincta. Ac ne ſiti quidem nimia vexandus eſt. Alendus maturius eſt, id eſt a die tertio; & ante cibum iiſdem perungendus. Si pituita in ſtomacho coiit, inclinata jam acceſſione, vomere cogendus eſt; tum dandum frigidum olus, aut pomum, ex iis, quæ ſtomacho conveniunt. Si ſiccus manet ſtomachus, protinus vel ptiſanæ, vel alicæ, vel oryzæ cremor dandus eſt, cum quo recens adeps cocta ſit. Cum vero in ſummo incremento morbus eſt, utique non ante quartum diem, magna ſiti antecedente, frigida aqua copioſe præſtanda eſt, ut bibat etiam ultra ſatietatem; & cum jam venter & præcordia ultra modum repleta, ſatiſque refrigerata ſunt, vomere debet. Quidam ne vomitum quidem exigunt; ſed ipſa aqua frigida tantum, ad ſatie-

47. *non vino curare*) Duas voces *ſatis convenit*, quæ hic vulgo addebantur, Lindenius non ſine ratione ſuſtulit. Hunc ego ſecutus ſum; licet in Mſs. Mediceis voces illas invenerim. Videntur ex margine irrepſiſſe. Pro *curare*, Codices illi, excepto primo, habent *curari*. Egnatius hoc totum omittit, & *convenit* addit voci præcedenti *ſiti*.

48. *poſteroque*) Ita in Cod. Medic. I. Alii leg. *poſtero quoque*. Lindenius, *poſtero*; deinde, *abſtineat*.

49. *ciboſque opportunos*) *cibo opportuno*, edidit Lindenius contra priores Editiones, atque adeo contra Codices Mediceos. Sed longe a vero aberravit. Verbum enim *nutriatur*, quod conſequitur, non ſignificat *alere*, quemadmodum ipſe exiſtimaſſe videtur, ſed *curare*, ut alibi quoque. Vid. adnotat. 74. ad Præfat. lib. 1.

50. *extorret*) Cæſarius leg. *exterret*; Pantinus mallet *exercet*, quod placet etiam Scaligero, ſed a Ronſſeo improbatur. Ego, tametſi non ſuppetunt exempla verbi *extorrere* pro *torrere*, tamen rejicere non auſim. Habet enim ſignificationem maxime idoneam, ubi de febre ardenti ſermo eſt; & omnium Mſs. teſtimonio comprobatur. In Vaticano VI. mendum eſt *extollet*.

51. *eo conclavi*) Medic. I. & Vatican. VI. *et conclavi*; ut olim vulgo legebatur. Lindenius ſic mutavit: *etiam amplo conclavi*. Ego ſecutus ſum Codices ceteros Mſs.

tietatem data, pro medicamento utuntur. Vbi utrumlibet factum eſt, multa veſte operiendus eſt, & collocandus, ut dormiat. Fereque poſt longam ſitim & vigiliam, poſt multam ſatietatem, poſt infractum calorem, plenus ſomnus venit, per quem ingens ſudor effunditur; idque præſentiſſimum auxilium eſt: ſed in iis tamen [52], in quibus præter ardorem, nulli dolores, nullus præcordiorum tumor; nihil prohibens, vel in thorace [53], vel in pulmone, vel in faucibus; non ulcus, non dejectio, non profluvium alvi [54] fuit. Si quis autem in ejuſmodi febre leviter tuſſit, is neque vehementi ſiti conflictatur [55], neque bibere aquam frigidam debet; ſed eo modo curandus eſt, quo [56] in ceteris febribus præcipitur.

VIII. At ubi id genus tertianæ eſt, quod ἡμιτριταῖον medici appellant [57], magna cura opus eſt, ne id fallat. Habet enim plerumque frequentiores acceſſiones deceſſioneſque, ut aliud morbi ge-

52. *tamen*) In Edit. Lindenii, *tantum*.

53. *vel in thorace*) Lindenius tollit tria hæc verba. Ego in Mſs. Mediceis inveni; & congruunt cum loco illo capitis ſuperioris: *niſi aut fauces, aut præcordia, aut latus dolet;* ubi *latus* ſimiliter ponitur, atque hic *thorax*.

54. *non dejectio, non profluvium alvi*) Ita in Mſs. fere omnibus, & in Editionibus, Aldina, Gryphiana, aliiſque. Sed *profluvium alvi* explicatio quædam videtur, ex margine inconſulto deſcripta: nam idem eſt ac *dejectio*. *Dejectio* autem frequenter occurrit apud Celſum: *profluvium alvi* ne ſemel quidem; quamvis *alvus profluxit*, & *venter profluit* ſit in lib. 2. cap. 8. Lindenius leg. *non defectio, non profluvium alvi*, ut in veteri Cod. ſcriptum invenit Conſtantinus, qui primus lectionem iſtam probavit, *animi* ſubaudiri exiſtimans. Sed addendum omnino eſſet *animæ:* ita enim loquitur Celſus lib. 2. cap. 7. & 11. & 17. lib. 4 cap. 1. ſect. 1. & cap. 11. lib. 5. cap. 28. ſect. 2. lib. 7. cap. 3. & cap. ultimo. Ego potius crediderim, vocem *defectio* quoque in contextum irrepſiſſe ex alicujus conjectura, qui *dejectio* ferendum non putavit, quia proxime ſequitur *profluvium alvi*. Quod etiam Cod. Mediceus I. & vetuſtiores Edd. indicare videntur, in quibus eſt, *non defectio, non deiectio, non profluvium alvi*.

55. *neque vehementi ſiti conflictatur*) Non intelligo cur ſcribat Ronſſeus, cum Hippocrates ſect. 4. Aphor. 45. prodiderit, in eo qui leviter tuſſit, magnam ſitim non accendi, fruſtra Celſum monere, hunc nimia ſiti vexandum non eſſe. Neque enim talis eſt horum verborum ſenſus. Erit quidem ſi, ut Lindenius, cum Cæſario legas *conflictari*. Sed & alii, & ipſe quoque Ronſſeus habet *conflictatur*. Itaque idem Celſus dicit quod Hippocrates; ut Morgagnus animadvertit. Ceterum, quando hanc periodum ſuſpectam habebat Ronſſeus, omittere poterat ex fide, non modo Editionis Pinzianæ, ſed & Juntinæ, & vetuſtioris an. 1493. & principis Florentinæ: nam ab his omnibus abeſt. Immo neque in Codice ſuo Ms. Morgagnus eam invenit. Extat tamen in Mediceis, & Vaticanis omnibus; & in aliis quidem recte legitur *conflictatur;* in aliis *confligatur;* in Vatic. VI. *eſt flictatus*.

56. *quo*) In Multis Mſs. Codicibus *qui*. Mediceus tamen vetuſtior habet *quo*, ut vulgo legitur.

57. ἡμιτριταῖον *medici appellant*) Vox *medici* videri poteſt inſititia. Sed fortaſſe ita ſcripſit Cornelius: ἡμιτριταῖον *quidam medici appellant*. Cap. 3. hujus libri: *Id genus plerique medici* ἡμιτριταῖον *appellant*.

genus videri poſſit: porrigiturque [58] febris inter horas [59] viginti quatuor, & triginta ſex; ut, quod idem eſt, non idem eſſe videatur. Et magnopere neceſſarium eſt, neque dari cibum, niſi in ea remiſſione, quæ vera eſt; & ubi ea venit, protinus dari: plurimique ſub alterutro curantis errore ſubito moriuntur. Ac, niſi magnopere aliqua res prohibet, inter initia ſanguis mitti debet; tum dari cibus, qui neque incitet febrem, & tamen longum ejus ſpatium ſuſtineat.

IX. Nonnumquam etiam lentæ febres ſine ulla remiſſione corpus tenent; ac neque cibo [60]; neque ulli remedio locus eſt. In hoc caſu medici cura eſſe debet, ut morbum mutet: fortaſſe enim curationi opportunior fiet. Sæpe igitur ex aqua frigida, cui oleum ſit adjectum, corpus ejus pertractandum eſt, quoniam interdum ſic evenit, ut horror oriatur, & fiat initium quoddam novi motus; exque eo, cum magis corpus incaluit, ſequatur etiam remiſſio. In his frictio quoque ex oleo & ſale ſalubris videtur. At ſi diu frigus eſt, & torpor, & jactatio corporis, non alienum eſt, in ipſa febre dare mulſi tres aut quatuor cyathos, vel cum cibo vinum bene dilutum. Intenditur enim ſæpe ex eo febris; & major ortus calor ſimul & priora mala tollit, & ſpem remiſſionis, inque ea curationis oſtendit. Neque, hercules, iſta curatio nova eſt, qua nunc quidam traditos ſibi ægros, qui ſub cautioribus medicis trahebantur, interdum contrariis remediis ſanant. Siquidem apud antiquos quoque ante Herophilum & Eraſiſtratum, maximeque poſt Hippocratem fuit Petro [61] quidam, qui febricitantem hominem ubi acceperat, multis veſtimentis operiebat,

58. *porrigiturque*) Ita in Editionibus Cæſarii, Pantini, & Lindenii. Alii leg. *porrigitque*, ut eſt in Codicibus Mediceis; niſi quod in primo *porrigique*, qui ſupra quoque cap. 2. habet, *ſpatia inter aceeſſiones porrigunt*, pro *porriguntur*.

59. *inter horas*) Hæc eſt antiqua lectio, eaque Mſs. Codicibus confirmatur. Lindenius habet *in horas*, ut Pantinus legendum putabat.

60. *neque cibo*) Voces has duas omiſit librarius in Cod. Mediceo I. deceptus a ſubſequenti particula *neque*. Infra in eodem Codice legitur, *ſalubris videtur*; atque ita habent Editiones omnes, præter Ruellianam, in qua eſt, ut in Codicibus aliis, *utilis videtur*. Sed ante Ruellium Cæſarius exhibuit lectionem iſtam in libri margine.

61. *Petro*) Cæſarius & Lindenius habent *Petron*: ſed hic latinis, ille græcis litteris ſcribit. Ego ſecutus ſum Codices Mſs. & Editiones vetuſtiores. Vt enim Agamemno, Milo, Plato, Zeno recte dicitur, ita & *Petro*.

bat, ut ſimul calorem ingentem, ſitimque excitaret: deinde, ubi paulum remitti cœperat febris, aquam frigidam potui dabat; ac, ſi moverat ſudorem, explicuiſſe ſe ægrum judicabat; ſi non moverat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat; & tum vomere cogebat. Si alterutro modo febre liberaverat, protinus ſuillam aſſam, & vinum homini dabat: ſi non liberaverat, decoquebat aquam ſale adjecto, eamque bibere cogebat, ut movendo ventrem purgaret [62]. Et intra hæc omnis ejus medicina erat: eaque non minus grata fuit iis, quos Hippocratis ſucceſſores non refecerant; quam nunc eſt iis, quos Herophili vel Eraſiſtrati æmuli diu tractos non expedierunt [63]. Neque ideo tamen non eſt temeraria iſta medicina; quia plures, ſi protinus a principiis excepit, interimit. Sed cum eadem omnibus convenire non poſſint, fere, quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat. Ideoque ejuſmodi medici melius alienos ægros, quam ſuos nutriunt. Sed eſt circumſpecti quoque hominis, & novare interdum, & augere morbum, & febres accendere; quia curationem, ubi id, quod eſt, non recipit, poteſt recipere id, quod futurum eſt.

X. Conſiderandum eſt etiam, febres ne ſolæ ſint, an alia quoque his mala accedant; id eſt num caput doleat, num lingua aſpera, num præcordia intenta ſint. Si capitis dolores ſunt, roſam cum aceto miſcere oportet, & in id [64] ingerere: deinde habere duo pitacia, quæ frontis latitudinem, longitudinemque æquent; ex his invicem alterum in aceto & roſa habere, alterum in fronte; aut intinctam iiſdem lanam ſuccidam imponere. Si acetum offendit, pura roſa utendum eſt; ſi roſa ipſa lædit, oleo acerbo. Si iſta parum juvant, teri poteſt vel iris arida, vel nuces amaræ, vel quælibet herba ex refrigerantibus: quorum quidli-

62. *movendo ventrem purgaret*) Editiones Conſtantini & Lindenii, *vomendo ventrem purgaret*.

63. *expedierunt*) Cod. Medic. I. *adiuverunt*: infra vero, *interemit*, ut etiam vulgo legitur, pro *interimit*. Sic autem & in Codice illo, & in aliis ſcribitur: ut ſupra cap. 1. *peremit*, & lib. 2. cap. 1. *& diutinis malis fatigatos interemit*; ubi libri editi *perimit*, & *interimit*. Itaque hic quoque ſic repoſui.

64. *in id*) in caput. Lindenius tollit *in*, ut *id* referatur ad roſam cum aceto miſtam. Scaliger putat hæc verba, *& in id ingerere*, gloſſema eſſe ineptiſſimi hominis: ego non puto. Idem Celſus hic ſignificat quod infra cap. 18. *roſa caput nareſque implere*; & lib. 4. cap. 2. ſect. 1. *caput vehementer perfricare; deinde calido oleo implere, & veſte velare*. Sic lib. 8. cap. 10 ſect. 7. *faſciis opus eſt: ingerendumque ſubinde in eas eſt calidum oleum & vinum*.

libet ex aceto impoſitum, dolorem minuit; ſed magis aliud in alio. Juvat etiam panis cum papavere injectus; vel cum roſa ceruſſa, ſpumave argenti. Olfacere quoque vel ſerpyllum, vel anethum, non alienum eſt. At ſi in præcordiis inflammatio & dolor eſt, primo ſuperimponenda ſunt cataplaſmata reprimentia; ne, ſi calidiora fuerint, plus eo materiæ concurrat: deinde, ubi prima inflammatio ſe remiſit, tunc demum ad calida & humida veniendum eſt; ut ea, quæ remanſerunt, diſcutiant. Notæ vero inflammationis ſunt quatuor, rubor, & tumor, cum calore, & dolore. Quo magis erravit Eraſiſtratus, qui febrem [65] nullam ſine hac eſſe dixit. Ergo ſi ſine inflammatione dolor eſt, nihil imponendum eſt: hunc enim ſtatim ipſa febris ſolvet [66]. At ſi neque inflammatio, neque febris, ſed tantum præcordiorum dolor eſt, protinus calidis & ſiccis fomentis uti licet. Si vero lingua ſicca & ſcabra eſt, detergenda primum penicillo eſt ex aqua calida: deinde ungenda miſtis inter ſe roſa & melle. Mel purgat, roſa reprimit, ſimulque ſicceſcere non ſinit. At ſi ſcabra non eſt, ſed arida, ubi penicillo deterſa eſt, ungi roſa debet, cui ceræ paulum ſit adjectum.

XI. Solet etiam ante febres eſſe frigus; idque vel moleſtiſſimum morbi genus eſt. Vbi id exſpectatur, omni potione prohibendus æger eſt: hæc enim paulo ante data, multum malo adjicit. Item maturius veſte multa tegendus eſt: admovenda partibus iis, pro quibus metuimus, ſicca & calida fomenta, ſic, ne [67] ſtatim vehementiſſimi calores incipiant, ſed paulatim increſcant: perfricandæ quoque eæ partes manibus unctis ex vetere oleo ſunt, eique adjiciendum aliquid ex calefacientibus; contentique medici quidam una frictione, etiam ex quolibet oleo, ſunt. In harum febrium remiſſionibus nonnulli tres, aut quatuor [68] ſorbitionis cyathos, etiamnum [69] manente febre, dant: deinde, ea bene finita, reficiunt ſtomachum cibo frigido & levi [70]. Ego tum hoc puto ten-

65. *qui febrem*) Cod. Mediceus I. habet *cum febrem*.

66. *ſolvet*) Al. *ſolvit*.

67. *ſic, ne*) Linden. *ſic, ut ne*.

68. *tres, aut quatuor*) Linden. *tres quatuor*,

69. *etiamnum*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Edit. I. & in Lindeniana. Perperam alii leg. *etiamnum ultra*; Ruellius, *etiam nunc non*.

70. *levi*) Al. *leni*.

tentandum, cum parum cibus, ſemel & poſt febrem datus, prodeſt. Sed curioſe proſpiciendum eſt, ne tempus remiſſionis decipiat: ſæpe enim in hoc quoque genere valetudinis jam minui febris videtur, & rurſus intenditur. Itaque ei remiſſioni credendum eſt, quæ etiam immoratur [71], & jactationem, fœtoremque quemdam oris, quem ὄζην [72] Græci vocant, minuit. Illud ſatis convenit, ſi quotidie pares acceſſiones ſunt, quotidie parvum cibum dandum: ſi impares, poſt graviorem, cibum; poſt leviorem, aquam mulſam.

XII. Horror autem eas fere febres antecedit, quæ certum habent circuitum, & ex toto remittuntur; ideoque tutiſſimæ ſunt, maximeque curationes admittunt. Nam ubi incerta tempora ſunt, neque alvi ductio, neque balneum, neque vinum, neque medicamentum aliud recte datur. Incertum eſt enim, quando febris ventura ſit: ita fieri poteſt, ut, ſi ſubito venerit, ſumma in eo pernicies ſit, quod auxilii cauſa ſit inventum [73]. Nihilque aliud fieri poteſt, quam ut primis diebus bene abſtineatur [74] æger; deinde, ſub deceſſu febris ejus, quæ graviſſima eſt, cibum ſumat. At ubi certus circuitus eſt, facilius omnia illa tentantur; quia magis [75] proponere nobis & acceſſionum & deceſſionum vices poſſumus. In his autem, cum inveteraverunt, utilis fames non eſt: primis tantummodo diebus ea pugnandum eſt; deinde dividenda curatio eſt, & ante horror, tum febris diſcutienda. Igitur cum primum aliquis inhorruit, & ex horrore incaluit, dare ei oportet potui tepidam aquam ſubſalſam, & vomere eum cogere: nam fere talis horror ab iis oritur, quæ bilioſa in ſtomacho reſederunt. Idem faciendum eſt, ſi proximo quoque circuitu æque acceſ-

71. *immoratur*) Cod. Medic. I. *moratur*.

72. *fœtoremque quemdam oris, quem ὄζην*) Ita in ſuo Codice Morgagnus, nec aliter ego in Mediceis inveni; niſi quod plerique habent *quam* pro *quem*; omneſque *ozen* litteris latinis. De Codicum fide ſi quis hoc loco dubitat, cum ratione dubitat. Lindenius leg. *fervoremque corporis, quem ζέσιν*. Sed Morgagno aſſentior: eſt non ſine probabili ſpecie Lindenii lectio; at veterum librorum teſtimonio caret. Nam Editiones ceteræ cum allatis Mſs. faciunt.

73. *ſit inventum*) Linden. *fuit inventum*.

74. *abſtineatur*) Al. cum Cæſario, *abſtineat*.

75. *magis*) Ita in Codice Mediceo vetuſtiori; & infra, ut pridem adnotavit Rhodius in Lexico Scriboniano, *inveteraverunt*. Vulgo *facilius*, & *veteraverunt*. Sed Ritterſhuſius quoque ex conjectura, quam laudat Almeloveenius, malebat *inveteraverunt*.

ceſſit: ſæpe enim ſic diſcutitur. Jamque, quod genus febris ſit; ſcire licet. Itaque ſub exſpectatione proximæ acceſſionis, quæ inſtare tertia poteſt, deducendus in balneum eſt; dandaque opera, ut per tempus horroris in ſolio ſit. Si ibi quoque ſenſerit, nihilominus idem ſub exſpectatione quartæ acceſſionis faciat: ſiquidem eo quoque modo ſæpe is diſcutitur [76]. Si ne balneum quidem profuit, ante acceſſionem allium edat, aut bibat calidam aquam cum pipere: ſiquidem ea quoque aſſumpta calorem movent, qui horrorem non admittit. Deinde eodem modo, quo in frigore præceptum eſt, antequam inhorreſcere poſſit, operiatur: fomentiſque, ſed protinus validioribus [77], totum corpus circumdare convenit [78], maximeque involutis extinctis teſtis & titionibus. Si nihilominus horror perruperit, multo oleo calefacto inter ipſa veſtimenta perfundatur, cui æque ex calefacientibus aliquid ſit adjectum; adhibeaturque frictio, quantam is ſuſtinere poterit, maximeque in manibus & pedibus [79]; & ſpiritum ipſe contineat. Neque deſiſtendum eſt, etiamſi horror eſt: ſæpe enim pertinacia juvantis malum corporis vincit. Si quid evomuit, danda aqua tepida, iterumque vomere cogendus eſt; utendumque eiſdem eſt, donec horror finiatur. Sed præter hæc ducenda alvus eſt, ſi tardius horror quieſcet [80]: ſiquidem id quoque exonerato corpore prodeſt. Vltimaque poſt hæc auxilia ſunt [81] geſtatio & frictio [82]. Cibus autem in ejuſmodi morbis maxime dandus eſt, qui mollem

76. *is diſcutitur*) Ante Lindenium legebatur non *is*, ſed *id*. Fortaſſe tollendum eſt. Supra, his verbis, *dandaque opera*, alii addunt *eſt*, quod ego omiſi ex fide Codicis Medic. I.

77. *ſed protinus validioribus*) Particula adverſativa *ſed*, quam ego reſtitui ex Codice Mediceo vetuſtiori (in ceteris, ut in Edit. Ruellii, eſt *ſe*) non vacat. Refertur ad locum illum capitis ſuperioris: *ſicca & calida fomenta, ſic, ne ſtatim vehementiſſimi calores incipiant, ſed paulatim increſcant*. Pro *validioribus*, Lindenius reponit *calidioribus*; ſed non eſt neceſſe. Ita in lib. 4. cap. 14. *admovere ſicca & calida fomenta oportet, ſed primo lenta, deinde validiora*.

78. *circumdare convenit*) In Cod. Medic. I. *circumdet*. Fortaſſe *circumdetur*.

79. *pedibus*) Codex Medic. I. *cruribus*; & ita habet in margine Conſtantini Editio. Infra idem Codex, *horret*, pro *horror eſt*; Lindenius, *horror redit*.

80. *quieſcet*) Aldina Edit. *quieſcit*.

81. *Vltimaque poſt hæc auxilia ſunt*) Alii leg. *Vltima quoque*; Lindenius, *Vltima*. Ego ſic repoſui ex Cod. Medic. I. qui etiam *auxilia* habet, ut vulgo legitur. Nam reliqui ſex habent *auxilio*.

82. *frictio*) Conſtantinus, quod frictio poſita jam ſit, mallet *vectatio*: quaſi hæc non comprehendatur ſub voce antecedenti *geſtatio*. Lindenius leg. *ambulatio*; ut & ab aliis legi, Conſtantinus ſcribit. In Mſs. noſtris eſt *frictio*, vel *fricatio*.

lem alvum præſtet; caro [83] glutinoſa; vinum, cum dabitur, auſterum.

XIII. Hæc ad omnes circuitus febrium pertinent: diſcernendæ tamen ſingulæ ſunt, ſicut rationem habent diſſimilem. Si quotidiana eſt, triduo primo magnopere abſtinere [84] oportet; tum cibis altero quoque die uti. Si res inveteraverit, poſt febrem experiri balneum & vinum; magiſque ſi, horrore ſublato, hæc ſupereſt.

XIV. Si vero tertiana, quæ ex toto intermittit, aut quartana eſt, mediis diebus, & ambulationibus uti oportet, aliiſque exercitationibus, & unctionibus. Quidam ex antiquioribus [85] medicis Cleophantus, in hoc genere morborum, multo ante acceſſionem, per caput ægrum [86] multa calida aqua perfundebat, deinde vinum dabat. Quod, quamvis pleraque ejus viri præcepta ſecutus eſt Aſclepiades, recte tamen præteriit: eſt enim anceps. Ipſe, ſi tertiana febris eſt, tertio die poſt acceſſionem dicit alvum duci oportere; quinto, poſt horrorem vomitum elicere; deinde poſt febrem, ſicut illi mos erat, adhuc calidis dare cibum & vinum; ſexto die, in lectulo detineri: ſic enim fore, ne ſeptimo die febris accedat. Id ſæpe fieri poſſe, veriſimile eſt. Tutius tamen eſt, ut hoc ipſo ordine utamur [88]; tria remedia, vomitus, alvi ductionis, vini [89], per triduum, id eſt die tertio, & quinto, & ſeptimo tentare: nec [90] vinum, niſi poſt acceſſionem,

83. *caro &c.*) In Edit. Lindenii: *ac caro glutinoſa. Vinum cum dabitur, auſterum ſit.*

84. *abſtinere*) In Codice Mediceo primo *abſtineri*. Cap. 15. quoque in eodem Codice: *poſtero tertioque die abſtineri*. Celſus adhibet utramque formam.

85. *antiquioribus*) Codex Medic. I. *antiquis*.

86. *per caput ægrum &c.*) Antea legebatur: *caput ægri &c.* Quæ lectio orta eſt ex quodam mendo, quod in aliquibus Mſs. deprehendi: in III. enim IV. V. VI. legitur, *per caput ægri*. Itaque *per* Editores ſuſtulerunt. Ego locum reſtitui ex tribus reliquis Mediceis Codicibus. Ita cap. 20. *corpus &c. totum per caput perfundendum eſt* (aqua frigida) & cap. 23. *per caput multa aqua frigida perfundatur*. Ita enim ibi legendum ex antiquis Codicibus; non, ut eſt in Edit. Lindenii, *ſuper caput multa &c.*

87. *dare*) In Cod. Medic. I. *dari*.

88. *ut hoc ipſo ordine utamur*) Lindenius tollit *ut* & *utamur*. Cæſarius hæc verba parentheſi includit, & tollit *hoc*. Sed melius fortaſſe tollantur omnia; quamvis inveniuntur in Mſs. Pro *utamur*, Vaticanus VI. habet *nitamur*, quod ita ſit in Medic. I. a Palavicino.

89. *vini*) Communiter legitur: *vini potus*; ex gloſſemate, ut ego puto. Vox *potus* non eſt in Codice Mediceo vetuſtiore.

90. *nec*) Codex modo allatus *ne*; deinde, ut alii quoque, *bibat*, non, ut Lindenius mutavit, *bibere*.

die ſeptimo bibat. Si vero primis diebus diſcuſſus morbus non eſt, inciditque in vetuſtatem, quo die febris exſpectabitur, in lectulo ſe contineat; poſt febrem perfricetur; tum, cibo aſſumpto, bibat aquam; poſtero die, qui vacat, ab exercitatione unctioneque [91], aqua tantum contentus, conquieſcat. Et id quidem optimum eſt. Si vero imbecillitas urgebit, & poſt febrem vinum, & medio die paulum cibi debebit aſſumere.

XV. Eadem in quartana facienda ſunt. Sed cum hæc tarde admodum finiatur, niſi primis diebus diſcuſſa eſt, diligentius ab initio præcipiendum eſt, quid in ea fieri debeat. Igitur ſi cui cum horrore febris acceſſit, eaque deſiit, eodem die & poſtero tertioque continere ſe debet, & aquam tantummodo calidam primo die poſt febrem ſumere; biduo proximo, quantum fieri poteſt, ne hanc quidem. Si quarto die [92] cum horrore febris revertitur, vomere, ſicut ante præceptum eſt; deinde poſt febrem, modicum cibum ſumere, vini quadrantem; poſtero tertioque die abſtinere, aqua tantummodo calida, ſi ſitis eſt [93], aſſumpta. Septimo die balneo frigus prævenire; ſi febris redierit [94], ducere alvum; ubi ex eo corpus conquieverit, in unctione [95] vehementer perfricari; eodem

91. *qui vacat, ab exercitatione unctioneque*) poſtero die, qui dies febre vacat (*vacuum tempus* appellat cap. 16.) poſt exercitationem & unctionem conquieſcat, neque aliud aſſumat, præter aquam. Ita hunc locum reſtitui ex fide Codicis Medicei I. Alii leg. *quo cibo* (Lindenius, ut habet in margine Conſtantinus, *quo a cibo*) *vacat, & ab exercitatione unctioneque &c.* Quæ lectio falſum quid, & diſſentaneum continet.

92. *Si quarto die*) In Edit. Lindenii: *quarto die, ſi.*

93. *ſi ſitis eſt*) Ita Lindenius, cui Mſs. Codices plerique omnes ſuffragantur. In Medic. I. tamen eſt *ſitiet*; ut alii legunt.

94. *Septimo die balneo frigus prævenire; ſi febris redierit*) Ita in Codice Mediceo primo legitur locus hic, qui in aliis corruptus eſt, cum quædam librarii addiderint ex ſuperioribus temere repetita. Cum Codice illo faciunt Vaticani duo, III. & V. niſi quod habent *octava*, pro *ſeptimo*. In Vaticano VI. quod Palavicinus ſic repoſuerit in Medic. I. legitur: *Septimo die balneo frigus prævenire, abſtinere, continere ſe debet, ſi febris redierit*; & ita habent Editiones Cæſarii, Juntæ, & cum principe Florentina duæ vetuſtiſſimæ an. 1493. & 1497. Aliæ, ut & Codices ceteri Mſs. habent: *Septimo* (Mſs. *VIII.* vel *octava*) *die balneo frigus prævenire, abſtinere, continere ſe debet, & aqua tantummodo calida ſi ſitiet:* (Linden. *ſi ſitis eſt, uti*) *ac tum ita ſeptimo* (Egnat. Stephan. & Linden. *nono*) *die balneo frigus prævenire, ſi* (Linden. *&, ſi*) *febris redierit*. Plura lectione iſta turbantur, ſed in primis dierum ratio. Itaque poſtea, pro *decimo die*, Lindenius reponit *decimo tertio die*; ſed perperam, ut oſtendunt etiam verba illa, *ſi tertio decimo die morbus remanebit*, quæ infra ſunt.

95. *in unctione*) Alii *inunctione*, ut eſt in Cod. Medic. I.

dem modo ſumere cibum & vinum [96]; biduo proximo ſe abſtinere, frictione ſervata. Decimo die rurſus balneum experiri; &, ſi poſtea febris acceſſit, æque perfricari, vinum copioſius bibere. Ac ſic [97] proximum eſt, ut quies tot dierum, & abſtinentia cum ceteris, quæ præcipiuntur, febrem tollant. Si vero nihilominus remanet, aliud ex toto ſequendum eſt curationis genus; idque agendum, ut, quod diu ſuſtinendum eſt, corpus facile ſuſtineat. Quo minus etiam curatio probari Heraclidis Tarentini debet, qui primis diebus ducendam alvum, deinde abſtinendum in ſeptimum diem [98] dixit. Quod, ut ſuſtinere aliquis poſſit, tamen, etiam febre liberatus, vix refectioni valebit: adeo, ſi febris ſæpius acceſſerit, concidet. Igitur ſi tertio decimo die morbus manebit [99], balneum neque ante febrem, neque poſt eam tentandum erit; niſi interdum jam horrore diſcuſſo: horror ipſe per ea, quæ ſupra ſcripta ſunt [1], expugnandus. Deinde poſt febrem oportebit ungi, & vehementer perfricari; cibum & validum, & fortiter aſſumere; vino uti quantum [2] libebit: poſtero die, cum ſatis quieverit, ambulare, exerceri, ungi, perfricari fortiter, cibum capere [3] ſine vino: tertio die abſtinere. Quo die vero febrem exſpectabit, ante ſurgere, & exerceri, dareque operam [4], ut in ipſam exercitationem febris tempus incurrat: ſic enim ſæpe illa diſcutitur. At ſi in opere occupavit, tum demum ſe recipere. In ejuſmodi valetudine, medica-

96. *eodem modo ſumere cibum & vinum*) id eſt modicum cibum ſumere, vini quadrantem; quemadmodum quarto die. Lindenius leg. *eodem modo ſumere cibum, & vino biduo proximo ſe abſtinere*: ſed perperam.

97. *Ac ſic* &c.) Ita hic locus in margine Editionis Conſtantini ab eo reſtitutus legitur; itemque in Editione Lindenii. Alii leg. *ac ſi proximum eſt quies tot dierum, ut abſtinentia*; quemadmodum a Palavicino correctum eſt in Codice Mediceo I. Is enim Codex ita habet: *Ac proximum eſt tot dierum ut abſtinentia*. Codices alii: *Ac ſi proximum eſt quies tot dierum & abſtinentia*.

98. *in ſeptimum diem*) Ita ex Codice Mediceo I. & Editione Lindeniana. Alii leg. *uſque in ſeptimum diem*.

99. *manebit*) Al. *remanebit*.

1. *per ea, quæ ſupra ſcripta ſunt*) Ita ex Codice Mediceo I. Alii leg. *per eadem, quæ ſupra præſcripta ſunt*.

2. *quantum*) Linden. *quanto*.

3. *capere*) Ita ex Codice Mediceo I. Al. *accipere*. Lib. 1. cap. 3. *ſemel die cibum capere*; lib. 4. cap. 19. *paulum cibi capere*. Legitur & *accipere* cap. 19. hujus libri; ſed alia ſignificatione: *ſi cibum non accipit*; id eſt ſi reſpuit, faſtidit, averſatur; quemadmodum cap. 18. *idque* (veratrum) *ſi in potione non accipit, pani adjiciendum eſt*. Haud tamen contendo, *cibum accipere* pro *cibum capere* dici non poſſe.

4. *dareque operam*) Alii addunt *non oportet*; & ſententiam pervertunt. Lindenius leg. *dareque operam oportet*. Sed nihil opus eſt verbo *oportet*, cum ſupra ſit *oportebit*. Ego ſecutus ſum Codicem Mediceum I. atque ita Scaliger quoque legendum putabat.

menta ſunt, oleum, frictio, exercitatio, cibus, vinum. Si venter adſtrictus eſt, ſolvendus eſt. Sed hæc facile validiores faciunt: ſi imbecillitas occupavit, pro exercitatione geſtatio eſt: ſi ne hanc quidem ſuſtinet, adhibenda tamen frictio eſt: ſi hæc quoque vehemens onerat, intra quietem & unctionem & cibum ſiſtendum [5] eſt: dandaque opera eſt, ne qua cruditas in quotidianam id malum vertat. Nam quartana neminem jugulat: ſed ſi ex ea facta quotidiana eſt, in malis æger eſt: quod tamen, niſi culpa vel ægri vel curantis, numquam fit.

XVI. At ſi duæ quartanæ ſunt, neque eæ [6], quas propoſui, exercitationes adhiberi poſſunt; aut ex toto quieſcere opus eſt, aut, ſi id difficile eſt, leniter ambulare; conſidere [7] diligenter involutis pedibus & capite; quoties febris acceſſit & deſiit, cibum modicum ſumere, & vinum; reliquo tempore, niſi imbecillitas urget, abſtinere. At ſi duæ febres pene junguntur, poſt utramque cibum ſumere: deinde vacuo tempore, & moveri aliquid, & poſt unctionem cibo uti. Cum vero vetus quartana raro, niſi vere, ſolvatur; utique eo tempore attendendum eſt, ne quid fiat, quod valetudinem impediat. Prodeſtque in vetere quartana, mutare ſubinde victus genus; a vino ad aquam, ab aqua ad vinum, a lenibus cibis ad acres, ab acribus ad lenes tranſire; eſſe radicem, deinde vomere; jureve pulli gallinacei ventrem reſolvere; oleo ad frictiones adjicere calefacientia; ante acceſſionem ſorbere, vel aceti cyathos duos, vel unum ſinapis cum tribus Græci vini ſalſi, vel miſta paribus portionibus, & in aqua diluta, piper, caſtoreum, laſer, myrrham. Per hæc enim ſimiliaque corpus agitandum eſt, ut moveatur ex eo ſtatu, quo detinetur. Si febris quievit, diu meminiſſe ejus diei convenit; eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, laſſitudinem. Facile enim revertitur, niſi a ſano quoque aliquamdiu timetur.

XVII.

5. *ſiſtendum*) Lindenius reponit *conſiſtendum*. Ego veterem lectionem retineo, quæ Codicis Medicei I. teſtimonio comprobatur. Fortaſſe tamen legendum eſt *ſubſiſtendum*, quia alii Codices habent *ſuſtinendum*. Cap. 20. hujus libri: *in iiſdem ſorbitionibus ſubſiſtendum*.

6. *neque eæ*) Cæſarius, & Lindenius omittunt *eæ*.

7. *conſidere*) In Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ legitur, *hinc conſidere*: & paulo infra, pro *moveri aliquid*, *moveri aliquantum*.

XVII. At ſi ex quartana, quotidiana facta eſt, cum id vitio [8] inciderit, per biduum abſtinere oportet, & frictione uti [9]; aquam tantummodo veſpere potui dare [10]. Tertio die ſæpe fit, ne febris accedat: ſed ſive fuit, ſive non fuit, cibus poſt acceſſionis tempus eſt dandus; & ſi manet [11], per biduum abſtinentia, quanta maxima imperari corpori poteſt, & frictione quotidie utendum eſt.

XVIII. Et febrium quidem curatio [12] expoſita eſt. Superſunt vero alii corporis affectus, qui huic ſuperveniunt; ex quibus eos, qui certis partibus aſſignari non poſſunt [13], protinus jungam. Incipiam ab inſania, primamque hujus ipſius partem aggrediar, quæ & acuta, & in febre eſt: φρένησιν [14] Græci appellant. Illud ante omnia ſcire oportet, interdum in acceſſione ægros deſipere, & loqui aliena. Quod non quidem leve eſt; neque incidere poteſt, niſi in febre vehementi: non tamen æque peſtiferum eſt: nam plerumque breve eſſe conſuevit, levatoque acceſſionis impetu, protinus mens redit. Neque id genus morbi remedium aliud deſiderat, quam quod in curanda febre præceptum eſt. Phreneſis vero tum demum eſt, cum continua dementia eſſe incipit; aut cum æger, quamvis adhuc ſapiat, tamen quaſdam vanas imagines accipit: perfecta eſt, ubi mens illis imaginibus addicta eſt. Ejus autem plura genera ſunt: ſiquidem ex phreneticis alii hilares, alii triſtes ſunt; alii facilius continentur, & intra verba deſipiunt, alii conſurgunt [15], & violenter quædam manu faciunt; atque ex his ipſis, alii nihil niſi

8. *vitio*) culpa vel ægri, vel curantis; ut dixit cap. 15. Lindenius leg. *initio*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ: ſed perperam. Codices noſtri omnes habent *vitio*.

9. *& frictione uti*) Ita in Codice Mediceo I. Alii omittunt particulam *&*. Lindenius leg. *veſpere frictione uti*.

10. *aquam tantummodo veſpere potui dare*) In Codice Mediceo I. ita legitur: *veſpere tantummodo aquam potui dare*: in Edit. Linden. *& aquam tantummodo potui dare*.

11. *& ſi manet*) Ita ex Lindenio. Cum tamen antiqui Codices habeant *at ſi manet*, fortaſſe legendum *ac ſi manet*. Nam *at* in iiſdem ſæpe ſcriptum eſt pro *ac*. Infra, pro *quanta maxima*, quidam leg. *quanta maxime*.

12. *curatio*) Ita Conſtantinus ex conjectura, & Lindenius. Antiqui libri habent *ratio*; ſed, ut videtur, mendoſe. Hæc enim iis reſpondere debent, quæ ſub initium 3. capitis leguntur: *Sequitur vero curatio febrium*.

13. *non poſſunt*) Lindenius leg. *poſſunt*, ſublata negatione; quod Conſtantino placebat. Verum Morgagnus, qui in omnibus ſuis libris, quibuſcum & noſtri conſentiunt, eam particulam invenit, ipſius Celſi teſtimonio retinendam eſſe oſtendit, ita de his morbis initio libri proximi ſcribentis: *Hactenus reperiuntur ea genera morborum, quæ in totis corporibus ita ſunt, ut iis certæ ſedes aſſignari non poſſint*.

14. φρένησιν) Ita ex antiquis libris. Al. φρενῖτιν; & infra *Phrenitis*.

15. *conſurgunt*) Linden. *inſurgunt*.

niſi impetu peccant, alii etiam artes adhibent, ſummamque ſpeciem ſanitatis in captandis malorum operum occaſionibus præbent; ſed exitu deprehenduntur. Ex his autem eos, qui intra verba deſipiunt, aut leviter etiam manu peccant, onerare aſperioribus coercitionibus ſupervacuum eſt: eos vero [16], qui violentius ſe gerunt, vincire convenit; ne vel ſibi vel alteri noceant. Neque credendum eſt, ſi vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, quamvis [17] prudenter & miſerabiliter loquitur; quoniam is dolus inſanientis eſt. Fere vero antiqui tales ægros in tenebris habebant; eo quod illis contrarium eſſet, exterreri, & ad quietem animi tenebras ipſas conferre aliquid judicabant. At Aſclepiades, tamquam tenebris ipſis terrentibus, in lumine habendos eos dixit [18]. Neutrum autem [19] perpetuum eſt: alium enim lux, alium tenebræ magis turbant; reperiunturque, in quibus nullum diſcrimen deprehendi, vel hoc, vel illo modo poſſit. Optimum itaque eſt, utrumque experiri; & habere eum, qui tenebras horret, in luce; eum, qui lucem, in tenebris. At ubi nullum tale diſcrimen eſt, æger, ſi vires habet, loco lucido; ſi non habet, obſcuro continendus eſt. Remedia vero adhibere, ubi maxime furor urget, ſupervacuum eſt: ſimul enim febris quoque increſcit. Itaque tum nihil niſi continendus æger eſt: ubi vero res patitur, feſtinanter ſubveniendum eſt. Aſclepiades perinde eſſe dixit, his ſanguinem mitti, ac ſi trucidentur; rationem hanc ſecutus, quod neque inſania eſſet, niſi febre [20] intenta; neque ſanguis, niſi in remiſſione ejus, recte mitteretur. Sed ipſe [21] in his ſomnum multa frictione quæſivit; cum & intentio febris ſomnum impediat, & frictio non niſi in remiſſione ejus utilis ſit. Itaque hoc quoque auxilium debuit præterire. Quid igitur eſt? Multa in præcipiti pe-

ri-

16. *vero*) Codex Mediceus I. non habet particulam hanc.

17. *dum levari vinculis cupit, quamvis &c.*) *quamvis* pro *quantumvis*. In libris editis ita legitur: *dum levari vinculis cupit, ſanum jam ſe fingat, quamvis* &c. infra vero *loquatur*. Ego, quamquam quatuor illa verba in pleriſque Mſs. inveni, malui tamen vetuſtiſſimo Mediceo credere, qui ea omittit. Porro *loquitur* Codex is habet, non *loquatur*.

18. *eos dixit*) Ita ex Mediceo I. aliiſque Mſs. Codicibus, & Lindenii Editione. Alii leg. *eſſe dixit*, ut eſt in Mediceo IV. & in V.

19. *autem*) Ita ex Cod. Medic. I. Al. *tamen*.

20. *febre*) Lindenius leg. *cum febre*.

21. *Sed ipſe* &c.) Lindenius ita leg. *Ipſe in his ſomnum multa frictione quæſivit. Sed cum & intentio febris ſomnum impediat; & frictio non, niſi in remiſſione ejus, utilis ſit: hoc quoque auxilium debuit præterire.*

riculo recte fiunt, alias omittenda. Et continua [22] quoque febris habet tempora, quibus, etſi non remittit, non tamen creſcit: eſtque hoc, ut non optimum, ſic tamen ſecundum [23] remediis tempus [24]. Quod ſi vires ægri patiuntur, ſanguis quoque mitti debet. Minus deliberari [25] poteſt, an alvus ducenda ſit. Tum, interpoſito die, convenit caput ad cutem tondere; deinde aqua fovere, in qua verbenæ aliquæ decoctæ ſint ex reprimentibus [26]; aut prius fovere, deinde tondere [27], & iterum fovere; ac noviſſime roſa caput nareſque implere: offerre etiam naribus rutam, ex aceto contritam; movere ſternutamenta medicamentis in id [28] efficacibus. Quæ tamen facienda ſunt in iis, quibus vires non deſunt. Si vero imbecillitas eſt, roſa tantum caput, adjecto ſerpyllo, ſimilive aliquo, madefaciendum eſt. Utiles etiam in quibuſcumque viribus herbæ duæ ſunt, ſolanum & muralis, ſi ſimul [29] ex utraque ſucco expreſſo caput impletur [30]. Cum ſe febris remiſerit, frictione utendum eſt; parcius tamen in iis, qui nimis hilares, quam in iis, qui nimis triſtes ſunt. Adverſus omnium autem ſic inſanientium animos gerere ſe pro cujuſque natura neceſſarium eſt.

Quo-

22. *continua*) *continuata* legitur in Mſs. & in Editionibus omnibus, præter Lindenianam.

23. *ut non optimum, ſic tamen ſecundum &c.*) Hoc tempus, quamvis non optimum, tamen idoneum remediis eſt. Illuſtrant hunc locum, quæ de ſanguinis miſſione Celſus ſcripſit lib. 2. cap. 10. *Quod ſi vehemens febris urget, in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere, hominem jugulare eſt. Exſpectanda ergo remiſſio eſt; ſi non decreſcit, ſed creſcere deſiit, neque ſperatur remiſſio, tum quoque, quamvis pejor, ſola tamen occaſio non omittenda eſt.* Ceterum, cum *ut* hoc loco ſit pro *quamvis*, eique *tamen* reſpondeat, particula *ſic* vacare videtur. Neque tamen tollere auſim: nam eadem conſtructio occurrit in lib. 8. cap. 14. *Ex ejuſmodi caſibus, ut tardius, quam ex capitis, ſic tamen intra triduum homo moritur.* Lindenius leg. *ut non optimum, ſic ſatis tamen ſecundum &c.* Sed adverbium *ſatis*, neque inveni in Codicibus Mſs. neque neceſſarium puto.

24. *remediis tempus*) Al. *remedii tempus*; quidam, *remedii genus*.

25. *Minus deliberari*) Sic reſtitui ex Mſs. Vulgo præmittitur *Nec*, ut habet Vaticanus VI. quod nempe Palavicinus particulam iſtam addiderit in Mediceo I. ex quo aliquis eamdem in IV. poſuit ſupra *minus*. Pro *deliberari*, Lindenius leg. *dubitari*.

26. *ex reprimentibus*) Olim legebatur: *vel ex reprimentibus*; ut eſt in Mſs. Lindenius ſuſtulit *vel*; Conſtantinus, *vel aliud ex reprimentibus*, legendum exiſtimavit. Ego a Lindenio ſtandum puto. Nam & lib. 4. cap. 24. legitur: *aqua egelida, in qua lentiſcus, aliave ex reprimentibus verbena decocta ſit*.

27. *tondere*) *radere* eſt in Cod. Mediceo I. & in margine Edit. Conſtantini.

28. *in id*) Conſtantinus mallet *ad id*, immo ita edidit Lindenius. Attamen Editiones vetuſtæ, & Codex Medic. I. aliique habent *in id*. Ita Columella lib. 7. R. R. cap. 8. *cratibus in hoc factis*, id eſt ad hoc.

29. *ſi ſimul*) Particula *ſi*, quæ in Edd. vetuſtis & in Medic. I. aliiſque Codicibus deeſt, additur in Lindeniana; & recte quidem.

30. *impletur*) Ita in Cod. Medic. I. Alii leg. *impleatur*.

Quorumdam enim vani metus levandi ſunt; ſicut in homine prædivite famem timente incidit [31], cui ſubinde falſæ hæreditates nuntiabantur: quorumdam audacia coercenda eſt; ſicut in iis fit, in quibus continendis plagæ quoque adhibentur: quorumdam etiam intempeſtivus riſus objurgatione & minis finiendus [32]: quorumdam diſcutiendæ triſtes cogitationes; ad quod ſymphoniæ, & cymbala, ſtrepituſque proficiunt. Sæpius tamen aſſentiendum, quam repugnandum eſt; paulatimque, & non evidenter, ab iis, quæ ſtulte dicentur, ad meliora mens adducenda [33]. Interdum etiam elicienda ipſius intentio; ut fit in hominibus ſtudioſis litterarum, quibus liber legitur, aut recte, ſi delectantur, aut perperam, ſi id ipſum eos offendit: emendando enim convertere animum [34] incipiunt. Quin etiam recitare, ſi qua meminerunt, cogendi ſunt. Ad cibum quoque quoſdam non deſiderantes reduxerunt ii, qui inter epulantes eos collocarunt. Omnibus vero ſic affectis ſomnus & difficilis, & præcipue neceſſarius eſt: ſub hoc enim plerique ſaneſcunt. Prodeſt ad id, atque etiam ad mentem ipſam componendam, crocinum unguentum cum irino in caput datum [35]. Si nihilominus vigilant, quidam [36] ſomnum moliuntur potui dando aquam, in qua papaver, aut hyoſcyamus decocta ſit [37]: alii mandragoræ mala pulvino ſubjiciunt: alii vel amomum, vel ſycamini lacrimam fronti inducunt. Hoc nomen apud Medicos reperio:

ſed

31. *incidit*) Quidam cum Cæſario leg. *accidit*.

32. *finiendus*) Antea legebatur: *prohibendus eſt*. Mihi magis placet *finiendus*, quo modo legitur in Cod. Medic. vetuſtiori: in quo *eſt* additur in verſuum intercapedine; ideoque alienum judico.

33. *mens adducenda*) *adducenda* legendum ex Codice Mediceo modo allato, non *abducenda*, ut omnes vulgo. Alii interjiciunt *ejus*: quam vocem habent etiam Codices Medicei; ſed Lindenius recte omittit, ut & *eſt*, quod alii addunt.

34. *convertere animum*) In Editione Linden. *advertere*, pro *convertere*, quod eſt in Editionibus vetuſtis & in Mſs. Mediceis.

35. *datum*) Codex Medic. I. *additum*.

36. *vigilant*, *quidam*) Ita Lindenius. Alii leg. *vigilant ii* (vel *hi*) *quidam*. In Codice modo allato eſt: *vigilat quidam*.

37. *hyoſcyamus decocta ſit*) Alii leg. *hyoſcyamos* græca terminatione, ut eſt in Mſs. Mediceis reliquis. In primo eſt *hyoſcyamon*; ſed in omnibus *decocta ſit*. Ab Egnatio ὑοσκύαμος græcis litteris ſcribitur. In lib. 2. cap. 33. legitur *hyoſcyamum* neutro genere & latina terminatione; ſed locus omnino certus non eſt. Latine effertur ſine controverſia lib. 5. cap. 27. ſect. 14. ſed in quarto caſu, ut cujus generis ſit, non appareat. Sexies præterea hæc vox occurrit apud Celſum, ſed ubique in ſecundo caſu; ut de genere æque nihil conſtet. Lindenius ex Conſtantini emendatione hic leg. *hyoſcyamus decocta ſint*. Sed *ſit* retinere quid vetat? Vt enim pluribus in locis *hyſſopum* genere neutro invenitur, ſed tamen & *hyſſopus cocta* invenitur in lib. 4. cap. 4. ſect. 2. ſic fortaſſe & *hyoſcyamum* neutro genere dicitur, & *hyoſciamus* fœminino.

ſed cum Græci morum συκάμινον[38] appellant, mori nulla lacrima eſt. Sic vero ſignificatur lacrima arboris in Ægypto naſcentis, quam ibi μοροσύκον[39] appellant. Plurimi decoctis papaveris corticibus, ex ea aqua ſpongia[40] os & caput ſubinde fovent. Aſclepiades ea ſupervacua eſſe dixit; quoniam in lethargum ſæpe converterent[41]. Præcepit[42] autem, ut primo die, a cibo, potione, ſomno abſtineretur; veſpere ei daretur potui aqua; tum frictio admoveretur lenis, ut ne manum quidem, qui perfricaret[43], vehementer imprimeret; poſtero deinde die, iiſdem omnibus factis, veſpere ei daretur ſorbitio & aqua[44], rurſuſque frictio adhiberetur: per hanc enim nos conſecuturos, ut ſomnus accedat. Id interdum fit, & quidem adeo, ut, illo confitente, nimia frictio etiam lethargi periculum afferat. Sed ſi ſic ſomnus non acceſſit, tum demum illis medicamentis arceſſendus eſt: habita ſcilicet eadem moderatione, quæ hic quoque neceſſaria eſt, ne, quem obdormire volumus, excitare poſtea non poſſimus. Confert etiam aliquid ad ſomnum ſilanus[45] juxta cadens; vel geſtatio poſt cibum, & no-

S ctu;

38. συκάμινον) Hæc vox latinis litteris ſcribitur in Codice Medic. I. & in Edd. priſcis: in Edit. Cæſarii eſt *Sycaminum*. In Lindeniana hic locus ita legitur: *Sed cur Græci morum συκάμινον appellant, cum mori nulla lachryma ſit? Sic vero &c.* Ego antiquis Codicibus ſtandum puto: malim tamen legere, *appellent*.

39. μοροσύκον) Græcis litteris ſcripſi vocem hanc, ſecutus Editionem Aldinam; in qua tamen eſt μωρέσυκον. Editiones priſcæ aliæque plures habent litteris latinis; ut & Codices Mſs. atque alii quidem cum vetuſtiori, *moroſycon*, alii mendoſe, *moronſcyon*. Stephanus & Lindenius leg. συκόμορον; quod eſt etiam, ſed latinis litteris, in margine Editionis Conſtantinianæ. Hi Ruellium ſecuti ſunt. Videndum eſt, quid ſecutus ſit Ruellius ipſe: quia, ſi ex conjectura ſic repoſuit, ea non ita certa videtur, ut optimorum Codicum auctoritati anteferenda ſit. Nam Dioſcorides quidem, & Galenus hanc arborem συκόμορον appellant, nomine ex συκῆ & μορέα conflato (quamvis quidam συκομῶρον apud Dioſcoridem ſcribendum putant) hinc tamen non ſequitur, alios μοροσύκον inverſis vocibus appellare non potuiſſe. Fortaſſe Ruellii lectionem comprobarent verba illa lib. 5. cap. 18. ſect. 7. *ſycamini, quam alias ſycomorum vocant, lacrimæ &c.* niſi ſuſpectus locus eſſet.

40. *ſpongia*) Linden. *cum ſpongia*.

41. *converterent*) Linden. *convertunt*. Sed in Medic. I. & Vatic. VI. eſt *converterent*; in Mſs. ceteris, ut & quædam Editiones habent, *compellerent*. Neque imperfectum hoc prorſus improbandum eſt: non deerit fortaſſe tamen, qui ſuſpicetur corruptum eſſe ex præterito *converterunt* vel *converterint*.

42. *Præcepit*) In multis Mſs. *Præcipit*.

43. *ut ne manum quidem, qui perfricaret,*) Antea legebatur: *ita ut ne manum quidem, qui fricaret*. Ego ſic repoſui ex Codice Medic. vetuſtiori.

44. *ſorbitio & aqua*) *ſorbitio ex aqua* nonnulli legunt cum Cæſario: ſed ſequendi non ſunt.

45. *ſilanus*) Corrupta eſt vox hæc in Codicibus multis. *Silanus* recte legitur in Mediceo I. & aliis nonnullis. De hac voce Morgagnus, pro ſua multiplici eruditione, pluribus ſcripſit Epiſt. I. in Celſum; quam omnino vide. Ceterum vocabuli origo non

eſt

ctu; maximeque ſuſpenſi lecti motus. Neque alienum eſt, ſi neque ſanguis ante miſſus eſt, neque mens conſtat, neque ſomnus accedit, occipitio inciſo cucurbitulam admovere; quæ quia levat morbum, poteſt etiam ſomnum [46] facere. Moderatio autem in cibo quoque adhibenda eſt: nam neque implendus æger eſt, ne inſaniat; neque jejunio utique vexandus, ne imbecillitate in cardiacum incidat. Opus eſt [47] cibo infirmo, maximeque ſorbitione, potione aquæ mulſæ, cujus ternos cyathos bis hieme, quater æſtate [48] dediſſe ſatis eſt.

Alterum inſaniæ genus eſt, quod ſpatium longius recipit; quia fere ſine febre incipit, leves deinde febriculas excitat. Conſiſtit [49] in triſtitia, quam videtur bilis atra contrahere. In hac utilis detractio ſanguinis eſt: ſi quid hanc prohibet, prima eſt abſtinentia; ſecunda, per album veratrum vomitumque purgatio. Poſt utrumlibet, adhibenda bis die frictio eſt; ſi magis valet, frequens etiam exercitatio; in jejuno vomitus: cibus, ſine vino, dandus ex media materia eſt. Quam quoties poſuero, ſcire licet, etiam ex infirmiſſima dari poſſe; dum ne ea ſola quis utatur: valentiſſima [50] tantummodo eſſe removenda. Præter hæc, ſervanda alvus eſt quam tenerrima; removendi terrores, & potius bona ſpes afferenda; quærenda delectatio ex fabulis, ludiſque, quibus maxime capi ſanus aſſueverat; laudanda, ſi qua ſunt, ipſius opera, & an-

eſt fortaſſe ex Arabo *ſilan*, ut Erpenius & Voſſius exiſtimarunt; ſed ex Græco σωλὴν, quod canalem ſive tubum ſignificat: mutato a Latinis ω in ι, &, quod in aliis quoque vocibus, Doricorum more, factitarunt, η in α.

46. *etiam ſomnum*) Lindenius non recte omittit *etiam*, quod ego in Mſs. omnibus inveni. Idem infra legit: *nam neque æger eſt implendus ne inſaniat: neque jejunio utique vexandus eſt*. Sed & alii omnes addunt *eſt*, poſt *vexandus*. Ego illud expuli, fidem ſecutus Codicis Medicei I.

47. *Opus eſt*) Ita in Cod. Medic. I. Al. addunt *autem*. Deinde lego *potione*, ut alii omnes, præter Lindenium, qui habet *& potione*.

48. *ternos cyathos bis hieme, quater æſtate*) terni cyathi dandi ſunt, quotieſcumque potio dari debet; bis autem hieme, quater æſtate dediſſe ſatis eſt. Lindenius contra Editiones vetuſtas, a quibus nihil variant Medicei Codices, ſic mutavit: *ternos cyathos hieme, æſtate vero quatuor &c.*

49. *Conſiſtit*) Antea legebatur: *& conſiſtit*. Ego *&* omiſi ex fide Codicis Medic. I.

50. *valentiſſima*) Hæc lectio proba eſt, & Mſs. Mediceis confirmatur. Sic lib. 2. cap. 18. ſub finem; *quæ valentiſſima ſunt*. Lindenius legit, *valentiſſimam*, deinde, *removendam*; ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ. Supra, pro *ſcire licet*, in Codice Mediceo I. legitur *ſcire licebit*.

ante oculos ejus ponenda; leviter objurganda vana triſtitia; ſubinde admonendus, in iis ipſis rebus, quæ ſolicitant, cur non potius [51] lætitiæ, quam ſolicitudinis cauſa ſit. Si febris quoque acceſſit, ſicut aliæ febres curanda eſt.

Tertium genus inſaniæ eſt ex his longiſſimum; adeo ut vitam ipſam non impediat: quod robuſti corporis eſſe conſuevit. Hujus autem ipſius [52] ſpecies duæ ſunt. Nam quidam imaginibus, non mente falluntur [53]; quales inſanientem Ajacem vel Oreſtem percepiſſe poetæ ferunt [54]: quidam animo deſipiunt. Si imagines fallunt, ante omnia videndum eſt, triſtes, an hilares ſint. In triſtitia, nigrum veratrum dejectionis cauſa; in hilaritate, album, ad vomitum excitandum, dari debet: idque, ſi in potione non accipit, pani adjiciendum eſt, quo facilius fallat. Nam ſi bene ſe purgaverit, ex magna parte morbum levabit. Ergo etiam ſi ſemel datum veratrum parum profecerit, interpoſito tempore iterum dari debet. Neque ignorare oportet, leviorem eſſe morbum cum riſu, quam ſerio inſanientium. Illud quoque perpetuum eſt in omnibus morbis; ubi ab inferiore parte purgandus aliquis eſt, ventrem ejus ante ſolvendum eſſe; ubi a ſuperiore, comprimendum. Si vero conſilium inſanientem fallit, tormentis quibuſdam optime curatur. Vbi perperam aliquid dixit, aut fecit, fame, vinculis, plagis coercendus eſt. Cogendus eſt & attendere, & ediſcere aliquid, & meminiſſe: ſic enim fiet, ut paulatim metu cogatur conſiderare, quid faciat. Subito etiam terreri, & expaveſcere, in hoc morbo prodeſt; & fere quidquid animum vehementer perturbat [55]. Poteſt enim quædam fieri mutatio, cum ab eo ſtatu mens, in quo fuerat, abducta eſt. Intereſt etiam, is ipſe [56] ſine cauſa ſubinde rideat, an mœſtus demiſſuſque ſit: nam demens hilari-

S 2 tas [57]

51. *cur non potius*) In Codice Medic. I. omittitur *non*, ſine ſententiæ detrimento; & ſupra, pro *quibus maxime*, translatis verbis, habetur, *maxime quibus*.

52. *ipſius*) Vox hæc deeſt in Edit. Lindenii, & in quibuſdam Mſs.

53. *falluntur*) Lindenius, *fallunt*; ſed perperam, ut & verba oſtendunt; *ſi imagines fallunt*; quæ mox ſequuntur.

54. *quales inſanientem Ajacem vel Oreſtem percepiſſe poetæ ferunt*) Sic reſtitui ex Codice Mediceo vetuſtiori. Communiter legebatur: *qualem inſanientem Ajacem vel Oreſtem poetarum fabulæ ferunt*; ut eſt in ceteris Codicibus Mediceis.

55. *perturbat*) *turbat* eſt in Cod. Medic. I.

56. *is ipſe*) Antea legebatur: *ſi ipſe*; ut eſt in Cod. modo allato. Ego ſic repoſui ex aliis Codicibus.

tas [57] terroribus iis, de quibus ſupra dixi, melius curatur: ſi nimia triſtitia eſt, prodeſt lenis, ſed multa bis die frictio; item per caput [58] aqua frigida infuſa, demiſſumque corpus in aquam & oleum. Illa communia ſunt: inſanientes vehementer exerceri debere; multa frictione uti; neque pinguem carnem, neque vinum aſſumere; cibis uti poſt purgationem, ex media materia, quam leviſſimis; non oportere eſſe vel ſolos, vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contemnant, aut negligant; mutare debere regiones, & ſi mens redit, annua peregrinatione eſſe jactandos.

Raro, ſed aliquando tamen, ex metu delirium naſcitur. Quod genus inſanientium, ſpecie ſimile, ſimilique [59] victus genere curandum eſt: præterquam quod in hoc inſaniæ genere ſolo recte vinum datur.

XIX. His morbis [60] præcipue contrarium eſt id genus, quod καρδιακὸν a Græcis nominatur; quamvis ſæpe ad eum phrenetici tranſeunt: ſiquidem mens in illis labat [61], in hoc conſtat. Id autem nihil aliud eſt, quam nimia imbecillitas corporis, quod, ſtomacho languente, immodico ſudore digeritur. Licetque protinus ſcire id eſſe, ubi venarum exigui imbecillique pulſus ſunt; ſudor autem ſupra conſuetudinem, & modo, & tempore, ex toto thorace, & cervicibus, atque etiam capite prorumpit, pedibus tantummodo, & cruribus ſiccioribus, atque frigentibus [62]. Acutique [63] morbi genus eſt. Curatio prima eſt, ſupra præcordia imponere, quæ reprimant [64], cataplaſmata: ſecunda, ſudorem prohibere. Id præſtat acerbum oleum, vel roſa, vel melinum, aut myrteum: quorum ali-

57. *demens hilaritas*) Lindenius aliique, Cæſarium ſecuti, reponunt *dementis*, pro *demens*. Sed non eſt neceſſe mutare, antiquis Codicibus invitis.

58. *per caput*) Ita in omnibus Mſs. & in Edd. vetuſtis; ut Lindenii lectio, *ſuper caput*, minus probanda ſit.

59. *ſpecie ſimile, ſimilique*) Locum hunc, qui in Edd. vetuſtis & in Mſs. Mediceis ita legitur: *ſpecie ſimilique*; Conſtantinus, vocem *ſimile* interjiciendo, in integrum reſtituere conatus eſt: ejuſque conjecturam Lindenius in contextum recepit. Sed locus fortaſſe adhuc integer non eſt.

60. *His morbis*) Al. *Huic morbo*.

61. *labat*) Huic verbo reſpondet *conſtat*, quod ſequitur. Igitur *labat* legendum, tum hic, tum lib. 2. cap. 7. *his mens labat*; ex fide omnium noſtrorum Codicum; non *laborat*, ut utrobique habet Lindenii Editio. Neque particula *vero*, quam hic præmittit Lindenius, invenitur in iis Codicibus.

62. *frigentibus*) Linden. *frigidis*.

63. *Acutique*) Ego ſic repoſui ex Codice Mediceo vetuſtiori, pro *Acuti id*, ut eſt in Edit. Lindenii. Alii leg. *At ubi id morbi genus eſt, curatio &c.* ſed male.

64. *reprimant*) Lindenius leg. *reprimunt*; poſtea, *cohibere*, pro *prohibere*.

aliquo corpus leniter perungendum, ceratumque ex aliquo horum tum imponendum eſt. Si ſudor vincit, delinendus homo eſt vel gypſo, vel argenti ſpuma, vel Cimolia creta, vel etiam [65] ſubinde horum pulvere reſpergendus. Idem præſtat pulvis ex contritis aridi [66] myrti vel rubi foliis, aut ex auſteri & boni vini arida fæce: pluraque ſimilia ſunt, quæ ſi deſunt, ſatis utilis eſt quilibet ex via pulvis injectus. Super hæc vero, quo minus corpus inſudet, levi veſte debet eſſe contectus, loco [67] non calido, feneſtris patentibus, ſic, ut perflatus quoque aliquis accedat. Tertium auxilium eſt, imbecillitati jacentis cibo vinoque ſuccurrere. Cibus non multus quidem, ſed ſæpe tamen nocte ac die dandus eſt; ut nutriat, neque oneret. Is eſſe debet ex infirmiſſima materia, & ſtomacho aptus. Niſi ſi neceſſe eſt [68], ad vinum feſtinare non oportet: ſi verendum eſt, ne deficiat, tum & intrita ex hoc, & hoc ipſum auſterum quidem, ſed tamen tenue, meraculum [69], egelidum ſubinde & liberaliter dandum eſt; adjecta polenta, ſi modo is æger parum cibi aſſumit: idque vinum eſſe debet, neque nullarum virium, neque ingentium; recteque tota die ac nocte, vel tres [70] heminas æger bibet; ſi vaſtius corpus eſt, plus etiam. Si cibum non accipit, perunctum ante perfundere aqua frigida convenit, & tum dare. Quod ſi ſtomachus reſolutus parum continet, & ante cibum, & poſt eum ſponte vomere oportet; rurſuſque poſt vomitum cibum ſumere. Si ne id quidem [71] manſerit, ſorbere vini cyathum, interpoſitaque hora, ſumere alterum [72]. Si id quoque ſtomachus reddiderit, totum corpus bulbis contritis ſuperillinendum eſt; qui, ubi inaruerunt, efficiunt, ut vinum in ſto-

65. *vel etiam*) Lindenius omittit *etiam*.
66. *aridi*) Lindenius leg. *aridæ*. Ego *aridi* inveni in Mſs. ſed videtur legendum *aridis*. Sic lib. 5. cap. 23. ſect. 3. *aridorum roſæ foliorum*; lib. 6. cap. 18. ſect. 9. *malicorium cum aridis roſæ foliis contritum*.
67. *loco*) In Edit. Linden. *poſituſque loco*. Sed Lindenium fortaſſe minus fidelis Codex fefellit. Noſtri non habent *poſituſque*.
68. *Niſi ſi neceſſe eſt*) Ita ex Cod. Medic. I. Alii leg. *Niſi autem neceſſe eſt*.
69. *meraculum*) Ita in Edit. Lindenii & in Codice modo allato. Al. *meracum*.
70. *vel tres*) ſcilicet etiam tres. Hanc lectionem Codd. Medicei confirmant. In Edit. Lindenii & in margine Conſtantinianæ, *duas vel tres*.
71. *ne id quidem*) Ita in Editionibus vetuſtis, & in Codicibus Mſs. Lindenius leg. *ne is quidem*. Sed non eſt opus mutatione iſta.
72. *alterum*) cyathum. Lindenius reponit *iterum*; quod minus probandum eſt, neque in ullo Codice inveni.

ſtomacho contineatur, exque eo toti corpori calor, veniſque vis redeat. Vltimum auxilium eſt, in alvum ptiſanæ vel alicæ cremorem ex inferioribus partibus indere [73]: ſiquidem id quoque vires tuetur. Neque alienum eſt, naribus quoque æſtuantis admovere, quod reficiat; id eſt roſam [74] & vinum: & ſi qua in extremis partibus frigent, unctis & calidis manibus fovere. Per quæ ſi conſequi potuimus, ut & ſudoris impetus minuatur, & vita prorogetur, incipit jam tempus ipſum eſſe præſidio. Vbi in tuto eſſe videtur, verendum tamen eſt, ne [75] in eamdem imbecillitatem cito recidat: itaque, vino tantum [76] remoto, quotidie validiorem cibum debet aſſumere, donec ſatis virium corpori redeat.

XX. Alter quoque morbus eſt, aliter phrenetico contrarius. In eo difficilior ſomnus, prompta ad omnem audaciam mens eſt: in hoc [77] marcor, & inexpugnabilis pene dormiendi neceſſitas. Λήθαργον Græci nominant. Atque id [78] quoque genus acutum eſt, & niſi ſuccurritur, celeriter jugulat. Hos ægros quidam ſubinde excitare nituntur, admotis iis, per quæ [79] ſternutamenta evocantur, & iis, quæ odore fœdo movent; qualis eſt pix cruda, lana ſuccida, piper, veratrum, caſtoreum, acetum, allium, cepa. Juxta etiam [80] galbanum incendunt, aut pilos, aut cornu cervinum; ſi id non eſt [81], quodlibet aliud. Hæc enim cum comburuntur, odorem fœdum movent [82]. Tharrias vero quidam, acceſſionis

73. *indere*) Codices Medicei, præter primum, *inicere*, ut habent Aldina, & Ruellii Editio: neque eſt in Codicibus illis vox antecedens, *partibus*.

74. *id eſt roſam*) In Edit. Lindenii, & in margine Conſtantinianæ, *ut eſt roſa*; in Cod. Medic. I. *ideſt roſa*; in quo deinde omittitur & ante *ſi qua*.

75. *ne*) Linden. *ut ne*.

76. *tantum*) Codex Medic. I. *tantummodo*.

77. *in hoc*) Alii præmittunt *at*; quam particulam Cod. Medic. I. non habet, & omittit Lindenius. Is ſupra cum eodem Codice habet *In eo*, pro *In illo*, ut alii legunt.

78. *nominant. Atque id*) Lindenius leg. *nominarunt. Id*; deinde, *Proinde ex eo ægros quidam excitare*, pro *Hos ægros quidam ſubinde excitare*. Codices noſtri utroque loco faciunt contra Lindenium, ut & infra, ubi ille habet *pix uſta*, pro *pix cruda*, & ubi omittit *aut pilos*.

79. *per quæ*) Al. *quæ per*; ſed perperam; quod nemo non videt.

80. *allium, cepa. Juxta etiam*) Quatuor hæc verba non ſunt in Cod. Medic. I.

81. *ſi id non eſt*) Alii omittunt *id*.

82. *Hæc enim cum comburuntur, odorem fœdum movent*) Hoc membrum mihi videtur inſititium, atque explicatio quædam membri antecedentis. Conſtantinus ex verbis illis: *odore fœdo movent*; quæ ſupra ſunt, hic quoque *odore fœdo movent*, legendum conjecit; atque ita Lindenius edidit.

nis id malum eſſe dixit, levarique, cum ea deceſſit: itaque eos, qui ſubinde excitant, ſine uſu male habere. Intereſt autem, in deceſſione expergiſcatur æger, an, cum febris non levetur [83], aut levata quoque ea ſomnus urgeat. Nam ſi expergiſcitur, adhibere ei, ut ſopito, ſupervacuum eſt: neque enim vigilando melior fit; ſed per ſe, ſi melior eſt, vigilat. Si vero continens ei ſomnus eſt, utique excitandus eſt; ſed iis temporibus, quibus febris leviſſima eſt, ut & excernat aliquid, & ſumat. Excitat autem validiſſime repente aqua frigida infuſa. Poſt remiſſionem itaque [84], perunctum oleo multo corpus [85], tribus aut quatuor amphoris totum per caput perfundendum eſt. Sed hoc utemur, ſi æqualis ægro ſpiritus erit, ſi mollia præcordia: ſin aliter hæc erunt, ea potiora, quæ ſupra comprehenſa ſunt. Et, quod ad ſomnum quidem pertinet, commodiſſima hæc ratio eſt. Medendi autem cauſa, caput radendum; deinde poſca fovendum eſt, in qua [86] laurus, aut ruta [87] decocta ſit: altero die [88] imponendum caſtoreum, aut ruta ex aceto contrita, aut lauri baccæ, aut hedera cum roſa & aceto. Præcipueque proficit, & ad excitandum hominem, naribus admotum, & ad morbum ipſum depellendum, capiti frontive impoſitum ſinapi. Geſtatio etiam in hoc morbo prodeſt; maximeque opportune cibus datus, id eſt in remiſſione, quanta ma-

83. *cum febris non levetur*) cum febris continuetur, neque levior umquam fiat. Lindenius contra priores Editiones, cum quibus Mſs. Codices conſentientes inveni, leg. *cum febris levatur*.

84. *infuſa. Poſt remiſſionem itaque*) Al. *infuſa poſt remiſſionem. Itaque*; Lindenius, *ſuperinfuſa. Poſt &c.* Sed Codices Mſs. *infuſa*, non *ſuperinfuſa*.

85. *corpus*) Linden. *totum corpus*, minus recte; cum *totum*, quod poſtea ſequitur, & ipſe retineat, & omnino retinendum ſit ex fide Codicum Mſs.

86. *deinde poſca fovendum eſt, in qua &c.*) Ita Lindenius. Alii leg. *deinde poſtea fovendum eſt aqua, in qua &c.* Nec facile eſt ſtatuere, iſti ſequendi ſint, an ille. Nam vetus lectio Codicum pene omnium teſtimonio comprobatur; & *deinde poſtea* alibi reperitur apud Celſum (cap. 4. hujus libri, lib. 5. cap. 28. ſect. 14.) veriſque ſimilius eſt, vocem *aqua* librarii errore omiſſam eſſe in aliquo Codice, quam additam in aliis. At Lindenio ſuffragatur Codex Mediceus vetuſtior; in quo ita ſcriptum fuit: *deinde pos ca &c.* quamvis, *t* inſerto, verſoque *c* in *e*, factum ſit *poſtea*; Palavicino ſic mutante, eodemque vocem *aqua* addente, ut legatur, *fovendum eſt aqua, in qua &c.* Pro Lindenio illud quoque afferri poteſt, Heraclidem Tarentinum, quem multis in locis Celſus ſequitur, poſcam ad idipſum adhibuiſſe, non aquam. Ita de illo Cælius Aurelianus refert in lib. 2. Acut. Morb. cap. 9. *caput poſca fovet, in qua laurus fuerit decocta & ruta: raſis quoque capillis ungit caſtoreo, vel ſpondylio & aceto.*

87. *aut ruta*) Ex allato Cælii Aureliani loco aliquis fortaſſe legere malit, *& ruta*, ut habent Mſs. Codices; exceptis Mediceo I. & Vatic. VI. in quibus eſt *aut ruta*, ut vulgo legitur.

88. *altero die*) Lindenius, *Altera vero die*.

maxima inveniri poterit. Aptiſſima autem ſorbitio eſt, donec morbus decreſcere incipiat: ſic, ut ſi quotidie [89] gravis acceſſio eſt, hæc quotidie detur; ſi alternis, poſt graviorem, ſorbitio, poſt leviorem, mulſa aqua. Vinum quoque cum tempeſtivo cibo datum non mediocriter adjuvat. Quod ſi poſt longas febres ejuſmodi torpor acceſſit [90], cetera eadem ſervanda ſunt: ante acceſſionem autem, tribus quatuorve horis, caſtoreum, ſi venter [91] adſtrictus eſt, miſtum cum ſcammonia; ſi non eſt, per ſe ipſum cum aqua dandum eſt. Si præcordia mollia ſunt, cibis utendum eſt plenioribus; ſi dura, in iiſdem ſorbitionibus ſubſiſtendum; imponendumque præcordiis, quod ſimul & reprimat & emolliat.

XXI. Sed hic quidem acutus eſt morbus. Longus vero fieri poteſt eorum, quos aqua inter cutem male habet; niſi primis diebus diſcuſſus eſt: ὕδρωπα Græci vocant. Atque ejus [92] tres ſpecies ſunt. Nam modo, ventre vehementer intento, creber intus ex motu ſpiritus ſonus eſt: modo corpus inæquale eſt, tumoribus aliter aliterque per totum id orientibus: modo intus in uterum [93] aqua contrahitur, & moto corpore ita movetur, ut impetus ejus conſpici poſſit. Primum, τυμπανίτην; ſecundum, λευκοφλεγματίαν, vel ὑπὸ σάρκα [94]; tertium, ἀσκίτην Græci nominarunt [95].

89. *ſic, ut ſi quotidie*) hac ratione, ut ſi quotidie &c. Sic legitur in Mſs. quoque. Lindenius leg. *Si autem quotidie*. Verba, *gravis acceſſio eſt, hæc quotidie*, quæ continuo ſequuntur, in multis Mſs. deſiderantur.

90. *torpor acceſſit*) Alii interjiciunt *corpori*; quam vocem non habent neque Lindenii Editio, neque Codex Mediceus vetuſtior.

91. *caſtoreum, ſi venter &c.*) Locus hic ita legitur in Edit. Lindenii: *ſi venter aſtrictus eſt, dandum eſt caſtoreum cum ſcammonea; ſi non eſt, per ſe ipſum caſtoreum cum aqua dandum eſt*. Minus recte, & Mſs. noſtris repugnantibus.

92. *Atque ejus*) Lindenius omittit *Atque*: idemque periodum ſuperiorem, quæ in Editionibus vetuſtis & in Mſs. noſtris recte habet, verba quædam addendo ita depravat, ut inde idonea ſententia elici nequeat. Nam ſic legit: *Longus vero fieri poteſt eorum, quos aqua inter cutem male habet. niſi enim primis diebus ſuccurritur, in* ὕδρωπα *quam Græci vocant, incidunt*. Dic ſodes, Lindeni, inter morbum, quem Celſus aquam inter cutem nominat, atque eum, quem ὕδρωπα Græci appellant, quidnam intereſſe putas? Vt mihi quidem videtur, nihil intereſt. Nam quæ Celſus de aqua inter cutem ſcribit in lib. 2. cap. 7. & 8. prorſus conveniunt cum iis, quæ de hydrope habent Hippocrates & Auctor libri ſecundi Prædict.

93. *in uterum*) Sic infra; *in uterum multa aqua contrahitur*. Porro *in uterum* Lindenius edidit, & Conſtantinus invenit in veteri Codice. Alii leg. *in unum*, ut eſt in Mediceis.

94. ὑπὸ σάρκα) Ita in Editione Stephani, & in Aldina quoque (in hac ὑπό σαρκα) & ita Rhodius legendum putat etiam apud Scribonium Compoſ. 134. Alii & hic & apud Scribonium leg. ὑποσάρκα. In Cod. Me-

runt [95]. Communis tamen omnium eſt humoris nimia abundantia; ob quam ne ulcera quidem in his ægris facile ſaneſcunt. Sæpe vero hoc malum per ſe incipit; ſæpe alteri vetuſto morbo, maximeque quartanæ, ſupervenit. Facilius in ſervis, quam in liberis tollitur: quia, cum deſideret famem, ſitim, mille alia [96] tædia, longamque patientiam, promptius iis ſuccurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas eſt. Sed ne ii quidem, qui ſub alio ſunt, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducuntur. Ideoque non ignobilis medicus, Chryſippi diſcipulus, apud Antigonum regem, amicum quemdam ejus, notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo implicitum, negavit poſſe ſanari. Cumque alter medicus Epirotes Philippus ſe ſanaturum polliceretur; reſpondit, illum ad morbum ægri reſpicere; ſe, ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim cum ſumma diligentia non medici tantummodo, ſed etiam regis cuſtodiretur, tamen malagmata ſua devorando, bibendoque ſuam urinam, in exitium ſeſe præcipitavit. Inter initia tamen, non difficillima [97] curatio eſt, ſi imperata ſunt corpori quies, ſitis, inedia: at ſi malum inveteravit, non niſi magna mole [98] diſcutitur. Metrodorum tamen, Epicuri diſcipulum, ferunt, cum hoc morbo tentaretur, neque æquo animo neceſſariam ſitim ſuſtineret [99], ubi diu abſtinuerat, bibere ſolitum, deinde evomere. Quod ſi redditur, quidquid receptum eſt, multum tædio demit; ſi a ſtomacho retentum eſt, morbum auget: ideoque in quolibet tentandum non eſt. Sed ſi febris quoque eſt, hæc in primis ſubmovenda eſt per eas rationes, per quas huic ſuccurri poſſe propoſitum eſt: ſi ſine febre æger eſt, tum demum ad ea veniendum eſt, quæ ipſi morbo mederi ſolent. Atque hic quoque quæcumque ſpecies eſt, ſi nondum nimis occupavit, iiſdem auxiliis opus eſt: mul-

T

Medic. I. eſt ΥΠΟϹΑΡΚΑ; in aliis *hypoſarca*, ut priſcæ Editiones habent. Lindeniana ὑπὸ τὴν σάρκα. Sed hæc verba, *vel* ὑπὸ σάρκα, fortaſſe ex adnotatione aliqua inſerta ſunt.

95. *nominarunt*) Al. *nominant*.

96. *mille alia*) Lindenius, & *mille alia*. Vox *alia* abeſt a multis Mſs. ſed eſt in Medic. I.

97. *non difficillima*) Codex Medic. I. *non difficilis*; deinde, *requies*, pro *quies*.

98. *non niſi magna mole*) Ita ex Codice modo allato. Lindenius leg. *non ſine magna mole*; al. *non ſine magna moleſtia*. Infra, pro *ferunt*, ut ego ex eodem Codice repoſui, alii omnes leg. *referunt*.

99. *neceſſariam ſitim ſuſtineret*) Vulgo omnes leg. *ferret neceſſariam ſitim*, præter Lindenium, cujus ego lectionem ſecutus ſum ex fide Cod. Medic. I.

multum ambulandum, currendum aliquid eſt [1]; ſuperiores maxime partes ſic perfricandæ, ut ſpiritum [2] ipſe contineat; evocandus eſt ſudor, non per exercitationem tantum [3], ſed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano, ſimilibuſque aliis; maximeque utiles naturales, & ſiccæ ſudationes ſunt, quales ſuper Bajas in myrtetis habemus. Balneum, atque omnis humor alienus eſt. Jejuno recte catapotia dantur, facta ex abſinthii duabus, myrrhæ tertia parte. Cibus eſſe debet ex media quidem materia, ſed tamen generis durioris: potio non ultra danda eſt, quam ut vitam ſuſtineat; optimaque eſt, quæ urinam movet. Sed id ipſum tamen moliri [4] cibo, quam medicamento melius eſt. Si tamen res coget, ex iis aliquid, quæ id præſtant, erit decoquendum, eaque aqua potui danda. Videntur autem hanc facultatem habere iris, nardum, crocum, cinnamum, amomum [5], caſia, myrrha, balſamum, galbanum, ladanum, œnanthe, panaces [6], cardamomum, hebenus, cupreſſi ſemen, uva taminia, *σαφίδα ἀγρίαν* [7] Græci nominant, abrotonum, roſæ folia, acorum, amaræ nuces, tragoriganum, ſtyrax, coſtum, junci quadrati & rotundi ſemen [8]; illum *κύπειρον*, hunc

1. *aliquid eſt*) Alii cum Cæſario leg. *aliquando eſt*. Lindenius, *aliquando*, &. In Mſs. habetur, *aliquid eſt*; id eſt aliquantum.

2. *ut ſpiritum*) Linden. *ut calorem in cutem evocet: inter quæ ſpiritum &c.* quorum verborum primum dumtaxat atque ultimum inveni in Codicibus Mſs.

3. *per exercitationem tantum*) Ita in Edit. Lindenii & in Manuſcriptis Mediceo I. & Vatic. VI. Alii leg. *exercitatione tantummodo*. Et ſane conſtructio cum ſexto caſu ſine præpoſitione Celſo familiaris eſt. Ita cap. 25. hujus libri: *ſudor primum labore ipſius corporis, deinde etiam ſiccis ſudationibus evocandus*. cap. 27. ſect. 2. *non medicamentis urinam movere, non exercitatione ſudorem*. Ex verbis autem ſequentibus, *ſed etiam in arena calida*, fortaſſe tollenda eſt præpoſitio *in*.

4. *Sed id ipſum tamen moliri*) Plerique vulgo leg. *molliri*; ut eſt in Codice vetuſtiori, ſed mendoſe. Codices ceteri Medicei habent: *ſed id tamen moliri*. Lindenius leg. *Alvum moliri* (fortaſſe *molliri*) *cibo melius eſt, quam medicamento*. Sed, ut animadvertit Morgagnus, apparet ex ſequentibus, de urina movenda Celſum loqui; ideoque legendum eſſe, *ſed id ipſum*, non *Alvum*.

5. *cinnamum, amomum*) Amomum quoque inter aromata affertur, & urinam movet. Vid. Galen. lib. 6. de ſimpl. medic. facult. cap. 1. Itaque vetuſtas Editiones ſequor, & Codices ceteros Mediceos. Nam in vetuſtiori hæ duæ voces coaluiſſe videntur in unam *cinnamomum*; & ita habet etiam Lindenii Editio.

6. *panaces*) Ita edidit Lindenius ex Rhodii emendatione, & fortaſſe ex aliquo Codice. Neque enim verum eſt, quod Rhodius affirmat, in omnibus libris & manuſcriptis & impreſſis eſſe *panace*. Nam in Medic. I. ut ipſe videre poterat, eſt *panaces*.

7. *σαφίδα ἀγρίαν*) Vulgo præmittitur *quam*. Ego omiſi ex fide Codicis Medicei I.

8. *ſemen*) Lindenius leg. *flos*, fortaſſe quod Conſtantinus monuerit, alterius junci radicem, alterius florem & paleas, neutrius autem ſemen in uſu eſſe. Ad alvum tamen & fœminarum menſes ſiſtendos, junci

hunc σχοῖνον Græci vocant: quæ quoties poſuero, non quæ hic naſcuntur, ſed, quæ inter aromata afferuntur, ſignificabo. Primo tamen, quæ leviſſima [9] ex his ſunt, id eſt roſæ folia, vel nardi ſpica, tentanda ſunt. Vinum quoque utile eſt auſterum, ſed quam tenuiſſimum. Commodum eſt etiam, lino quotidie ventrem metiri, &, qua comprehendit alvum, notam imponere; poſteroque [10] die videre, plenius corpus ſit, an [11] extenuetur: id enim, quod extenuatur [12], medicinam ſentit. Neque alienum eſt, metiri & potionem ejus, & urinam: nam ſi plus humoris excernitur, quam aſſumitur, ita demum ſecundæ valetudinis ſpes eſt. Aſclepiades in eo, qui ex quartana in hydropa deciderat, ſe abſtinentia bidui, & frictione uſum; tertio die, jam & febre & aqua liberato, cibum & vinum dediſſe, memoriæ prodidit.

Hactenus communiter de omni ſpecie præcipi poteſt [13]: ſi vehementius malum eſt, diducenda ratio curandi eſt. Ergo ſi inflatio [14], & ex ea dolor creber eſt, utilis quotidianus, aut altero quoque die poſt cibum, vomitus eſt: fomentis [15] ſiccis calidiſque utendum eſt. Si per hæc dolor non finitur, neceſſariæ ſunt ſine ferro cucurbitulæ: ſi ne per has quidem tormentum tollitur, incidenda cutis eſt, & tum his utendum. Vltimum auxilium eſt, ſi cucurbitulæ nihil profuerunt, per alvum infundere copioſam aquam calidam, eamque recipere. Quin etiam quotidie ter qua-

ci quadrati ſemen adhibitum video apud Plinium lib. 21. H. N. cap. 18. A Lindenio autem quæri poſſet, num quemadmodum rotundi, ita quadrati quoque junci flos in uſu ſit? Omnino *ſemen* eſt in Mſs. Mediceis; deinde in I. *illud cyperon hoc cnoinon*; in aliis *illum* ΚΥΠΕΡΩΝ : σχοινον (*eχoinon*, vel *exomon*, vel εκοινον mendoſe ſcribitur) *hunc* (in III. & IV. *hanc*). In Edd. antiquioribus legitur: *illud cypiron*, *ecinon hoc*; in Aldina, *illud* κύπυρον, κοῖνον *hoc*; in aliis *cyperon*, in aliis κύπειρον; in Lindeniana, *illum* κύπειρον, *hunc* σχοῖνον.

9. *leviſſima*) Linden. *leniſſima*; ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ.

10. *poſteroque*) Al. *poſtero*, ut habetur in Mſs. pleriſque; Lindenius, *poſtero quoque*. Ego ſecutus ſum Codicem Medic. I.

11. *plenius corpus ſit, an &c.*) Alii leg. *ſi plenius corpus ſit, an &c.* Sed particula *ſi* abeſt a Codice Medic. I. & recte omiſſa eſt a Lindenio. Omnino apparet, in ejuſmodi conſtructione, in qua *utrum* in primo membro eleganter omittitur, interdum particulam *ſi* ab indoctis Grammaticis additam fuiſſe. Vide adnot. 36. ad præfat. lib. 1.

12. *extenuatur*) Al. *tenuatur*.

13. *præcipi poteſt*) Olim legebatur, *dici poteſt*. Sed magis placet Lindenii lectio, *præcipi poteſt*, quam Cod. Medic. I. confirmare videtur, quamvis verba mendoſa ſint. Habet enim, *decipi poteſt*; vetus autem Emendator apponit *quæ*, ut legatur, *quæ decipi poteſt*.

14. *inflatio*) Al. *inflammatio*, ſed perperam.

15. *fomentis*) Linden. *Fomentis deinde*.

terve opus eſt uti frictione vehementi, cum oleo & quibuſdam calefacientibus: ſed in hac frictione a ventre abſtinendum eſt. Imponendum vero in eum crebrius ſinapi, donec cutem erodat: ferramentiſque candentibus pluribus locis venter exulcerandus eſt, & ſervanda ulcera diutius. Vtiliter etiam ſcilla cocta delingitur [16]. Sed diu poſt has inflationes abſtinendum eſt ab omnibus inflantibus.

At ſi id vitium eſt, cui λευκοφλεγματία nomen eſt, eas partes, quæ tument, ſubjicere ſoli oportet; ſed non nimium, ne febriculam incendat [17]: ſi is vehementior eſt, caput velandum eſt: utendumque frictione, madefactis tantum manibus aqua, cui ſal & nitrum [18] & olei paulum ſit adjectum; ſic, ut aut pueriles aut muliebres manus adhibeantur, quo mollior earum tactus ſit: idque ſi vires patiuntur, ante meridiem, tota hora, poſt meridiem, ſemihora fieri oportet. Vtilia etiam ſunt cataplaſmata, quæ reprimunt; maximeque ſi corpora teneriora ſunt. Incidendum quoque eſt ſuper talum, quatuor fere digitis, ex parte interiore, qua [19] per aliquot dies frequens humor feratur; atque ipſos tumores incidere altis plagis oportet: concutiendumque multa geſtatione corpus eſt: atque, ubi inductæ vulneribus cicatrices ſunt, adjiciendum & exercitationibus & cibis, donec corpus ad priſtinum habitum [20] revertatur. Cibus valens eſſe debet, & glutinoſus, maximeque caro: vinum, ſi per ſtomachum licet, dulcius; ſed ita, ut invicem biduo triduove, modo aqua, modo id bibatur. Prodeſt etiam lactucæ marinæ, quæ grandis juxta mare naſcitur, ſemen, cum aqua potui datum. Si valens [21] eſt, qui id accipit,

16. *ſcilla cocta delingitur*) Sic reſtitui ex Cod. Mediceo vetuſtiori. Lib. 4. cap. 4. ſect. 4. *ſcillam delingere*. Lindenius reponit, *ſcilla cocta deligatur ſuper cutim;* cum antea legeretur; *ſcilla cocta delinitur cutis*; ut in ceteris Mſs. inveni.

17. *ne febriculam incendat*) Lindenii lectionem magis probo, eamque retineo, quia in Codice Medic. I. inveni, *ne frigulam incendat*. Alii leg. *ne febricula incidat*.

18. *& nitrum*) Lib. 8. cap. 18. ſect. 7. *perfricandum eſt ex oleo & ſale & nitro*. In multis Codicibus eſt *vel nitrum*; quæ varietas non eſt de nihilo.

19. *qua*) ex qua parte. Lindenius leg. *quo*.

20. *habitum*) Lindenius habet *ſtatum*; ut ego in Mſs. inveni Medic. I. & Vaticanis III. V. VI. ſed ut puto ex interpretatione. Itaque ceteros Codices ſequor. Lib. 4. cap. 4. ſect. 1. *donec fauces ad priſtinum habitum revertantur*. Lib. 2. cap. 8. membrum reſolutum, *ſi neque movetur, & emacreſcit, in priſtinum habitum non revertitur*.

21. *Si valens*) Linden. *Quod ſi valens*. Sed *quod* noſtri Codices non habent.

pit, & ſcilla cocta, ſicut ſupra dixi, delingitur [22]. Auctoreſque multi ſunt, inflatis veſicis pulſandos tumores eſſe.

Si vero id morbi genus eſt, quo in uterum multa aqua contrahitur, ambulare, ſed magis modice oportet; malagma, quod digerat, impoſitum habere; idque ipſum ſuperimpoſito triplici panno, faſcia, non nimium tamen vehementer, aſtringere: quod a Tharria profectum, ſervatum eſſe a pluribus video. Si jecur, aut lienem affectum eſſe, manifeſtum eſt, ficum pinguem contuſam, adjecto melle, ſuperponere. Si per talia auxilia venter non ſiccatur, ſed humor nihilominus abundat, celeriori via ſuccurrere, ut is per ventrem ipſum emittatur. Neque ignoro, Eraſiſtrato diſplicuiſſe hanc curandi viam: morbum enim hunc jocinoris putavit: ita [23] illud eſſe ſanandum; fruſtraque aquam emitti, quæ, vitiato illo, ſubinde naſcatur [24]. Sed primum, non hujus viſceris unius hoc vitium eſt: nam & liene [25] affecto, & in totius corporis malo habitu fit. Deinde, ut inde cœperit, tamen aqua niſi emittitur, quæ contra naturam ibi ſubſtitit, & jocinori, & ceteris interioribus partibus nocet. Convenitque, corpus nihilo minus eſſe curandum. Neque enim ſanat emiſſus humor, ſed medicinæ locum facit, quam intus incluſus impedit. Ac ne illud quidem in controverſiam venit, quin non omnes in hoc morbo ſic curari poſſint; ſed juvenes robuſti, qui vel ex toto carent febre, vel certe ſatis liberales intermiſſiones habent. Nam quorum ſtomachus corruptus eſt, quive ex atra bile huc deciderunt, quive malum corporis habitum habent, idonei huic curationi non ſunt. Cibus autem, quo die primum humor emiſſus eſt, ſupervacuus

eſt,

22. *& ſcilla cocta, ſicut ſupra dixi, delingitur*) Paulo ſupra: *utiliter etiam ſcilla cocta delingitur*. Atque hunc quoque locum ego reſtitui ex fide Codicis Medicei I. quocum facit Vaticanus VI. Rhodius ex eodem Cod. Mediceo, & ex emendatione Joannis Caii & Pauli Aicardi, ut ipſe ſcribit, ad Scribonium Compoſ. 126. legit: *& ſcilla cocta delingitur*, omiſſis tribus vocibus, *ſicut ſupra dixi*. Sed in illo quidem Codice eæ voces extant. Lindenius leg. *ei ſcilla cocta ſimul ſuper ventrem deligatur*. Ante ipſum legebatur, non *ſimul ſuper ventrem deligatur*, ſed *ſicut ſupra dixi*, *delinitur*, ut Palavicinus mutavit in allato Mediceo Codice, & ut in IV. quoque mutatum eſt, in quo erat, ſicut in reliquis quinque & in multis Vaticanis: *detinguitur* (in Vaticanis quibuſdam *detinguntur*) *ſicut ſupra delinitur ſicut dixi*.

23. *ita*) Lindenius, *ideoque*; al. *ideoque ita*. Ego ſic repoſui ex Codice Mediceo I.

24. *naſcatur*) *renaſcatur* in alio libro non inveni, preterquam in Editione Lindenii.

25. *nam & liene*) Ita in Cod. Medic. I. Lindenius leg. *Nam & ſplene*; al. *Nam ſplene*, ut ceteri Medicei Codices habent.

eſt, niſi ſi vires deſunt: inſequentibus diebus, & is, & vinum [26] meracius quidem, ſed non ita multum dari debet, paulatimque evocandus [27] æger eſt ad exercitationes, frictiones, ſolem, ſudationes, fatigationes [28], & idoneos cibos, donec ex toto convaleſcat. Balneum rarum res amat; frequentiorem in jejuno vomitum. Si æſtas eſt, in mari natare commodum eſt. Vbi convaluit aliquis, diu tamen alienus ei veneris uſus eſt [29].

XXII. Diutius ſæpe & periculoſius tabes eos male habet, quos invaſit. Atque hujus quoque plures ſpecies ſunt. Vna eſt, qua corpus non alitur, & naturaliter ſemper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum ſubeuntibus, ſumma macies oritur; &, niſi occurritur, tollit. Ἀτροφίαν hanc Græci vocant. Ea duabus

26. *& is, & vinum*) & cibus, & vinum. Ego ſic repoſui ex primo, pro *& his vinum*, ut eſt in reliquis Codicibus Mediceis, & ut vulgo legitur. Revera tamen primus quoque habet *his*, pro *is*; quod mendum & in illo & in aliis Codicibus paſſim occurrit.

27. *evocandus*) Lindenius, *revocandus*. Qui ſequuntur veterem lectionem, *evocandus*, Mediceorum Codicum teſtimonio uti poſſunt.

28. *fatigationes*) labores. Sed ſuſpecta mihi eſt vox hæc: primum, quia redundare videtur, cum *exercitationes* præcedat; deinde, quia Celſus ea alibi uſus non eſt, hac quidem ſignificatione. Quid ipſe intelligat per fatigationem, apparet ex his verbis lib. 1. cap. 2. *Exercitationis autem plerumque finis eſſe debet ſudor, aut certe laſſitudo, quæ citra fatigationem ſit*. Itaque etiamſi dicamus, effectum pro cauſa poſitum eſſe, tamen vox *fatigationes* vix hoc loco convenire videtur, quia nequit ægris utilis eſſe fatigatio. Hippocrates de vehementi hydropicorum, aliorumque quorumdam ægrorum exercitatione ſcribens, vocem ταλαιπωρίην ſæpe uſurpat; interpretes autem reddunt *laborem*, *defatigationem*; ut alio loco dixi. Hinc fortaſſe aliquis apud Celſum *fatigationes*, ſive adnotando, ſive vocem *exercitationes* explicando addidit. Porro duas voces *exercitationem* & *laborem* alteram pro altera ſumi, manifeſtum eſt ex duobus locis, quæ continuo afferam. Lib. 2. cap. 17. *Sudor etiam duobus modis elicitur: aut ſicco calore, aut balneo. Siccus calor eſt & arenæ calidæ, & laconici, & clibani, & quarumdam naturalium ſudationum &c. Præter hæc ſole quoque & exercitatione movetur*. Cap. 25. hujus libri: *utendum eſt exercitatione, præcipueque curſu: ſudor primum labore ipſius corporis, deinde etiam ſiccis ſudationibus evocandus*. Pluribus exemplis opus non eſt. Cicero tamen defatigationem pro labore, ex quo defatigatio oritur, uſurpaſſe videtur de Senect. II. *Et corpora quidem defatigatione, & exercitatione ingraveſcunt: animi autem exercendo levantur*. Sed Facciolatus duas voces, *defatigationes, &*, tollendas cenſet. Cujus viri judicio ita moveor, ut in Celſianos Codices quoque hanc vocem ex margine irrepſiſſe ſuſpicer. Niſi quis pro *fatigationes*, quod eſt in Cod. Medic. I. & in Vatic. VI. & in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ, *navigationes*, ut eſt in aliis & Mſs. & impreſſis libris, legendum putat. Nam & Celſus in nonnullis morbis utilem navigationem eſſe dixit, ut cap. 5. libri proximi; & Cælius Aurelianus lib. 3. Chron. cap. 8. de hydrope ita ſcribit: *locorum & aquarum mutatio adhibenda, & peregrinatio, magis maritima; deinde, perfecta humoris detractione* (hoc eſt poſt paracenteſin, quam ipſe vocat) *ægrotantes præterea navicula exerceri hortamur, & paulatim recorporativæ ſubjicimus curationi*. Verum utralibet lectio probetur, vix hæc varietas ex mendo orta eſſe videtur: ſed fortaſſe aliquis, cui *fatigationes* ineptum viſum eſt, in *navigationes* mutavit.

29. *uſus eſt*) Linden. *uſus ſit*.

bus fere de cauſis incidere conſuevit. Aut enim nimio timore aliquis minus, aut aviditate nimia plus, quam debet, aſſumit: ita vel, quod deeſt, infirmat, vel, quod ſuperat, corrumpitur. Altera ſpecies eſt, quam Græci καχεξίαν appellant: ubi malus corporis habitus eſt; ideoque omnia alimenta corrumpuntur. Quod fere fit, cum longo morbo vitiata corpora, etiamſi illo vacant, refectionem tamen non accipiunt; aut cum malis medicamentis corpus affectum eſt; aut cum diu neceſſaria defuerunt; aut cum inuſitatos & inutiles cibos aliquis aſſumpſit, aliquidve ſimile incidit. Huic, præter tabem, illud quoque nonnumquam accidere ſolet, ut per aſſiduas puſtulas, aut ulcera, ſumma cutis exaſperetur, vel aliquæ corporis partes intumeſcant. Tertia eſt, longeque periculoſiſſima ſpecies, quam Græci φθίσιν nominarunt. Oritur fere a capite; inde in pulmonem deſtillat; huic exulceratio accedit; ex hac febricula levis [30] fit, quæ etiam, cum quievit, tamen repetit; frequens tuſſis eſt; pus [31] exſcreatur; interdum cruentum aliquid. Quidquid exſcreatum eſt, ſi in ignem impoſitum eſt, mali odoris eſt: itaque, qui de morbo dubitant, hac nota utuntur.

Cum hæc genera tabis ſint, animadvertere primum oportet, quid ſit, quo laboretur [32]. Deinde, ſi tantum non ali corpus apparet, cauſam ejus attendere; & ſi cibi minus aliquis, quam debet, aſſumpſit, adjicere [33], ſed paulatim; ne ſi corpus inſuetum ſubita multitudine oneraverit, concoctionem impediat [34]. Si vero plus juſto quis aſſumere ſolitus eſt, abſtinere uno die; deinde ab exiguo cibo incipere; quotidie adjicere, donec ad juſtum modum per-

30. *huic exulceratio accedit; ex hac febricula levis*) Lindenius leg. *Ex hoc exulceratio accidit, & febricula lenis*. In qua mutatione nihil eſt, quod non ſit contra Codices noſtros, præter *lenis*, quod in aliquibus inveni, pro *levis*.

31. *frequens tuſſis eſt; pus*) Linden. *In ea quoque frequens tuſſis eſt, & pus*. Huic quoque mutationi & Medicei & Vaticani Codices repugnant.

32. *quo laboretur*) Ita ex Codice Medic. I. Communiter legebatur, *in quo laboratur*.

33. *aliquis, quam debet, aſſumpſit, adjicere*) Pro *aſſumpſit*, alii habent *aſſumit*. Ego ſic repoſui ex Codice Mediceo modo allato. Lindenius leg. *aſſumſit aliquis quam debuit, adjicere oportet*. Sed infinitum *adjicere* pendet a verbo *oportet*, quod ante poſitum eſt.

34. *concoctionem impediat*) Quæ his præmittit Lindenius, videlicet *ſtomachus gravetur, &*, omnium meorum Codicum indicio damnantur, ut adulterina.

perveniat. Præter hæc convenit ambulare locis quam minime [35] frigidis, ſole vitato; per manus quoque exerceri: ſi infirmior eſt, geſtari, ungi, perfricari, ſi poteſt, maxime per ſeipſum, ſæpius eodem die, & ante cibum, & poſt eum, ſic, ut interdum oleo quædam adjiciantur calefacientia, donec inſudet. Prodeſtque jejuno prehendere per multas partes cutem, & attrahere, ut relaxetur; aut, impoſita reſina & abducta, ſubinde idem facere. Vtile eſt etiam interdum balneum, ſed poſt cibum exiguum. Atque in ipſo ſolio recte cibi aliquid aſſumitur; aut, ſi ſine hoc frictio fuit, poſt eam protinus. Cibi vero eſſe debent ex iis, qui facile concoquuntur, qui maxime [36] alunt. Ergo vini quoque, ſed auſteri, neceſſarius uſus eſt. Movenda urina [37].

At ſi malus corporis habitus eſt, primum abſtinendum eſt; deinde alvus ducenda; tum paulatim cibi dandi, adjectis exercitationibus, unctionibus, frictionibus. Vtilius his frequens balneum eſt, ſed jejunis; etiam uſque ſudorem [38]. Cibis vero opus eſt copioſis, variis, boni ſucci, quique etiam minus facile corrumpantur, vino auſtero. Si nihil reliqua proficiunt, ſanguis mittendus eſt; ſed paulatim, quotidieque pluribus diebus, cum eo, ut cetera quoque eodem modo ſerventur.

Quod ſi mali plus eſt, & vera phtiſis eſt, inter initia protinus occurrere neceſſarium eſt: neque enim facile is morbus, cum inveteraverit [39], evincitur. Opus eſt, ſi vires patiuntur, longa navigatione, cœli mutatione, ſic ut denſius quam id eſt, ex quo diſcedit æger, petatur: ideoque aptiſſime Alexandriam ex Italia itur.

35. *quam minime*) Non videtur additurus fuiſſe Celſus, *ſole vitato*, ſi ſcripſiſſet *quam maxime*, ut cum Cæſario Lindenius legit. Ambulandum eſt loco calido, ſed non in ſole. Negant ratio noſtrique Codices mutandum eſſe.

36. *qui maxime*) Linden. *maximeque*. Vetus lectio proba eſt, & Mſs. confirmatur.

37. *uſus eſt. Movenda urina*) In Edit. Lindenii ſic legitur: *uſus eſt, movendæ urinæ*. Sed vini auſteri uſus non ad movendam urinam, ſed ad corpus alendum neceſſarius eſt; ut particula *Ergo* ſignificat. Quæ vero urinam movent, minimum alunt; immo corpus extenuant: ut ideo in hoc tabis genere urinam moventibus uti non expediat. Omnino duæ voces *movenda urina* mihi ſuſpectæ ſunt.

38. *uſque ſudorem*) Alii poſt *uſque* addunt *ad*, Cæſarium ſecuti; ſed abeſt ea particula a Mſs. atque Edd. priſcis. Sic lib. 5. cap. 26. ſect. 34. *quidquid aridum eſt, & intentione quadam proximum quoque locum male habet, uſque ſanum corpus concidere*; lib. 4. cap. 19. *idque uſque quintum diem facere*. Quidam hæc quoque duo loca pertentarunt.

39. *inveteraverit*) In Codice Mediceo I. legitur, *inveteravit*.

itur. Fereque id poſſe inter principia corpus pati debet, cum hic morbus ætate firmiſſima maxime oriatur, id eſt ab anno duodevi-ceſimo [40] ad annum quintum & triceſimum. Si id imbecillitas non ſinit, nave tamen non longe geſtari [41] commodiſſimum eſt: ſi navigationem aliqua res prohibet, lectica, vel alio modo corpus movendum [42] eſt. Tum a negotiis abſtinendum eſt, omnibuſque rebus, quæ ſolicitare animum poſſunt; ſomno indulgendum; cavendæ deſtillationes, ne, ſi quid cura levarit, exaſperent; & ob id vitanda cruditas, ſimulque & ſol, & frigus; os obtegendum, fauces velandæ, tuſſicula ſuis remediis finienda: &, quamdiu quidem febricula incurſat, huic interdum abſtinentia, interdum etiam tempeſtivis cibis medendum; eoque tempore bibenda aqua. Lac quoque, quod in capitis doloribus, & in acutis febribus, & per eas facta nimia ſiti, ac, ſive præcordia tument, ſive bilioſa urina eſt, ſive ſanguis fluxit, pro veneno eſt; in phthiſi tamen, ſicut in omnibus longis difficilibuſque febriculis [43], recte dari poteſt. Quod ſi febris aut nondum incurſat, aut jam remiſit, decurrendum eſt ad modicas exercitationes, maximeque ambulationes; item lenes frictiones. Balneum alienum eſt. Cibus eſſe debet primo acer, ut allium, porrum, idque ipſum ex aceto, vel ex eodem intubus, ocimum, lactuca: deinde lenis, ut ſorbitio [44] ex ptiſana, vel ex alica, vel ex amylo, lacte adjecto. Idem oryza quoque, &, ſi nihil aliud eſt, far præſtat. Tum invicem modo his cibis, modo illis utendum eſt; adjiciendaque quædam ex media materia, præcipueque vel ex prima cerebel-

40. *duodeviceſimo*) Sic repoſuit Lindenius, atque ita in veteri Codice Conſtantinus invenit, pro *duodecimo*, ut alii legunt ex Codice Mediceo I. In Codicibus Mediceis reliquis eſt *XXII.* fortaſſe mendoſe, pro *XIIX.* Cum ſit ab Hippocrate ſententia hæc, Sect. 5. Aphor. 9. omnino retinenda videtur Lindenii lectio. Sed minime retinenda particula *uſque*, quam ille præmittit verbis proximis, *ad annum &c.* cum in vetuſtis Editionibus, & in allatis Mſs. non extet.

41. *non longe geſtari*) Lindenius leg. *ſed non longe*, *vectari*. Nos vero, qui eam quoque, quæ navi fit, geſtationem appellari videmus in lib. 2. cap. 15. antiquam lectionem Mſs. omnium teſtimonio comprobatam retinere non dubitabimus.

42. *movendum*) Ita in Edit. Lindenii & in Codice Mediceo I. & in Vaticano VI. In aliis & Mſs. & impreſſis libris, *dimovendum*; quod verbum alioquin Celſo familiare eſt.

43. *febriculis*) Quidam leg. *febribus*.

44. *ut ſorbitio*) Lindenius omittit *ut*; ſed perperam.

lum [45], vel piſciculus, & his ſimilia. Farina etiam cum ſevo ovillo caprinove miſta, deinde incocta, pro medicamento eſt. Vinum aſſumi debet leve, auſterum. Hactenus non magna mole pugnatur: ſi vehementior noxa eſt, ac neque febricula, neque tuſſis quieſcit, tenuarique corpus apparet, validioribus auxiliis opus eſt. Exulcerandum [46] eſt ferro candenti, uno loco ſub mento, altero in gutture, duobus ad mammam utramque; item ſub imis oſſibus ſcapularum, quas ὠμοπλάτας [47] Græci vocant, ſic, ne ſaneſcere ulcera ſinamus, niſi tuſſi finita [48]: cui per ſe quoque medendum eſſe, manifeſtum eſt. Tunc ter quaterve die vehementer extremæ partes perfricandæ, thorax levi manu pertractandus, poſt cibum intermittenda hora, & perfricanda crura, brachiaque: interpoſitis denis diebus, demittendus eſt æger in ſolium, in quo ſit aqua calida & oleum: ceteris diebus bibenda aqua; tum vinum [49], ſi tuſſis non eſt, potui frigidum dandum, ſi eſt, egelidum [50]. Vtile eſt etiam in remiſſionibus quotidie cibos dari: frictiones geſtationeſque ſimiliter adhiberi: eadem acria [51] quarto, aut

45. *præcipueque vel ex prima cerebellum*) Ita in Codicibus Vaticanis II. & III. Pro *prima*, Vaticanus I. habet *aprima*; Vaticani IV. V. VI. & Medicei I. & II. *pruna*; Vaticanus VII. & Medicei III. IV. VI. *apruna*; Medicei V. & VII. *a pruna*. Vulgo alii leg. *apruna*; alii, Gryphii Editionem ſecuti, *aprugna*; Lindenius, *præcipue vero ex prima cerebellum*. Locus eſt corruptus, ut Morgagnus jampridem monuit. Liceat, quid ego ſuſpicer, exponere. Tres voces *vel ex prima* (*pruna* librarii error eſſe videtur, in Mſs. valde frequens, ubi litteræ *i*, *m* concurrunt) has igitur tres voces olim margini adſcriptas fuiſſe ſuſpicor contra illas, *ex media materia*; ſive quod ſuam aliquis ſententiam adnotarit, ſive quod deeſſe illas, ſive quod *ex prima*, pro *ex media*, legendum putarit. Lege, *præcipueque cerebellum*, plana ſententia erit, omniaque recte habebunt. Fruſtra vero Celſus addidiſſet, quodnam cerebellum eſſe deberet, qui jam præmiſiſſet, *ex media materia*; in qua, ut egregie animadvertit Morgagnus, ſuis & agni hædive cerebellum eſſe dixit lib. 2. cap. 18.

46. *Exulcerandum*) Antea legebatur, *Exulcerandus*. Ego ſic repoſui ex Cod. Medic. I.

47. *ὠμοπλάτας*) Ruellii Edit. *ωμοτίδας*; Juntina cum vetuſtioribus 1478. 1493. 1497. *omotidas* litteris latinis, ut eſt in Codice Mediceo IV. In I. ΩΜΟΠΛΑΤC; in reliquis Mediceis, ΩΜΟΠΛΑΤΑC. Hoc totum, *quas ὠμοπλάτας Græci vocant*, fortaſſe Celſi non eſt; ſumptum tamen eſt ex Celſo lib. 8. cap. 1.

48. *ulcera ſinamus, niſi tuſſi finita*) Ita in vetuſtis libris, niſi quod Codex Medic. I. *ſinas* habet, pro *ſinamus*. Lindenius leg. *ſinas ulcera, niſi tuſſis finita fuerit*.

49. *tum vinum*) Al. *tum & vinum*. Particula *&* omittitur a Lindenio, neque eſt in Cod. Medic. I.

50. *ſi eſt, egelidum*) Alii leg. *ſi ætas eſt*, *egelidum*, male omnino; Lindenius, *ſi vero eſt*, *egelidum*. Ego hic quoque ſecutus ſum Codicem Mediceum modo allatum.

51. *eadem acria*) videlicet quæ ſupra poſita ſunt; id eſt allium, porrum &c. Lindenius omittit has duas voces, ut *ſumere* referatur ad *herbam ſanguinalem*; in quo minime ſequendus videtur. Extant autem hæ duæ voces in omnibus Mſs.

aut quinto die ſumere: interdum herbam ſanguinalem ex aceto, vel plantaginem eſſe. Medicamentum eſt etiam vel plantaginis ſuccus per ſe, vel marrubii cum melle incoctus [52]; ita ut illius cyathus ſorbeatur [53], hujus cochleare plenum paulatim delingatur; vel inter ſe miſta, & incocta reſinæ terebinthinæ pars dimidia, butyri & mellis pars altera. Præcipua tamen ex his omnibus ſunt victus, vehiculum [54], & navis, & ſorbitio. Alvus cita utique vitanda eſt. Vomitus in hoc morbo frequens [55], perniciofus eſt, maximeque ſanguinis. Qui meliuſculus eſſe cœpit, adjicere debet exercitationes, frictiones, cibos: deinde ipſe ſe, ſuppreſſo ſpiritu, perfricare: diu abſtinere a vino, balneo, venere.

XXIII. Inter notiſſimos morbos eſt etiam is, qui comitialis, vel major nominatur. Homo ſubito concidit; ex ore ſpumæ moventur; deinde interpoſito tempore ad ſe redit, & per ſe ipſe [56] conſurgit. Id genus ſæpius viros, quam fœminas occupat. Ac ſolet quidem etiam longum eſſe, uſque ad mortis diem, & vitæ non periculoſum; interdum tamen cum recens eſt, hominem conſumit: & ſæpe eum, ſi remedia non ſuſtulerunt, in pueris veneris, in puellis menſtruorum initium tollit. Modo cum diſtentione nervorum [57] prolabitur aliquis, modo ſine illa. Quidam

 hos [58]

52. *vel marrubii cum melle incoctus*) In Editionibus vetuſtis & in Codd. ceteris Mediceis: *vel marrubium ex melle concoctum*. Ego ſic repoſui ex Codice vetuſtiori. Lindenius leg. *vel marrubii, ſi cum melle ſit incoctus*.

53. *ſorbeatur*) Aldina Edit. *ſorbillo ſumatur*; ut in quibuſdam Codicibus legitur, ſine dubio ab interprete.

54. *vehiculum*) Vox hæc, quam omnes habent libri impreſſi, non eſt in Mſs. Mediceis, præterquam in primo: neque id geſtationis genus ſupra nominatim poſitum eſt. Sed tota periodus mihi ſuſpecta eſt, ut ſupervacua & cum ſuperiori oratione minime congruens, neque ad Celſi ingenium expreſſa. Vox *victus* fere cetera quoque comprehendit. Si hoc loco ad cibos potioneſque dumtaxat refertur, *ſorbitio* vacat; quin etiam quodammodo pugnat cum prioribus. Nam victus is propoſitus eſt, in quo modo lenes cibi, modo acres ſumendi ſint; nec ſorbitio aliter ſupra memoratur, quam ut unus de lenibus.

55. *frequens*) Al. *ſi frequens eſt*.

56. *per ſe ipſe*) Al. *per ſeipſum*. Ego ſic repoſui ex Cod. Medic. I.

57. *cum diſtentione nervorum*) Sic reſtitui ex fide ceterorum Mediceorum Codicum. Nam primus habet, ut vulgo legitur, *cum diſtentione membrorum aut nervorum*; ex aliqua adnotatione. Quid enim membrorum diſtentio aliud ſignificat, niſi quod σπασμὸν Græci nominant? Σπασμὸν autem diſtentio nervorum a Celſo appellatur. Exempla paſſim occurrunt, ut cuilibet facile ſit multa invenire. In lib. 4. cap. 2. ſect. 2. habetur *diſtentio oris*. Ecce membri diſtentionem. Sed cave credas, a nervorum diſtentione differre: nam idem eſt ac ſi dixiſſet, *diſtentio nervorum oris*; quia & os, & omne aliud membrum per nervos diſtenditur. Quare duæ voces *membrorum aut* locum hic habere nequeunt; præſer-

hos [58] quoque iiſdem, quibus lethargicos, excitare conantur: quod admodum ſupervacuum eſt; & quia ne lethargicus quidem his ſanatur; & quia, cum poſſit ille numquam expergiſci, atque ita fame interire, hic ad ſe utique revertitur. Vbi concidit aliquis, ſi nulla nervorum diſtentio acceſſit, utique ſanguis mitti debet [59]: ſi acceſſit, non utique mittendus eſt, niſi alia quoque hortantur. Neceſſarium autem eſt, ducere alvum, vel nigro veratro purgare, vel utrumque facere, ſi vires patiuntur: tunc caput tondere, oleoque & aceto perungere: cibum poſt diem tertium, ſimul [60] tranſiit hora, qua concidit, dare. Neque ſorbitiones autem his, aliique [61] molles, & faciles cibi, neque caro, minimeque ſuilla convenit; ſed mediæ materiæ: nam & viribus opus eſt, & cruditates cavendæ ſunt. Cum quibus fugere oportet ſolem, balneum, ignem, omniaque calefacientia; item frigus, vinum, venerem, loci præcipitis conſpectum, omniumque terrentium, vomitum, laſſitudinem, ſolicitudines, negotia omnia. Vbi tertio die cibus datus eſt, intermittere quartum, & invicem alterum quemque, eadem hora cibi ſervata, donec quatuordecim dies tranſeant. Quos ubi morbus exceſſit, acuti vim depoſuit: ac [62], ſi manet, cu-

ſertim cum infra, ubi traditur hujus morbi curatio, ita ſit: *Vbi concidit aliquis, ſi nulla nervorum diſtentio acceſſit, utique ſanguis mitti debet: ſi acceſſit, non utique mittendus eſt*; neque de diſtentione membrorum mentio fiat.

58. *ſine illa. Quidam hos*) Secutus ſum Codicem Medic. I. atque Editionem Lindenii. Ita eſt etiam in margine Conſtantinianæ. Alii leg. *ſine illa quidem. Hos &c.*

59. *ſanguis mitti debet*) Non aliter legi poſſe, ex ipſo verborum contextu apparet. Suſpicionem aliquam mihi injecerat Codex Mediceus I. in quo ita eſt: *ſanguis mitti non debet*; quod & apud Cælium Aurelianum lib. 1. Chronic. cap. 4. hæc legiſſem: *Aſclepiades . . . . . eos qui corporis raptu afficiuntur, ſolos imperat phlebotomari*; & alioquin Aſclepiades *multarum rerum, quas ipſi quoque ſecuti ſumus, auctor bonus* dicatur a Celſo lib. 4. cap. 4. ſect. 3. Ceterum ab Aureliano quoque ponuntur hæ duæ ſpecies; eorum, qui cum raptu, ut ipſe loquitur, i. e. nervorum diſtentione; atque eorum, qui ſine illo prolabuntur.

60. *ſimul*) Ita ex Cod. Medic. I. In Editionibus vetuſtis eſt *ſimul cum*; ut reliqui Codices Medicei habent, procul dubio ab aliquo barbaro, qui ignoravit hunc uſum adverbii *ſimul*, Celſo aliiſque item probatis Latinitatis Auctoribus familiarem. Lindenius repoſuit *ſimul ac*.

61. *Neque ſorbitiones autem his, aliique*) *Neque* cum *autem* conjunctum rarum eſt; invenitur tamen apud Ciceronem quoque: itaque nihil mutandum. Lindenius leg. *Neque ſorbitiones his aut alioqui*. Idem infra habet, *& ubi tertio die*, ut eſt in margine Edit. Conſtantini; cum alii particulam *&* non habeant.

62. *ac*) Ita ex quibuſdam Codicibus. Antea legebatur *at*, ut Palavicinus corrigit in Medic. I. in quo eſt *ad*.

curandus jam ut longus eſt. Quod ſi, non quo die primum id [63] incidit, medicus acceſſit, ſed is, qui cadere conſuevit, ei traditus eſt; protinus eo genere victus habito, qui ſupra comprehenſus eſt, exſpectandus eſt dies, quo prolabatur; utendumque tum vel ſanguinis miſſione, vel ductione alvi, vel nigro veratro, ſicut præceptum eſt: inſequentibus deinde diebus, per eos cibos, quos propoſui, vitatis omnibus, quæ cavenda dixi, nutriendus. Si per hæc morbus finitus non fuerit, confugiendum erit ad album veratrum; ac ter quoque aut quater eo utendum, non ita multis interpoſitis diebus; ſic tamen, ne iterum umquam ſumat, niſi conciderit. Mediis autem diebus vires ejus erunt nutriendæ; quibuſdam, præter ea, quæ ſupra ſcripta ſunt, adjectis. Vbi mane experrectus eſt, corpus ejus leniter ex oleo vetere [64], cum capite excepto ventre, permulceatur: tum ambulatione quam maxime longa & recta utatur: poſt ambulationem loco tepido vehementer & diu, ac non minus ducenties, niſi infirmus erit, perfricetur: deinde per caput [65] multa aqua frigida perfundatur; paulum cibi aſſumat; conquieſcat: rurſus ante noctem ambulatione utatur: iterum vehementer perfricetur, ſic ut neque venter, neque caput contingatur: poſt hæc cœnet; interpoſitiſque tribus aut quatuor diebus, uno aut altero acria aſſumat. Si ne per hæc quidem fuerit liberatus, caput radat [66]; ungatur oleo vetere, adjecto aceto & nitro; perfundatur aqua ſalſa; bibat jejunus ex aqua caſtoreum; nulla aqua, niſi decocta, potionis cauſa utatur. Quidam jugulati gladiatoris calido ſanguine epoto tali morbo ſe liberarunt: apud quos miſerum auxilium tolerabile miſerius malum fecit. Quod ad medicum [67] vero pertinet, ultimum eſt, juxta talum, ex utroque crure paulum ſanguinis mittere; occipitium inci-

63. *id*) Lindenius leg. *is*. Deinde verbis illis, *ei traditus eſt*, præmittit *poſt*, ſecutus Conſtantinum, qui ita habet in margine ſuæ Editionis. Sed Conſtantinus & Lindenius vim verbi *conſuevit* cepiſſe non videntur. *Is, qui cadere conſuevit, ei traditus eſt* hoc ſignificat; is, qui ſæpe jam cecidit, ei traditus eſt. Porro autem Conſtantino & Lindenio Codices noſtri adverſantur.

64. *vetere*) Vox hæc non eſt in Codice Medic. I.

65. *per caput*) Linden. *ſuper caput*; Mſs. noſtris abnuentibus. In Vaticanis III. & V. hæ duæ voces deſunt.

66. *radat*) Ita legebatur ante Cæſarium; atque ita in Mſs. inveni. Alii cum Cæſario leg. *radatur*.

67. *ad medicum*) *ad medicinam* edidit Lindenius contra priores Editiones. Sed cum his conveniunt Codices Medicei; ideoque veterem lectionem retinendam puto.

cidere, & cucurbitulas admovere; ferro candenti in occipitio quoque & infra, qua ſumma vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, ut per ea perniciofus humor evadat. Quibus ſi finitum malum non fuerit, prope eſt, ut perpetuum ſit. Ad levandum id, tantummodo utendum erit exercitatione multa, frictione [68], cibiſque iis, qui ſupra comprehenſi ſunt: præcipueque vitanda omnia, quæ ne fierent, excepimus.

XXIV. Æque notus eſt morbus, quem interdum arquatum, interdum regium nominant. Quem Hippocrates ait, ſi poſt ſeptimum diem febricitante ægro ſupervenit, tutum eſſe, mollibus tantummodo præcordiis ſubſtantibus: Diocles, ex toto, ſi poſt febrem oritur, etiam prodeſſe; ſi poſt hunc febris, occidere. Color autem eum morbum detegit, maxime oculorum, in quibus, quod album eſſe debet, fit luteum. Soletque accedere & ſitis, & dolor capitis [69], & frequens ſingultus, & præcordiorum dextra parte durities, &, ubi corporis vehemens motus eſt, ſpiritus difficultas, membrorumque reſolutio: atque, ubi diutius manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbeſcit. Primo die abſtinere ægrum oportet; ſecundo ducere alvum: tum, ſi febris eſt, eam victus genere diſcutere; ſi non eſt, ſcammoniam potui dare, vel cum aqua betam albam contritam, vel cum aqua mulſa nuces amaras, abſinthium, aniſum, ſic ut pars hujus minima ſit. Aſclepiades aquam quoque ſalſam, & quidem per biduum, purgationis cauſa bibere cogebat, iis, quæ urinam movent, rejectis. Quidam, ſuperioribus omiſſis, per hæc, & per eos cibos, qui extenuant, idem ſe conſequi dicunt. Ego utique [70], ſi ſatis virium eſt, validiora; ſi parum, imbecilliora [71] auxilia præfero. Si purgatio fuit, poſt eam triduo primo modice cibum oportet aſſumere ex media materia, & vinum bibere Græcum ſalſum, ut reſo-

68. *multa, frictione*) Lindenius omittit has duas voces, quas ego in omnibus Mſs. inveni. In Codice Medic. I. non eſt pronomen *iis* poſt proximam vocem *cibiſque*.

69. *dolor capitis*) In Codice Medic. I. eſt *facilis*, pro *capitis*; & infra omittitur vox *difficultas*.

70. *utique*) In Edd. vetuſtis & in Mſs. Mediceis, *ubique*. Lindenius reponit *utique*; quem ſequor.

71. *imbecilliora*) Plerique cum Edit. an. 1493. habent *imbecillia*. In Edit. I. & in Lindeniana eſt *imbecilliora*, ut & in Mediceo I. aliiſque Mſs.

ſolutio ventris maneat [72]: tum altero triduo validiores cibos, & carnis quoque aliquid eſſe, intraque aquam manere: deinde ad ſuperius genus victus reverti, cum eo, ut magis ſatietur; omiſſo Græco vino bibere integrum [73], auſterum; atque ita per hæc variare, ut interdum acres quoque cibos interponat [74], interdum ad ſalſum vinum redeat. Per omne vero tempus utendum eſt exercitatione, frictione; ſi hiems eſt, balneo, ſi æſtas, frigidis natationibus; lecto etiam, & conclavi cultiore, luſu, joco, ludis [75], laſcivia [76], per quæ mens exhilaretur: ob quæ regius morbus dictus videtur. Malagma quoque, quod digerat, ſuper præcordia datum prodeſt; vel arida ibi ficus impoſita [77], ſi jecur aut lienis affectus eſt.

XXV. Ignotus autem pene in Italia, frequentiſſimus in quibuſdam regionibus is morbus eſt, quem ἐλεφαντίασιν [78] Græci vocant; iſque longis annumeratur. Totum [79] corpus afficitur ita, ut oſſa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas crebroſque tumores habet; rubor earum paulatim in atrum colorem convertitur; ſumma cutis inæqualiter craſſa, tenuis, dura, molliſque, quaſi ſquamis quibuſdam exaſperatur; corpus emacreſcit, os, ſuræ, pedes intumeſcunt: ubi vetus morbus eſt, digiti in manibus pedibuſque ſub tumore conduntur, febricula oritur, quæ fa-

72. *reſolutio ventris maneat*) Lindenius leg. *ſolutio ventris remaneat*; & poſtea, *intraque*, pro *intra*. Sed *ventris reſolutio* habetur etiam in lib. 2. cap. 6. Præterea vetus lectio confirmatur Codicibus Mediceis.

73. *integrum*) Hæc quoque lectio Mſs. Codicibus comprobatur. Vinum integrum autem hoc loco opponitur vino Græco ſalſo, quod velut corruptum eſt marina aqua, vel ſale. Vide Catonem R. R. cap. 24. & Columel. lib. 12. cap. 37. Lindenius leg. *nigrum*.

74. *interdum acres quoque cibos interponat*) Deſunt hæc verba in Codice Medic. I.

75. *luſu, joco, ludis*) Hæc verba in Mſs. Mediceis corrupta ſunt. Sic, parva uſus licentia, reſtituo ex vetuſtiori, in quo eſt *luſui coludis*. Fortaſſe aliqua ex tribus hiſce vocibus ſupervacua videbitur; cum ſatis ſit *luſu, joco*, vel *joco, ludis*, dicere. Attamen differunt eæ inter ſe; eſtque ſua unicuique earum, & propria ſignificatio: proindeque omnes retinendæ. In Codicibus reliquis, & in Editionibus vetuſtis ſic habetur: *clauſo loco uti, ludis*; quod ferri non poteſt. Apparet, niſi fallor, *clauſo* ex *luſu* corruptum eſſe, *loco*, ex *joco*. Lindenius leg. *uſu, loco, ludis*; ſed quis umquam ſic locutus eſt, & quid hoc ſignificat, *utendum eſt uſu*? Conſtantinus, *clauſo loco, ut & ludis*, legendum putabat.

76. *laſcivia*) Lindenius addit, *aliis*; quæ vox non eſt in Mſs. Mediceis.

77. *impoſita*) Codex Medic. I. *ſuper impoſita*.

78. ἐλεφαντίασιν) Ita legitur in Editionibus Stephani, Ronſſei, & Lindenii, inque Mediceis Mſs. omnibus, præter quartum; in quo ab alia manu (deerat enim græcum vocabulum) eſt Ελεφαντιαν; & ita alii vulgo legunt, vel *elephantian*.

79. *Totum*) Linden. *Quo totum*.

facile tot malis obrutum hominem conſumit. Protinus ergo inter initia ſanguis per biduum [80] mitti debet, aut nigro veratro venter ſolvi: adhibenda tum [81], quanta ſuſtineri poteſt, inedia eſt: paulum deinde vires reficiendæ, & ducenda alvus: poſt hæc, ubi corpus levatum eſt, utendum eſt exercitatione, præcipueque curſu: ſudor primum labore ipſius corporis, deinde etiam ſiccis ſudationibus evocandus: frictio adhibenda: moderandumque inter hæc, ut vires conſerventur. Balneum rarum eſſe debet; cibus ſine pinguibus, ſine glutinoſis, ſine inflantibus: vinum, præterquam primis diebus, recte datur. Corpus contrita plantago & illita optime tueri videtur.

XXVI. Attonitos quoque raro videmus, quorum & corpus & mens ſtupet. Fit interdum [82] ictu fulminis, interdum morbo: ἀποπληξίαν [83] hunc Græci appellant. His ſanguis mittendus eſt: veratro quoque albo, vel alvi ductione utendum. Tum adhibendæ frictiones, & ex media materia minime pingues cibi; quidam etiam acres; & a vino [84] abſtinendum.

XXVII. 1. At reſolutio nervorum frequens ubique morbus eſt: ſed interdum tota corpora [85], interdum partes infeſtat. Veteres auctores illud ἀποπληξίαν, hoc παράλυσιν nominaverunt: nunc utrumque παράλυσιν appellari video. Solent autem, qui per omnia mem-

80. *per biduum*) Conſtantinus ſcribit, *triduum* ſe inveniſſe in Codice quodam. Medicei & Vaticani habent *biduum*, ut vulgo legitur.

81. *adhibenda tum*) Lindenius reponit, *Adhibenda triduum*. Sed neque hoc loco Codices modo allati variant ab Editionibus vetuſtis.

82. *ſtupet. Fit interdum*) In Cod. Medic. I. *ſtupeſit. Interdum*.

83. ἀποπληξίαν) Hanc vocem inveni in Mſs. quoque. Veriſimile tamen eſt, non alium morbum ſignificari, quam quem κατάληψιν recentiores medici nominarunt, ut recte conjiciunt Viri graviſſimi Morgagnus Epiſt. Anatomico-Medica II. & Svvitenius Comment. in Aphor. Boerhaav. §. 1007. Alii putant ſignificari quam nunc apoplexiam vocant. Sed de illo morbo Celſus loquitur capite proximo, eumdemque nervorum reſolutionem appellat. Neque enim dubitari poteſt, quin non modo παράλυσιν, ſed etiam ipſam ἀποπληξίαν ibi ſignificet, ſi diligenter attendimus, quemadmodum Aphoriſmum Hippocratis 42. Sect. 2. & alium quemdam locum ex lib. 2. Prædict. ipſe expreſſerit in lib. 2. cap. 8. ſub finem: *Omnique reſolutioni nervorum ad medicinam non idonea tempora ſunt hiems & autumnus: aliquid ſperari poteſt vere & æſtate. Iſque morbus mediocris vix ſanatur, vehemens ſanari non poteſt*. Loquitur autem Hippocrates in Aphoriſmo illo de apoplexia, & quidem vehementi; id eſt, ut Celſi verbis ex proximo cap. 27. utar, de nervorum reſolutione, quæ *tota corpora infeſtat*, ſive de iis, *qui per omnia membra vehementer reſoluti ſunt*.

84. *& a vino*) Particula *&* neque eſt in Codice Mediceo vetuſtiori, neque neceſſaria eſt.

85. *ſed interdum tota corpora*) Hoc totum deeſt in Codice modo allato.

membra vehementer [86] reſoluti ſunt, celeriter rapi: ac ſi correpti non ſunt [87], diutius quidem vivunt; ſed raro tamen ad ſanitatem perveniunt, & plerumque [88] miſerum ſpiritum trahunt, memoria quoque amiſſa. In partibus vero numquam acutus, ſæpe longus [89], fere ſanabilis [90] morbus eſt. Si omnia membra vehementer reſoluta ſunt, ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat: aliud curationis genus vix umquam ſanitatem reſtituit, ſæpe mortem tantum differt, vitam interim infeſtat. Poſt ſanguinis miſſionem, ſi non redit & motus & mens, nihil ſpei ſupereſt; ſi redit, ſanitas quoque proſpicitur. At ubi pars reſoluta eſt, pro vi & malo corporis [91], vel ſanguis mittendus, vel alvus ducenda. Cetera eadem in utroque caſu facienda ſunt: ſiquidem vitare præcipue convenit frigus; paulatimque ad exercitationes revertendum eſt, ſic, ut ingrediatur ipſe protinus, ſi poteſt: ſi id crurum imbecillitas prohibet, vel geſtetur, vel motu lecti concutiatur: tum id membrum, quod deficit [92], ſi poteſt, per ſe, ſin minus, per alium moveatur, & vi quadam ad conſuetudinem

X ſuam

86. *vehementer*) Neque hoc adverbium habet Codex ille.

87. *ſi correpti non ſunt*) rapti, morte ſublati. Sic autem lego cum Lindenio; & ita eſt in Mſs. Mediceis III. V. VII. & in Vaticanis II. III. VII. In vetuſtis Editionibus legitur, *correcti*; ut Mediceus I. aliique Mſs. Codices habent.

88. *& plerumque*) & fortaſſe recte omittitur in Cod. Mediceo I.

89. *numquam acutus, ſæpe longus*) Poteſt eſſe non longus, ſic tamen, ut numquam acutus ſit; ſed ſæpe longus eſt: id eſt, interdum ad quartum, ſæpe ad ſecundum pertinet morborum genus ex quatuor illis, quæ cap. 1. hujus libri propoſuit. Pro *numquam*, Lindenius leg. *nonnumquam*; a quo ego diſſentio, tum Mſs. Mediceorum auctoritate, tum ratione fretus. Numquam enim homo celeriter moritur, ubi pars tantum, brachium puta, aut crus, per ſe ſine alio morbo reſoluta eſt; de quo caſu loquitur Celſus.

90. *fere ſanabilis*) Ita omnino legendum ex Codicum Mediceorum & Editionum vetuſtarum fide, non, ut Conſtantinus mallet, & Lindenius edidit, *fere inſanabilis*; quidquid pro nova lectione alii afferant ex Bartholino de Paralyt. Nov. Teſtamen. Res ipſa clamat. Multi enim ad ſanitatem perveniunt. Et cum in periodo antecedenti dixerit, eos, qui per omnia membra vehementer reſoluti ſunt, raro ad ſanitatem pervenire; hic uſurpaverit conjunctionem adverſativam *vero*; vox *ſanabilis* cum ceteris melius cohæret. Pro veteri lectione pugnant etiam quæ ſunt in lib. 2. cap. 8. *Reſolutumque membrum, ſi nihilo minus alitur, fieri ſanum poteſt. Oris reſolutio etiam alvo cita finitur.*

91. *pro vi & malo corporis &c.*) Ita habet in libri margine Conſtantinus, quem Lindenius ſecutus eſt. Recte. Ita eſt in Codice Mediceo quoque, illum dico vetuſtiſſimum; niſi quod, pro *malo*, habet *mali*, unde aliquis fortaſſe ſuſpicari poſſet legendum eſſe, *pro vi & mali & corporis*. Ego lectionem jam receptam probo. Lindenius addit *eſt* poſt *mittendus*. Alii leg. *providet malo corporis*, *vel ſanguis miſſus*, *vel alvus ducta*; alii cum Cæſario, *proderit*, pro *providet*.

92. *deficit*) Ante Lindenium legebatur, *deficiet*, quod & in Mſs. inveni.

ſuam redeat [93]. Prodeſt etiam torpentis [94] membri ſummam cutem exaſperaſſe, vel urticis cæſam, vel impoſito ſinapi, ſic ut, ubi rubere cœperit corpus, hæc removeantur. Scilla quoque contrita, bulbique contriti cum thure recte imponuntur. Neque alienum eſt, reſina cutem tertio quoque die diutius vellere, pluribus etiam locis; aliquando ſine ferro cucurbitulas admovere. Vnctioni vero aptiſſimum eſt vetus oleum, vel nitrum aceto & oleo admiſtum. Quin etiam fovere aqua calida marina, vel, ſi ea non eſt, tamen ſalſa, magnopere neceſſarium eſt. Ac ſi quo loco vel naturales, vel etiam manufactæ tales natationes ſunt, iis potiſſimum utendum eſt; præcipueque in his agitanda membra, quæ maxime deficiunt: ſi id non eſt, balneum tamen prodeſt. Cibus eſſe debet ex media materia, maximeque ex venatione; potio ſine vino, aquæ calidæ: ſi tamen vetus morbus eſt, interponi quarto vel quinto die purgationis cauſa vinum Græcum ſalſum poteſt. Poſt cœnam utilis vomitus eſt.

2. Interdum vero etiam nervorum dolor oriri ſolet. In hoc caſu non vomere [95], non medicamentis urinam movere, non exercitatione ſudorem [96], ut quidam præcipiunt, expedit. Bibenda aqua

93. *ad conſuetudinem ſuam redeat*) Vox *ſuam* non eſt in Codice Mediceo vetuſtiore; neque neceſſaria eſt.

94. *torpentis &c.*) In Codice modo allato ita habetur: *torpentibus membris ſummam cutem exaſperare*. Infra vero alii verba ſic dividunt: *vellere: pluribus etiam locis, aliquando ſine ferro cucurbitulas admovere*. Propius ad veram rationem acceſſiſſe videntur Ruellius, Gryphius, Conſtantinus, & Stephanus: *vellere, pluribus etiam locis, aliquando ſine ferro cucurbitulas admovere*. Quod ad ſententiam attinet, Celſus ſimiliter ſcripſit cap. 23. hujus libri: *Prodeſtque jejuno prehendere per multas partes cutem, & attrahere, ut relaxetur; aut, impoſita reſina, & abducta, ſubinde idem facere*.

95. *non vomere*) *non oportet vomere*, olim legebatur, ut eſt in omnibus fere Mſs. Lindenius recte omittit *oportet*; quod ego quoque omiſi ex fide Cod. Medicei I.

96. *non exercitatione ſudorem*) Alii leg. *non ſine exercitatione ſudores*; neque aliter habent Codices Medicei. Sed omnino a Lindenio ſtandum eſt, qui ſuſtulit *ſine*, ut Conſtantinus præceperat. Ego, pro *ſudores*, repoſui *ſudorem*, ut eſt in Codice vetuſtiori. Porro ex hoc loco colligitur, dolorem nervorum a podagra chiragraque, ideoque ab articulorum dolore differre; quam meam conjecturam propoſui lib. 1. cap. 9. Nam in podagra & chiragra, neque vomitum, neque quæ urinam movent, inimica eſſe, apparet ex lib. 4. cap. 24. Et cum a viceſimo ſecundo ad ultimum ejus libri caput, de articulorum dolore in coxis, genibus, humeris, manibus, pedibus, aliis partibus dicat, ibi proprie de arthritide, hic de morbo ab illo diverſo loqui videtur. Qui igitur Celſo morbus eſt nervorum dolor? Ille, niſi plurimum fallor, quem nunc Rheumatiſmum appellant; in quo muſculos tendineſque, vel horum tunicas dolere concipiunt. Notum eſt autem tendines a Celſo nervos nominari. At enim Rheumatiſmus idem pene morbus eſt, qui arthritis. Sit ſane: ſed recentiores quoque Medici inter utrum-

aqua eſt bis die: in lectulo leniter ſatis diu corpus perfricandum eſt, deinde retento ſpiritu: ab ipſa [97] exercitatione potius ſuperiores partes movendæ: balneo raro utendum: mutandum ſubinde peregrinationibus cœlum. Si dolor eſt, ea ipſa pars ſine oleo, nitro ex aqua perungenda eſt; deinde involvenda [98], & ſubjicienda pruna lenis, & ſulphur, atque ita id ſuffumigandum; idque aliquamdiu faciendum, ſed jejuno, cum bene jam concoxerit. Cucurbitulæ quoque ſæpe dolenti parti admovendæ ſunt, pulſanduſque leniter inflatis veſicis bubulis is locus eſt. Vtile eſt etiam ſevum miſcere cum hyoſcyami [99] & urticæ contritis ſeminibus, ſic, ut omnium par modus ſit, idque imponere: fovere aqua, in qua ſulphur decoctum ſit. Vtriculi quoque recte imponuntur aqua calida repleti, aut bitumen cum hordeacea farina miſtum [1]. Atque in ipſo potiſſimum dolore, utendum geſtatione vehementi eſt: quod in aliis doloribus peſſimum eſt.

3. Tremor autem nervorum æque vomitu medicamentiſque urinam moventibus intenditur [2]. Inimica etiam habet balnea, aſſaſque ſudationes. Bibenda aqua eſt: acri ambulatione utendum; item unctionibus, frictionibuſque, maxime per ſeipſum: pila, ſimilibuſque ſuperiores partes dimovendæ: cibo quolibet utendum, dummodo [3] concoctioni utique ſtudeatur: ſecundum cibum, curis abſtinendum: ra-

utrumque diſtinguunt. Plinius quoque multis locis H. N. loquitur de dolore nervorum, & alium morbum ab articulorum dolore intelligere videtur. Plura adderem, ſi locus pateretur.

97. *perfricandum eſt, deinde retento ſpiritu: ab ipſa*) Ita locum interpunxi ex Facciolato & Morgagno. Alii ſic diſtinguunt: *perfricandum eſt: deinde retento ſpiritu ab ipſa &c.* tria verba, *deinde retento ſpiritu*, ad exercitationem referentes. Quo referantur a Cæſario, Conſtantino, & Ronſſeo, ad frictionem ne, an ad exercitationem, incertum eſt, ut Morgagnus notat. Illi enim ſic diſtinguunt: *perfricandum eſt, deinde retento ſpiritu, ab ipſa &c.* Pro *ab ipſa*, ut eſt in Mſs. quoque, Lindenius leg. *in ipſa*. Sed veterem lectionem retinendam cenſet aptiſſimus harum rerum judex Facciolatus, ſubſcribente Morgagno.

98. *perungenda eſt; deinde involvenda*) Codex Mediceus vetuſtior non habet tres voces, *eſt; deinde involvenda*. Poſtea, pro *lenis*, habet, *levis*, & *ita diu*, pro *ita id*.

99. *hyoſcyami*) In Mſs. Mediceis II. & IV. itemque in Vaticanis, I. II. III. V. lacuna eſt hujus vocis loco. In aliis Mſs. habetur, ΙΟΥϹΚΥΑΜΟΙ. In Vaticano VI. in Medic. I. & alia manu in IV. *hyoſcyami*; ut omnes vulgo habent, præter Egnatium & Lindenium. Nam Egnatius græcis litteris ſcribit; Lindenius variat, cum habeat, *cumini*. Ego veterem lectionem cur rejiciam non video. Nam hyoſcyami ſemen & aſſumptum & extrinſecus impoſitum dolorem levat, ut eſt apud Dioſcoridem lib. 4. cap. 69.

1. *miſtum*) Cod. Medic. I. *iactum*.

2. *intenditur*) Aldina Editio & multi Mſs. Codices, *impeditur*; male omnino.

3. *dummodo*) Cod. Medic. I. *dum*.

rariſſima venere utendum eſt. Si quando quis in eam prolapſus eſt, tum oleo leniter diuque in lectulo perfricari manibus puerilibus potius, quam virilibus [4], debet.

4. Suppurationes autem, quæ in aliqua interiori parte oriuntur, ubi notæ fuerint [5], primum id agere oportet per ea cataplaſmata, quæ reprimunt, ne coitus inutilis materiæ fiat; deinde, ſi hæc victa ſunt, per ea malagmata, quæ digerunt, ut diſſipetur [6]. Quod ſi conſecuti non ſumus, ſequitur, ut evocetur: deinde, ut matureſcat. Omnis tum vomicæ finis eſt, ut rumpatur: indiciumque eſt, pus vel alvo vel ore redditum. Sed nihil facere oportet, quominus, quidquid eſt puris, excedat [7]. Vtendum maxime ſorbitionibus eſt, & aqua calida. Vbi pus ferri [8] deſiit, tranſeundum ad faciles quidem, ſed tamen validiores & frigidos cibos, frigidamque aquam, ſic ut ab egelidis tamen initium fiat. Primoque cum melle quædam edenda, ut nuclei pinei, vel Græcæ nuces, vel Avellanæ [9]: poſtea ſubmovendum id ipſum, quo maturius induci cicatrix poſſit. Medicamentum eo tempore ulceri eſt, ſuccus aſſumptus vel porri vel marrubii, & omni

4. *potius, quam virilibus*) A Codice Mediceo modo allato abeſt, *potius;* & fortaſſe recte. Nam in ejuſmodi conſtructionibus adverbia *potius* & *magis* interdum ab idoneis Scriptoribus omittuntur. Plautus Menech. Act. 5. Sc. 1. *Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam;* Livius lib. 3. *Claudii oratio fuit precibus, quam jurgio ſimilis;* Gellius Noct. Attic. lib. 2. cap. 2. *Declinanda ſenſim, quam reſpuenda.*

5. *ubi notæ fuerint*) ubi cognitæ ſunt. Nam interdum ita latent, ut vix deprehendi poſſint. Sed mendum fortaſſe ſubeſt, ut Lindenius exiſtimavit. Verum ille, *ortæ*, ego, una mutata littera, malim, *natæ*, pro *notæ*, quod in Mſs. inveni. Ab hac dicendi forma, *quæ oriuntur, ubi natæ fuerint*, non abludunt illæ: *Carbunculus autem ibi natus, ut primum apparet*, lib. 6. cap. 18. ſect. 5. *Condyloma autem eſt tuberculum, quod ex quadam inflammatione naſci ſolet. Id ubi ortum eſt &c.* ſect. 8. Caput autem hoc ad ſuppurationes attinens, ſi quidem Celſi volumina in capita dividenda ſint, a ſuperiori prorſus disjungi debet; ut recte monent Caſaubonus & Morgagnus.

6. *ut diſſipetur*) Particulam *ut* repoſui ex quibuſdam Mſs. in quibus legitur: *ut diſſipentur*. Ea particula deeſt in Medic. I. & in omnibus impreſſis libris, ubi item legitur, *diſſipentur*. Excipienda eſt Lindenii Editio, quæ habet, *diſſipetur*, videlicet materia; & quidem recte, ut mihi videtur. Neque deeſt in ea Editione particula *ut*; ſed ponitur ante illa verba, *per ea malagmata*; quo modo vulgatam lectionem corrigendam Conſtantinus indicaverat.

7. *excedat*) Linden. *exeat*; quod neque in ſuis Morgagnus, neque ego in meis Codicibus inveni; ſed in omnibus, *excedat*. Non ſolum autem in Editione Cæſarii an. 1538. quam Morgagnus inſpexit, verum etiam in Editione ejuſdem Cæſarii an. 1528. eſt, *excidat*.

8. *ferri*) Qui cum Gryphio leg. *fieri*, minus probandi videntur.

9. *Avellanæ*) Codex Mediceus I. *abellanæ* per *b*; ut alibi quoque.

omni cibo porrum ipſum adjectum. Oportebit autem uti in iis partibus, quæ non afficiuntur [10], frictionibus; item ambulationibus lenibus: vitandumque erit, ne vel luctando, vel currendo, vel alia ratione ſaneſcentia ulcera exaſperentur. In hoc enim morbo perniciofus, ideoque omni modo cavendus ſanguinis vomitus eſt.

10. *afficiuntur*) Ante Lindenium legebatur, *afficientur*; ut ego inveni in Codicibus Mſs. Vide ſimilem lectionis varietatem ſect. 1. hujus capitis adnotat. 92.

LIBER QVARTVS.

I. HActenus reperiuntur ea genera morborum, quæ in totis corporibus ita ſunt, ut iis certæ ſedes aſſignari non poſſint: nunc de iis dicam, quæ ſunt in partibus. Facilius autem omnium interiorum morbi curationeſque in notitiam venient, ſi prius eorum ſedes breviter oſtendero. Caput igitur, eaque, quæ in ore ſunt, non lingua tantummodo palatoque terminantur [11]; ſed etiam, quatenus oculis noſtris expoſita ſunt. In dextra ſiniſtraque circa guttur venæ grandes, quæ σφαγίτιδες nominantur; itemque arteriæ, quas καρωτίδας [12] vocant, ſurſum procedentes ultra aures feruntur. At [13] in ipſis cervicibus glandulæ poſitæ ſunt, quæ interdum cum dolore intumeſcunt. Deinde duo itinera incipiunt: alterum, aſperam arteriam nominant; alterum, ſtomachum. Arteria exterior ad pulmonem; ſtomachus interior ad ventriculum fertur: illa ſpiritum; hic cibum recipit [14]. Quibus cum diverſæ viæ ſint, qua coeunt, exigua in arteria ſub ipſis faucibus lingua [15] eſt; quæ, cum ſpiramus, attollitur, cum cibum potionemque aſſumimus, arteriam claudit. Ipſa autem arteria, dura & cartilaginoſa, in gutture aſſurgit, ceteris partibus reſidit [16]. Conſtat ex circulis quibuſdam, compoſitis ad imaginem earum vertebrarum, quæ in ſpina ſunt: ita tamen, ut ex parte exteriore aſpera, ex interiore, ſtomachi modo lævis ſit: eaque deſcendens ad præcordia cum pulmone committitur. Is ſpongioſus, ideoque ſpiritus capax, & a tergo ſpinæ ipſi junctus, in duas fibras, ungulæ bubulæ modo, dividitur. Huic cor annexum eſt, natura muſculoſum, in pectore ſub ſiniſteriore mamma ſitum; duoſque quaſi ventri-

11. *terminantur*) Hoc verbum non eſt in Cod. Medic. I.

12. καρωτίδας) Editiones omnes, præter Ruellii & Lindenii, habent, ut Codex Medic. I. *parotidas*. In reliquis Mediceis Codicibus eſt, *cariatides*.

13. *At*) Ita ex Cod. Mediceo vetuſtiori. Antea legebatur, *Atque*.

14. *recipit*) Mediceus I. conſentit cum libris impreſſis. Alii Mſs. habent, *accipit*.

15. *lingua*) Linden. *lingula*; ſed in Edd. vetuſtis & in Mſs. Mediceis eſt, *lingua*.

16. *reſidit*) Al. *reſidet*; ut eſt in Cod. Medic. I. Non deſunt tamen alii Codices, qui hanc Lindenii, ſive potius Conſtantini lectionem confirment.

triculos habet. At ſub corde atque pulmone, tranſverſum ex valida membrana ſeptum eſt, quod a præcordiis uterum diducit; idque nervoſum [17], multis etiam venis per id diſcurrentibus, a ſuperiore parte, non ſolum inteſtina, ſed jecur quoque lienemque diſcernit. Hæc viſcera proxime [18], ſed infra tamen poſita, dextra ſiniſtraque ſunt. Jecur a dextra parte ſub præcordiis ab ipſo ſepto orſum [19], intrinſecus cavum, extrinſecus gibbum [20] eſt: quod prominens leviter ventriculo inſidet, & in quatuor fibras dividitur. Ex inferiore vero parte ei fel [21] inhæret. At lienis ſiniſtra [22], non eidem ſepto, ſed inteſtino innexus eſt, natura mollis & rarus, longitudinis craſſitudiniſque modicæ; iſque paulum a coſtarum regione in uterum excedens, ex maxima parte ſub his conditur. Atque hæc quidem juncta ſunt. Renes vero diverſi [23]; qui lumbis ſub imis [24] coſtis inhærent, a parte earum rotundi, ab altera reſimi [25]; qui & venoſi ſunt, & ventriculos habent [26], & tunicis ſuper conteguntur [27]. Ac viſcerum quidem hæ ſedes ſunt. Stomachus vero, qui in-

17. *idque nervoſum*) Sic reſtitui ex Cod. Mediceo I. pro *æque nervoſum*, ut communiter legitur, ſed minus recte; quandoquidem *æque* ad cor referendum eſt; cor autem, non nervoſum, ſed muſculoſum eſſe, Celſus dixit. Quid autem per vocem *nervoſum*, quid per *muſculoſum* ſignificet, illa ſatis declarant, quæ infra habet: *veſica autem in ipſo ſinu nervoſa & duplex, cervice plena atque carnoſa &c.* Videtur autem ideo ſeptum hoc nervoſum dicere, quod nervoſa ſit illa ejus pars, quam centrum appellant. Ceterum, ut nunc omnes norunt, natura muſculoſum eſt, ſicut cor.

18. *proxime*) Ante Lindenium legebatur, *proxima*.

19. *orſum*) Al. *ortum*.

20. *gibbum*) Lindenius leg. *gibberum*, & addit *eſt*. Editiones veteres cum Mſs. Mediceis habent, *gibbum*. Ita lib. 8. cap. 1. *extrinſecus gibba*, de calvaria.

21. *& fel*) Vtraque hæc vox deeſt in Cod. Mediceo I. at in IV. itemque in Editionibus Juntina & vetuſtiſſimis ann. 1478. 1493. 1497. prior tantum; quam Egnatius demum reſtituit. Mediceus III. & alii Codices habent utramque vocem.

22. *lienis ſiniſtra*) Lindenius leg. *lien in ſiniſtra*, & infra, *annexus*, pro *innexus*. Vetus lectio, quam ego utroque loco ſecutus ſum, Codicibus Mediceis confirmatur.

23. *diverſi*) Hanc lectionem ex vetuſtis libris Morgagnus ſibi probari non obſcure ſignificat. Probatur mihi vel magis, quod ita invenerim etiam in Mediceis Mſs. Revera omnes, præter primum, habent, *diverſis*; ſed hoc nihil ad id quod quærimus, utram lectionem ſequamur; hanc, an Lindenii, *diviſi*.

24. *ſub imis coſtis*) Ita ex Egnatio & Morgagno. Alii leg. *ſub imis coxis*, ut habet Codex vetuſtior. In reliquis Mediceis Codicibus eſt, *ſummis coxis*.

25. *a parte earum rotundi, ab altera reſimi*) Sic legendum ex Morgagni emendatione, quamvis veteres Codices repugnent; ne, dum facilis erroris librarios abſolvimus, Celſum graviſſimi damnemus. Libri omnes tum manuſcripti, tum impreſſi, duabus vocibus altera in alterius locum traductis, habent, *a parte earum reſimi, ab altera rotundi*; contra veram rationem.

26. *& ventriculos habent*) Morgagnus notat, hæc tria verba perperam omiſſa eſſe a Lindenio. Habentur in Mſs. omnibus.

27. *conteguntur*) In aliquibus Mſs. *teguntur*; immo in Mediceis omnibus, præterquam in primo.

inteſtinorum principium eſt, nervoſus a ſeptima ſpinæ vertebra incipit; circa [28] præcordia cum ventriculo committitur. Ventriculus autem, qui receptaculum cibi eſt, conſtat ex duobus tergoribus; iſque inter lienem & jecur poſitus eſt, utroque ex his paulum ſuper eum ingrediente. Suntque etiam membranulæ tenues, per quas inter ſe tria [29] iſta connectuntur, junguntурque ei ſepto, quod tranſverſum eſſe, ſupra poſui. Inde ima ventriculi pars paulum in dexteriorem partem converſa, in ſummum inteſtinum coarctatur. Hanc juncturam πυλωρὸν Græci vocant, quoniam portæ modo in inferiores partes ea, quæ excreturi ſumus, emittit. Ab ea jejunum inteſtinum incipit, non ita implicitum: cui tale vocabulum eſt, quia numquam, quod accipit [30], continet; ſed protinus in inferiores partes tranſmittit. Inde tenuius inteſtinum eſt, in ſinus vehementer implicitum: orbes vero ejus per membranulas ſinguli cum interioribus [31] connectuntur; qui in dexteriorem partem converſi, & e regione dexterioris coxæ finiti, ſuperiores tamen partes magis complent. Deinde id inteſtinum cum craſſiore altero tranſverſo committitur, quod a dextra parte incipiens, in ſiniſteriorem pervium & longum eſt, in dexteriorem non eſt; ideoque cæcum nominatur. At id, quod pervium eſt, late fuſum atque ſinuatum, minuſque quam ſuperiora inteſtina nervoſum, ab utraque parte huc atque illuc volutum, magis tamen ſiniſteriores inferioreſque partes tenens [32], contingit jecur atque ventriculum: deinde cum quibuſdam membranulis a ſiniſtro rene venientibus jungitur; atque hinc dextra [33] recurvatum in imo dirі-

28. *circa*) Non arbitror neceſſe eſſe præmittere particulam *ac*, quam omnes quidem impreſſi libri habent, Medicei vero Mſs. non habent. Invenitur in primo & in quarto; in illo addita a Palavicino, in hoc ab alio, qui ex Palavicino eam ſumpſit. Si conjunctio addenda ſit, malim addere *&*; quæ fortaſſe coaluit cum extrema ſyllaba vocis præcedentis, *incipit*.

29. *tria*) In Edd. Ald. Ruell. & Steph. *omnia*.

30. *accipit*) Linden. *accepit*.

31. *interioribus*) Ita legit Lindenius, & rectius; quamvis in Mſs. ſit, *inferioribus*, ut alii legunt.

32. *tenens*) Communis hujus lectionis teſtimonium in libris Mſs. non aliud inveni, præterquam Palavicini, a quo adſcripta vox hæc reperitur in Mediceo primo, ubi nulla erat. Ceteri Medicei Codices habent, non *tenens*, ſed *tenet*; quod tamen minus placet.

33. *atque hinc dextra*) Legendum opinor, *atque in dextra* vel *dextram*; quo modo loquitur lib. 8. cap. 1. *rectius in viris*, *recurvatum magis in exteriora in fœminis*. Lindenius leg. *atque hinc ad dextra*.

rigitur [34], qua excernit; ideoque id ibi rectum inteſtinum nominatur. Contegit vero univerſa hæc omentum, ex inferiore [35] parte læve & ſtrictum, ex ſuperiore mollius; cui adeps quoque innaſcitur; quæ ſenſu, ſicut cerebrum quoque & medulla, caret. At a renibus ſingulæ venæ, colore albæ, ad veſicam feruntur: *οὐρητῆρας* Græci vocant, quod per eas inde deſcendentem urinam in veſicam deſtillare concipiunt. Veſica autem in ipſo ſinu nervoſa & duplex, cervice plena atque carnoſa [36], jungitur per venas cum inteſtino, eoque oſſe, quod pubi ſubeſt: ipſa ſoluta atque liberior eſt: aliter in viris atque in fœminis poſita. Nam in viris juxta rectum inteſtinum eſt, potius in ſiniſtram partem inclinata; in fœminis ſuper genitale earum ſita eſt, ſupraque lapſa [37], ab ipſa vulva ſuſtinetur. Tum in maſculis iter urinæ ſpatioſius & compreſſius a cervice hujus deſcendit ad colem: in fœminis brevius & plenius, ſuper vulvæ cervicem ſe oſtendit. Vulva autem in virginibus quidem admodum exigua eſt: in mulieribus vero, niſi ubi gravidæ ſunt, non multo major, quam ut manu comprehendatur. Ea, recta tenuataque [38] cervice, quem canalem vocant, contra mediam alvum orſa, inde paulum ad dexteriorem coxam convertitur; deinde ſuper rectum inteſtinum progreſſa, iliis fœminæ latera ſua innectit. Ipſa autem ilia inter coxas & pubem imo ventre poſita ſunt. A quibus ac pube abdomen ſurſum verſus ad præcordia pervenit; ab exteriore parte,

34. *in imo dirigitur*) in infima ſui parte rectum fit. Sic lib. 8. cap. 1. *in imo cartilaginoſa*; cui opponit *in ſummo*. Pro *imo*, Lindenius reponit, *ima*, ut habet in margine Conſtantinus. Sed Codices Medicei habent, *imo*; neque mutandum eſt.

35. *inferiore*) Ita eſt in Editionibus Lindenii & Conſtantini, & in margine Gryphianæ. Alii habent, *interiore*, ut etiam vetuſtior Codex. Deinde in vetuſtis Editionibus eſt, *& ſtrictum*: neque variant Medicei Codices; niſi quod hæ duæ voces deſunt in III. & VI. Variat vetus quidam, ut Conſtantinus ſcribit, habetque, *adſtrictum*; atque ita Lindenius edidit.

36. *carnoſa*) In Codice vetuſtiore legitur, *nervoſa*. Sed retinenda eſt communis lectio, tum ex fide Codicum reliquorum, tum etiam ratione. Nam revera carnoſa, id eſt muſculoſa veſicæ cervix eſt.

37. *ſita eſt, ſupraque lapſa*) Vulgo leg. *poſita*, ut habetur in Codice aliquo Ms. in pleriſque tamen, ut in duobus vetuſtioribus, eſt, *ſita*. Ac *ſupraque* inveni in omnibus Mediceis, & in Edit. I. non *ſuperque*, ut alii legunt, neque, ut Lindenius, *& ſuperne*. At *lapſa*, quod Lindenius repoſuit pro *elapſa*, mihi magis probatur. In margine Editionis Conſtantini eſt, *illapſa*.

38. *tenuataque*) Vellent Viri docti hanc Lindenii lectionem Codice aliquo confirmari; cum in vetuſtis Editionibus, & in Mſs. pleriſque legatur, *continuataque*. Habeo ego unde illis ſatisfaciam, Codicem ſcilicet Mediceum vetuſtiorem. In eo eſt, *tenuataque*.

evidenti cute; ab interiore levi membrana incluſum, quæ omento jungitur; περιτόναιος autem a Græcis nominatur.

II. 1. His veluti in conſpectum quemdam, quatenus ſcire curanti neceſſarium eſt, adductis, remedia ſingularum laborantium partium exſequar, orſus a capite: ſub quo nomine nunc ſignifico eam partem, quæ capillo [39] tegitur: nam oculorum, aurium, dentium dolor, & ſi quis ſimilis eſt, alias erit explicandus. In capite autem interdum acutus & peſtifer morbus eſt, quam κεφαλαίαν [40] Græci vocant: cujus notæ ſunt, horror validus, nervorum reſolutio, oculorum caligo, mentis alienatio, vomitus, ſic, ut vox ſupprimatur; vel ſanguinis ex naribus curſus, ſic, ut corpus frigeſcat, anima deficiat: præter hæc, dolor intolerabilis, maxime circa tempora, vel occipitium. Interdum autem in capite longa imbecillitas, ſed neque gravis, neque periculoſa, per hominis ætatem eſt: interdum gravior dolor, ſed brevis, neque tamen mortiferus; qui vel vino, vel cruditate, vel frigore, vel igne, aut ſole contrahitur. Hique omnes dolores modo in febre, modo ſine hac ſunt; modo in toto capite, modo in parte; interdum ſic, ut oris quoque proximam partem excrucient. Præter hæc etiamnum invenitur genus, quod poteſt longum eſſe; ubi humor cutem inflat, eaque intumeſcit, & prementi digito cedit: ὑδροκέφαλον [41] Græci appellant. Ex his id, quod ſecundo loco poſitum eſt, dum leve eſt, qua ſit ratione curandum, dixi, cum perſequerer ea, quæ ſani homines in imbecillitate partis alicujus facere deberent. Quæ vero auxilia ſint capitis, ubi cum febre dolor eſt, eo loco explicitum eſt, quo febrium curatio ex-

po-

39. *capillo*) Lindenius habet, *capillitio*; Codex Mediceus I. & quidam alius a Conſtantino citatus, *capillis*. In vetuſtis autem Editionibus, & in Codicibus Mediceis reliquis, & in eo quo Morgagnus uſus eſt, habetur, *capillo*. Atque hos libros ego ſequor, quod Celſus fere ſingulari numero hanc vocem uſurpet; ut in lib. 6. cap. 2. ac ter in cap. 1. lib. 8.

40. κεφαλαίαν) Ita plerique cum Cæſario. In Editionibus vetuſtioribus eſt κεφαλέαν (vel *cephaleam*) ut in Mſs. Mediceis; ſed primus habet, ΚΕΦΑΛΑΝ, ex κεφαλέαν corruptum, an ex κεφαλαίαν?

41. ὑδροκέφαλον) Hæc eſt communis lectio, quæ comprobatur teſtimonio ſex Codicum Mediceorum. Horum tamen fidem dubiam reddit vetuſtior Codex, in quo eſt ΥΔρωΚΕΦΑΛΙΑΝ; ut fortaſſe legendum ſit, ὑδροκεφαλαίαν. Verba autem illa: *etiamnum invenitur genus*, quæ ego ita edidi ex fide Codicum plerorumque, nonnulli Aldinam Edit. ſecuti ita legunt: *etiam unum invenitur genus*; alii ſic, *etiam invenitur genus*; ut Codex Medic. I. habet.

poſita eſt. Nunc de ceteris dicendum eſt. Ex quibus id, quod acutum eſt, & id, quod ſupra conſuetudinem intenditur, idque, quod ex ſubita cauſa, etſi non peſtiferum, tamen vehemens eſt, primam curationem habet, qua ſanguis mittatur. Sed id, niſi intolerabilis dolor eſt, ſupervacuum eſt: ſatiuſque eſt abſtinere a cibo; ſi fieri poteſt, etiam a potione; ſi non poteſt, aquam bibere. Si poſtero die dolor remanet, alvum ducere, ſternutamenta evocare, nihil aſſumere, niſi aquam. Sæpe enim dies unus aut alter totum dolorem hac ratione diſcutit; utique ſi ex vino vel cruditate origo eſt. Si vero in his auxilii parum eſt, tonderi [42] oportet ad cutem: deinde conſiderandum eſt, quæ cauſa dolorem excitarit. Si calor, aqua frigida multa perfundere caput expedit: ſpongiam concavam imponere, ſubinde in aqua [43] frigida expreſſam: ungere roſa & aceto, vel potius his tinctam lanam ſuccidam imponere, aliave refrigerantia cataplaſmata. At ſi frigus nocuit, caput oportet perfundere aqua calida marina, vel certe ſalſa, aut in qua laurus decocta ſit: tum caput vehementer perfricare: deinde calido oleo implere & veſte velare. Quidam etiam id devinciunt; alii cervicalibus veſtimentiſque onerant, & ſic levantur; alios calida cataplaſmata adjuvant. Ergo etiam, ubi cauſa incognita eſt, videre oportet, refrigerantia magis, an calefacientia leniant, & iis uti, quæ experimentum approbarit. At ſi parum cauſa diſcernitur, perfundere caput, primum aqua calida, ſicut ſupra præceptum eſt, vel ſalſa, vel ex lauro decocta; tum frigida poſca. Illa in omni vetuſto capitis dolore communia ſunt: ſternutamenta excitare, inferiores partes vehementer perfricare, gargarizare iis, quæ ſalivam movent, cucurbitulas temporibus & occipitio admovere, ſanguinem ex naribus detrahere [44], reſina ſubinde tempora pervellere, & impoſito ſina-

 pi

42. *tonderi*) Lindenius leg. *tondere*, ut eſt in Edit. an. 1538. Sed in Mſs. noſtris atque in aliis Editionibus eſt, *tonderi*. Poſtea vero, pro *deinde*, Codex Mediceus vetuſtior habet, *dein*.

43. *in aqua*) Præpoſitio *in* omittitur a Lindenio; ſed ego in Mſs. omnibus inveni. Morgagnus ſuſpicatur, *ex aqua* fortaſſe legendum eſſe; quod Celſus ita ſoleat conſtruere verbum *exprimo*. Exempla habentur in cap. 24. hujus libri, in lib. 5. cap. 26. ſect. 21. & 23. in lib. 6. cap. 6. ſect. 1. in lib. 7. cap. 2. & cap. 7. ſect. 8. & cap. 16. præter alia multa. Ad confirmandam conſtructionem cum præpoſitione *in* exempla nondum inveni.

44. *detrahere*) In Codice Mediceo I. *extrahere*; & poſtea, *revellere*, pro *pervellere*.

pi exulcerare ea, quæ male habent, ante linteolo ſubjecto, ne vehementer arrodat [45], candentibus ferramentis, ubi dolor eſt, ulcera excitare, cibum permodicum [46] cum aqua ſumere: ubi levatus eſt dolor, in balneum ire, ibi multa aqua prius calida, deinde frigida per caput [47] perfundi: ſi diſcuſſus ex toto dolor eſt, etiam ad vinum reverti; ſed poſtea ſemper, antequam quidquam aliud, aquam bibere. Diſſimile eſt id genus, quod humorem in caput contrahit. In hoc tonderi ad cutem neceſſarium eſt; deinde imponere ſinapi, ſic, ut exulceret: ſi id parum profuit, ſcalpello utendum eſt. Illa cum hydropicis communia ſunt, ut exerceatur [48], inſudet, vehementer perfricetur, cibis potionibuſque utatur urinam præcipue moventibus.

2. Circa faciem vero morbus innaſcitur, quem Græci κυνικὸν σπασμὸν nominant. Is cum acuta fere febre oritur [49]; os cum motu quodam [50] pervertitur; ideoque nihil aliud eſt, quam diſtentio oris. Accedit crebra coloris in facie totoque corpore mutatio; ſomnus in promptu eſt. In hoc ſanguinem mittere optimum eſt: ſi finitum eo malum non eſt, ducere alvum: ſi ne ſic quidem diſcuſſum eſt, albo veratro vomitum movere. Præter hæc neceſſarium eſt vitare ſolem, laſſitudinem, vinum. Si diſcuſſum his non eſt [51], utendum eſt curſu; frictione in eo, quod læſum eſt, leni & multa; in reliquis partibus breviore, ſed vehementi. Pro-

deſt

45. *arrodat*) Tum hic, tum in ſect. ſequenti Codices Medicei & veteres Editiones habent, *arrodat*; quod ego retinebo, donec ſciam, ex quo Codice Lindenius utrobique repoſuerit, *erodat*. Nam ita quidem Editionis ſuæ margini adſcripſit Conſtantinus, ſed nullo allato veteris Codicis teſtimonio.

46. *permodicum*) Inveni ego quoque in Codicibus Mſs. & quidem in pleriſque, *ſemper modicum*; ut ediderunt Ruellius, Lindenius, & in libri margine Conſtantinus; ſed non probavi. Secutus ſum Cod. Mediceum I. cum quo Vatican. II. & VI. & aliæ Editiones conſentiunt.

47. *per caput*) Lindenius tollit *per*; Mſs. tamen noſtris reclamantibus.

48. *ut exerceatur*) Non habet Cod. Medic. I. conjunctionem *ut*.

49. *Is cum acuta fere febre oritur*) Morgagnus, ſi omittatur *fere*, ut Lindenius fecit, ſententiam minus veram eſſe. Et ſane *raptus caninus etiam tarda paſſio eſt*, ut eſt apud Cœlium Aurelianum lib. 2. Chronic. cap. 2. Omittitur hoc adverbium in Cod. Medic. VII. ſed additur in margine. Pro *Is*, Cod. I. habet, *Iſque*.

50. *cum motu quodam*) Vox *motu* cohæret ſenſu cum ſequentibus, *diſtentio oris*; ut & *ideoque* oſtendit. Nam in nervorum diſtentione motus quidam eſt, quo diſtinguitur a nervorum rigore. Mſs. Codices nihil variant; variat Lindenii Editio, quæ, pro *motu*, habet, *rictu*; & *diſtorſio*, pro *diſtentio*.

51. *ſi diſcuſſum his non eſt*) Aliqui cum Egnatio præmittunt *Sed*, quod eſt in multis Mſs. non tamen in Medic. I. Alii pro *his*, legunt, *id*; quidam, *id his*.

deſt etiam movere ſternutamenta; caput radere; idque perfundere aqua calida, vel marina, vel certe ſalſa, ſic, ut ei ſulphur quoque adjiciatur; poſt perfuſionem iterum perfricari; ſinapi manducare; eodemque tempore affectis oris partibus ceratum, integris idem [52] ſinapi, donec arrodat, imponere. Cibus aptiſſimus ex media materia eſt.

3. At ſi lingua reſoluta eſt, quod interdum per ſe, interdum ex morbo aliquo fit, ſic, ut ſermo hominis non explicetur; oportet gargarizare ex aqua, in qua vel thymum, vel hyſſopum, vel nepeta decocta ſit; aquam bibere; caput, & os, & ea, quæ ſub mento ſunt, & cervicem vehementer perfricare; laſere linguam ipſam linere [53]; manducare, quæ ſunt acerrima, id eſt ſinapi, allium, cepam; magna vi luctari, ut verba exprimantur; exerceri retento ſpiritu; caput ſæpe aqua frigida perfundere; nonnumquam multam eſſe radiculam, deinde vomere.

4. Deſtillat autem humor de capite interdum in nares, quod leve [54] eſt; interdum in fauces, quod pejus eſt; interdum etiam in pulmonem, quod peſſimum eſt. Si in nares deſtillavit [55], tenuis per has pituita profluit, caput leviter [56] dolet, gravitas ejus ſentitur, frequentia ſternutamenta ſunt. Si in fauces, has exaſperat, tuſſiculam movet. Si in pulmonem, præter ſternutamenta, & tuſſim, eſt etiam capitis gravitas, laſſitudo, ſitis, æſtus, bilioſa urina. Aliud autem, quamvis non multum diſtans, malum, gravedo eſt. Hæc nares claudit, vocem obtundit, tuſſim ſiccam movet: ſub eadem ſalſa [57] eſt ſaliva, ſonant aures, venæ moventur in capite, turbida urina eſt. Hæc omnia κορύζας Hippocrates nominat: nunc video apud Græcos in gravedine hoc nomen ſervari; deſtillationem [58], καταςαγμὸν appellari. Hæc autem & brevia [59]

52. *idem*) Lindenius & in margine Conſtantinus, *item*.

53. *linere*) Ita cum Aldina Editiones recentiores omnes. Vetuſtæ, *linire*, ut & Codex Medic. I. habet, & hic, & fere ubique. In quibuſdam Codd. eſt, *lenire*, quod ex *linere* corruptum videtur.

54. *leve*) Al. *lene*.

55. *deſtillavit*) Lindenii Edit. *diſtillaverit*; vetuſtiores, *diſtillat*, ut aliquis Codex habet, & Palavicinus mutat in Medic. I. in quo eſt, ut in reliquis ſex, *deſtillavit*. Fortaſſe legendum, *deſtillavit*.

56. *leviter*) Al. *leniter*. Poſtea, pro *gravitas ejus*, Lindenius leg. *gravitas in eo*.

57. *ſub eadem ſalſa*) Linden. *Sub eadem vero ſalſa*.

58. *deſtillationem*) Alii Cæſarium ſecuti leg. *diſtillationes* in plurali, quod ſequatur καταςαγμὸς; ut quidem vulgo habetur.

via [59], & ſi neglecta ſunt, longa eſſe conſuerunt. Nihil peſtiferum eſt, niſi quod pulmonem exulceravit [60]. Vbi aliquid ejuſmodi ſenſimus, protinus abſtinere a ſole, balneo, vino [61], venere debemus: inter quæ unctione, & aſſueto cibo nihilominus uti licet. Ambulatione tantum acri, ſed tecta [62] utendum eſt, & poſt eam caput atque os ſupra quinquagies perfricandum. Raroque fit, ut ſi biduo, vel certe triduo nobis temperavimus, id vitium non levetur. Quo levato, ſi in deſtillatione craſſa facta pituita eſt, vel in gravedine nares magis patent [63], balneo utendum eſt, multaque aqua prius calida, poſt egelida, fovendum os, caputque; deinde cum cibo pleniore vinum bibendum. At ſi æque tenuis quarto die pituita eſt, vel nares æque clauſæ videntur, aſſumendum eſt vinum Aminæum auſterum; deinde [64] rurſus biduo aqua; poſt quæ ad balneum, & ad conſuetudinem revertendum eſt. Neque tamen illis ipſis diebus [65], quibus aliqua omittenda ſunt, ex-

pe-

tur. Ego κατασταγμὸν repoſui ex Mediceo primo; *deſtillationem*, & ex hoc & ex reliquis Mſs. & ex Editionibus priſcis.

59. *Hæc autem & brevia*) ſi adhibeatur curatio. Codices Mſs. nihil variant. Conſtantinus & delendum cenſet, ſed ſine cauſa; nam ſervit diſtributioni, quemadmodum *neque* in his verbis cap. 4. ſect. 3. *Hoc genus neque acutum eſt, & poteſt eſſe non longum*. Lindenius leg. *Hæc communia & brevia; ſed ſi &c.* minus recte.

60. *exulceravit*) Lindenius legit, *exulcerat*. Idem infra habet, *ſentimus*, pro *ſenſimus*.

61. *vino*) Morgagnus hanc vocem a Lindenio perperam omitti notat: & ſane eam ego inveni in omnibus Mſs.

62. *tantum acri, ſed tecta*) Hic quoque Morgagnus animadvertit in mutationem a Ruellio partim, partim a Lindenio inductam. Ruellius enim, cui Stephanus & Lindenius aſſenſi ſunt, repoſuit *recta*, pro *tecta*; Lindenius, *tantum non acri*, pro *tantum acri*. Ruellii lectio Codice aliquo ſe tuetur; ſiquidem *recta* habetur in Medic. VI. Fortaſſe is Codex corruptus eſt, cum in III. ex quo deſcriptus videtur, ſit, ut in aliis quatuor, *tecta*: varietas tamen eſt ejuſmodi, ut nullo modo contemni debeat. Nam, ut idem Morgagnus notat, de ambulatione in univerſum ita Celſus ſcribit lib. 2. cap. 2. *Melior autem eſt ſub divo, quam in porticu*, & *recta, quam flexuoſa*; deinde cap. 4. docet, eum, cui caput infirmum eſt, *multum ambulare* debere, *ſed, ſi licet, neque ſub tecto, neque in ſole*. Neque tamen idcirco veteri lectioni lectionem illam anteferendam Morgagnus cenſet; quin etiam multum videtur rationi tribuere, ob quam Rubeus putat præcepiſſe hic Celſum, tecta ambulatione utendum eſſe. Codex quoque Mediceus vetuſtior, quamvis corrupta verba ſint, hanc lectionem confirmat: nam habet, *tantum ægris detecta*. Minus dubia lectio eſſe debet, *tantum acri*: neque enim Codicem ullum inveni, qui habeat, *tantum non*, ac Lindenio ſuffragetur. Senſus eſt: abſtinendum eſſe a ſole &c. vehementi dumtaxat, ſed tecta ambulatione utendum &c.

63. *nares magis patent*) Ex his verbis periodi proximæ, *nares æque clauſæ videntur*, manifeſtum eſt, ut Morgagnus monet, hic legendum eſſe, *patent*: atque ita ſane & plerique legunt, & Codex Mediceus I. habet. Cæſarius deceptus pravis aliquibus Codicibus, in quibus eſt], *pallent*, ipſe deinde nonnullos decepit.

64. *deinde*) Codex Medic. I. *dein*.

65. *illis ipſis diebus*) Lindenius omittit *illis*.

pedit tamquam ægros agere; ſed cetera omnia quaſi ſanis facienda ſunt, præterquam ſi diutius aliquem, & vehementius iſta ſolicitare conſuerunt: huic enim quædam curioſior obſervatio neceſſaria eſt. Igitur huic, ſi in nares vel in fauces deſtillavit, præter ea, quæ ſuprà retuli, protinus primis diebus multum ambulandum eſt; perfricandæ vehementer inferiores partes; levior frictio adhibenda thoraci erit; levior capiti [66]; demenda aſſueto cibo pars dimidia; ſumenda ova, amylum, ſimiliaque, quæ pituitam faciunt craſſiorem; ſiti contra, quanta maxima [67] ſuſtineri poteſt, pugnandum [68]. Vbi per hæc idoneus aliquis balneo factus, eoque uſus eſt, adjiciendus eſt cibo piſciculus, aut caro; ſic tamen, ne protinus juſtus modus cibi ſumatur: vino meraco copioſius utendum eſt. At ſi in pulmonem quoque deſtillat, multo magis & ambulatione & frictione opus eſt; eademque [69] adhibita ratione in cibis, ſi non ſatis illi proficiunt, acrioribus utendum eſt; magis ſomno indulgendum, abſtinendumque a negotiis omnibus; aliquando, ſed ſerius, balneum tentandum [70]. In gravedine autem, primo die quieſcere, neque eſſe, neque bibere, caput velare, fauces lana circumdare: poſtero die ſurgere, abſtinere [71] a potione, aut, ſi res coegerit, non ultra heminam aquæ aſſumere: tertio die panis non ita multum [72] ex parte interiore

cum

66. *adhibenda thoraci erit; levior capiti*) Verbum *erit* fortaſſe tollendum, ut cuncta hæc participia pendeant ab *eſt*, quod antecedit. Locum illi dediſſe ſuſpicor mendum quorumdam Codicum, ubi legitur, *adhibenda thoraciori capiti*. Ita in Mediceo I. habetur. Fortaſſe aliquis ex *thoraciori* fecit *thoraci erit*; indeque *erit* pervenit in eos quoque Codices, qui recte habebant, *thoraci, levior*.

67. *ſiti contra, quanta maxima*) Adverbium *contra*, quod non eſt in ullo impreſſo libro, ego reſtitui ex Codice Ms. vetuſtiori. Ita cap. 19. *contra ſiti, fame, vomitu niti*. In allato Codice eſt, *quantum*, pro *quanta*; in reliquis ſex, *maxime*, ut in pleriſque Editionibus, pro *maxima*.

68. *pugnandum*) Antea legebatur, *pugnandum eſt*. Codex Medic. I. non habet *eſt*; quem ſequor.

69. *frictione opus eſt; eademque &c.*) Locum hunc ſic interpungit Lindenius, ut ex correctionibus, quas in fine libri addidit, apparet: *frictione opus eſt, eademque adhibita ratione in cibis. Si non ſatis &c.* Ita fere Conſtantinus quoque. Vterque minus recte.

70. *balneum tentandum*) Vox *balneum*, quæ deeſt in prioribus Editionibus, reſtituta eſt in Aldina, aliiſque, ſed præmiſſo *&*; ut in multis Mſs. habetur. Lindeniana non habet eam particulam. In Codice Mediceo I. eſt: *balneo temperandum*.

71. *abſtinere*) Communiter legitur, *diu abſtinere*. Sed conſideranti facile apparebit, *diu* locum hic non habere. Senſus eſt; ſecundo die quoque abſtinendum eſſe a potione: nam ſequitur, *tertio die . . . . aquam bibere*. Itaque ejeci adverbium iſtud ex fide Codicis Medicei vetuſtioris.

72. *non ita multum*) Pro *ita* Editio I. & aliæ quædam pervetuſtæ habent, *tam*, ut Codex Medic. I. habet. Poſtea, pro *levi carne*, alii leg. *leni carne*.

cum piſciculo, vel levi carne ſumere, aquam bibere: ſi quis ſibi temperare non potuerit, quo minus pleniore victu utatur, vomere: ubi in balneum ventum eſt, multa calida aqua caput & os fovere uſque ad ſudorem: tum ad vinum redire. Poſt quæ vix fieri poteſt, ut idem incommodum maneat: ſed ſi manſerit, utendum erit cibis frigidis, aridis, levibus, humore quam minimo, ſervatis frictionibus exercitationibuſque, quæ in omni tali genere valetudinis neceſſariæ ſunt.

III. A capite tranſitus ad cervicem eſt; quæ gravibus admodum morbis obnoxia eſt. Neque tamen alius importunior acutiorque morbus eſt, quam is, qui quodam rigore nervorum, modo caput ſcapulis, modo mentum pectori adnectit, modo rectam & immobilem cervicem intendit. Priorem Græci ὀπισθότονον, inſequentem [73] ἐμπροσθότονον, ultimum τέτανον appellant: quamvis minus ſubtiliter quidam indiſcretis his nominibus utuntur. Ea ſæpe intra quartum diem tollunt; ſi hunc evaſerunt, ſine periculo ſunt. Eadem omnia ratione curantur; idque convenit. Sed Aſclepiades [74] utique mittendum ſanguinem credidit: quod quidam utique [75] vitandum eſſe dixerunt, eo quod maxime tum corpus calore egeret; iſque eſſet in ſanguine. Verum hoc quidem [76] falſum eſt. Neque enim natura ſanguinis eſt, ut utique [77] caleat; ſed ex iis, quæ in homine ſunt, hic [78] celerrime vel caleſcit, vel refrigeſcit. Mitti vero nec ne debeat, ex iis intelligi poteſt, quæ de ſanguinis miſſione præcepta ſunt. Vtique autem recte datur caſtoreum, & cum hoc piper, vel laſer: deinde opus eſt fomento humido & calido: itaque plerique

aqua

73. *Priorem .... inſequentem*) Cap. 13. hujus libri: *Prior acutus eſt, inſequens eſſe longus poteſt*. In Cod. Medic. I. & in Edit. Lindenii eſt, *Primum .... ſequentem*.

74. *Sed Aſclepiades*) Lindenius omittit *Sed*; quæ particula etiam in Cod. Medic. VI. omittitur, ſed librarii errore: eſt enim in III. ex quo ille, ut ſæpe dixi, deſcriptus eſt.

75. *quod quidam utique*) In Cod. Medic. I. deeſt *quod*; in ceteris, & in vetuſtis Editionibus habetur *quod*, ſed non *utique*. Lindenius edidit: *id quidam utique*. Adverbium *utique*, hac ratione repetitum, ſententiæ vim addit; ut in verbis illis lib. 3. cap. 23. *ſi nulla nervorum diſtentio acceſſit utique ſanguis mitti debet; ſi acceſſit, non utique mittendus eſt*.

76. *in ſanguine. Verum hoc quidem &c.*) Similem formam habet in lib. 7. cap. 2. *Verum hoc quidem promptum eſt*. Lindenius legit, ut eſt in Cod. Medic. I. *in ſanguine venarum. Hoc quidem;* quod fortaſſe ex mendo ortum eſt. Omnino mihi non probatur; & vetuſtas Editiones ſequor, cum quibus reliqui Medicei Codices omneſque Vaticani conſentiunt.

77. *ut utique*) In Cod. Medic. I. non eſt *ut*.

78. *hic*) Al. *is*.

aqua calida multa cervices ſubinde perfundunt. Id in præſentia levat [79]; ſed opportuniores nervos frigori reddit: quod utique vitandum eſt. Vtilius igitur eſt, cerato liquido primum cervicem perungere; deinde admovere veſicas bubulas vel utriculos oleo calido repletos, vel ex farina calidum cataplaſma, vel piper rotundum [80] cum ficu contuſum. Vtiliſſimum tamen eſt, humido ſale fovere: quod quomodo fieret [81], jam oſtendi. Vbi eorum aliquid factum eſt, admovere ad ignem, vel ſi æſtas eſt, in ſole ægrum oportet; maximeque oleo vetere; ſi id non eſt, Syriaco; ſi ne id quidem eſt, adipe quam vetuſtiſſima cervicem, & ſcapulas, & ſpinam perfricare. Frictio cum omnibus in homine vertebris utilis ſit, tum iis præcipue, quæ in collo ſunt. Ergo die nocteque, interpoſitis tamen quibuſdam temporibus, hoc remedio utendum eſt; dum intermittitur [82], imponendum malagma aliquod ex calefacientibus. Cavendum vero præcipue [83] frigus; ideoque in eo conclavi, quo cubabit æger, ignis continuus eſſe debebit, maximeque tempore antelucano, quo præcipue frigus intenditur. Neque inutile erit, caput attonſum habere, idque irino vel cyprino calido madefacere, & ſuperimpoſito pileo velare; nonnumquam etiam in calidum oleum totum deſcendere, vel in aquam calidam, in qua fœnum græcum decoctum ſit, & adjecta olei pars tertia. Alvus quoque ducta ſæpe ſuperiores partes reſolvit. Si vero etiam vehementius dolor crevit, admovendæ cervicibus cucurbitulæ ſunt, ſic, ut cutis incidatur: eadem aut ferramentis, aut ſinapi adurenda. Vbi levatus eſt dolor, moverique cervix cœpit, ſcire licet, cedere remediis morbum. Sed diu vitandus cibus, quiſquis manden-

79. *levat*) Variat Lindenii Editio, in qua eſt, *allevat*; ſed non variant Codices Mſs.

80. *rotundum*) Hanc vocem omittit Lindenius; quam ab interprete aliquo non eſſe quis præſtet? Invenitur tamen in Mſs. noſtris omnibus, & Celſus alibi hac adjectione uſus eſt: cum alioquin & longi piperis mentionem faciat.

81. *fieret*) Lindenius leg. *fieri debeat*; & infra, *omnibus vertebris hominum*, pro *omnibus in homine vertebris*: nullo tamen noſtrorum Codicum ſuffragante.

82. *dum intermittitur*) Alii interjiciunt *id*, quod pronomen non eſt in Edit. Lindenii, neque in Cod. Medic. I.

83. *præcipue*) Lindenius leg. *& præcipue*; deinde, *curatur*, pro *cubabit*, & *debet*, pro *debebit*. In primo loco atque in ultimo Codicem nullum variantem inveni: in ſecundo variant Mediceus I. & Vatican. VI. & favent Lindenio. Mihi tamen magis placet *cubabit*, quod alii Codices habent. Ita lib. 5. cap. 26. *Locus in quo cubabit, tepidus eſſe debebit*.

dus eſt. Sorbitionibus utendum, itemque ovis ſorbilibus, aut mollibus; jus [84] aliquod aſſumendum. Id [85] ſi bene proceſſerit, jamque ex toto recte ſe habere cervices videbuntur, incipiendum erit a pulticula, vel intrita bene madida. Celerius tamen etiam panis mandendus, quam vinum guſtandum: ſiquidem hujus uſus præcipue periculoſus; ideoque in longius tempus differendus eſt.

IV. 1. Vt hoc autem [86] morbi genus circa totam cervicem; ſic alterum, æque peſtiferum acutumque, in faucibus eſſe conſuevit. Noſtri anginam vocant: apud Græcos nomen, prout ſpecies eſt. Interdum enim neque rubor, neque tumor ullus apparet; ſed corpus aridum eſt, vix ſpiritus trahitur, membra ſolvuntur: id συνάγχην vocant. Interdum lingua fauceſque cum rubore intumeſcunt, vox nihil ſignificat, oculi vertuntur, facies pallet, ſingultuſque eſt: id κυνάγχη [87] vocatur. Illa communia ſunt; æger non cibum devorare, non potionem poteſt; ſpiritus ejus intercluditur [88]. Levius eſt, ubi tumor tantummodo & rubor eſt, cetera non ſequuntur: id παρασυνάγχην appellant. Quidquid eſt, ſi vires patiuntur, ſanguis mittendus eſt: ſi non abundat [89], ſecundum eſt,

84. *aut mollibus; jus &c.*) Ita hunc locum reſtitui ex Cod. Medic. vetuſtiori, & Victorii conjectura lib. 29. Variar. lect. cap. 3. Reliqui vero ſex Codices Medicei habent; *aut apalis mollibus, jus &c.* Vulgata lectio, *aut a pullis mollibus jus*; non plus fidei habere debet, quam quod Palavicinus tribuere poteſt, qui in Mediceo I. ſupra vocem *mollibus* poſuit *a pullis*, cum in ſuo illo vetuſto Codice, quo ad hunc emendandum uſus eſt, *apalis*, ut videtur, inveniſſet, neque intellexiſſet, græcam vocem eſſe, additam ab aliquo ad explanationem latinæ, *mollibus*. Inde in Vaticanum VI. &, deleta voce *apalis*, in Medic. VI. & in vulgus quoque manavit, *a pullis*. Lindenius leg. *aut e pullis mollibuſve jus &c.*

85. *Id*) Ante Aldinam Edit. legebatur, *At*; ut eſt in Cod. Medic. I. Alii Codices habent, *Id*, ut multi ediderunt, allatam Editionem ſecuti.

86. *Vt hoc autem*) Lindenius omittit *hoc*: in quo eum Almeloveenius non ſequitur.

87. *id κυνάγχη*) Editio I. & duæ vetuſtiſſimæ 1493. 1497. & Juntina, *uti ſynanche*; Aldina, *id συνάγχη*. Cæſarius, vim magis veteris lectionis *uti*, quam Codicum fidem ſpectans, ſuppoſuit ὡς, atque edidit ὡς συνάγχη. Hunc alii poſtea ſecuti ſunt; ſed omnes, præter Lindenium, præmiſerunt pronomen *id*. In Cod. Medic. I. habetur, *uti* CYNANXHIN; ſed *uti* corruptum videtur ex *id*, quod eſt in aliis Codicibus. In IV. eſt *ſinanchin*; in reliquis, KYNANXHN per κ, non per σ. Legendum igitur puto, *id* κυνάγχη. Nam veteres Medici, ut notum eſt, inter κυνάγχην & συνάγχην, diſcrimen, licet non omnes idem, ſtatuerunt. Speciem hanc Valentem quoque quemdam phyſicum ita appellaſſe ſcribit Cælius Aurelianus lib. 3. Acut. cap. 1.

88. *intercluditur*) Ante Lindenium legebatur, ut eſt in Mſs. Mediceis, *includitur*; ſed perperam.

89. *ſi non abundat*) Pro *abundat* in Codd. Mediceis, præterquam in I. eſt, *habundant*. Locus autem, unde horum verborum explicatio peti poſſit, non alius eſt apud Celſum, præter illum de ſanguinis miſſione lib. 2. cap. 10. *Intereſt etiam inter valens* cor-

eſt, ducere alvum. Cucurbitula quoque recte ſub mento, & circa fauces admovetur; ut id, quod ſtrangulat, evocet. Opus eſt deinde fomentis humidis: nam ſicca ſpiritum elidunt. Ergo admovere ſpongias oportet; quæ melius in calidum oleum, quam in calidam aquam ſubinde demittuntur: efficaciſſimuſque eſt hic quoque, ſalis calidus ſuccus [90]. Tum commodum eſt, hyſſopum, vel nepetam, vel thymum, vel abſinthium, vel etiam furfures, aut ficus aridas, cum mulſa aqua [91] decoquere, eaque gargarizare: poſt hæc palatum ungere vel felle taurino, vel eo medica-

corpus, & obeſum; inter tenue, & infirmum: tenuioribus magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat. Facilius itaque illi detractionem ejuſmodi ſuſtinent; celeriuſque ea, ſi nimium eſt pinguis, aliquis affligitur. Ideoque vis corporis melius ex venis, quam ex ipſa ſpecie æſtimatur. Deinde: *Neque ſolum hæc conſideranda ſunt, ſed etiam morbi genus quod ſit: utrum ſuperans, an deficiens materia læſerit; corruptum corpus ſit, an integrum. Nam ſi materia vel deeſt, vel integra eſt, iſtud alienum eſt: at ſi vel copia ſui male habet, vel corrupta eſt, nullo modo melius ſuccurritur.* Igitur hæc verba, *ſi non abundant*, duplicem ex allato loco explicationem habere poſſunt. Nam ex ſanguinis abundantia vel corporis vis, vel materiæ lædentis copia æſtimanda eſt: itaque vel illud ſignificant, ſi corpus infirmum eſt; vel id, ſi materia non ſupereſt. In priori ſenſu forma loquendi obſcura eſt planeque inſolens: neque hoc inciſum neceſſarium eſt. Celſus enim ita loqui ſolet: lib. 3. cap. 7. *ſi vires ſinunt ſanguinem mittere optimum eſt &c. ſi id parum tutum eſt &c.* cap. 18. *ſi vires ægri patiuntur, ſanguis quoque mitti debet*; lib. 4. cap. 7. *oportet, ſi ſatis validæ vires ſunt; ſanguinem mittere: ſin minores, cucurbitulas &c.* cap. 20. *ſi ſatis virium eſt, ſanguis miſſus adjuvat: ſi parum eſt, cucurbitulæ &c.* lib. 5. cap. 26. ſect. 33. *oportet, ſi vires patiuntur, ſanguinem mittere: deinde &c.* lib. 6. cap. 6. *ſanguis mittendus eſt; utique ſi in fronte venæ tument, ſi firmo corpore materia ſupereſt*; lib. 8. cap. 9. *ſi vires patiuntur, ab eo brachio, quod ſuper eam coſtam eſt, ſanguis mittendus eſt: ſi non patiuntur, alvus tamen ſine ullo acri ducenda eſt.* Altera autem explicatio ponit quod eſſe non poteſt, ut materia non ſuperſit: cum in lib. 2. cap. 10. affirmetur, ſuperantem materiam utique lædere in angina, eoque nomine hunc morbum ſanguinis detractionem ſemper requirere. Obſtant præterea huic explicationi verba præcedentia, *ſi vires patiuntur*; quod Celſus non dixiſſet, ſi ſanguinem, tametſi vires paterentur, tamen niſi abundaret, mitti noluiſſet. Neutra igitur explicatio admittenda eſt. Lindenius, mutatis verbis & ſententia, leg. *etſi non abundat*; ſed ex his anguſtiis ſe expedire nequit, utravis ex allatis explicationibus utatur. Nam ſi explicat hoc modo: etſi materia non ſupereſt; eadem difficultas eſt atque in veteri lectione: ſi illo modo: etſi corpus infirmum eſt; hæc aperte pugnant cum præcedentibus, *ſi vires patiuntur*. Quæcumque alia hujus loci interpretatio afferatur, a ratione, quam Celſus conſtantiſſime ſecutus eſt, aliena invenietur. Sed fortaſſe, *ſi non abundat*, adnotatio quædam eſt olim margini adſcripta. Totus certe hic locus melius legitur, tribus iis verbis ſublatis.

90. *ſalis calidus ſuccus*) *ſalſus & calidus ſuccus*, dixit de eodem loquens lib. 2. cap. 17. Alii leg. *ſalis calidi ſuccus*, ut omnes fere habent Mſs. Codices: ego repoſui *calidus* ex Medic. I. Lindenius totum locum ita mutat: *Efficaciſſimumque eſt hic quoque, ſalem calidis cum ſaccellis ſuperponere*. Qua in lectione duo minus probanda videntur; alterum, quod Celſo tribuitur vox *ſaccellus*, qua alibi non utitur; alterum, quod his ſupra ſiccus ſal ſignificari videtur, cum ſupra ſicca fomenta damnentur.

91. *cum mulſa aqua*) Ita in Editione Lindenii, ſed omittitur *aqua*. Aliæ Edd. ut omnes Mſs. Codices, habent, *aut mulſam aquam*.

mento, quod ex moris eſt. Polline etiam piperis id recte reſpergitur [92]. Si per hæc parum proficitur, ultimum eſt, incidere ſatis altis plagis ſub ipſis maxillis ſupra collum, & in palato circa uvam [93], vel eas venas, quæ ſub lingua ſunt; ut per ea vulnera morbus erumpat. Quibus ſi non fuerit æger adjutus, ſcire licet, malo [94] victum eſſe. Si vero his morbus levatus eſt, jamque fauces & cibum & ſpiritum [95] capiunt, facilis ad bonam valetudinem recurſus eſt. Atque interdum natura quoque adjuvat, ſi ex anguſtiore ſede vitium tranſit in latiorem: itaque rubore & tumore in præcordiis orto, ſcire licet fauces liberari. Quidquid autem eas levarit, incipiendum eſt ab humidis, maximeque aqua mulſa decocta [96]: deinde aſſumendi molles & non acres cibi ſunt, donec fauces ad priſtinum habitum revertantur. Vulgo audio, ſi quis pullum hirundinis [97] ederit, angina toto anno non periclitari; ſervatumque eum ex ſale, cum is morbus urget, comburi, carbonemque ejus contritum in aquam mulſam, quæ potui datur, infriari [98], & prodeſſe. Id cum idoneos auctores ex populo habeat, neque habere quidquam periculi poſſit, quamvis in monumentis medicorum non legerim, tamen inſerendum huic operi meo credidi.

2. Eſt etiam circa fauces malum, quod apud Græcos aliud aliud-

92. *id recte reſpergitur*) Lindenius omittit *id*.

93. *in palato circa uvam*) Pro *circa*, in vetuſtis Editionibus, itemque in Codicibus Mediceis eſt, *citra*. Sed cum uva in extrema palati ora poſita ſit, quacumque parte in palato plagæ fiant, neceſſario conſequitur, fieri citra uvam. Videtur igitur *citra* mendum eſſe, & rectius in Edit. Lindenii, ut in margine Conſtantinianæ, legi, *circa*; quemadmodum paulo antea dixit; *cucurbitula quoque recte ſub mento, & circa fauces admovetur*. Codex quoque Medic. VI. habet *circa uvam*: qui, ſi ad lectionem Lindenii comprobandam non ſufficit, quia in III. unde ille deſcriptus eſt, habetur, *citra*; ſufficit tamen ad oſtendendum, in his particulis, *circa* & *citra*, a librariis facile variari. Variatur porro & lib. 8. cap. 10. ſect. 1.

94. *malo*) Linden. *a malo*. Sed ſine præpoſitione legitur etiam in Mſs. Mediceis.

95. *& ſpiritum*) Hæc verba referuntur ad ſuperiora, *ſpiritus ejus intercluditur*; & ita in omnibus Mſs. habentur. Lindenius leg. *& potum*.

96. *aqua mulſa decocta*) Lindenius expellit vocem *decocta*; ſed ego eam retineo, quod in Codicibus Mediceis invenerim. A tertio & ſexto abeſt vox *aqua*. Porro mulſa aqua & cruda, & decocta veteres Medicos uſos, manifeſtum eſt ex Dioſcoride lib. 5. cap. 17.

97. *pullum hirundinis*) In Editione Lindenii, & in Cod. Medic. I. *pullum hirundinum*; quod fortaſſe corruptum eſt ex *hirundininum*.

98. *infriari*) Olim vulgo legebatur, *infricari*. Sed cum Lindenio legendum, *infriari*, ut & Codex Mediceus I. habet.

aliudque [99] nomen habet, prout ſe intendit. Omne in difficultate ſpirandi conſiſtit: ſed hæc dum modica eſt, neque ex toto ſtrangulat, δύσπνοια appellatur: cum vehementior eſt, ut ſpirare æger ſine ſono & anhelatione non poſſit, ἆσθμα: cum acceſſit id quoque, ne niſi recta cervice ſpiritus trahatur, ὀρθόπνοια. Ex quibus id, quod primum eſt, poteſt diutius trahi [1]; duo inſequentia acuta eſſe conſuerunt. His communia ſunt: quod propter anguſtias, per quas ſpiritus evadit, ſibilum edit [2], dolor in pectore præcordiiſque eſt, interdum etiam in ſcapulis, iſque modo decedit, modo revertitur; ad hæc tuſſicula accedit. Auxilium eſt [3], niſi aliquid prohibet, in ſanguinis detractione. Neque id ſatis eſt, ſed lacte quoque [4] venter ſolvendus eſt. Liquanda alvus, interdum etiam ducenda; quibus extenuatum corpus incipit ſpiritum trahere commodius. Caput autem etiam in lecto ſublime habendum eſt: thorax fomentis, cataplaſmatiſque calidis, aut ſiccis, aut etiam humidis adjuvandus eſt; & poſtea vel malagma ſuperimponendum, vel certe ceratum [5] ex cyprino, vel irino unguen-

99. *aliud aliudque*) Sic lib. 3. cap. 21. *aliter aliterque*; lib. 5. cap. 26. ſect. 31. *aliis aliiſque*. Hic tamen variatur. Nam excepta Lindeniana & Codicibus Medic. I. & Vatic. VI. alii Codd. & Edd. habent, *aliud atque aliud*.

1. *poteſt diutius trahi*) Lindenius leg. *poteſt diu aliquem trahere*. Veterem tamen lectionem Codices Mſs. confirmant; niſi quod in Medic. I. eſt *diu*, pro *diutius*. Ac *trahi* eadem forma uſurpatur in lib. 7. cap. 26. ſect. 2. *ſi tantum mali ſubeſt, ut neque medicamentis vinci poſſit, neque etiam trahi poſſe videatur, quominus interpoſito aliquo ſpatio interimat*. Activa poſitione & ſignificatione verbum *traho* adhibetur cap. 16. hujus libri. Sæpius tamen neutrorum more conſtruitur; ac tum rei, tum perſonæ accomodatur: lib. 2. cap. 6. & cap. 8.

2. *ſibilum edit*) Ita ex Morgagni conjectura: cui non parum favent Codices Medicei I. & II. licet in iis quoque corrupta hæc verba ſint. Pro *edit*, primus habet *exit*; ſecundus, *edidit*; alii, ut communiter legebatur, *elidit*.

3. *Auxilium eſt*) Lindenius leg. *Auxilium vero eſt*.

4. *ſed lacte quoque &c.*) Veteres Edd. & Mſs. Codices nihil variant; præterquam quod in Medic. I. *quoque* iteratur hoc modo: *ſed lacte quoque venter quoque &c.* In Edit. Stephani eſt, *reſolvendus* pro *ſolvendus*. Sed tria verba, *venter ſolvendus eſt*, mihi videntur margini adſcripta fuiſſe ad interpretationem duorum proximorum, *liquanda alvus*. Nam alvum liquare, idem eſt atque ventrem ſolvere, purgare. Porro dicitur, lacte alvum ſeu ventrem liquare, purgare. Cap. 12. hujus libri, *ventrem ipſum liquare dato lacte, & vino ſalſo frigido*; & cap. 20. ſect. 2. *alvus quoque vel ducenda, vel lacte purganda eſt*; & cap. 24. *vel alvi ductione uti, vel lacte purgari*. Itaque hunc locum ſic legendum opinor: *ſed lacte quoque liquanda alvus; interdum etiam ducenda*. Lindenius leg. *ſed lac caprinum calidum jejuno dandum; &, ſi non febrit, venter ſolvendus eſt. Liquanda alvus &c.* Qui vitium auxiſſe potius mihi videtur, quam ſuſtuliſſe.

5. *vel certe ceratum*) Lindenius tollit *certe*. Recte fortaſſe: invenitur tamen in Mſs. Mediceis.

guento. Sumenda deinde jejuno potui mulſa aqua, cum qua vel hyſſopus cocta[6], vel contrita capparis radix ſit. Delingitur[7] etiam utiliter, aut nitrum, aut naſturtium album frictum[8], deinde contritum & cum melle miſtum: ſimulque coquuntur mel, galbanum, reſina terebinthina, & ubi[9] coierunt, ex his, quod fabæ magnitudinem habet, quotidie ſub lingua liquatur: aut ſulphuris ignem non experti p. X. =.[10] abrotoni p. X. in vini cyatho teruntur, idque tepefactum ſorbetur. Eſt etiam non vana opinio, vulpinum jecur, ubi ſiccum & aridum factum eſt, contundi oportere, polentamque[11] ex eo potioni aſpergi: vel ejuſdem

6. *potui mulſa aqua, cum qua vel hyſſopus cocta*) Lindenius leg. *in potum mulſa vel aqua &c.* In Mſs. eſt, *potui mulſa aqua*, ut alii legunt; quæ conſtructio improbanda non eſt, cum etiam lib. *6.* cap. *6.* habeatur: *ut nihil ſalſum, nihil acre, nihil ex iis, quæ extenuant, ſumatur, nihil potui præter aquam*. Notanda potius vox *hyſſopus* fœmineo genere; neque enim alia exempla apud hunc Auctorem occurrunt. Vſurpatur paſſim neutro genere. Tres voces, *ſumenda deinde jejuno*, quæ haſce antecedunt, deſunt in Mſs. Mediceis omnibus, excepto primo. Rurſus in hoc deſunt proximæ duæ, *cum qua*; in reliquis eſt, *cum aqua*, pro *cum qua*.

7. *Delingitur*) In Editione Lindenii & in Codice Medic. I. & in Vatic. VI. *deligitur*. Ego unius litterulæ additione, mihi videor Celſi verba reſtituiſſe. Frequenter autem verbum *delingo* apud eum occurrit, ut adnotavi ad lib. 3. cap. 21. Ignoſcent autem mihi, ut ſpero, vel ſeveriores Critici, quod in re clara parvam mutationem in textum induxerim ex conjectura. Alii leg. *Datur*.

8. *aut naſturtium album frictum*) Ita in Codice Medic. I. & in Edd. ann. 1478. 1493. 1497. Juntina, & Ruellii. Egnatius leg. *aut naſturcium, frictum allium*; alii, Cæſario duce, *aut naſturtium allium frictum*; Conſtantinus *aut* addendum putat & legendum, *aut allium frictum*. Lindenius reponit, *alliumve frictum*. Et quidem allium crudum aut coctum ſuſpirioſis tritum dari Plinius ſcribit lib. 20. cap. *6.* Sed varietatis cauſa in Mſs. Codicibus videtur fuiſſe, quod aliquis non intellexerit, quid valeret hoc loco vox *album*: itaque ex ea *allium* fecit, & tranſtulit poſt vocem proximam, ut cum *deinde* cohæreret, aliamque ſententiam inchoaret. Id mihi videntur indicare Codices Medic. II. III. VI. VII. in quibus hic locus ita legitur: *aut naſturcium frictum. Allium deinde &c.* In IV. & V. duæ voces, *Allium deinde*, cum aliquot ex ſequentibus deſunt. Porro naſturtii duæ ſpecies ſunt, album & nigrum, ut colligitur ex his Plinii verbis lib. cit. cap. 12. *Duo ejus genera: Alvum purgat, detrahit bilem potum in aqua X. pondere. Cum lomento ſtrumis illitum, opertumque braſſica, præclare medetur. Alterum eſt nigrius &c.* Vbi Hermolaus Barbarus *Album* legendum putat, pro *Alvum*. Quod ſi quis miratur, hic naſturtii albi mentionem fieri a Celſo, qui antea naſturtium ſæpe nominans, nihil de duplici illius genere ſignificaverit, non magis mirari debet, quam cum idem in *beta alba* factum videt lib. 3. cap. 24.

9. *& ubi*) Lindenius, *ubi autem*.

10. *p. X. =.*) id eſt pondo denarii ſextans. Vide quæ adnotantur ad lib. 5. cap. 17. ſect. 1. & cap. 18. ſect. 10. Sic autem habetur in Cod. Medic. I. In Codicibus reliquis ſex, *p. X. quadras*. Vulgo legitur *p. X. & quadrans*. Sed is ſulphuris modus, pro illorum temporum conſuetudine, nimius eſt. Quis igitur ferat, *pondo & quadrans*, ut quidam cum Egnatio legunt? id eſt libra cum quadrante. Ceterum Scribonius Largus Compoſit. 78. ſulphuri & abrotono nitrum adjicit, ac non ex vino, ſed ex aceto dat ſuſpirioſis.

11. *polentamque*) *polentamque*, aut *pulentamque* habent Codices Medicei. Lindenius reponit, *pollinemque*, ut eſt in margine Edit. Conſtantini. Sed nihil mutandum.

dem pulmonem quam recentiſſimum aſſum, ſed ſine ferro coctum, edendum eſſe. Præter hæc, ſorbitionibus & lenibus cibis utendum eſt; interdum vino tenui auſtero; nonnumquam vomitu. Proſunt etiam, quæcumque urinam movent [12]: ſed nihil magis, quam ambulatio lenta pene uſque ad laſſitudinem; frictio multa, præcipue inferiorum partium, vel in ſole, vel ad ignem, & per ſeipſum, & per alios, uſque ad ſudorem.

3. In interiore vero faucium parte interdum exulceratio eſſe conſuevit. In hac plerique extrinſecus cataplaſmatis calidis, fomentiſque humidis utuntur: volunt etiam vaporem calidum ore recipi: per quæ [13] molliores alii partes eas fieri dicunt, opportunioreſque vitio jam hærenti. Sed, ſi bene vitari frigus poteſt [14], tuta illa præſidia; ſi metus ejus eſt, ſupervacua ſunt. Vtique autem perfricare fauces periculoſum eſt: exulcerat enim. Neque utilia ſunt, quæ urinæ movendæ ſunt [15]; quia poſſunt, dum tranſeunt, ibi quoque pituitam extenuare, quam ſupprimi melius eſt. Aſclepiades multarum rerum, quas ipſi quoque ſecuti ſumus, auctor bonus, acetum ait quam acerrimum eſſe ſorbendum: hoc enim ſine ulla noxa comprimi ulcera. Sed id ſupprimere ſanguinem poteſt [16], ulcera ipſa ſanare non poteſt. Melius huic rei lycium eſt; quod idem quoque æque probat: vel porri, vel marrubii ſuccus, vel nuces Græcæ cum tragacantho contritæ & cum paſſo miſtæ [17], vel lini ſemen contritum & cum dulci vino miſtum. Exercitatio quoque ambulandi currendique neceſſaria eſt: frictio a pectore vehemens toti inferiori parti adhibenda. Cibi vero eſſe debent, neque nimium acres, neque aſperi; mel,

12. *quæcumque urinam movent*) Ita edidit Lindenius; & ita quidem Celſus loqui ſolet. Veteres tamen Editiones cum Codicibus Mſs. habent, non *movent*, ſed *augent*. Conſtantinus *agunt* legendum putat; alii, ut ipſe ſcribit, leg. *urgent*.

13. *per quæ*) Lindenius, *per quem*.

14. *vitari frigus poteſt*) Sic hunc locum reſtitui ex Codice Mediceo vetuſtiori. Antea legebatur: *ſic vitari morbus poteſt;* ſed minus recte. Non enim agitur, quemadmodum aliquis ab hoc morbo cavere, ſed quomodo ab illo jam hærente ſe liberare poſſit.

15. *quæ urinæ movendæ ſunt*) Vulgo additur *apta;* ex gloſſemate, ut ego opinor. Itaque eam vocem ſuſtuli ex fide Codicis Medicei modo allati. Ita Celſus locutus eſt cap. 9. hujus libri, *omniaque in cibis & potionibus*, *quæ urinæ movendæ ſunt*; & alibi quoque.

16. *ſupprimere ſanguinem poteſt*) In Cod. Mediceo I. non eſt verbum *poteſt*; neque deinde adverbium *æque*.

17. *& cum paſſo miſtæ*) Hoc totum deeſt in allato Codice.

mel, lenticula, tragum, lac, ptiſana, pinguis caro [18], præcipueque porrum, & quidquid cum hoc miſtum eſt. Potionis quam minimum eſſe convenit. Aqua dari poteſt, vel pura, vel in qua malum cotoneum, palmulæve decoctæ ſunt. Gargarizationes quoque lenes; ſin hæ parum proficiunt, reprimentes utiles ſunt. Hoc genus neque acutum eſt, & poteſt eſſe non longum: curationem tamen maturam, ne vehementer & diu lædat, deſiderat.

4. Tuſſis vero fere propter faucium exulcerationem moleſta [19] eſt; quæ multis modis contrahitur [20]. Itaque, illis reſtitutis, ipſa finitur. Solet tamen interdum per ſe quoque male habere; & vix, cum vetus facta eſt, eliditur. Ac modo arida eſt, modo pituitam citat [21]. Oportet [22] hyſſopum altero quoque die bibere; ſpiritu retento currere, ſed minime in pulvere; ac lectione uti vehementi, quæ primo impeditur a tuſſi, poſt eam vincit: tum ambulare: deinde per manus quoque exerceri, & pectus diu perfricare: poſt hæc quam pinguiſſimæ ficus uncias tres, ſuper prunam incoctas, eſſe. Præter hæc, ſi humida eſt, proſunt frictiones validæ, cum quibuſdam calefacientibus, ſic, ut caput quoque ſimul [23] vehementer perfricetur: item cucurbitulæ pectori admotæ; ſinapi ex parte exteriore faucibus impoſitum, donec leviter exulceret; potio ex mentha, nucibuſque Græcis & amylo; primoque aſſumptus panis aridus, deinde aliquis cibus lenis. At ſi ſicca tuſſis eſt, cum ea [24]

18. *pinguis caro*) Quidam cum Egnatio legunt, ut eſt in multis Mſs. *pinguis quoque caro*. In Codicibus Medic. I. & Vatic. VI. non eſt *quoque*; in Mediceis III. & VI. legitur, *pinguiſque caro*.

19. *moleſta*) Hæc vox deeſt in Cod. Medic. I.

20. *quæ multis modis contrahitur*) Hæc verba Celſi eſſe non videntur. Neque enim cohæret oratio, & ſententia quamvis vera ſit, tamen huc non facit; cum Celſus de ea tuſſi loquatur, quæ fit propter faucium exulcerationem; ideoque membrum proximum, *itaque*, cum antecedentibus verbis, *moleſta eſt*, conjungendum eſt, ne ſententia abrumpatur. Deinde quinam ſunt multi iſti modi, quibus tuſſis contrahitur? cur non explicantur, ſi quidem ad rem pertinebat id commemorare?

21. *pituitam citat*) movet; quemadmodum Caſaubonus explicat ex his verbis cap. 6. hujus libri: *pejus id genus eſſe tuſſis quod nihil, quam quod pituitam moveret*: recteque monet, Celſum eodem modo dicere *pus citet* lib. 5. cap. 26. ſect. 27. Lindenius leg. *pituitam facit vel citat*; ex gloſſemate procul dubio, ſi ita in Codice aliquo invenit. Codices noſtri ab antiquis Edd. non variant.

22. *Oportet*) In Edit. Lindenii: *Oportet autem*.

23. *caput quoque ſimul*) Ante Lindenium legebatur: *caput quoque ſiccum*; ut eſt in Mſs. Mediceis. Sed vox *ſiccum* fortaſſe orta eſt ex duabus præcedentibus, *ſic ut*, perperam repetitis.

ea [24] vehementiſſime urget, adjuvat vini auſteri cyathus aſſumptus, dum ne amplius id, interpoſito tempore aliquo, quam ter aut quater fiat: item laſeris quam optimi paulum devorare opus eſt; porri vel marrubii ſuccum aſſumere; ſcillam delingere; acetum ex ea, vel certe acre [25] ſorbere, aut cum ſpica allii contriti duos vini cyathos. Vtilis etiam in omni tuſſi eſt peregrinatio, navigatio longa, loca maritima, natationes: cibus interdum mollis, ut malva, ut urtica; interdum acer, ut lac cum allio coctum: ſorbitiones, quibus laſer ſit adjectum, aut in quibus porrum incoctum tabuerit: ovum ſorbile [26], ſulphure adjecto: potui primum aqua calida, deinde invicem aliis diebus hæc, aliis vinum.

5. Magis terreri poteſt aliquis, cum ſanguinem exſpuit: ſed id modo minus, modo plus periculi habet. Exit modo [27] ex gingivis, modo ex ore: & quidem ex hoc interdum etiam copioſe, ſed ſine tuſſi, ſine ulcere, ſine gingivarum ullo vitio; ita ut nihil exſcreetur: verum ut ex naribus aliquando, ſic ex ore [28] prorumpit. Atque interdum ſanguis profluit, interdum ſimile aquæ quiddam, in qua caro recens lota eſt. Nonnumquam autem is a ſummis faucibus fertur, modo exulcerata ea parte, modo non exulcerata; ſed aut ore venæ alicujus adaperto, aut tuberculis quibuſdam natis, exque his [29] ſanguine erumpente. Quod ubi incidit, neque lædit potio aut cibus, neque quidquam, ut ex ulcere, exſcreatur. Aliquando vero, gutture & arteriis exulceratis, frequens tuſſis ſanguinem quoque extundit: interdum etiam fieri ſo-

 let,

24. *ea*) Abeſt hæc vox a Cod. Medic. I. a ceteris non abeſt.

25. *acre*) Contra vox hæc abeſt a Codicibus Mediceis ceteris; non abeſt a primo. Eſt autem ita neceſſaria, ut duæ præcedentes, *vel certe*, ſine hac ſtare non poſſint. Senſus eſt: vel acetum ex ſcilla, quod acerrimum eſt, ſorbendum eſſe, vel aliud quod acre ſit.

26. *ovum ſorbile &c.*) Lindenius leg. *Ovum quoque ſorbile, ſulphure adjecto, ſorbeatur. In potum vero primum aqua calida, deinde invicem aliis diebus hæc, aliis vero vinum.* Vetus lectio comprobatur teſtimonio tum Mediceorum, tum Vaticanorum Codicum. Si lectio Lindenii Codicem aliquem auctorem habet, facile quiſque intelligit, haud magni faciendum eſſe Codicem illum.

27. *periculi habet. Exit modo*) Poſt *Exit* vulgo additur, *enim;* quod non eſt in Mſs. Mediceis, niſi in primo a Palavicino, & inde in quarto. Sed in primo hæc verba recte habent; non item in aliis, in quibus eſt, *periculi habuit exitu. Et modo.*

28. *ut ex naribus aliquando, ſic ex ore*) Alii leg. *ut ex naribus, ſic aliquando ex ore.* Ego ſecutus ſum Codicem Mediceum primum.

29. *exque his*) Ita emendavi, cum in Cod. Medic. I. invenerim, *ex quibus his*. Alii leg. *ex his*. Lindenius, *ex hiſque*, ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ.

let, ut aut ex pulmone, aut ex pectore, aut ex latere, aut ex jocinore feratur: ſæpe fœminæ, quibus ſanguis per menſtrua non reſpondet, hunc exſpuunt. Auctoreſque medici ſunt [30], vel exeſa [31] parte aliqua ſanguinem exire, vel rupta, vel ore alicujus venæ patefacto. Primam διάβρωσιν, ſecundam ῥῆξιν [32], tertiam ἀναστόμωσιν appellant. Vltima minime nocet; prima graviſſime. Ac ſæpe quidem evenit, uti ſanguinem pus ſequatur. Interdum autem, qui ſanguinem ipſum ſuppreſſit, ſatis ad valetudinem profuit. Sed ſi ſecuta ulcera ſunt, ſi pus, ſi tuſſis eſt, prout ſedes ipſa eſt, ita varia & periculoſa genera morborum ſunt [33]. Si vero ſanguis tantum fluit, expeditius & remedium & finis eſt. Neque ignorari oportet, eis, quibus fluere ſanguis ſolet, aut quibus ſpina dolet, coxæve, aut poſt curſum vehementem vel ambulationem, dum febris abſit, non eſſe inutile ſanguinis mediocre profluvium: idque per urinam redditum ipſam quoque laſſitudinem ſolvere: ac ne in eo quidem terribile eſſe, qui ex ſuperiore loco decidit; ſi tamen in ejus urina nihil novavit [34]: neque vomitum hujus afferre periculum, etiam cum repetit, ſi ante confirmare & implere corpus licuit: & ex toto nullum nocere, qui in corpore robuſto, neque nimius eſt, neque tuſſim aut calorem movet. Hæc pertinent ad univerſum: nunc ad ea loca, quæ propoſui, veniam. Si ex gingivis exit, portulacam manducaſſe ſatis eſt. Si ex ore, continuiſſe eo merum vinum: ſi id parum proficit, acetum. Si inter hæc quoque graviter erumpit, quia conſumere hominem poteſt, commodiſſimum eſt, impetum ejus, admota occipitio cucurbitula, ſic, ut cutis quoque incida-

tur,

30. *Auctoreſque medici ſunt*) Alii leg. *Auctoreſque medici fuerunt*; Lindenius, *ferunt*; ut malebat Conſtantinus, qui etiam *vetereſque*, pro *auctoreſque*, legendum putabat. Codices Medicei ceteri habent, *hi ſunt*; Codex primus & Editio prima, *ſunt*, & quidem recte. Ita lib. 3. cap. 21. *Auctoreſque multi ſunt, inflatis veſicis pulſandos tumores eſſe*; i. e. proponunt.

31. *exeſa*) In Mſs. Mediceis, & in Edd. Cæſariana, Juntina, & tribus vetuſtiſſimis 1478. 1493. 1497. legitur, *ex ea*. Sed recte alii ex Aldina leg. *exeſa*.

32. *ῥῆξιν*) Sic repoſui ex Mſs. Mediceis; quorum quinque habent, PHZIN, primus & quartus, PHΞINCXOCMON; ſed quartus ab alia manu. Vocem autem CXOCMON adſcitam ex margine exiſtimo, ubi aliquis eam adſcripſerat, & fortaſſe non contra ῥῆξιν ſed contra proximam vocem ἀναστόμωσιν. In Editionibus priſcis eſt, rheſinochaſmum. Alii cum Egnatio & Cæſario leg. ῥηγμοχασμὸν: unde hæc vox in Stephani & Scapulæ Lexica recepta eſt. Sed certiore auctoritate indiget.

33. *ſunt*) Lindenius, *fiunt*.

34. *nihil novavit*) Ita in Cod. Medic. I. Alii leg. *nihil novabit*; Pantinus & Lindenius, *nihil aliud novabit*, ut eſt in Edit. an. 1538.

tur, avertere. Si id mulieri, cui menſtrua non feruntur, evenit, eamdem cucurbitulam, inciſis inguinibus ejus, admovere. At ſi ex faucibus, interioribuſve partibus proceſſit, & metus major eſt, & cura major adhibenda. Sanguis mittendus eſt; & ſi nihilominus ex ore proceſſit, iterum tertioque, & quotidie paulum aliquid: protinus autem debet ſorbere vel acetum, vel cum thure [35] plantaginis aut porri ſuccum; imponendaque extrinſecus ſupra id, quod dolet, lana ſuccida ex aceto eſt, & id ſpongia ſubinde refrigerandum. Eraſiſtratus horum crura quoque & femora brachiaque pluribus locis deligabat. Id Aſclepiades, adeo non prodeſſe, etiam inimicum eſſe propoſuit. Sed id ſæpe commode reſpondere experimenta teſtantur. Neque tamen pluribus locis deligari neceſſe eſt: ſed ſat eſt infra inguina, & ſuper talos, ſummoſque humeros, etiam brachia. Tum, ſi febris urget, danda eſt ſorbitio, & potui aqua, in qua aliquid ex iis, quæ alvum adſtringunt, decoctum ſit: at ſi abeſt febris, vel elota alica, vel panis ex aqua frigida, & molle quoque ovum dari poteſt; potui, vel idem, quod ſupra ſcriptum eſt, vel vinum dulce, vel aqua frigida. Sed ſic bibendum erit, ut ſciamus, huic morbo ſitim prodeſſe. Præter hæc neceſſaria ſunt quies, ſecuritas, ſilentium. Caput hujus quoque cubantis ſublime eſſe debet; recteque tondetur. Facies ſæpe aqua frigida fovenda eſt. At inimica ſunt vinum, balneum, venus, in cibo oleum, acria [36] omnia, item calida fomenta, conclave calidum & incluſum, multa veſtimenta corpori injecta, etiam frictiones. Vbi bene ſanguis conquievit, tum vero [37] incipiendum eſt a brachiis, cruribuſque; a thorace abſtinendum. In

35. *vel cum thure*) Alii omnes leg. *vel etiam cum thure*. Ego ſecutus ſum Codicem Mediceum primum & hic, & infra in his verbis, *etiam inimicum eſſe*, quæ communiter ſic leguntur: *ut etiam inimicum eſſet*.

36. *acria*) *aqua* habet Cod. Medic. I. pro *acria*, quod alii Codices habent. Aliqui cum Cæſario leg. *acriora*.

37. *etiam frictiones. Vbi bene ſanguis conquievit, tum vero*) Sic locum hunc mutata interpunctione reſtitui. Nam alii ita verba diſtinguunt: *etiam frictiones ubi bene etiam ſanguis conquievit. Tum vero*. Quod ad ipſa verba attinet, Codices Medicei III. & VI. habent, *ubi vero ſanguis conquievit*; II. IV. V. VII. *ubi bene ſanguis conquievit;* quæ lectio ſatis proba eſt. Sed cum in Codice vetuſtiori ſit, *ubi bene etiam ſanguis conquievit*, ſi particula *etiam* perperam repetita non eſt ex verbis antecedentibus, fortaſſe legendum eſt, *Vbi bene jam ſanguis conquievit;* quemadmodum cap. 13. hujus libri: *facile id malum . . . . . niſi bene jam confirmatis inteſtinis, revertitur*. Lindenius leg. *etiam fricationes, niſi ubi bene ſanguis conquievit. Tum vero*.

hoc caſu per hiemem, locis maritimis; per æſtatem, mediterraneis opus eſt.

V. Faucibus ſubeſt ſtomachus; in quo plura longa vitia incidere conſuerunt. Nam modo ingens calor, modo inflatio hunc, modo inflammatio [38], modo exulceratio afficit: interdum pituita, interdum bilis oritur [39]: frequentiſſimumque ejus malum eſt, quo reſolvitur; neque ulla re magis aut afficitur, aut corpus afficit. Diverſa autem, ut vitia ejus, ſic etiam remedia ſunt. Vbi exæſtuat, aceto cum roſa extrinſecus ſubinde fovendus eſt; imponenduſque pulvis cum oleo; & ea cataplaſmata, quæ ſimul & reprimunt, & emòlliunt [40]. Potui, niſi quid obſtat, gelida aqua præſtanda. Si inflatio eſt, proſunt admotæ cucurbitulæ; neque incidere cutem neceſſe eſt: proſunt ſicca & calida fomenta, ſed non vehementiſſima. Interponenda abſtinentia eſt. Vtilis in jejuno potio eſt abſinthii, aut hyſſopi, aut rutæ. Exercitatio primo lenis, deinde major adhibenda eſt; maximeque, quæ ſuperiores partes moveat: quod genus in omnibus ſtomachi vitiis aptiſſimum eſt. Poſt exercitationem opus eſt unctione, frictione; balneo quoque nonnumquam, ſed rarius; interdum alvi ductione; cibis deinde calidis, neque inflantibus; eodemque modo calidis potionibus, primo aquæ, poſt, ubi reſedit inflatio, vini auſteri. Illud quoque in omnibus ſtomachi vitiis præcipiendum eſt, ut, quo modo ſe quiſque æger refecerit, eo [41] ſanus utatur: nam redit huic imbecillitas ſua, niſi iiſdem defenditur bona valetudo, quibus reddita eſt. At ſi inflammatio aliqua eſt, quam fere tumor & dolor ſequitur, prima ſunt quies & abſtinentia [42], lana ſulphurata circumdata, in jejuno abſinthium. Si ardor ſtomachum urget, aceto cum roſa ſubinde fovendus eſt: deinde cibis quidem uten-

38. *hunc, modo inflammatio*) Hæ tres voces deſunt in nonnullis Mſs.

39. *oritur*) Lindenius leg. *adoritur*. Sed *oritur* recte habent Editiones vetuſtæ, & Codices Mſs. Infra vero Codex Medic. I. *Diverſa autem, ut vitia ejus*, melius quam, ut alii Codices & omnes Editiones, *Vt diverſa autem vitia ejus*.

40. *emolliunt*) Ita in Cod. Medic. I. ut & paulo infra. Alii utrobique, *molliunt*. Celſus modo *mollire* adhibet, modo *emollire*, ut apparet ex cap. 23. lib. 2.

41. *eo*) In vetuſtis Edd. & in Cod. Mediceo I. eſt, *eo ut*; mendoſe. Lindenius reponit, *eodem*; ego, *eo*, ut in multis Mſs. inveni. Niſi quis putat, *ut* corruptum eſſe ex *&* vel *etiam*; legendumque, *eo etiam ſanus utatur*.

42. *& abſtinentia*) Particula *&* abeſt a Cod. Mediceo I.

utendum eſt modicis; imponenda vero extrinſecus quæ ſimul & reprimunt & emolliunt: deinde, his detractis, utendum calidis ex farina cataplaſmatis, quæ reliquias digerant: interdum alvus ducenda: adhibenda exercitatio, & cibus plenior. At ſi exulceratio ſtomachum infeſtat [43], eadem fere facienda ſunt, quæ in faucibus exulceratis præcepta ſunt. Exercitatio, frictio inferiorum partium adhibenda; adhibendi lenes & glutinoſi cibi, ſed citra ſatietatem; omnia acria atque acida removenda; vino, ſi febris non eſt, dulci, aut, ſi id inflat, certe leni utendum; ſed neque perfrigido, neque nimis calido. Si vero pituita ſtomachus impletur, neceſſarius modo in jejuno, modo poſt cibum vomitus eſt: utilis exercitatio, geſtatio, navigatio, frictio: nihil edendum, bibendumque, niſi calidum; vitatis tantum iis, quæ pituitam contrahere conſuerunt. Moleſtius eſt, ſi ſtomachus bile vitioſus eſt. Solent autem ii, qui ſic tentantur, interpoſitis quibuſdam diebus, hanc, & quidem, quod peſſimum eſt, atram vomere. His recte alvus ducitur: potiones ex abſinthio dantur: neceſſaria geſtatio, navigatio eſt; ſi fieri poteſt [44], ex nauſea vomitus: vitanda cruditas: ſumendi cibi faciles & ſtomacho non alieni, vinum auſterum. Vulgatiſſimum vero peſſimumque ſtomachi vitium eſt reſolutio, id eſt cum cibi non tenax eſt, ſoletque deſinere ali corpus, ac ſic tabe conſumi. Huic generi inutiliſſimum balneum eſt; lectiones, exercitationeſque ſuperioris partis neceſſariæ; item unctiones, frictioneſque. His [45] perfundi frigida, atque in eadem natare; canalibus ejuſdem ſubjicere etiam ſtomachum ipſum, & magis etiam a ſcapulis id quod contra ſtomachum eſt; conſiſtere in frigidis, medicatiſque fontibus, quales Cutiliarum Sumbruinarumque [46] ſunt, ſalutare eſt. Cibi quoque aſſumendi ſunt frigidi, qui potius difficulter coquuntur, quam facile vitiantur. Ergo pleríque, qui nihil aliud concoquere poſſunt, bubulam coquunt. Ex

quo

43. *ſi exulceratio ſtomachum infeſtat*) In Cod. Mediceo I. legitur: *ſi ulcera ſtomachum infeſtant*; & fortaſſe rectius.

44. *navigatio eſt; ſi fieri poteſt*) Al. *navigatio, & ſi fieri poteſt*.

45. *His*) Editio Cæſarii an. 1528. habet, *hinc vel ab iis*; Ruellii aliæque, *hinc*. Sed Editiones vetuſtiſſimæ & omnes Codices Mſs. *his*, vel *iis*.

46. *Sumbruinarumque*) Quidam Cæſarium ſecuti leg. *Subcutiliarumque*. Lindenius reſtituit, *Sumbruinarumque*, ut habent cum Codicibus Mediceis Editio prima & aliæ pervetuſtæ.

quo colligi poteſt, neque avem, neque venationem, neque piſcem dari debere, niſi generis durioris. Potui quidem aptiſſimum eſt vinum frigidum, vel certe bene calidum, meracum, potiſſimum Rheticum, vel Allobrogicum, aliudve, quod & auſterum & reſina conditum eſt; ſi id non eſt, quam aſperrimum, maximeque Signinum. Si cibus non continetur, danda aqua, & eliciendus plenior vomitus eſt, iterumque dandus cibus; & tum admovendæ duobus infra ſtomachum digitis cucurbitulæ, ibique duabus aut tribus horis continendæ ſunt. Si ſimul & vomitus, & dolor eſt, imponenda ſupra ſtomachum eſt lana ſuccida, vel ſpongia ex aceto, vel cataplaſma, quod refrigeret: perfricanda vero non diu, ſed vehementer brachia & crura, & calefacienda. Si plus doloris eſt, infra præcordia quatuor digitis cucurbitula utendum eſt; & protinus [47] dandus panis ex poſca frigida: ſi non continuit, poſt vomitum leve aliquid ex iis, quæ non aliena ſtomacho ſint: ſi ne id quidem tenuit, ſinguli cyathi vini, ſingulis interpoſitis horis, donec ſtomachus conſiſtat. Valens etiam medicamentum eſt, radiculæ ſuccus: valentius, acidi Punici mali, cum pari modo ſucci, qui ex dulci Punico malo eſt, adjecto etiam intubi ſucco, & menthæ, ſed hujus minima parte; quibus tantumdem, quantum in his omnibus eſt, aquæ frigidæ quam optime miſcetur. Id enim plus quam vinum ad comprimendum ſtomachum poteſt [48]. Supprimendus autem vomitus eſt, qui per ſe venit, etſi nauſea eſt [49]. Sed ſi coacuit intus cibus, aut computruit, quorum utrumlibet ructus oſtendit, ejiciendus eſt; protinuſque, cibis aſſumptis iiſdem, quos

47. *& protinus*) Particulam *&* reſtitui ex Cod. Medic. I.

48. *Id enim plus quam vinum ad comprimendum ſtomachum poteſt*) Non video, quorſum hæc addantur, & quomodo cum præcedentibus cohæreant. Fortaſſe inſititia ſunt.

49. *etſi nauſea eſt*) Editiones vetuſtæ & Codices Mſs. habent: *ſic ſi nauſea eſt*. Num igitur, ſi nauſea non eſt, ſupprimendus vomitus non erit? Quid abſurdius dici poteſt? Pro *ſic ſi*, Lindenius accedens Conſtantino, qui *ſic*, *etſi* legendum conjecerat, repoſuit, *etſi*; ac ſententia videtur talis eſſe: vomitus, qui per ſe venit (*nolentium vomitus* dicitur in lib. 1. cap. 8.) medicamentis ſupprimendus eſt, etiamſi cibus, qui per illa continetur, nauſeam parit: ſed ſi coacuit intus cibus, aut computruit, ejiciendus eſt. Attamen eſt in hac quoque ſententia, quod non omnino probemus: &, ut libere dicam quod ſentio, ne ſic quidem Celſi verba reſtituta exiſtimo. Ita fortaſſe legendus eſt hic locus: *Supprimendus autem vomitus eſt, qui per ſe venit* (id eſt ſine nauſea, ut fere evenit in hoc morbi genere); *ſed ſi nauſea eſt, & ſi coacuit intus cibus aut computruit, quorum utrumlibet ructus oſtendit, ejiciendus eſt*. Sed ſine Codicum auctoritate nihil affirmare auſim.

quos proxime poſui, ſtomachus reſtituendus. Vbi ſublatus eſt præſens metus, ad ea redeundum eſt, quæ ſupra præcepta ſunt.

VI. Stomachus lateribus cingitur; atque in his quoque vehementes dolores eſſe conſuerunt. Et initium [50] vel ex frigore, vel ex ictu, vel ex nimio curſu, vel ex morbo eſt: ſed interdum id malum intra dolorem eſt, iſque modo tarde, modo celeriter ſolvitur; interdum ad perniciem quoque procedit, oriturque acutus morbus, qui πλευριτικὸς a Græcis nominatur. Huic dolori lateris, febris & tuſſis accedit: & per hanc exſcreatur, ſi tolerabilis morbus eſt, pituita; ſi gravis, ſanguis. Interdum etiam ſicca tuſſis eſt, quæ nihil emolitur: idque primo vitio gravius, ſecundo tolerabilius eſt. Remedium vero eſt magni & recentis doloris, ſanguis miſſus. At, ſive levior, ſive vetuſtior caſus eſt, vel ſupervacuum, vel ſerum id auxilium eſt; confugiendumque ad cucurbitulas eſt, ante ſumma cute inciſa. Recte etiam ſinapi ex aceto ſuper pectus imponitur, donec ulcera puſtulaſque excitet; & tum medicamentum, quod humorem illuc citet. Præter hæc, circumdare primum oportet latus hapſo lanæ ſulphuratæ [51]: deinde, cum paulum inflammatio ſe remiſit, ſiccis & calidis fomentis uti. Ab his tranſitus ad malagmata eſt. Si vetuſtior dolor remanet, noviſſime reſina impoſita diſcutitur. Vtendum cibis potionibuſque calidis; vitandum frigus: inter hæc tamen non alienum eſt extremas partes oleo & ſulphure perfricare. Si levata tuſſis eſt, leni lectione uti; jamque & acres cibos, & vinum meracius aſſumere. Quæ a medicis præcipiuntur, ut tamen [52] ſine his ruſticos noſtros epo-

50. *Et initium*) Fortaſſe tollenda eſt particula *Et*; ſed tamen ferri poteſt, atque invenitur in Edd. vetuſtis & in Mſs. Mediceis. Pro *Et*, Lindenius reponit, *Eorum*.

51. *latus hapſo lanæ ſulphuratæ*) Aliqui cum Cæſario leg. *latus ipſum lana ſulphurata*. Sed retinenda eſt vetus lectio, a Lindenio jam revocata; quam & quidam Conſtantini Codex & Medicei omnes confirmant. Medicei hoc quidem loco habent, *abſo*: libro autem 7. cap. 26. ſect. 4. recte *hapſus* cum adſpiratione; ad quem locum vide animadverſionem Caſauboni apud Almeloveenium.

52. *Quæ a medicis præcipiuntur, ut tamen &c.*) Hæc conſtructio videtur diſplicuiſſe Lindenio, qui ſic mutavit: *Quæ ita a Medicis præcipiuntur. Attamen &c.* ſed libris antiquis repugnantibus. Hoc loco *ut* valet *ita ut*. Idem Lindenius reliqua hujus periodi verba ita edidit: *ſine his ruſticos noſtros epota ex aqua trixago ſatis adjuvare dicitur*. Alii habent, *herba trixago*, & *adjuvet*; ut ego in Mſs. inveni. In aliquibus ſcribitur, *trixaquo*, ut in Mediceo primo; in aliis, *trixaco*; in aliis, quos inter eſt Mediceus tertius, *trixago*; ſed omnes habent vocem *herbæ*. Sic lib. 6. cap. 9. *agreſtium* ex-

epota ex aqua herba trixago ſatis adjuvet. Hæc in omni lateris dolore communia ſunt: plus negotii eſt, ſi acutus quoque morbus is factus eſt. In hoc, præter ea, quæ ſupra poſita ſunt, hæc animadvertenda ſunt: ut cibus ſit quam maxime tenuis & lenis, præcipueque ſorbitio, eaque ex ptiſana potiſſimum, aut jus in quo porrus cum pullo gallinaceo coctus ſit; idque non niſi tertio quoque die detur [53], ſi tamen per vires licebit: potui vero aqua mulſa, in qua hyſſopum, aut ruta decocta ſit. Quæ quibus temporibus danda ſint, ex ratione vel adauctæ, vel levatæ febris apparebit, ſic, ut in remiſſione quam maxima dentur: cum eo tamen, ut ſciamus, non eſſe ejus generis tuſſi aridas fauces committendas: ſæpe enim, ubi nihil eſt, quod exſcreetur, continuatur, & ſtrangulat. Ob quam cauſam dixi etiam pejus id genus eſſe tuſſis, quod nihil, quam quod pituitam moveret. Sed hic [54] vinum ſorbere, ut ſupra præcepimus, morbus ipſe non patitur: in vicem ejus, cremor ptiſanæ ſumendus eſt. Vt his autem in ipſo morbi fervore ſuſtinendus æger eſt, ſic, ubi paulum is ſe remiſit, alimenta pleniora, & vini quoque aliquid dari poteſt; dum nihil detur, quod aut refrigeret corpus, aut fauces aſperet [55]. Si in refectione quoque [56] manſerit tuſſis, intermittere oportebit uno die; poſteroque, cum cibo vini paulo plus aſſumere. Atque incipiente quoque tuſſi [57], tum non erit alienum, ut ſupra quoque poſitum eſt,

experimento cognitum eſt, cum dens dolet, herbam mentaſtrum cum ſuis radicibus evelli debere &c. Neque tamen negaverim, *herba* potuiſſe irrepere ab interpretatione. Fortaſſe legendum: *Quæ a medicis præcipiuntur. Attamen . . . . . ex aqua trixago ſatis adjuvat.*

53. *non niſi tertio quoque die detur*) Cap. proximo: *hæc autem altero quoque die, increſcente morbo, dari ſatis eſt.* Lindenius leg. *non niſi tertio die detur*; deceptus fortaſſe aliquo deteriore Codice; quandoquidem & Vaticanus I. habet, *non niſi terno die detur*.

54. *hic*) in hoc morbo. *his* in Edit. Almeloveen. mendum librarium eſt, ut opinor.

55. *fauces aſperet*) Fortaſſe legendum, *exaſperet*; hujuſque verbi prima ſyllaba latet ſub ſimili extrema vocis antecedentis *fauces*; quemadmodum in his vocibus capitis ſuperioris, *potiones ex abſinthio dantur* (ut ego aliique quidam legunt cum Cæſario) præpoſitio *ex*, quæ in Mſs. Mediceis & in Editionibus antiquiſſimis non extat, latere videtur ſub ultima ſyllaba vocis, *potiones*. Profecto verbum *aſperare* alibi non invenitur apud Celſum; quamvis adjectivum *aſperatus* ſit in lib. 6. cap. 6. ſect. 26. At *exaſperare* paſſim occurrit: ac fauces exaſperare, utique & vomitum dixit lib. 1. cap. 3. & Aquilonem lib. 2. cap. 1. & humorem de capite deſtillantem lib. 4. cap. 2. ſect. 4.

56. *quoque*) Lindenius, *vero*.

57. *Atque incipiente quoque tuſſi*) Non ſolum cum cibo aſſumendum vinum, verum etiam hujus cyathi ſorbendi, cum tuſſis incipit, id eſt cum urget. Tuſſis enim non continenter, ſed idemtidem urget & moleſta ſit. Ita explicandus hic locus vide-

eſt, vini cyathos ſorbere: ſed in hoc genere valetudinis, dulce, vel certe lene commodius eſt. Si malum inveteravit, athletico victu corpus firmandum eſt.

VII. A compagine corporis ad viſcera tranſeundum eſt; & in primis ad pulmonem veniendum; ex quo vehemens & acutus morbus oritur, quem περιπνευμονικὸν [58] Græci vocant. Ejus hæc conditio eſt: pulmo totus afficitur: hunc caſum ejus ſubſequitur tuſſis, bilem vel pus trahens, præcordiorum totiuſque pectoris gravitas, ſpiritus difficultas, magnæ febres, continua vigilia, cibi faſtidium, tabes. Id genus morbi plus periculi quam doloris habet. Oportet, ſi ſatis validæ vires ſunt, ſanguinem mittere: ſin minores, cucurbi-tulasſine ferro præcordiis admovere. Tum, ſi [59] ſatis valet, geſtando ægrum, digerere: ſi parum, intra domum tamen dimovere. Potionem autem hyſſopi dare, cum quo [60] ficus arida ſit incocta; aut aquam mulſam, in qua vel hyſſopum vel ruta decocta ſit: frictione uti diutiſſime in ſcapulis, proxime ab

detur ex verbis ſequentibus, *ut ſupra quoque poſitum eſt*; quibus indicatur locus quidam hujus libri cap. 4. ſect. 4. ubi Celſus ita ſcribit: *ſi ſicca tuſſis eſt, cum ea vehementiſſime urget, adjuvat vini auſteri cyathus aſſumptus, dum ne amplius id, interpoſito tempore aliquo, quam ter aut quater fiat*. Atque eum locum indicari, illud etiam aperte ſignificat, quod cum ibi vinum auſterum ſumendum præcipiatur, hic ſubjicitur: *ſed in hoc genere valetudinis dulce, vel certe lene commodius eſt*. Eumdem locum Celſus reſpexit, cum paulo ſupra in hoc capite ſcripſit: *Sed hic vinum ſorbere, ut ſupra præcepimus, morbus ipſe non patitur &c.* Igitur *incipiente* hic ſignificare videtur, non morbi initium, ſed tuſſis velut acceſſionem. Lindenius vero mendoſa verba putat, & ſic corrigenda: *At, invaleſcente quoque tuſſi*. Sed Codices Mſs. pro veteri lectione ſtare video.

58. περιπνευμονικὸν) Secutus ſum Editiones Aldinam & Henrici Stephani, quibuſcum plerique Mſs. Codices conſentiunt. Sic capite ſuperiori, πλευριτικὸς *a Græcis nominatur*; & capite proximo, ἡπατικὸν *Græci vocant*. Quidam hanc vocem latinis litteris ſcribunt; alii leg. *peripneumaticon*, ut eſt in Cod. Medic. I. vel περιπνευματικόν; Lindenius, περιπνευμονίαν, ut habent in margine Cæſarius & Conſtantinus.

59. *Tum, ſi*) Lindenius leg. *Quod ſi*; & infra cum Cæſario, *tantum dimovere*, pro *tamen dimovere*, ut ego in Mſs. inveni. In Vaticanis II. & VII. deeſt *tamen*.

60. *potionem autem hyſſopi dare, cum quo &c.*) Locus dubiæ fidei. Verbum *dare* abeſt a Medic. I. & pleriſque aliis Mſs. invenitur tamen in Mediceis II. III. & VI. & in omnibus impreſſis libris. Deinde alii leg. *cui*: Lindenius vero, *cum quo*; itaque erat in Medic. I. nunc eſt in litura, legiturque, ut in aliis Codicibus, *cui*. In eo omnes veteres libri conſentiunt, quod habent, *potionem autem hyſſopi*, non, ut Lindenius edidit, *in potionem autem hyſſopum*. Fortaſſe ille hæc mutavit, ne in membro ſequenti mutandum eſſet *aquam mulſam* in *aquæ mulſæ*. Sed neque neceſſe eſt legere, *aquæ mulſæ*, & has duas voces ad *potionem* referre, ſicut vox *hyſſopi* refertur; neque *aquam mulſam* lectio eſt omnino certa. Nam aliqui Codices habent, *aqua mulſa*, fortaſſe pro *aquæ mulſæ*. Ceterum ſi *utilis in jejuno potio eſt abſinthii aut hyſſopi*, ſi *potiones ex abſinthio dantur* Celſus dixit cap. 5. hujus libri; *potionem hyſſopi dare* eadem ratione dicere potuit.

his in brachiis & pedibus & cruribus, leniter contra pulmonem; idque bis quotidie facere. Quod ad cibum vero pertinet, huic nec ſalſis opus eſt, neque acribus, neque amaris, neque alvum aſtringentibus, ſed paulo lenioribus. Ergo primis diebus danda eſt ſorbitio ptiſanæ, vel alicæ, vel oryzæ, cum qua recens adeps cocta ſit: cum hac, ſorbile ovum, nuclei pinei ex melle, panis [61] vel elota alica ex aqua mulſa: potui deinde [62] non ſolum pura aqua, ſed etiam mulſa egelida, aut, ſi æſtas eſt, etiam frigida; niſi quid obſtat. Hæc autem altero quoque die, increſcente morbo, dare ſatis eſt: ubi in incremento conſtitit [63], quantum res patitur, ab omnibus abſtinendum eſt, præterquam aqua egelida. Si vires deſunt, adjuvandæ ſunt aqua mulſa. Proſuntque adverſus dolores impoſita calida fomenta, vel ea, quæ ſimul & reprimunt & emolliunt: prodeſt [64] impoſitus ſuper pectus ſal bene contritus, cum cerato miſtus; quia leviter cutem erodit, eoque impetum materiæ, quo [65] pulmo vexatur, evocat. Vtile etiam aliquod malagma eſt ex iis, quæ materiam trahunt. Neque alienum eſt, dum premit morbus, clauſis feneſtris ægrum continere: ubi paulum levatus eſt, ter aut quater die, feneſtris aliquantum [66] apertis, parvum aerem [67] recipere. Deinde in refectione pluribus diebus a vino abſtinere; geſtatione, frictione uti; ſorbitionibus & prioribus cibis adjicere, ex oleribus porrum, ex carne ungulas & ſumma trunculorum atque piſciculos, ſic, ut diu nihil niſi molle [68] & lene ſumatur.

VIII.

61. *nuclei pinei ex melle, panis*) Lindenius verba ſic diſtinguit: *nuclei pinei: ex melle, panis*; ſed minus recte. Lib. 3. cap. 27. ſect. 4. *primoque cum melle quædam edenda, ut nuclei pinei*.

62. *potui deinde*) Lindenius leg. *Potui danda deinde*. Sed vox *danda*, ſi ille in libro aliquo invenit (nam ego in meis non inveni) ex gloſſemate eſt.

63. *ubi in incremento conſtitit*) Cæſarius addit particulam *in*, quæ deeſt in Editionibus antiquioribus. Deeſt etiam in Cod. Medic. I. Lindenius leg. *ubi incrementum conſtitit*.

64. *prodeſt*) Lindenius addit *etiam*.

65. *quo*) Idem leg. *qua*.

66. *aliquantum*) Ita eſt in Editione Lindenii; in aliis, *aliquanto*; ut in Mſs. Codicibus, ſed in Medic. I. *aliq.*ˢ

67. *parvum aerem*) Lindenius leg. *purum aerem*; ut in margine, ſed ſine ullo Codicum teſtimonio, habet Conſtantini Editio. Omnino legendum, *parvum aerem*, ex fide Codicum Mediceorum; niſi quod in V. eſt *paurum*, & expungitur *u*, ut legatur *parum*. Ita lib. 3. cap. 11. *parvum cibum dandum*. Scaliger quoque, &, ut Ameloveenius jam adnotavit, Rhodius leg. *parvum aerem*.

68. *nihil niſi molle*) Sive ex ſola Pantini conjectura, quam & Conſtantinus affert, ſive etiam ex aliquo Codice particu-

lam

VIII. Alterius quoque viſceris morbus, id eſt jocinoris, æque modo longus, modo acutus eſſe conſuevit: ἡπατικὸν Græci vocant. Dextra parte ſub præcordiis vehemens dolor eſt; idemque ad latus dextrum, & ad jugulum, humerumque partis ejuſdem pervenit: nonnumquam manus quoque dextra torquetur [69]: horror validus eſt: ubi male eſt, bilis evomitur: interdum ſingultus prope ſtrangulat. Et hæc quidem acuti morbi ſunt [70]. Longioris vero, ubi ſuppuratio in jocinore eſt; dolorque modo finitur, modo intenditur; dextra parte præcordia dura ſunt, & tument; poſt cibum major ſpiritus difficultas [71] eſt; accedit maxillarum quædam reſolutio. Vbi inveteravit malum, venter & crura pedeſque intumeſcunt; pectus atque humeri, circaque jugulum utrumque extenuatur. Initio [72] ſanguinem mittere optimum eſt: tum venter ſolvendus eſt, ſi non poteſt aliter, per nigrum veratrum: imponenda extrinſecus cataplaſmata, primum quæ reprimant, deinde calida, quæ diducant; quibus recte iris vel abſinthium adjicitur: poſt hæc, malagma. Dandæ vero ſorbitiones ſunt, omneſque cibi, & calidi, & qui non multum alunt, & fere qui pulmonis quoque dolori conveniunt; præterque eos, qui urinam movent, potioneſque ad id efficaces. Vtilia in hoc morbo ſunt thymum, ſatureia, hyſſopum, nepeta, amylum [73], ſeſamum, lauri baccæ, pini flos [74], herba ſanguinalis, mentha, ex malo cotoneo medium, columbæ jecur re-

lam *niſi* Lindenius addiderit, recte certe addidit; cum vetus lectio *nihil molle* ferenda non ſit; quamvis ita habeant Codd. & Medicei & Vaticani.

69. *nonnumquam manus quoque dextra torquetur*) Cum re vera in jocinoris morbo interdum ad manum quoque dextram dolor perveniat; tum ratione, tum ex Mſs. noſtrorum fide retinendum *torquetur*; nec temere aſſentiendum Lindenio, qui legit, *torpet*.

70. *Et hæc quidem acuti morbi ſunt*) Alii cum Cæſario leg. *ſigna ſunt*; ſed vox *ſigna* gloſſema eſt, neque in Mſs. reperitur.

71. *ſpiritus difficultas*) Vox *ſpiritus* non eſt in Mſs. neque in antiquis Editionibus. Eam Lindenius addidit: & ſane neceſſaria videtur. Niſi forte gravius vitium ſubeſt in vetuſtis Codicibus.

72. *Initio*) Quidam Codices Mſs. cum Medic. I. habent, *Initium*. Lindenius leg. *In initio*.

73. *amylum*) Mendum eſſe ſuſpicor in Edd. antiquis & in Codd. Mſs. *amylum*, vel ut alii habent cum Medic. I. *amulum*. Senſit hoc jampridem Lindenius, & repoſuit *amaracum*; quod ſi eſt ex aliquo veteri Codice, improbandum non eſt. At ſi conjectura ducimur, rectius fortaſſe legatur *aniſum* vel *anethum*; & quod levior mutatio fiat, & quod inter ea, quæ urinam movent, ſint *aniſum* quoque & *anethum* in lib. 2. cap. 31.

74. *pini flos*) Vide VIII. Morgagni Epiſtolam. Codices Medicei nihil variant ab impreſſis libris; & omnes habent, *pini flos*.

recens & crudum: ex quibus quædam per ſe eſſe, quædam adjicere vel ſorbitioni vel potioni licet; ſic tamen, ut parce aſſumantur. Neque alienum eſt, abſinthium contritum ex melle & pipere, ejuſque catapotium quotidie devorare. Abſtinendum utique eſt ab omnibus frigidis: neque enim res ulla magis jecur lædit. Frictionibus utendum in extremis partibus: vitandus omnis labor, omnis vehementior motus: ne ſpiritus quidem diutius continendus eſt. Ira, trepidatio, pondus, ictus [75], curſus, inimica ſunt [76]. Perfuſio corporis multa prodeſt ex aqua, ſi hiems eſt, calida; ſi æſtas, tepida: item liberalis unctio, & in balneo ſudor. Si vero jecur vomica laborat, eadem facienda ſunt, quæ in ceteris interioribus ſuppurationibus. Quidam etiam contra id ſcalpello aperiunt [77], & ipſam vomicam adurunt.

IX. At lienis ubi affectus eſt, intumeſcit, ſimulque cum eo pars ſiniſtra; eaque dura eſt [78], & prementi renititur: venter intentus eſt: aliquis etiam cruribus tumor eſt: ulcera aut omnino non ſaneſcunt, aut certe cicatricem vix recipiunt: in intenta ambulatione curſuque dolor & quædam difficultas [79] eſt. Hoc vitium

quies

75. *ictus*) Ictus nullo in morbo non eſt inimicus; ac ne ſano quidem homini utilis creditur. Accipiendum videtur de ictu quantumvis levi, & qui alioquin nocere vix poſſit, qui tamen in hoc morbo maxime inimicus eſt. Niſi forte *ictus* hoc loco ponitur pro icendi actu: quo ſenſu idem valeret ac *jactus*, quod reponit Lindenius. Nam ſignificatur contentio illa corporis, quam adhibet, tum qui icit, tum qui jacit. Si quis *jactus* magis probat, veterem quidem Codicem apud Conſtantinum habebit auctorem lectionis hujus; ſed fortaſſe unicum. Medicei certe & Vaticani omnes favent antiquæ, *ictus*.

76. *inimica ſunt*) Lindenius leg. *in hoc inimica ſunt*. Sed duæ primæ voces non ſunt in antiquis libris; nec video cur eſſe debeant.

77. *contra id ſcalpello aperiunt*) Pronomen *id* non pertinet ad verbum *aperiunt*, ſed ad præpoſitionem *contra*, i. e. ex adverſum: quem uſum hujus particulæ cum in adnot. ad cap. 8. lib. 2. exemplis confirmare vellem a Celſo petitis, hoc ipſo loco uſus ſum. Sed quia aliter ab aliis legitur, certius exemplum affero ex lib. 8. cap. 4. *contra id dolor eſt;* præter alia jam allata. Igitur in Codd. Vaticanis II. & VII. deeſt *contra*; Lindenius leg. *ultra id*; quod quamvis Conſtantinus reperit in quodam Codice, minus tamen probandum eſt. Idem Conſtantinus ſcribit, reliqua hujus capitis verba ita legi in Codice illo: *ſcalpello aperiunt ipſam vomicam, vel adurunt*. Quæ varietas orta ex eo videtur, quod in quibuſdam Mſs. ut in Mediceo III. omittitur & poſt *aperiunt*. Ac vulgo quoque multi cum Egnatio eam particulam omittunt; ſed perperam.

78. *eaque dura eſt*) Lindenius leg. *quæ & dura eſt;* & infra, *venterque intentus eſt*; deinde, *vel curſu*.

79. *quædam difficultas*) Num legendum *quædam ſpiritus difficultas*? Sane vox *ſpiritus* etiam cap. præcedenti deeſt in vetuſtis Codicibus. Cælius Aurelianus lib. 3. Chronic. cap. 4. *quædam communia jecoroſis atque lienoſis, quædam ſpecialiter propria: ſed communia, gravedo, ſpirationis difficultas,*

&

quies auget: itaque exercitatione & labore opus eſt; habita tamen ratione, ne febrem iſta [80], ſi nimium proceſſerint, excitent [81]. Vnctiones, frictioneſque, & ſudores neceſſarii ſunt. Dulcia omnia inimica ſunt; item lac & caſeus: acida autem maxime conveniunt. Ergo acetum acre per ſe ſorbere, & magis etiam, quod ſcilla conditum eſt, expedit. Edenda ſunt ſalſamenta, vel oleæ ex muria dura [82]; tinctæ in aceto lactucæ, intubique ex eodem, betæ ex ſinapi [83], aſparagus, armoracia, paſtinaca, ungulæ, roſtra, aves macræ, ejuſdem generis venatio. Potui vero jejuno dari debet abſinthium incoctum [84]: at poſt cibum aqua a ferrario fabro, in qua candens ferrum ſubinde tinctum ſit [85]: hæc enim vel præcipue lienem coercet. Quod animadverſum eſt in iis animalibus, quæ apud hos fabros educata exiguos lienes habent. Poteſt etiam dari vinum tenue, auſterum; omniaque in cibis & potionibus, quæ urinæ movendæ ſunt. Præcipueque ad id valet vel trifolii ſemen, vel cuminum, vel apium, vel ſerpyllum,

& magis in itinere & ambulationibus clivoſis &c. Sed hoc loco *difficultas* apud Celſum, fortaſſe idem ſignificat atque *gravedo* apud Aurelianum; gravitatem videlicet quamdam membrorum, propter quam minus promptus ad ambulationem curſumque æger eſt.

80. *ne febrem iſta*) Ante Lindenium legebatur, *ne febre mixta* vel *miſta*: mendoſe.

81. *ſi nimium proceſſerint, excitent*) *proceſſerint* omnino legendum eſt, ut quiſque videt, non, ut antea legebatur, *proceſſerit*. Alii leg. *excitetur*; ſed & in Editione Lindenii & in Codicibus Mediceis I. & VII. & in Vaticano I. eſt *excitent*.

82. *oleæ ex muria dura*) Almeloveenii Editio habet: *oleæ ex muria duræ*; ſed perperam, ut Morgagnus animadvertit. Cominiana altera ad Almeloveenianam expreſſa eſt; prior autem habet, *dura*, ut Lindeniana ceteræque omnes & Mſs. Codices habent.

83. *tinctæ in aceto lactucæ, intubique ex eodem, betæ ex ſinapi &c.*) Ita hunc locum reſtitui ex multis Codicibus, inter quos eſt etiam Mediceus vetuſtior; niſi quod in eo ita interpungitur: *tinctæ in aceto lactucæ, intubique ex eodem betæ, ex ſinapi aſparagus &c.* Plinius lib. 19. cap. 8. ſcribit, uſum betæ præcipuum eum eſſe, *ut lenitas excitetur acrimonia ſinapis*: & Aetius Tetrab. 1. ſerm. 1. betam in lienis morbo & ex aceto, & ex ſinapi utiliter edi. Codices Vaticani ſecundus & ſeptimus habent, non *ex ſinapi*, ſed *& ſinapi*, primus, *ſinapi*. Vulgo ante Lindenium legebatur, ut eſt in Mſs. Mediceis II. III. VI. *tinctæ in aceto lactucæ, intubique & betæ ex eodem; ex ſinapi aſparagus*. Lindenius ita mutavit: *lactucæ intinctæ in aceto, intubi quoque & betæ ex eodem; & ſinapi, armoraciæ, & paſtinacæ: de carnibus vero ungulæ, roſtra, aves macræ, ejuſdemque generis venatio*.

84. *abſinthium incoctum*) Vox *incoctum* neceſſaria non eſt. Supra Cap. 5. hujus lib. *Vtilis in jejuno potio eſt abſinthii; aut hyſſopi, aut rutæ*. Si tamen retinenda eſt vox hæc, quæ extat etiam in Mſs. Mediceis, neceſſarium certe non eſt præmittere *aquæ*; quod Lindenius fecit. Nam eodem fere modo legitur: *idemque etiam decocta lentiſcus præſtat*, cap. 20. hujus libri.

85. *tinctum ſit*) Lindenius leg. *extinctum ſit*. In Mſs. Mediceis eſt *tinctum*; ut alii legunt, & ut Celſus loquitur lib. 5. cap. 28. ſect. 2. *pulvis ex contrita teſta, ex qua faber ferrarius tingere candens ferrum ſolitus eſt*.

lum, vel cytiſus, vel portulaca, vel nepeta [86], vel thymum, vel hyſſopum, vel ſatureia: hæc enim inde commodiſſime videntur humorem educere. Lienis quoque bubulus utiliter eſui datur; præcipueque eruca & naſturtium lienem extenuant. Imponenda quoque extrinſecus ſunt, quæ levent. Fit ex unguento & palmulis, quod μυροβάλανον [87] Græci vocant: fit ex lini & naſturtii ſemine, quo [88] vinum & oleum adjicitur: fit ex cupreſſo viridi, & arida ficu: fit ex ſinapi, cui ſevi hircini a renibus quarta pars ponderis adjicitur, teriturque in ſole [89], & protinus imponitur. Multiſque modis huic rei cappari aptum eſt: nam & ipſum cum cibo aſſumere, & muriam ejus cum aceto ſorbere commodum eſt. Quin etiam extrinſecus radicem contritam, vel corticem ejus cum furfuri-

86. *vel portulaca vel nepeta*) Hæ quatuor voces, quas ego in Mſs. omnibus inveni, omittuntur in Edit. Lindenii.

87. *fit ex unguento & palmulis, quod μυροβάλανον*) Locus & mihi ſuſpectus, & item aliis. Sed Lindenio, Pantini conjecturam in textum inducenti, nullo modo aſſentior; quamvis eam conjecturam Conſtantinus quoque approbarit. Legunt, *fit ex unguentariis glandibus* (Lindenius, *glandulis*) *quas μυροβαλάνους &c.* Sed oſtendant, veteres medicos ad lienis morbum palmulas non impoſuiſſe, oſtendant *unguentariam glandem* alicubi Celſum dixiſſe pro myrobalano; fortaſſe eorum conjectura minus improbabilis videbitur. Nam quod libro proximo cap. 18. ſect. 4. habetur: *glandis quam βάλανον μυρεψικὴν Græci vocant*; id ad Latinam linguam non pertinet. Quod autem cap. 26. ſect. 36. ejuſdem libri in Edit. Lindenii legitur: *glandis unguentariæ pondo IV. **. ibi quoque veteres Codices contra Lindenium faciunt, atque adeo contra Conſtantinum, cujus ille conjecturam recepit. In ceteris Editionibus, ut & in Mſs. Codicibus, eſt: *unguenti p. X. IIII.* Dubitari quidem poteſt, num aliquod adjunctum vocis *unguenti*, tum ibi, tum hic deſit in iis libris. Attamen, quemadmodum ceratum ſimpliciter & abſolute alicubi Celſus dixit, quamvis cerati plures ſpecies ſint, ita fortaſſe utroque hoc loco unguentum. Jam vero de *palmulis*, quam vocem in omnibus Codicibus inveni, dubitari non poteſt, quin eæ lieni dolenti olim imponerentur, cum apud Galenum lib. 8. de C. M. S. L. cap. 8. proponatur cataplaſma ex palmulis miſtis cum cerato ex roſa facto & cum roſa ipſa, quod & ad jocinoris morbum adhibebatur, &, ut colligitur ex eodem Galeno lib. 9. cap. 2. ad lienis quoque. Suſpicio igitur noſtra cadit, non tam in hæc verba, *fit ex unguento & palmulis*, quam in illa, *quod μυροβάλανον Græci vocant*. Nam mihi adnotatio eſſe videtur ex margine traducta. Niſi quis putet ita corrigendum: *quas φοινικοβαλάνους &c.* ut Celſus intellexerit Ægyptiam palmulam, quæ cum maturuit φοινικοβάλανος appellatur. Vid. Plinium lib. 12. cap. 22. Dioſcoridem lib. 1. cap. 148. Hæc palmula etiam *myrobolanus* vocata fuiſſe videtur; ſiquidem Plinius lib. 23. cap. 5. de ea ita ſcribit: *Palma quæ fert myrobolanum*; quamvis nonnulli illum erraſſe exiſtiment. Plinius Valerianus quoque, Hiſtoricum ſecutus, hæc prodidit lib. 2. cap. 23. *Myrobolanus genus caryotæ naſcens in Ægypto*. Itaque non deerit fortaſſe, qui apud Celſum ſic legere malit: *quas μυροβαλάνους Græci vocant*. Sed ego quidem inſititia facilius crediderim hæc eſſe, quam corrupta. Si quis retinenda cenſebit, ita, opinor, explicabit: medicamentum, quod levet, fit ex unguento & palmulis, idque μυροβάλανον Græci vocant.

88. *quo*) Ruellius & Stephanus leg. *cui*. Ego in Mſs. inveni *quo*; ut plerique legunt, & ut alii quoque probati Scriptores locuti ſunt.

89. *ſole*) Ante Lindenium legebatur, *ſale*; ſed Conſtantinus jam monuerat legendum, *ſole*.

ſuribus, aut ipſum cappari cum melle contritum imponere expedit. Malagmata quoque huic rei aptantur.

X. At renes ubi affecti ſunt, diu male habent. Pejus eſt [90], ſi frequens bilioſus vomitus accedit. Oportet conquieſcere: cubare molliter: ſolvere alvum; ſi aliter non reſpondet, etiam ducere: ſæpe deſidere in aqua calida: neque cibum, neque potionem frigidam aſſumere: abſtinere ab omnibus ſalſis, acribus, acidis, pomis [91]: bibere liberaliter: adjicere modo cibo, modo potioni piper, porrum, ferulam, album papaver, quæ maxime inde urinam movere conſuerunt. Auxilio quoque his exulceratis ſunt, ſi adhuc ulcera purganda ſunt, cucumeris ſemina detractis corticibus ſexaginta, nuclei ex pinu ſilveſtri duodecim [92], aniſi quod tribus digitis ſumi poſſit, croci paulum, contrita & in duas mulſi potiones diviſa. Si vero dolor tantum levandus eſt, ejuſdem cucumeris ſemina triginta, iidem nuclei viginti, nuces Græcæ quinque, croci paululum, contrita & cum lacte potui data. Ac ſuper [93] quoque recte quædam malagmata injiciuntur; maximeque ea, quæ humori extrahendo ſunt.

XI. A viſceribus ad inteſtina veniendum eſt, quæ ſunt & acutis & longis morbis obnoxia. Primoque facienda mentio eſt cholerræ; quia commune id ſtomachi atque inteſtinorum vitium videri poteſt. Nam ſimul & dejectio & vomitus eſt: præterque hæc inflatio eſt, inteſtina torquentur, bilis ſupra infraque erumpit, primum aquæ ſimilis, deinde ut in ea recens caro lota eſſe videatur, interdum alba, nonnumquam nigra, vel varia. Ergo eo nomine morbum hunc χολέραν Græci nominarunt. Præter ea vero, quæ ſupra comprehenſa ſunt, ſæpe etiam crura manuſque contrahuntur, urget ſitis, anima deficit: quibus concurrentibus non mirum eſt, ſi ſubito quis moritur. Neque tamen ulli morbo minori momento ſuccurritur. Protinus ergo, ubi iſta cœperunt, aquæ tepidæ quam plurimum bibere oportet, & vomere. Vix umquam ſic non vomitus

90. *Pejus eſt*) Lindenius, *Pejus vero eſt*.

91. *acribus*, *acidis*, *pomis*) Al. *acribus*, *acidis pomis*. Cod. Medic. I. tranſpoſitis vocibus, *acidis*, *acribus*, *pomis*; quocum & quintus & ſeptimus conſentiunt.

92. *duodecim*) Lindenius, *quindecim*.

93. *Ac ſuper*) *ſuper malagmata injicere* per tmeſin pro *ſuperinjicere malagmata*. Al. *At ſuper*, ut eſt in Mſs. Alii cum Cæſario, *ac inſuper*. Ego ſecutus ſum Editionem Conſtantini.

tus ſequitur [94]; ſed etiamſi non incidit [95], miſcuiſſe tamen novam materiam corruptæ prodeſt; parſque ſanitatis eſt, vomitum eſſe ſuppreſſum. Si id incidit, protinus ob omni potione abſtinendum eſt. Si vero tormina ſunt, oportet frigidis & humidis fomentis ſtomachum fovere; vel, ſi venter dolet, iiſdem egelidis, ſic, ut venter ipſe mediocriter calentibus juvetur. Quod ſi vehementer & vomitus, & dejectio, & ſitis vexant, & adhuc ſubcruda ſunt, quæ vomuntur, nondum vino maturum tempus eſt: aqua, neque ea ipſa frigida, ſed potius egelida danda eſt: admovendumque naribus eſt pulegium ex aceto, vel polenta vino aſperſa, vel mentha ſecundum naturam eſt [96]. At cum diſcuſſa cruditas eſt, tum magis verendum eſt, ne anima deficiat. Ergo tum confugiendum eſt ad vinum. Id eſſe oportet tenue, odoratum, cum aqua [97] frigida miſtum; vel polenta adjecta, vel melle quoque aſſumere expedit [98]: quotieſque aliquid aut ſtomachus, aut venter effudit, toties per hæc vires reſtituere. Eraſiſtratus primo tribus vini guttis, aut quinis aſpergendam potionem eſſe dixit; deinde paulatim merum adjiciendum. Is, ſi & ab initio [99] vinum dedit, & me-

tum

94. *ſic non vomitus ſequitur*) Neceſſitate coactus hanc mutationem in textum induxi ex conjectura; cum locus hic in antiquis libris manifeſto vitio laboret, & remedium a Lindenio adhibitum minus idoneum videatur. In Editionibus antiquis habetur, *ſine vomitu ſequitur*; ut Palavicinus emendat in Codice Medic. I. in quo, ſicut in aliis quibuſdam, eſt, *ſine vomitus ſequatur*. In II. III. VI. *ſine vomitu ſequatur*. In V. *ſine vomitus ſequiatur*; ſed expungitur *s* in *vomitus*, & *a* in *ſequiatur*, ut legatur *ſine vomitu ſequitur*. Lindenius ita reponit: *ea ſine vomitu ſumitur*.

95. *non incidit*) In Medic. I. & aliquo alio Ms. Codice deeſt *non*. Verba proxima ita leguntur in Edit. Lindenii: *tamen corruptæ miſcuiſſe novam materiam prodeſt*.

96. *ſecundum naturam eſt*) id eſt non ex aceto, neque ex vino, ſed per ſe. Ita hic locus legitur in Mſs. & in Editionibus vetuſtioribus; ita eum Morgagnus interpretatur; & recte quidem. Sed *eſt* vacat. Et cur Celſus ſuo more non dixit *per ſe?* Mihi ſuſpecta hæc verba ſunt, & fortaſſe aliquis margini adſcripſit, *ſecundum naturam*, ut moneret aliud alii convenire, pro varia corporis natura. Hac fere ſententia Lindenius leg. *vel quod ſecundum naturam eſt*. Quidam vero ex Cæſarii Editione leg. *ſi nondum matura eſt*; h. e. materia, ut explicat Conſtantinus. Sed Morgagnus animadvertit, hanc ipſam eſſe ſententiam verborum præcedentium, *ſi &c. adhuc ſubcruda ſunt, quæ vomuntur*; ejuſdemque repetendæ nullam cauſam fuiſſe.

97. *cum aqua*) Lindenius, *& cum aqua*.

98. *vel melle quoque aſſumere expedit*) Fortaſſe legendum, *& polenta adjecta, vel melle quoque &c.* In Codicibus Vaticanis II. & VII. & in Medic. VII. non eſt vox *melle*, ſed parva lacuna: quam cum aliquis in ſuo Codice inveniſſet, repoſuit *infracto pane*: ita enim legitur in Vaticano I. Simili Codice, & nova conjectura uſus Lindenius repoſuit, *vel infracto pane; quem ipſum quoque aſſumere expedit*.

99. *& ab initio*) Lindenius tollit *&*, ut malebat Conſtantinus: quæ tamen particula habetur in Mſs.

tum cruditatis ſecutus eſt [1], non ſine cauſa fecit: ſi vehementem infirmitatem adjuvari poſſe tribus guttis putavit, erravit. At ſi inanis eſt homo, & crura ejus contrahuntur, interponenda potio abſinthii eſt. Si extremæ partes corporis frigent, ungendæ ſunt calido oleo, cui ceræ paulum ſit adjectum, calidiſque fomentis nutriendæ. Si ne ſub his quidem quies facta eſt, extrinſecus contra ventriculum ipſum cucurbitula admovenda eſt, aut ſinapi ſuperimponendum. Vbi is conſtitit, dormire oportet: poſtero die utique a potione abſtinere: die tertio in balneum ire: paulatim ſe cibo reficere; ſomno quiſquis facile adquieſcit [2]; itemque laſſitudine & frigore. Si poſt ſuppreſſam choleram febricula manet, alvum duci neceſſarium eſt: tum cibis, vinoque utendum eſt.

XII. Sed hic quidem morbus & acutus eſt, & inter inteſtina ſtomachumque verſatur ſic, ut, cujus potiſſimum partis ſit, non facile dici poſſit. In ipſius [3] vero ventriculi porta conſiſtit is, qui & longus eſſe conſuevit: κοιλιακὸς [4] a Græcis nominatur. Sub hoc venter indureſcit, dolorque ejus eſt: alvus nihil reddit, ac ne ſpiritum quidem tranſmittit: extremæ partes frigeſcunt: difficulter ſpiritus redditur. Commodiſſimum eſt inter initia calida cataplaſmata toti ventri imponere, ut dolorem leniant: poſt cibum vomere, atque ita ventrem exinanire: proximis deinde diebus cucurbitulas ſine ferro ventri & coxis admovere: ventrem ipſum liquare dato lacte, & vino ſalſo, frigido; ſi tempus anni patitur, etiam viridibus ficis: ſic tamen, ne quis aut cibus, aut humor univerſus detur, ſed paulatim. Ergo per intervalla temporis ſat eſt cyathos binos ternoſve ſumere [5], & cibum pro portione hujus: commodeque facit cyatho lactis cyathus aquæ miſtus,

1. *& metum cruditatis ſecutus eſt*) & ob metum cruditatis tam parce dedit. Lindenius leg. *metus*, ut habet in libri margine Conſtantinus; ſed & minus recte, ut facile eſt intelligere; & Mſs. noſtris repugnantibus.

2. *ſomno quiſquis facile adquieſcit*) Mihi videtur deeſſe aliquid. Conſtantinus ita legendum putat: *ſomnoque qui facilis acquieſcit; vitataque laſſitudine & frigore*. Lindenius leg. *ſomnoque quiſquis facile adquieſcit; vitetque laſſitudinem & frigora*. In Cod. Vatic. I. eſt *quiſque*, pro *quiſquis*.

3. *In ipſius*) Antea hinc inchoabatur caput.

4. *κοιλιακὸς*) In Codicibus Mediceis IV. & VII. ΚΟΙΛΙΑΚΟΥΣ; in Edit. Lindenii, *& κοιλιακός*.

5. *ſumere*) Lindenius, *aſſumere*.

& ſic datus: cibique inflantes & acres [6] utiliores ſunt; adeo ut lacti quoque recte contritum allium adjiciatur. Procedente vero tempore, opus eſt geſtari; maximeque navigare; perfricari ter aut quater die, ſic, ut nitrum oleo adjiciatur [7]; perfundi aqua calida poſt cibum; deinde ſinapi imponere per omnia membra, excepto capite, donec arrodatur & rubeat [8]; maximeque ſi corpus durum & virile eſt: paulatim deinde faciendus eſt tranſitus ad ea, quæ ventrem comprimunt. Aſſa caro danda, valens, & quæ non facile corrumpatur: potui vero, pluvialis [9] aqua decocta, ſed quæ per binos ternoſve cyathos bibatur. Si vetus vitium eſt, oportet laſer quam optimum ad piperis magnitudinem devorare: altero quoque die vinum vel aquam bibere: interdum interpoſito cibo, ſingulos vini cyathos ſorbere: ex inferiori parte infundere pluviatilem egelidam aquam, maximeque ſi dolor in imis partibus remanet.

XIII. Intra ipſa vero inteſtina conſiſtunt duo morbi; quorum alter [10] in tenuiore, alter in pleniore [11] eſt. Prior acutus eſt; inſequens eſſe longus poteſt. Diocles Caryſtius tenuioris inteſtini morbum χόρδαψον [12], plenioris εἰλεὸν nominavit. A pleriſque video nunc illum priorem εἰλεὸν, hunc κολικὸν [13] nominari. Sed prior mo-

6. *inflantes & acres*) Mirum fortaſſe alicui videbitur, inflantes cibos utiles his ægris eſſe; iſque cum Lindenio mendum ſubeſſe ſuſpicabitur. Lindenius igitur leg. *calentes & acres*. Sed animadvertendum eſt, inflantia & acria re vera eſſe, quæ mox proponuntur, videlicet allium contritum lacti adjectum; ut colligitur ex lib. 2. cap. 22. & 26. & lib. 4. cap. 4. ſect. 4. Ex eodem lib. 2. cap. 26. apparet, etiam virides ficus, quibus venter liquandus eſt, inflare. Quare, niſi meliores Codices aliter jubeant, *inflantes* retinendum ex noſtrorum omnium fide.

7. *adjiciatur*) Alii leg. *miſceatur*; ut habent aliqui Vaticani Codices & omnes Medicei, excepto primo. Is & Vatic. VI. & Lindenii Edit. *adjiciatur*. Vaticani II. & VII. *permiſceatur*, & *vinum*, pro *nitrum*.

8. *arrodatur & rubeat*) ſubaudi corpus ex ſequentibus. Lindenius leg. *arrodantur & rubeant*; ut mavult Conſtantinus. Ceterum, cum verbum *arrodor* uterque hic retineat; poterant etiam cap. 2. ſect. 1. & 2. hujus libri, ubi repoſuerunt *erodat*, retinere *arrodat*, ut eſt in vetuſtis Editionibus, & quantum ego video, in Mſs.

9. *potui vero, pluvialis*) Linden. *in potum vero, pluviatilis*.

10. *quorum alter*) Idem, *quorum unus*.

11. *in pleniore*) Edd. Ald. Gryph. Pantin. & Ronſs. addunt *inteſtino*; ut eſt in Mſs. pleriſque. Immo vero hic locus ita legitur in Mſs. excepto Medic. I. & aliquo alio: *alter eſt in tenuiore inteſtino, alter in pleniore inteſtino. Prior &c.*

12. χόρδαψον) κωλικον habent Codices Medicei omnes, præter vetuſtiorem.

13. κολικὸν) Cod. Medic. I. ΚΟΝΔΙΟΝ; libri impreſſi, al. *chordion*, al. κόρδιον, al. κόρδεον. Aldinam & Conſtantinianam Editionem excipio, itemque Stephani & Lindenii, quæ habent κολικόν.

modo ſupra umbilicum [14], modo ſub umbilico dolorem movet. Fit alterutro loco [15] inflammatio: nec alvus, nec ſpiritus infra tranſmittitur: ſi ſuperior pars affecta eſt, cibus, ſi inferior, ſtercus per os redditur; ſi utrumlibet vetus eſt [16]. Adjicit periculo vomitus bilioſus, mali odoris, aut varius, aut niger. Remedium eſt, ſanguinem mittere; vel cucurbitulas pluribus locis admovere, non ubique cute inciſa: id enim duobus aut tribus locis ſatis eſt: ex ceteris ſpiritum evocare abunde eſt. Tum animadvertere oportet, quo loco malum ſit: ſolet enim contra id tumere [17]. Et ſi ſupra umbilicum eſt, alvi ductio utilis non eſt: ſi infra eſt, alvum ducere, ut Eraſiſtrato placuit [18], optimum eſt; & ſæpe id auxilii ſatis eſt. Ducitur autem percolato ptiſanæ cremore, cum oleo & melle, ſic, ut præterea nihil adjiciatur. Si nihil tumet, duas manus imponere [19] oportet ſupra ſummum ventrem, paulatimque deducere: invenietur enim mali locus, qui neceſſe eſt renitatur; & ex eo deliberari [20] poterit, ducenda, nec ne alvus

Cc 2 ſit.

14. *modo ſupra umbilicum*) Hoc inciſum deeſt in Cod. Medic. I.

15. *Fit alterutro loco &c.*) In Medic. I. legitur: *ſit alterutra inflammatione*, pro *ſit alterutro loco inflammatio; nec*: ex cujus Codicis fide ſuſtuli præpoſitionem *ex*. Nam alii legunt, ut eſt in reliquis Codicibus Mediceis, *ſit ex alterutro loco inflammatio; nec &c.* Lindenius, *ſit in alterutro loco inflammatio: nec &c.* ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

16. *ſi utrumlibet vetus eſt &c.*) ſi, utralibet parte affecta, res inveteravit; ut recte explicat Morgagnus. Alii hæc verba ad ſequentia referunt, & ita leg. *ſi utrumlibet vetus eſt, adjicitur periculo vomitus &c.* In Mſs. Mediceis ceteris eſt *adicitur*; in vetuſtiori, *accidit*; unde *adjicit* legendum exiſtimavi. In III. & VI. omittitur verbum *eſt*. Morgagnus hoc membrum *Adjicit*, ante *ſi ſuperior* transferendum putat. Lindenius leg. *ſi utralibet*, *metus eſt*. *Adjicitur periculo, ſi vomitus bilioſus, mali odoris, aut varius, aut niger eſt.*

17. *contra id tumere*) Edit. Stephani, *contra is tumere*.

18. *alvum ducere, ut Eraſiſtrato placuit*) Ita plerique omnes vulgo legunt; atque ita eſt in Codice Mediceo vetuſtiori, & in quibuſdam Vaticanis; & quidem recte. In aliis Codicibus ſic habetur: *alvum ducere*.

Eraſiſtrato (in aliquibus, *Eraſiſtratus*) *placuit &c.* In nonnullis Vaticanis: *alvum ducere interdum*.

Eraſiſtratus placuit &c. Ex quo intelligi poteſt, Lindenio Codicem non defuiſſe, unde legerit, *alvum ducere interdum, ut Eraſiſtrato placuit*. Fortaſſe neque infra defuit, ubi leg. *id auxilii in his partibus magnum remedium eſt*. In Medic. I. eſt *id auxiliis partis eſt*; ſed *auxiliis partis* corruptum videtur ex *auxilii ſatis*, ut plerique Codices habent, atque olim communiter legebatur.

19. *duas manus imponere*) Poſt hæc verba in Cod. Mediceo vetuſtiori continuo ſequuntur illa: *coeuntia. Id faciunt &c.* capitis 20. Quæ deerant, addita poſtea fuerunt ſæculo XV. præter illa, quæ in ceteris quoque Codicibus deſunt. Hoc meminerit lector, quoties ego eum Codicem citabo, tum in his, tum in illis, quæ eadem manu in eo reſtituta ſunt lib. 5. a cap. 27. ſect. 11. ad cap. 28. ſect. 12. ut ibi adnotabo.

20. *ex eo deliberari*) Alii leg. *ex eodem deliberari*; ut eſt in Codice Mediceo I. Ego ſic repoſui, cum in reliquis Mediceis Codicibus invenerim: *ex eodem liberari*. Lindenius leg. *ex eo demum deliberari*.

ſit. Illa communia ſunt: calida cataplaſmata admovere, eaque imponere a mammis uſque ad inguina & ſpinam, ac ſæpe mutare: brachia cruraque perfricare: demittere totum hominem in calidum oleum [21]: ſi dolor non quieſcit, etiam in alvum ex parte inferiore tres aut quatuor cyathos calidi olei dare. Vbi per hæc conſecuti ſumus, ut jam [22] ex inferiore parte ſpiritus tranſmittatur, offerre potui mulſum tepidum non multum: nam ante magna cura vitandum eſt, ne quid bibat. Si id commode ceſſit, adjicere ſorbitionem. Vbi dolor & febricula quierunt, tum demum uti cibo pleniore; ſed neque inflante, neque duro [23], neque valido, ne inteſtina adhuc imbecilla lædantur. Potui vero nihil, præterquam puram aquam [24]. Nam ſive quid vinolentum ſive acidum eſt, id huic morbo alienum eſt. Ac poſtea quoque vitare oportet balneum, ambulationem, geſtationem, ceteroſque corporis motus. Nam facile id malum redire conſuevit; & ſive cum frigus ſubit [25], ſive aliqua jactatio, niſi bene jam confirmatis inteſtinis, revertitur.

XIV. Is autem morbus, qui in inteſtino pleniore eſt, in ea maxime parte eſt, quam cæcam [26] eſſe propoſui. Vehemens fit [27] inflatio, vehementes dolores, dextra magis parte: inteſtinum, quod verti videtur, prope [28] ſpiritum elidit. In pleriſque poſt frigora cruditateſque oritur, deinde quieſcit; & per ætatem ſæpe repetens ſic cruciat, ut vitæ ſpatio nihil demat. Vbi is dolor cœpit, admovere ſicca & calida fomenta oportet; ſed primo lenta [29]

21. *in calidum oleum*) Ita multi legunt ex Editione Cæſarii. In Editionibus priſcis & in Codicibus Mediceis eſt, *in calido oleo:* quin etiam in margine Codicis primi hæc adnotantur: *in calido oleo pro in calidum oleum*. Neque vero ejuſmodi conſtructio latina non eſt: ſi quidem vera docent Critici, ſcribentes, præpoſitionem *in* interdum ablativum habere, quamvis cum verbis motus conjuncta ſit. Celſus tamen præpoſitionem hanc cum accuſativo adhibet, quoties cum verbo *demittere* eam conjungit: quam rationem ipſe aliis in locis ita conſtanter ſervat, ut omnino verendum ſit, ne veteres Codices hic mendum contineant.

22. *jam*) Cæſarius & Lindenius omittunt particulam hanc.

23. *neque duro*) Duæ hæ voces deſunt in Edit. Lindenii.

24. *Potui vero nihil, præterquam puram aquam*) Subaudi *dare*, vel potius, quod ſupra habetur, *offerre*. Id verbum Conſtantinus deeſſe putat.

25. *& ſive cum frigus ſubit*) Lindenius omittit *ſive*.

26. *quam cæcam*) Ante Cæſarium legebatur, *quam certam*; Lindenius leg. *qua cæcum*.

27. *fit*) Deeſt verbum hoc in Editionibus pleriſque. Habet id Lindenii Editio, habet Editio prima, habent Codices Medicei.

28. *inteſtinum, quod verti videtur, prope*) Lindenius leg. *inteſtinum verti videtur, quod prope &c.*

ta [29] deinde validiora; ſimulque frictione ad extremas partes, id eſt crura brachiaque materiam evocare: ſi diſcuſſus non eſt, qua dolet, cucurbitulas ſine ferro defigere. Eſt etiam medicamentum ejus rei cauſa comparatum, quod κολικὸν nominatur. Id ſe repperiſſe Caſſius gloriabatur. Magis prodeſt potui datum: ſed impoſitum quoque extrinſecus, digerendo ſpiritum, dolorem levat. Niſi finito vero tormento, recte neque cibus neque potio aſſumitur. Quo victu ſit utendum iis, qui hoc genere tentantur, jam mihi dictum eſt. Confectio medicamenti [30], quod κολικὸν nominatur, ex his conſtat. Coſti, aniſi, caſtorei, ſingulorum p. ✻. III. petroſelini p. deñ. III. [31] piperis longi, & rotundi, ſingulorum p. ✻. II. [32] papaveris lacrimæ, junci rotundi, myrrhæ, nardi, ſingulorum p. ✻. VI. quæ melle excipiuntur. Id autem & devorari poteſt, & ex aqua calida ſumi [33].

XV. Proxima his inter inteſtinorum mala tormina eſſe conſueverunt: δυσεντερία Græce vocatur [34]. Intus inteſtina exulcerantur: ex his cruor manat; iſque modo cum ſtercore aliquo ſemper

29. *lenta*) Linden. *lenia*; quam lectionem veterum Codicum teſtimonio nondum confirmare potui. Interea dum aliquis teſtimonium iſtud inveniat, ego *lenta* retinebo ex fide meorum Codicum; quamvis non diffitear, ex *lenia* facile corrumpi potuiſſe. Attamen ſi *lentus ignis*, *lentus calor* a probatis Scriptoribus dicitur, etiam *lenta calida fomenta* a Celſo recte dici videtur.

30. *Confectio medicamenti &c.*) Hæc uſque ad finem capitis conflata ſunt, multis cum erroribus, ex iis, quæ habentur in lib. 5. cap. 25. ſect. 12. & ab aliquo huc inſerta. Lindenius ea corrigere conatur ex citato loco libri 5. quod ego tanto minus expedire puto, quanto magis evidens eſt, hæc Celſi non eſſe; ne corrigendo commendari videantur, quæ prorſus repudianda ſunt. Nam primum Celſus nuſquam adhibuit vocem *confectio*, ſed ubique *compoſitio*: deinde haud ſcio, an alicui probari poſſit hæc dicendi forma, *confectio medicamenti conſtat ex his*; quamvis recte dicitur, *colice Caſſii* (vel medicamentum, vel malagma, vel aliquod ſimile) *ex his conſtat*. Verum alienum hoc totum eſſe, Celſus ipſe indicat in lib. 5. cap. 17. his verbis; *in hoc autem volumine eas* (compoſitiones) *explicabo*, *quæ vel deſiderari in prioribus potuerunt*, *vel ad eas curationes pertinent*, *quas protinus hic comprehendam*. Non igitur hanc compoſitionem rurſus ibi explicaret, ſi hic explicaſſet. Niſi quis contra putat, deſcriptam eſſe ex hoc loco, atque ibi intruſam. Quod mihi quidem, ea, quæ modo dixi, & alia quædam conſideranti, non ſit veriſimile.

31. *petroſelini p. deñ. III.*) In Edit. Lindenii, *petroſelini p. *. IV.*

32. *ſingulorum p. ✻. II.*) In Edit. modo allata, *ſingulorum p. *. V.* Hæc & verba ſequentia, *papaveris lacrimæ*, *junci rotundi*, deſunt in Edd. Ruellii, & Cæſarii an. 1538.

33. *Id autem & devorari poteſt, & ex aqua calida ſumi*) Eadem hæc verba habentur in lib. 5. loco citato. Hic vero quodammodo redundant; cum illa antecedant: *magis prodeſt potui datum &c.* Omnino ſi Celſus medicamenti compoſitionem hic adjicere voluiſſet, videtur verba, *conſtat ex his &c.* additurus fuiſſe poſt illa, *quod κολικὸν nominatur*, aut poſt illa, *dolorem levat*; quæ ſupra ſunt.

34. *vocatur*) In Cod. Medic. I. *vocantur*.

per liquido, modo cum quibuſdam quaſi mucoſis excernitur: interdum ſimul quædam carnoſa deſcendunt: frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano eſt: cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur: atque eo quoque tormentum intenditur; idque poſt tempus aliquod levatur; exiguaque requies eſt: ſomnus interpellatur: febricula oritur: longoque tempore id malum, cum inveteraverit, aut tollit hominem, aut, etiamſi finitur, excruciat. Oportet in primis conquieſcere; ſiquidem omnis agitatio exulcerat: deinde jejunum ſorbere vini cyathum, cui contrita radix quinquefolii ſit adjecta: imponere cataplaſmata ſuper ventrem, quæ reprimunt; quod in ſuperioribus ventris morbis non expedit: quotieſque deſidit [35], ſubluere aqua calida, in qua decoctæ verbenæ ſint: portulacam vel coctam, vel ex dura muria ediſſe; cibos potioneſque eas, quæ adſtringunt alvum [36]. Si vetuſtior morbus eſt, ex inferioribus partibus tepidum infundere vel ptiſanæ cremorem, vel lac, vel adipem liquatam, vel medullam cervinam, vel oleum, vel cum roſa butyrum, vel cum eadem album crudum ex ovis, vel aquam, in qua lini ſemen decoctum ſit; vel, ſi ſomnus non accedit, vitellos cum aqua, in qua roſæ floris folia cocta ſint. Levant enim dolorem hæc, & mitiora ulcera efficiunt; maximeque utilia ſunt, ſi cibi quoque ſecutum faſtidium eſt. Themiſon muria dura quam aſperrima [37] ſic utendum memoriæ prodidit. Cibi vero eſſe debent, qui leniter ventrem adſtringant. At ea, quæ urinam movent, ſi id [38] conſecuta ſunt, in aliam partem humorem avertendo, profunt; ſi non

35. *deſidit*) Lindenius leg. *deſedit*; & capite proximo, *deſideat*, ut & cap. 17. Sed veteres Codices habent, *deſidit*, & poſtea utroque loco, *deſidat*. Hac igitur ſignificatione ſedendi ad ventrem exonerandum, adhibet Celſus, non *deſideo*, ſed *deſido*. Si verum eſt, quod plerique docent, verbum hoc præteritum ſumere ex *deſideo*, hic *deſidit* erit temporis præſentis.

36. *cibos potioneſque eas, quæ adſtringunt alvum*) Hæc mihi ſuſpecta ſunt. Nam infra quoque habetur, *Cibi vero eſſe debent, qui leniter ventrem adſtringant;* deinde, *potui, ſi febricula eſt, aqua pura calida, vel ea, quæ ipſa quoque adſtringat.* Conſtantinus omittit vocem *eas*.

37. *quam aſperrima*) Hoc Scaliger explodendum putat, quod vox *dura* idem ſignificet. Habetur tamen in Mſs. & retineri poteſt; ut mihi videtur.

38. *adſtringant. At ea, quæ urinam movent, ſi id &c.*) Ita ex Conſtantini emendatione, quam Lindenius jam recepit: ſed is habet, *moveant*. Alii legunt, ut eſt in Mſs. Mediceis, *deſtringant* (vel *diſtringant*) *& ea quæ urinam movent* (Cæſarius & alii quidam, *moveant*). *Si ea &c.*

non ſunt conſecuta, noxam augent: itaque niſi in quibus prompte id facere conſuerunt, non ſunt adhibenda. Potui, ſi febricula eſt, aqua pura calida, vel ea, quæ ipſa quoque adſtringat, dari debet: ſi non eſt, vinum leve [39], auſterum. Si pluribus diebus nihil remedia alia [40] juverunt, vetuſque jam vitium eſt, aquæ bene frigidæ potio aſſumpta ulcera adſtringit, & initium ſecundæ valetudinis facit. Sed ubi venter ſuppreſſus eſt, protinus ad calidam potionem revertendum eſt. Solet autem interdum etiam putris ſanies, peſſimique odoris deſcendere: ſolet [41] purus ſanguis profluere. Si ſuperius vitium eſt, alvus aqua mulſa duci [42] debet; tum deinde eadem infundi, quæ ſupra comprehenſa ſunt. Valenſque eſt etiam adverſus cancerem [43] inteſtinorum, minii gleba cum ſa-

39. *leve*) Alii *lene*; quam vocem Scaliger conjungit cum ſequenti, ut *leneauſterum* ſit, quod lene ſimul & auſterum guſtu ſentitur. Ego, ſi *lene* retinendum eſſet, potius ad vini vires referrem, atque intelligerem, non quod auſtero contrarium eſt, ſed quod vehementi. Celſus tamen vinum lene auſtero opponit cap. 5. hujus libri, & manifeſtius cap. 6. ut eo loco demonſtravi. Rectius igitur *leve* hoc loco Lindenius legit, ut quidam Codices habent: in qua voce ſæpe variari, & ego, & alii antea adnotarunt. Sic lib. 6. cap. 6. ſect. 8. Codices alii, *vinum leve*, *ſubauſterum*, alii *lene* habent; & lib. 3. cap. 22. nonnulli Aldinam Editionem ſecuti leg. *Vinum aſſumi debet lene*, *auſterum*; alii cum Edd. priſcis, *leve*, *auſterum*; & ita eſt in Cod. Medic. I. Capite autem 18. hujus libri Conſtantinus margini adſcripſit *lene*, cum *leve* & (Stephanus, *aut*) *auſterum vinum* communiter legeretur. Apud Ciceronem quoque lib. 5. Tuſcul. cap. 5. *levia quædam vina nihil valent in aqua*; alii leg. *lenia*. Ceterum *leve* de vino eadem ſignificatione dici videtur, qua de cibo & potione in univerſum dicitur lib. 2. cap. 18. id eſt infirmum & facile ad concoquendum. Hac notione adhibet & Plinius lib. 23. cap. 1. *Leviſſimum* (vinum) *eſt*, *quod celerrime inveteratur*. Nos Itali quoque dicimus *vino leggiero*.

40. *alia*) Lindenius leg. *illa*, ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ. Sed in Mſs. noſtris eſt *alia*.

41. *ſolet*) Lindenius addit, *& interdum*: Conſtantini vero Editio ita habet in margine: *ſolet & purus ſanguis interdum profluere*.

42. *duci*) Lindenius leg. *delui*. In Cod. Vaticano II. eſt *dulci* mendoſe: itaque littera *l* expungitur. Infra vero omnes Codices habent, *eadem infundi*, non, ut Editio an. 1538. & Lindenius, *etiam infundi*; neque, ut Pantinus, Stephanus, & Ronſſeus, *eodem infundi*.

43. *cancerem*) Ita ediderunt Ruellius & Lindenius; & ita in uno Ms. Codice Conſtantinus, in uno Scaliger, in tribus Rhodius, in Mediceis, excepto primo, & in Vaticanis ego inveni. Vaticani II. & VII. mendoſe habent *carterem*, Mediceus VI. *canterem*. Significatur ulcus putridum ac ſerpens, quod interdum in inteſtinis fieri, cum aliquem tormina prehenderunt, Galenus quoque & alii prodidere. Neque dubium eſt, quin illud Celſus ratione quadam cancrum appellare potuerit; ut Scribonius Largus item appellat Cap. 28. n. 114. Illud dubium, num *cancerem* dixerit: ſolet enim *cancrum*. Nam quod Scaliger ſcribit: *alibi conjungit cancerem cum inteſtinorum gangræna*: *unde dyſenteria ſæpe cancer inteſtinorum ab eo nuncupatur*; non puto loca me invenire poſſe, niſi ipſe oſtenderit. Quare, cum alibi ſemper *cancer*, *cancri*, non *canceris*, Celſus efferat, hic efferendi modus haud facile ex hoc uno loco ei attribui poteſt; præſertim cum lectio variet. Quod niſi & Medicei I. in hac parte, qua ſuppletus eſt, & IV. qui ad illius fidem

ſalis hemina contrita, ſi miſta his aqua [44] in alvum datur. At ſi ſanguis profluit, cibi potioneſque eſſe debent, quæ adſtringant.

XVI. Ex torminibus interdum inteſtinorum lævitas oritur; qua [45] continere nihil poſſunt, & quidquid aſſumptum eſt, imperfectum [46] protinus reddunt. Id interdum ægros trahit, interdum præcipitat. In hoc utique adhibere oportet comprimentia; quo facilius tenendi aliquid inteſtinis vis ſit. Ergo & ſuper pectus ponatur [47] ſinapi; exulcerataque cute, malagma, quod humorem evocet: & ex verbenis decocta in aqua [48] deſidat: & cibos potioneſque aſſumat, quæ alvum adſtringunt: & frigidis utatur perfuſionibus. Oportet tamen proſpicere, ne, ſimul his omnibus admotis, vitium contrarium per immodicas inflationes oriatur. Paulatim ergo firmari inteſtina debebunt, aliquibus quotidie adjectis. Et cum in omni fluore ventris, tum in hoc præcipue neceſſarium eſt, non quoties libet deſidere, ſed quoties neceſſe eſt; ut hæc ipſa mora [49] in conſuetudinem ferendi oneris inteſtina deducat. Alterum quoque, quod æque ad omnes ſimiles affectus pertinet, in hoc maxime ſervandum eſt; ut, cum pleraque utilia inſuavia ſint, qualis eſt plantago, & rubi, & quidquid malicorio miſtum eſt, ea potiſſimum ex his dentur, quæ maxime æger volet: deinde, ſi omnia iſta faſtidiet, ad excitandam cibi cupiditatem, interponatur aliquid minus utile, ſed magis gratum. Exercitationes & frictiones huic quoque morbo neceſſariæ ſunt; & cum his ſol, ignis,

fidem hic quoque caſtigatus eſt, parum firma eſſet auctoritas, minus dubitarem *ulcera* ex iis Codicibus retinere, ut alii legunt. Generalis enim vox eſt, quæ cancrum quoque, ut ſpeciem, comprehendit.

44. *ſi miſta his aqua*) Antea legebatur: *ſi* (in Edit. Lindenii & in margine Conſtantinianæ, *ſin*) *minus*, *miſta his aqua*; ut eſt in Codice Medic. I. Ego ſic repoſui ex aliis Codicibus; neque aliter legendum videtur.

45. *qua*) Hæc Lindenii emendatio mihi valde probatur. Antea legebatur, *quæ*.

46. *imperfectum*) Lindenius leg. *inconfectum*. Sed ſi vox *inconfectus* Facciolato dubia eſt, quod neque alibi occurrat, ut ipſe affirmat, & hic quinque Editiones apud eum, ut aliæ item & duo Mſs. Codices apud Morgagnum, aliter habeant; eo magis mihi dubia eſſe debet, qui *imperfectum* invenerim etiam in Codicibus Mediceis & in Editione principe & in vetuſtiſſima an. 1493.

47. *ponatur*) *ponetur* omnes legunt, præter Lindenium; & infra, præter eumdem Lindenium & Conſtantinum, *utetur*.

48. *ex verbenis decocta in aqua*) Sic Lindenius ex emendatione Conſtantini, qui ſuam conjecturam confirmat ex loco illo cap. 27. *fovere inferiores partes aqua decocta ex verbenis comprimentibus*. Confirmare poterat aliis duobus ſimilibus locis lib. 6. cap. 18. ſect. 8. & 9. Antea legebatur, ut habent Codices Medicei, *ex verbenis decoctis aqua*.

49. *hæc ipſa mora*) Stephanus leg. *hac ipſa mora*.

ignis, balneum, vomitus, ut Hippocrati viſum eſt, etiam albo veratro, ſi cetera parum proficient, evocatus.

XVII. Nonnumquam autem lumbrici quoque occupant alvum; hique modo ex inferioribus partibus, modo fœdius [50] ore redduntur: atque interdum latos eos, qui pejores ſunt, interdum teretes videmus. Si lati ſunt, aqua potui dari debet, in qua lupinum, aut cortex mori decoctus ſit; aut cui adjectum ſit contritum vel hyſſopum, vel piperis acetabulum, vel ſcammoniæ [51] paulum. Vel etiam pridie, cum multum allium ederit, vomat: poſteroque die mali Punici tenues radiculas colligat, quantum manu comprehendet; eas contuſas [52] in aquæ tribus ſextariis decoquat, donec tertia pars ſuperſit; huc adjiciat [53] nitri paulum, & jejunus bibat. Interpoſitis deinde tribus horis, duas potiones ſumat, aut aquæ, vel muriæ duræ ſit adjecta [54]: tum deſidat ſubjecta calida aqua in pelve. Si vero teretes ſunt, qui pueros maxime exercent, & eadem dari poſſunt, & quædam leviora; ut contritum ſemen urticæ, aut braſſicæ, aut cumini cum aqua, vel mentha cum eadem [55], vel abſinthium decoctum, vel hyſſopum ex aqua mulſa, vel naſturtii ſemen cum aceto contritum. Ediſſe etiam & lupinum, & allium prodeſt; vel in alvum oleum [56] ſubter dediſſe.

 XVIII.

50. *modo fœdius*) Lindenius leg. *modo, quod fœdius*.

51. *vel ſcammoniæ*) Cæſarius, Ruellius, & Lindenius omittunt *vel*; quam particulam, cum in priſcis quoque Editionibus deeſſet, reſtituit Egnatius, & ego inveni in Cod. Medic. I. Hic locus ita legitur in aliis Mſs. *vel hyſopum, vel piperis acetabulum, vel hyſopum ſcamoniæ &c.* Hinc error. Quidam enim duas voces, *vel hyſopum*, ante *ſcamoniæ*, tollendas putarunt, cum *hyſopum* dumtaxat tollenda ſit.

52. *eas contuſas*) Ita ex Mſs. In Medic. I. additur *que* alia manu: unde vulgo, *eaſque contuſas*.

53. *huc adjiciat*) Forma loquendi ſimilis illius, *quo vinum & oleum adjicitur*, cap. 9. hujus libri. Lindenius leg. *huic*, ut malebat Conſtantinus.

54. *duas potiones ſumat, aut aquæ, vel muriæ duræ ſit adjecta*) Locus hic multis modis depravatus eſt. In Codice Medic. I. & in Editionibus priſcis ita legitur: *duas potiones ſumat, aut aquæ vel muriæ duræ ſic adjectæ*. Lindenius reponit *talis*, pro *aut*, & *huic*, ut placebat Conſtantino, pro *ſic*. Sed Conſtantinus *ut* legendum putabat, pro *aut*. Alii Medicei Codices ita habent: *duas potiones ſumat. At aquæ* (III. & VI. *eque*) *vel muriæ duræ ſit* (II. *ſic*) *adjecta*. Ac recte illud quidem, *ſit adjecta*, ut ego exiſtimo: cetera non item. Omnino videtur quidpiam deeſſe, vel poſt vocem *duræ*, vel ante *aquæ*. Atque *at* fortaſſe ortum eſt ex geminatione poſtremæ ſyllabæ verbi *ſumat*, exque *at* poſtea factum eſt *aut*. Itaque fortaſſe legendum: *duas potiones ſumat aquæ vel muriæ duræ, cui* res quædam *ſit adjecta*. Sed ſine meliorum Codicum auxilio nihil certi conſtitui poteſt.

55. *cum eadem*) Has duas voces alii omittunt.

56. *in alvum oleum &c.*) Alii leg. *malvæ oleum*, ut habet Codex Mediceus I. In

Co-

XVIII. Eſt autem aliud levius omnibus proximis, de quibus ſupra dictum eſt, quod τεινεσμὸν [57] Græci vocant. Id neque acutis neque longis morbis adnumerari debet, cum & facile [58] tollatur, neque umquam per ſe jugulet. In hoc æque atque in torminibus frequens deſidendi cupiditas eſt; æque dolor, ubi aliquid excernitur. Deſcendunt autem pituitæ muciſque ſimilia, interdum etiam leviter ſubcruenta: ſed his interponuntur nonnumquam ex cibo quoque recte coacta [59]. Deſidere oportet in aqua calida; ſæpiuſque ipſum anum [60] nutrire; cui plura medicamenta idonea ſunt: butyrum cum roſa; acacia ex aceto liquata; emplaſtrum id, quod τετραφάρμακον Græci vocant, roſa liquatum; alumen lana [61] circumdatum, & ita appoſitum; eademque ex inferiore parte indita, quæ torminum auxilia ſunt; eædem verbenæ decoctæ, ut inferiores partes foveantur. Alternis vero diebus aqua, alternis leve & auſterum vinum bibendum eſt. Potio eſſe debet egelida & frigidæ propior; ratio [62] victus talis, qualem ad tormina [63] ſupra præcepimus.

XIX.

Codicibus reliquis ſex eſt, *malvum*, manifeſto mendo, pro *in alvum*, ut correxit Egnatius; quem Conſtantinus, Stephanus, & Lindenius ſecuti ſunt.

57. τεινεσμὸν) In Edd. priſcis eſt, *teneſmon*. Quidam cum Cæſario ſcribunt τηνεσμὸν. In Cod. Medic. I. TENECMON.

58. *cum & facile*) In Edit. an. 1538. & in Lindeniana deeſt *&*.

59. *coacta*) Lindenius, *cocta*, ut Conſtantinus legendum putat. Ego retineo *coacta*, quod in Mſs. inveni: nam eadem ſignificatione uſurpatur in lib. 2. cap. 8. *Alvus in hac valetudine ea tuta eſt, quæ quotidie coacta, eaque convenientia iis, quæ aſſumuntur, reddit*. Vide Morgagnum ad locum illum lib. 2. cap. 3. *Pejor cita alvus eſt &c.*

60. *ipſum anum*) Alii leg. *ipſum manu*, ut eſt in Mſs. Mediceis. Ita hunc locum Conſtantinus correxit, atque ita Lindenius edidit. Idem Lindenius poſtea leg. *cui rei plura &c.* Sed vox *rei* non eſt in antiquis libris, neque neceſſaria eſt; quandoquidem Celſus alibi ſic loquitur. Vide ad not. 56. ad lib. 2. cap. 18.

61. *lana*) Lindenius leg. *lanæ*.

62. *egelida & frigidæ propior; ratio &c.*) Ante Lindenium legebatur: *egelida & frigida. Proprior ratio &c.* ut eſt in Medic. I. aliiſque Mſs.

63. *ad tormina*) Ita Lindenius cum Cæſario. Alii legunt, ut Codices Medicei habent, *in tormina*; ideſt contra tormina. Conſtantinus ex conjectura, *in torminibus*. Sic cap. 5. hujus libri: *eadem fere facienda ſunt, quæ in faucibus exulceratis præcepta ſunt*; lib. 5. cap. 28. ſect. 11. *conveniunt quæ in vulneribus expoſita ſunt*; lib. 7. cap. 33. *Cetera poſtea ſic facienda, ut in vulneribus, in quibus pus moveri debet, præceptum eſt*; lib. 8. cap. 6. *vapore, ut in naribus poſui, fovenda*. Itaque Conſtantino magis accedendum videtur. Niſi forte duæ voces, *in tormina*, interpretis alicujus ſunt; & Celſus ſcripſit, *qualem ſupra præcepimus*; caput decimum quintum non magis, quam decimum ſextum, reſpiciens; cum utrobique eamdem victus rationem proponat; *cibos* videlicet *potioneſque, quæ alvum adſtringunt*.

XIX. Levior etiam, dum recens, dejectio eſt [64]; ubi & liquida alvus, & ſæpius quam ex conſuetudine fertur: atque interdum tolerabilis dolor eſt, interdum graviſſimus; idque pejus eſt. Sed uno die fluere alvum ſæpe pro valetudine eſt: atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat. Purgatur enim corpus, &, quod intus læſurum erat, utiliter effunditur. Verum ſpatium periculoſum eſt: interdum enim tormina ac febriculas excitat, vireſque conſumit. Primo die quieſcere ſatis eſt; neque impetum ventris prohibere. Si per ſe deſiit, balneo uti, paulum cibi capere: ſi manſit, abſtinere non ſolum a cibo, ſed etiam a potione. Poſtero die, ſi nihilominus liquida alvus eſt, æque conquieſcere; paulum adſtringentis cibi ſumere. Tertio die in balneum ire: vehementer omnia præter ventrem perfricare: ad ignem lumbos, ſcapulaſque admovere: cibis uti, ſed ventrem contrahentibus; vino non multo, meraco. Si poſtero quoque die fluet, plus ediſſe, ſed vomere etiam. Ex toto [65], donec conquieſcat, contra ſiti, fame, vomitu niti. Vix enim fieri poteſt, ut, poſt hanc animadverſionem, alvus non contrahatur. Alia via eſt, ubi velis ſupprimere: cœnare, deinde vomere: poſtero die in lecto [66] conquieſcere; veſpere ungi, ſed leniter: deinde panis circa ſelibram ex vino Aminæo mero ſumere; tum aſſum aliquid, maximeque avem; & poſtea vinum idem bibere aqua pluviali miſtum: idque uſque quintum diem [67] facere, iterumque vomere. Frigidam autem aſſidue potionem eſſe debere, contra priores auctores Aſclepiades affirmavit, & quidem quam frigidiſſimam. Ego experimentis quemque in ſe credere debere exiſtimo, calida potius, an frigida utatur. Interdum autem evenit, ut id [68]

 plu-

64. *dejectio eſt*) Lindenius omittit *eſt*, & poſtea leg. *In qua interdum*, pro *atque interdum*, ut & alii legunt, & legendum eſt ex Mſs. Mediceis.

65. *ſed vomere etiam. Ex toto &c.*) Locus hic olim ſic interpungebatur: *ſed vomere etiam ex toto, donec conquieſcat. Contra ſiti &c.* Et, quia error errorem parit, *Contra ſitim* eſt in Editione an. 1493. quam plerique ſecuti ſunt. Lindenius, recte interpungendo, ita locum reſtituit. Fortaſſe tamen legendum: *ſed vomere. Et ex toto, donec conquieſcat, contra ſiti &c.* ſicut lib. 2. cap. 15. *Et ex toto numquam geſtari corpus dolens debet*; lib. 3. cap. 7. ſect. 1. *Et ex toto, non ſic pueri, ut viri, curari debent.* Niſi ejicienda ſit particula *etiam*; quæ porro omittitur in Editione Conſtantini. Invenitur tamen in Codicibus Mediceis.

66. *in lecto*) Præpoſitionem *in* non habet Lindenius; ut neque Editio an. 1538.

67. *uſque quintum diem*) Quidam cum Cæſario leg. *uſque ad quintum diem*.

68. *id*) Linden. *id malum*.

pluribus diebus neglectum, curari difficilius poſſit. A vomitu oportet incipere: deinde poſtero die veſpere tepido loco [69] ungi; cibum modicum aſſumere, vinum meracum quam aſperrimum; impoſitam ſuper ventrem habere cum cerato rutam. In hoc autem affectu corporis neque ambulatione, neque frictione opus eſt: vehiculo ſediſſe, vel magis etiam equo, prodeſt: neque enim ulla res magis inteſtina confirmat. Si vero etiam medicamentis utendum eſt, aptiſſimum eſt id, quod [70] ex pomis fit. Vindemiæ tempore in grande vas conjicienda ſunt pira atque mala ſilveſtria: ſi ea non ſunt, pira Tarentina viridia, vel Signina, mala Scandiana vel Amerina, myrapia [71]; hiſque adjicienda ſunt cotonea, & cum ipſis corticibus ſuis Punica, ſorba, &, quibus magis utimur, etiam torminalia, ſic, ut hæc tertiam ollæ partem teneant: tum deinde ea muſto implenda eſt; coquendumque id, donec omnia, quæ indita ſunt, liquata, in unitatem quamdam coeant. Id guſtui non inſuave eſt; &, quandocumque opus eſt, aſſumptum leniter, ſine ulla ſtomachi noxa, ventrem tenet. Duo aut tria cochlearia uno die ſumpſiſſe, ſatis eſt. Alterum valentius genus: myrti [72] baccas legere, ex his vinum exprimere, id decoquere, ut decima pars remaneat, ejuſque cyathum ſorbere. Tertium, quod quandocumque fieri poteſt: malum Punicum excavare, exemptiſque omnibus ſeminibus, membranas, quæ inter ea fuerunt, iterum conjicere: tum infundere cruda ova, rudiculaque [73] miſcere: deinde malum ipſum ſuper prunam imponere; quod, dum humor intus eſt, non aduritur: ubi ſiccum eſſe cœpit, removere oportet, extractumque cochleari, quod intus eſt, ediſſe. Aliquibus [74] adjectis, majus momentum habet: itaque etiam in piperatum conjicitur, miſceturque cum ſale & pipere, eſt quid ex his edendum eſt. Pulticula [75] etiam, cum qua pau-

69. *loco*) Egnatius, Conſtantinus, & Stephanus leg. *oleo*.

70. *id*, *quod*) Lindenius tollit *id*.

71. *myrapia*) Al. cum Cæſario ſcribunt *myrrhapia*. Niſi vox hæc poſita eſt loco non ſuo, præter pira myrapia, de quibus apud Plinium & Columellam mentio eſt, malorum quoque genus fuiſſe dicendum eſt, quod veteres eodem nomine appellarint.

72. *myrti*) In Cod. Medic. I. & in aliis quoque, *murtæ*.

73. *rudiculaque*) Ante Egnatium legebatur *tudiculaque*, ut eſt in Mſs. Mediceis. Lib. 6. cap. 19. *rudicula miſcere*. Sed ibi quoque plerique Codices depravati ſunt.

74. *Aliquibus*) Lindenius leg. *Hoc aliquibus*.

75. *eſt quid ex his edendum eſt. Pulticula &c.*) Locus vitiatus, & fortaſſe mutilus. Mihi neque Lindenii lectio, *eſturque ex his*. Eden-

paulum ex favo vetere coctum ſit, & lenticula cum malicorio cocta, rubique cacumina in aqua decocta, & ex oleo atque aceto aſſumpta, efficacia ſunt: atque ea aqua [76], in qua vel palmulæ, vel malum cotoneum, vel arida ſorba, vel rubi decocti ſunt, potata [77]: quod genus ſignifico, quoties potionem dandam eſſe dico, quæ adſtringat. Tritici quoque hemina in vino Aminæo auſtero decoquitur; idque triticum jejuno ac ſitienti datur; ſuperque id vinum id ſorbetur: quod jure valentiſſimis medicamentis [78] adnumerari poteſt. Atque etiam potui datur vinum Signinum, vel reſinatum auſterum, vel quodlibet auſterum. Contunditurque cum corticibus, ſeminibuſque ſuis Punicum malum, vinoque tali miſcetur: idque vel merum ſorbet aliquis, vel bibit miſtum. Sed medicamentis uti, niſi in vehementibus malis, ſupervacuum eſt.

XX. 1. Ex vulva quoque fœminis vehemens malum naſcitur: proximeque ab ſtomacho, vel afficitur hæc, vel corpus afficit. Interdum etiam ſic exanimat, ut tamquam comitiali morbo proſternat. Diſtat tamen hic caſus, eo quod neque oculi vertuntur, nec ſpumæ profluunt, nec nervi diſtenduntur: ſopor tantum eſt. Idque [79] quibuſdam fœminis crebro revertens perpetuum eſt. Vbi incidit, ſi ſatis virium eſt, ſanguis miſſus adjuvat: ſi parum eſt, cucurbitulæ tamen defigendæ ſunt in inguinibus. Si diutius aut jacet aut alioqui jacere conſuevit, admovere oportet naribus extinctum ex lucerna linamentum, vel aliud ex iis, quæ fœdioris eſſe odoris retuli, quod mulierem excitet. Idemque aquæ quoque frigidæ [80] perfuſio efficit. Adjuvatque ruta contrita cum melle, vel ex cyprino ceratum, vel quodlibet calidum & humidum cataplaſma, naturalibus pube tenus impoſitum. Inter hæc etiam perfricare coxas, & poplites oportet. Deinde, ubi ad ſe rediit, cir-

cum-

Edenda eſt pulticula &c. ſatis placet; neque, *quod ab his edendum eſt: pulticula &c.* ut habet in libri margine Conſtantinus; neque, *atque ex his edendum eſt. Pulticula &c.* vel *eſtque ex his edendum. Pulticula &c.* ut alicui fortaſſe legendum videbitur. In eo Conſtantino aſſentior, quod poſt *edendum eſt*, diſtinctionis notam ponit. Alii hæc verba ſic diſtinguunt: *eſt quid ex his edendum. eſt pulticula &c.* In Codice Medic. I. habetur, *eſt quid ex his edendum eſt pulticulæ.* Pro *quid*, in Vatic. I. eſt *quis*, in V. *quod*.

76. *atque ea aqua*) Linden. *ut & ea aqua.*

77. *potata*) Gloſſema eſt, ut ego puto.

78. *medicamentis*) Non eſt vox hæc in Cod. Medic. I.

79. *Idque*) Lindenius leg. *Id vitium*; deinde, *perpetuum evadit*, pro *perpetuum eſt*.

80. *aquæ quoque frigidæ*) *quoque* vulgo ab omnibus omittitur, præterquam a Ruellio & Stephano; ſed habetur in Mſs.

cumcidendum vinum eſt in totum annum [81], etiamſi caſus idem non revertitur: frictione quotidie utendum totius quidem corporis, præcipue vero ventris, & poplitum: cibus ex media materia dandus: ſinapi ſuper imum ventrem tertio quoque aut quarto die imponendum, donec corpus rubeat. Si durities manet [82], mollire commode videtur ſolanum in lac demiſſum, deinde contritum; & cera alba atque medulla cervina cum irino, aut ſevum taurinum vel caprinum cum roſa miſtum. Dandum etiam potui vel caſtoreum eſt, vel gith, vel anethum. Si parum pura eſt, purgetur junco quadrato. Si vero vulva exulcerata eſt, ceratum ex roſa fiat, & [83] recens ſuilla adeps, & ex ovis album miſceatur, idque apponatur; vel album ex ovo cum roſa miſtum, adjecto, quo facilius conſiſtat, contritæ roſæ pulvere. Dolens vero ea [84] ſulphure ſuffumigari debet. At ſi purgatio nimia mulieri nocet, remedio ſunt cucurbitulæ, cute inciſa, inguinibus vel etiam ſub mammis admotæ. Si maligna purgatio eſt, ſubjicienda ſunt [85] coeun-

81. *in totum annum*) per integrum annum. Infra cap. 24. *Quidam, cum toto anno a vino, mulſo, venere ſibi temperaſſent, ſecuritatem totius vitæ conſecuti ſunt.* Rittershuſius ad Phædrum lib.4.fab.20. ut notat Almeloveenius, vocem *annum* delendam putat, ut legatur *in totum*, id eſt omnino; velut lib.6.cap.9. *vinum ex toto circumcidendum eſt*. Extat tamen vox illa in Mſs. omnibus.

82. *Si durities manet*). Non apparet de qua duritie loquatur. Aliqua fortaſſe deſunt ad alios vulvæ morbos attinentia, præſertim ad ejus inflammationem, de qua mentio eſt in lib. 5. cap. 21. ſect. 4. & cap. 25. ſect. 3.

83. *fiat, &*) Lindenius leg. *fiat: etiam*: ſupra vero, *purgetur*; cum *fiet*; & antea legeretur, & *purgatur*, ut eſt in Mſs. Mediceis. Si verbum *fiet* retinendum eſt, omnino lego, *fiat*; ſed fortaſſe tollendum eſt, legendumque, *ceratum ex roſa, & recens &c.* Sive autem id verbum tollatur, ſive non tollatur, ſenſus eſt: ceratum ex roſa, ſuillam adipem, & album ex ovis ſimul miſcenda eſſe, atque apponenda.

84. *ea*) Invenitur pronomen hoc in omnibus Mſs. ſed fortaſſe ex gloſſemate. Lindenius reponit *vulva*.

85. *ſubjicienda ſunt*) Multa hic deſiderari Morgagnus oſtendit: quæ vero ea ſint, ex capitum titulis colligit, quorum index cuilibet libro præmittitur in duobus Mſs. Codicibus, quibus uſus eſt. Ejuſmodi indices habentur etiam in Mediceis II. III. IV. V. VI. & VII. titulique ad hunc locum pertinentes ita ſe habent in illis Codicibus:

Vulva (al. *Volva*) *exulcerata eſt.*
De veſica.
De calculis in veſica.
In omni dolore veſicæ.

Atque in IV. & V. numerus quoque capitum adſcribitur; in quarto *CII. CIII. CIV. CV.* in quinto *CV. CVI. CVII. CVIII.* In Codice autem vetuſtiori argumentum hujus lib. ita proponitur: *De capitis doloribus, de diſtentione oris, linguæ reſolutione, deſtillatione, gravedine, rigore cervicis, angina, difficultate ſpirandi, faucium exulceratione, ſanguinis ore redditi, de adfectibus ſtomachi, laterum, pulmonis, iocineris, lienis, renum, cholere, cœliaco, ileo, colo, torminibus dyſenteria, lumbricis, teneſmo, deiectione, vulvæ & veſicæ vitiis, profuſione ſeminis, coxis, genibus, umeris, pedibus, manibus dolentibus.* Porro lacunam hoc loco plerique Codd. habent, alii magnam, alii parvam. In aliquibus, præter ea, quæ dixi, deſunt, cum parte reliqua hujus capitis, etiam duo proxima capita XXI. & XXII.

* * * * * *

coeuntia [86]. Id faciunt etiam albæ olivæ, & nigrum [87] papaver cum melle aſſumptum, & gummi cum trito ſemine apii liquatum, & cum cyatho paſſi datum. Præter hæc, in omnibus veſicæ [88] doloribus idoneæ potiones ſunt, quæ ex odoribus fiunt, id eſt ſpica nardi, croco, cinnamo [89], caſia, ſimilibuſque: idemque etiam decocta lentiſcus præſtat. Si tamen intolerabilis dolor eſt, & ſanguis profluit, etiam ſanguinis detractio apta eſt; aut certe coxis admotæ cucurbitulæ cute inciſa.

2. At cum urina ſuper [90] potionum modum etiam ſine dolore profluens [91] maciem & periculum facit, ſi tenuis eſt, opus eſt exercitatione & frictione, maximeque in ſole, vel ad ignem: balneum rarum eſſe debet, neque longa in eo mora: cibus comprimens: vinum auſterum meracum, per æſtatem, frigidum, per hiemem, egelidum; ſed tantum, quantum minimum ſit. Infima alvus quoque vel ducenda [92] vel lacte purganda eſt. Si craſſa urina eſt, vehementior eſſe debet & exercitatio, & frictio: longior in balneo mora:

86. *coeuntia*) Ita in Mſs. omnibus. Quidam cum Cæſario leg. *coercentia*; in his Lindenius.

87. *olivæ*, *& nigrum &c.*) Hic quoque Cæſariana, & aliæ quædam Editiones ab antiquis Codicibus nonnihil variant, quod non habent particulam *&*. Lindeniana neque *&* habet, &, ut notat Morgagnus, habet *violæ*, pro *olivæ*.

88. *veſicæ*) Lindenius leg. *vulvæ*: quæ fuit Conſtantini conjectura, haud perſpicientis, quomodo a vulvæ morbis ad morbos veſicæ ſermo converſus ſit. Neque enim noverat, quam multa ſupra deſiderarentur.

89. *cinnamo*) Al. cum Egnatio, *cinnamomo*.

90. *ſuper*) In Mſs. Codicibus *ſuper* & *ſupra* ſæpe variant. Fortaſſe hic legendum, *ſupra*.

91. *etiam ſine dolore profluens*) Etiamſi dolor non eſt &c. Hæc autem verba reſpiciunt locum ſuperiorem, ubi agitur de urina cum dolore reddita; ut ſignificant verba illa, *in omnibus veſicæ doloribus*. Lindenius hunc locum ita leg. *urina ſuper potionum modum mingitur*, *& jam ſine dolore profluens &c.* ſed reclamant Mſs. Codices & Medicei & Vaticani. Editio an. 1497. habet *ſudore*, pro *dolore*; ſed mendoſe.

92. *Infima alvus quoque vel ducenda*) Alii leg. *In finita*, vel *Infinita*, ut eſt in Cod. Medic. I. In III. aliiſque habetur, *Infima*; & ita reſtituit Egnatius; cui cum aliis multis adſtipulatur etiam Lindenius. Sed vox hæc, ut mihi videtur, addita eſt ab interprete. Neque enim ita loquitur Celſus. Lib. 2. cap. 12. ſect. 2. *Plerumque vero alvus potius ducenda eſt*; lib. 3. cap. 7. *ducenda alvus vel aqua vel ptiſanæ cremore*, & cap. 12. *præter hæc ducenda alvus eſt*; & cap. 14. *dicit* (Aſclepiades) *alvum duci oportere*; & cap. 15. *ducere alvum*. Plura ſimilia loca ſunt, quæ declarant vocem *infima* redundare, atque alienam eſſe.

ra: cibis opus eſt teneris [93]: vinum idem. In utroque morbo vitanda omnia ſunt, quæ urinam movere conſuerunt.

XXI. Eſt etiam circa naturalia vitium, nimia profuſio ſeminis, quod ſine venere, ſine nocturnis imaginibus ſic fertur, ut, interpoſito ſpatio, tabe hominem conſumat. In hoc affectu ſalutares ſunt vehementes frictiones, perfuſiones, natationeſque quam frigidiſſimæ: neque cibi, nec potio, niſi frigida aſſumpta. Vitare autem oportet [94] cruditates, & omnia inflantia: nihil ex iis aſſumere, quæ contrahere ſemen videntur; qualia ſunt, ſiligo, ſimila, ova, alica, amylum, omnis caro glutinoſa, piper, eruca, bulbi, nuclei pinei. Neque alienum eſt, fovere inferiores partes aqua decocta ex verbenis comprimentibus: ex iiſdem aliqua cataplaſmata imo ventri inguinibuſque circumdare; præcipueque ex aceto rutam: vitare & ne [95] ſupinus obdormiat [96].

XXII. Supereſt, ut ad extremas partes corporis veniam, quæ articulis inter ſe conſeruntur. Initium a coxis faciam. Harum ingens dolor eſſe conſuevit: iſque hominem ſæpe debilitat, & quoſdam non dimittit. Eoque id genus difficillime curatur, quod fere poſt longos morbos vis peſtifera [97] huc ſe inclinat: quæ ut alias partes [98] liberat, ſic hanc ipſam [99] quoque affectam prehendit. Fovendum primum aqua calida eſt: deinde utendum calidis cataplaſmatis [1]. Maxime prodeſſe videtur, aut cum hordeacea farina, aut cum ficu ex aqua decocta miſtus capparis cortex conciſus; vel lolii farina ex vino diluto cocta, & miſta cum arida [2] fæce: quæ quia refrigeſcunt, imponere noctu malagmata commodius eſt. Inulæ

93. *teneris*) Conſtantinus mallet, *tenuibus*. In Cod. Mediceo vetuſtiori eſt, *teneribus*.

94. *Vitare autem oportet*) Lindenius leg. *Oportet autem vitare*; deinde, *nihilque*, pro *nihil*.

95. *præcipueque ex aceto rutam: vitare & ne &c.*) Pro *& ne*, ut habent etiam Codices Medicei, quidam, Pantinum ſecuti, leg. *etiam ne*. Sic autem interpungendus eſt hic locus cum Conſtantino, Ronſſeo, & Morgagno. Al. *præcipueque ex aceto rutam vitare, & ne &c.* Lindenius leg. *præcipueque ex aceto. Vitare autem oportet rutam & ne &c.*

96. *obdormiat*) Lindenius, *dormiat*.

97. *vis peſtifera*) Idem, *vi peſtifera*; deinde, *quod ut*, pro *quæ ut*.

98. *alias partes*) Ita in Edit. Lindenii, in margine Conſtantinianæ, & in Cod. Vatic. I. Alii habent, *illas partes*.

99. *ipſam*) In Cod. Medic. I. *jam ipſam*.

1. *cataplaſmatis*) Cod. Medic. I. & hic & cap. ſequenti, *cataplaſmatibus*.

2. *arida*) *acida* legebatur ante Lindenium, & infra, *& ex vino auſtero poſtea cocta*: ut eſt in Cod. Medic. I. atque in aliis quoque.

læ quoque radix contuſa, & poſtea ex vino auſtero cocta, & late ſuper coxam impoſita, inter valentiſſima auxilia eſt. Si iſta non ſolverunt, ſale calido & humido utendum eſt. Si ne ſic quidem finitus dolor eſt, aut tumor ei accedit, inciſa cute admovendæ ſunt cucurbitulæ; movenda urina; alvus, ſi compreſſa eſt, ducenda. Vltimum eſt, & in veteribus quoque morbis [3] efficaciſſimum, tribus aut quatuor locis ſuper coxam, cutem candentibus ferramentis exulcerare. Frictione quoque utendum eſt, maxime in ſole, & eodem die ſæpius; quo facilius ea, quæ coeundo nocuerunt, digerantur [4]: eaque, ſi nulla exulceratio eſt, etiam ipſis coxis; ſi eſt, ceteris [5] partibus adhibenda eſt. Cum vero ſæpe aliquid exulcerandum candenti ferramento ſit, ut materia inutilis evocetur, illud perpetuum eſt, non, ut primum fieri poteſt, hujus generis ulcera ſanare; ſed ea trahere, donec id vitium, cui per hæc opitulamur [6], conquieſcat.

XXIII. Coxis proxima genua ſunt; in quibus ipſis nonnumquam dolor eſſe conſuevit. In iiſdem autem cataplaſmatis cucurbituliſque præſidium eſt: ſicut etiam, cum in humeris, aliiſve commiſſuris dolor aliquis exortus eſt. Equitare ei, cui genua dolent, inimiciſſimum omnium eſt. Omnes autem ejuſmodi dolores, ubi inveteraverunt, vix citra uſtionem finiuntur.

XXIV. In manibus pedibuſque articulorum vitia frequentiora longioraque ſunt; quæ in podagris chiragriſve eſſe conſuerunt. Ea [7] raro vel caſtratos, vel pueros ante fœminæ coitum, vel mu-

E e lie-

3. *in veteribus quoque morbis*) Pro *veteribus*, Editiones Pinzii, Juntæ, Cæſarii, & Lindenii habent *uteri*; ut jam adnotavit Morgagnus. Ortus eſt error ex eo, quod in Editione principe Florentina, & in Veneta an. 1493. mendoſe eſt *uteribus*. Sed omnes Medicei Codices plane habent *veteribus*.

4. *digerantur*) In Mſs. & Mediceis & Vaticanis, inque Editionibus priſcis, *dirigantur*. Ego cum Pantino & Lindenio ſecutus ſum Editionem Cæſarii. Conſtantinus quoque in margine habet *digerantur* ex veteri quodam libro.

5. *ſi eſt, ceteris &c.*) Alii leg. *ſicut et ceteris*. In Cod. Medic. I. eſt, *ſic et ceteris:* quod non longe abeſt a Lindenii lectione, quam ego probavi.

6. *opitulamur*) Plerique cum Editione an. 1493. habent *opitulantur*. Sed in Edit. I. & in Lindeniana, & in Mſs. legitur *opitulamur*.

7. *ſunt; quæ in podagris chiragriſve eſſe conſuerunt. Ea &c.*) Hæc verba ita legit & diſtinguit Lindenius: *ſunt. Quæ in podagricis chiragriciſve eſſe conſuerunt, ea &c.* Sed perperam: quia Celſus hoc loco non loquitur, niſi de podagra chiragraque. Ego valde dubito, ne hoc totum, *quæ in podagris chiragriſve eſſe conſuerunt*, ex margine ſit aſſumptum. Videtur enim eſſe explicatio quædam membri præcedentis, ab eodem adſcripta, a quo illa, *quod in podagra chiragrave eſſe conſuevit*, in lib. 1. cap. 19.

lieres, niſi quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, tentant. Vbi ſentiri cœperunt, ſanguis mittendus eſt: id enim inter initia ſtatim factum, ſæpe annuam, nonnumquam perpetuam valetudinem bonam præſtat [8]. Quidam etiam, cum aſinino lacte epoto ſeſe eluiſſent [9], in perpetuum hoc malum evaſerunt. Quidam, cum toto anno a vino, mulſo, venere ſibi temperaſſent, ſecuritatem totius vitæ conſecuti ſunt. Idque utique poſt primum dolorem ſervandum eſt, etiamſi quievit. Quod ſi jam conſuetudo ejus facta eſt, poteſt quidem aliquis eſſe ſecurior iis temporibus, quibus dolor ſe remiſit: majorem vero curam adhibere debet iis [10], quibus id revertitur; quod fere vere autumnove fieri ſolet. Cum vero dolor urget [11], mane geſtari debet; deinde ferri, inambulatione leni ſe dimovere [12], &, ſi podagra eſt, interpoſitis temporibus exiguis, in-

8. *perpetuam valetudinem bonam præſtat*) Editiones priſcæ vocem *bonam* non habent; ut neque Cod. Mediceus I. Sed cum Egnatius aliique nonnulli legerent, *perpetuam valetudinem totam præſtat*; Conſtantinus *bonam* pro *totam* reponendum exiſtimavit; itaque Lindenius repoſuit. Hanc lectionem illud maxime firmat, quod eadem loquendi forma occurrit lib. 6. cap. 19. *annuam valetudinem bonam præſtat*; ut communiter legitur, & legendum eſt; quamvis quidam Mſs. Codices aliter habeant. Cum igitur vox *totam* ſit in multis Mſs. quam mendoſam eſſe nemo non videt, emendationem a Celſo ipſo habemus. Adjunctum autem *bonam*, non ſolum allato in loco adhibet, ſed & in aliis multis. Lib. 2. cap. 14. *ut quamprimum bona valetudo contingat*; lib. 4. cap. 4. ſect. 1. *facilis ad bonam valetudinem recurſus eſt*; & cap. 5. *reddit huic imbecillitas ſua, niſi iiſdem defenditur bona valetudo, quibus reddita eſt*. Etiam in præfatione lib. 1. *præſtare valetudinem* dixit, & *ſecundam*, id eſt bonam, adjunxit: *Nam quæ demum cauſę, vel ſecundam valetudinem pręſtent, vel morbos excitent &c.*

9. *aſinino lacte epoto ſeſe eluiſſent*) In Codicibus Mediceis pleriſque, & in nonnullis Vaticanis habetur: *aſinino lotio ſe eluiſſent*. Egnatius aliique quidam leg. *aſinino lotio epoto ſe eluiſſent*. Lindenius, *aſinino lacte poto ex toto ſe eluiſſent*. Ego ſecutus ſum Editiones priſcas & Codicem Mediceum I. alioſque ex Vaticanis; ſed libri Mſs. habent *ſeſe*, impreſſi, *ſe*.

10. *debet iis*) Antea legebatur, *debent ii*, vel *hi*; nec aliter in Mſs. inveni. Sed *iis*, id eſt temporibus, legendum eſſe Morgagnus oſtendit. Ita igitur reſtitui: præterea, ut omne vitium tolleretur, pro *debent* repoſui *debet*; quod verbum regitur ab *aliquis*. Facile autem perſpicitur, quæ fuerit erroris cauſa: *debet* conſtare non poterat, cum eſſet *ii*; ideo *debent* legendum putarunt.

11. *Cum vero dolor urget*) Aldinam & vetuſtiores Editiones ſequor, cum quibus conſentit Cod. Medic. I. Hæc autem verba opponuntur præcedentibus, *iis temporibus, quibus dolor ſe remiſit*; ac tempus ſignificant, quo æger laborat ex dolore: ut & illa oſtendunt, quæ infra ſunt: *Vbi dolor & inflammatio ſe remiſerunt*. Cæſarius, & poſt eum omnes leg. *non urget*; & ita Mediceus III. aliique Codices habent. Verum ex iſta lectione illud ſequitur, ut Celſus, quæ victus ratio in ipſo dolore ſervanda ſit, explicare omiſerit. Atqui id præcipuum erat, quod explicare debebat. Nam hoc vitium ex iis eſt, *quibus victus ratio maxime ſubvenit*; ut dicitur initio libri proximi.

12. *mane geſtari debet; deinde ferri, inambulatione leni ſe dimovere*) Omnia recte habebunt, ſi tollatur *ferri*; quod idem ſignificat atque *geſtari*. Cum autem in pleriſque Mſs. ſit non *mane geſtari*, ſed *manu* ge-

invicem modo ſedere, modo ingredi [13]; tum, antequam cibum capiat, ſine balneo, loco calido leniter perfricari, ſudare, perfundi aqua egelida; deinde cibum ſumere ex media materia, interpoſitis rebus urinam moventibus; quotieſque plenior eſt, evomere. Vbi dolor vehemens urget, intereſt, ſine tumore is ſit, an tumor cum calore, an tumor jam etiam obcalluerit [14]. Nam ſi tumor nullus eſt, calidis fomentis opus eſt. Aquam marinam, vel muriam duram fervefacere oportet, deinde in pelvem conjicere, &, cum jam homo poteſt [15], pedes demittere, ſuperque pallam dare, & veſtimento tegere; paulatim deinde juxta labrum ipſum ex eadem aqua leniter infundere, ne calor intus deſtituat; ac deinde noctu cataplaſmata calefacientia imponere, maximeque hibiſci radicem ex vino coctam. Si vero tumor calorque eſt, utiliora ſunt [16] refrigerantia, recteque in aqua quam frigidiſſima articuli continentur; ſed neque quotidie, neque diu [17], ne nervi lædantur [18]. Imponendum vero eſt cataplaſma, quod refrigeret: neque tamen in hoc ipſo diu [19] permanendum; ſed ad ea tranſeundum,

 quæ

geſtari, fortaſſe aliquis interpres margini adſcripſit *ferri*: nam, ut eſt apud Cajum JCum l. 235. ff. de V. S. *ferri proprie dicimus*, *quæ quis ſuo corpore bajulat*. In Codice Mediceo I. eſt *mageſtari*, &, ſupra hanc vocem, *ne*, ut legatur *mane geſtari*. Palavicinus vero *ne* in *nu* vertit, fecitque *manu geſtari*. Cetera ita leguntur in Codice illo: *debet deinde ferri in ambulationem ibi ſe dimovere*. Codices alii habent, *manu geſtari debet*, *deinde ferri in ambulatione levi ſe dimovere* (al. *movere*): atque ita pene ab omnibus vulgo legitur; niſi quod plerique, duabus vocibus in unam contractis, habent *inambulatione*. Lindenius leg. *aut in ambulatione leni*. In Editione prima, & in duabus pervetuſtis ann. 1493. 1497. & in Juntina, pro *ferri*, mendoſe eſt *fieri*.

13. *ingredi*) In multis Mſs. Codicibus, *ambulare*.

14. *an tumor jam etiam obcalluerit*) Libri Mſs. habent *obcaluerint*; vulgati *obcaluerit*. Ego repoſui *obcalluerit*. Fortaſſe tamen legendum, *an tumores jam etiam obcalluerint*. Nam in Cod. Mediceo I. eſt *an tumore ſint etiam obcaluerint*. Ita paulo infra; *Si vero tumores etiam obcalluerunt*.

15. *&, cum jam homo pati poteſt*) In quibuſdam Codicibus Mſs. deeſt particula *&*.

16. *utiliora ſunt*) Lindenius leg. *utilioraque ſunt*; quo modo eſt in Editione Cæſarii an. 1538. ſed, ut videtur, mendoſe; cum in Editione ejuſdem Cæſarii an. 1528. non extet *que*.

17. *neque diu*) Alii omnes addunt *fit*; Lindenius, *fiat*: quod verbum ego ſuſtuli ex fide Codicis Medicei I.

18. *lædantur*) Editiones priſcæ & Lindeniana cum Codice modo allato, *indureſcant*. Sed, ut ego opinor, explanatio quædam eſt verbi *lædatur*, quod ceteri Medicei Codices, atque Aldina & multæ aliæ Editiones habent. Poſt proxima verba, *Imponendum vero eſt*; Ruellius addit, *eruca plantago*, ex depravato Codice. In pluribus enim legitur, *imponendum eruca plantago*, *ut refrigeret*, pro *imponendum vero eſt cataplaſma*, *quod refrigeret*, ut eſt in Mediceo I.

19. *in hoc ipſo diu*) Quidam, ſecuti Edit. an. 1538. omittunt *diu*. Egnatius leg. *in hoc cotidie*; ut habent aliqui Codices: Ruellius, *in hoc cotidie diu*.

quæ ſic reprimunt, ut emolliant. Si major eſt dolor, papaveris cortices in vino coquendi, miſcendique cum cerato ſunt, quod ex roſa factum ſit: vel ceræ & adipis ſuillæ tantumdem una liquandum, deinde his vinum miſcendum, atque ubi, quod ex eo impoſitum eſt, incaluit, detrahendum, & ſubinde aliud imponendum eſt. Si vero tumores etiam obcalluerunt, & dolent, levat ſpongia impoſita, quæ ſubinde ex oleo, & aceto [20], vel aqua frigida exprimitur; aut pari portione inter ſe miſta pix, cera, alumen. Sunt etiam plura idonea manibus pedibuſque malagmata. Quod ſi nihil ſuperimponi dolor patitur [21], id, quod ſine tumore eſt, fovere oportet ſpongia, quæ in aquam calidam demittatur, in qua vel papaveris cortices [22], vel cucumeris ſilveſtris radix decocta ſit: tum inducere articulis crocum cum ſucco papaveris & ovillo lacte. At ſi tumor eſt, foveri quidem debet aqua egelida [23], in qua lentiſcus, aliave verbena ex reprimentibus decocta ſit: induci vero medicamentum ex nucibus amaris cum aceto tritis; aut ex ceruſſa, cui contritæ herbæ muralis ſuccus ſit adjectus. Lapis etiam, qui carnem exedit [24], quem σαρκοφάγον Græci vocant, exciſus, ſic, ut pedes capiat, demiſſos eos, cum dolent, retentoſque ibi levare conſuevit. Ex quo in Aſia lapidi Aſio gratia eſt [25]. Vbi dolor & inflammatio ſe remiſerunt

(quod

20. *& aceto*) Antea communiter legebatur, *vel aceto*, ut habet Cod. Medic. I. Ego ſic repoſui ex aliis Codicibus; nec aliter legendum videtur. Nam miſta oleum & acetum, aut oleum & frigida aqua leniter ſimul & reprimunt & molliunt, ut eſt in lib. 2. cap. 33. ideoque hic utilia ſunt: ſiquidem proximum quoque medicamentum ex pice, cera, alumine, facultatem habet ſimul reprimendi & molliendi. Quod ſi legatur *vel aceto*, pugnantia Celſus ſcripſerit. Nam ſi acetum & aqua frigida, quæ reprimunt & refrigerant, apta ſunt; oleum, quod calefacit & emollit, aptum eſſe non poteſt. Ceterum in lib. 5. quoque cap. 26. ſect. 23. legitur, *circumdare lanam ſuccidam ex aceto & oleo*.

21. *dolor patitur*) Vox *dolor* omittitur in Editionibus ann. 1493. 1497. ſed, ut opinor, librariorum culpa; cum extet in Editione prima. Hoc mendum tamen Conſtantinum quoque cum aliis multis decepit. Porro Conſtantinus ſubaudit *æger*. Lindenius tandem reſtituit *dolor*; quod & in Codicibus Mediceis habetur.

22. *cortices*) Ita ex Cod. Medic. I. Alii leg. *cortex*; Egnatius *corticis*, ut plures Mſs. Codices habent.

23. *egelida*) Quidam cum Cæſario leg. *calida*. Sed in Mediceo I. aliiſque Mſs. Codicibus eſt *egelida*. Quod vel ideo notandum fuit, ut omnes intelligerent, *congelida*, quod habet Ruellii Editio, mendum eſſe; nec vocem *congelidus* ex lectione illa referendam eſſe inter latinas; ut recte monet Facciolatus in Animadverſionibus Criticis in Danetii Lexicon.

24. *exedit*) Lindenii Edit. & Cod. Medic. I. *edit*.

25. *Ex quo in Aſia lapidi Aſio gratia eſt*) Na-

(quod intra dies quadraginta [26] fit , niſi vitium hominis acceſſit) modicis exercitationibus, abſtinentia, unctionibus lenibus utendum eſt, ſic, ut etiam acopo [27] , vel liquido cerato cyprino articuli perfricentur . Equitare podagricis quoque alienum eſt. Quibus vero articulorum dolor certis temporibus revertitur , hos ante & curioſo victu cavere oportet , ne inutilis materia corpori ſuperſit, & crebriore vomitu ; & , ſi quis ex corpore metus eſt, vel alvi ductione uti, vel lacte purgari . Quod Eraſiſtratus in podagricis expulit , ne in inferiores partes factus curſus pedes repleret : cum evidens ſit , omni purgatione non ſuperiora tantummodo , ſed etiam inferiora exinaniri.

XXV. Ex quocumque autem morbo quis convaleſcit , ſi tarde confirmatur , vigilare prima luce debet ; nihilominus in lecto conquieſcere : circa tertiam horam leniter unctis manibus corpus permulcere : deinde delectationis cauſa , quantum juvat , ambulare, circumciſa omni negotioſa actione [28] : tum geſtari diu : multa frictione uti : loca, cœlum , cibos ſæpe mutare : ubi triduo quatriduove vinum bibit , uno aut etiam altero die interponere aquam. Per hæc enim fiet, ne in vitia tabem inferentia incidat , & ut mature vires [29] ſuas recipiat . Cum vero ex toto convaluerit , periculoſe vitæ genus ſubito mutabit , & inordinate aget . Paulatim ergo debebit , omiſſis his legibus , eo tranſire , ut arbitrio ſuo vivat.

Naſcitur lapis hic in Aſſo Troadis ; hinc Galenus lib. 9. de S. M. F. cap. 2. Ἄσσιον nominat . Attamen apud eumdem Galenum πέτρας Ἀσσίας ἄνθος legitur l. c. & apud Dioſcoridem lib. 5. cap. 14. Ἄσιος δὲ λίθος per ſimplex σ ; ut quidem Saracenus edidit . In Celſi quoque Codicibus ſcribitur *Aſius* tum hic , tum alibi . Ita eſt in Mediceis , excepto primo , & in aliquibus Vaticanis : *Ex quo in Aſia lapidi taſio faciunt gratia eſt ad iuvandum* . Sed *ad iuvandum* gloſſema eſt . *Rei alicui gratiam eſſe* , loquendi forma eſt latina , & majori Plinio familiaris . Codex alius apud Conſtantinum ita habet : *Ex quo in Aſſo ſepulchra faciunt* . Et *lapidi Aſio gratia eſt ad juvandum* : quam lectionem Lindenius probavit . Ego ſecutus ſum Editiones antiquas , & Codicem Mediceum I. Sed Editio I. & aliæ omnes ad Aldinam uſque habent *taſio* pro *Aſio* .

26. *quadraginta*) Lindenius leg. *triginta* . Sed *quadraginta* legendum cum aliis , tum ex fide Codicum Mediceorum , tum ratione . Nam ſententia ſumpta eſt ex Hippocrate Sect. 6. Aphor. 49.

27. *acopo*) Cod. Medic. I. *cum acopo* , quocum nonnulli Vaticani conſentiunt , & Lindenii Editio .

28. *negotioſa actione*) Alii leg. *negotioſa cogitatione vel actione* . Sed recte Lindenius , *negotioſa actione* ; quem ego ſecutus ſum , ex fide Codicis Medicei vetuſtioris .

29. *vires*) Cod. Mediceus modo allatus , *vias* ; ſed perperam .

LIBER QVINTVS.

DIxi de iis malis corporis, quibus victus ratio maxime ſubvenit: nunc tranſeundum eſt ad eam medicinæ partem, quæ magis medicamentis pugnat [30]. His multum antiqui auctores tribuerunt, & Eraſiſtratus, & ii qui ſe ἐμπειρικοὺς nominaverunt; præcipue tamen Herophilus, deductique ab illo viri; adeo ut nullum morbi genus ſine his curarent. Multaque etiam de facultatibus medicamentorum memoriæ prodiderunt, qualia ſunt vel Zenonis, vel Andreæ, vel Apollonii, qui Mys [31] cognominatus eſt. Horum autem uſum ex magna parte Aſclepiades non ſine cauſa ſuſtulit; &, cum omnia fere medicamenta ſtomachum lædant, malique ſucci ſint, ad ipſius victus rationem potius omnem curam ſuam tranſtulit. Verum, ut illud in pleriſque morbis utilius eſt, ſic multa admodum corporibus noſtris incidere conſuerunt, quæ ſine medicamentis ad ſanitatem pervenire non poſſunt. Illud ante omnia ſcire convenit [32], quod omnes medicinæ partes ita innexæ [33] ſunt, ut ex toto ſeparari non poſſint; ſed ab eo nomen trahant, a quo plurimum petunt. Ergo & illa, quæ victu curat, aliquando medicamentum adhibet, & illa [34], quæ præcipue medicamentis pugnat, adhibere etiam rationem victus debet; quæ multum admodum in omnibus malis corporis proficit. Sed cum omnia medicamenta proprias facultates habeant, ac ſæpe ſimplicia

cia

30. *medicamentis pugnat*) Pro *pugnat*, quidam cum Cæſario habent *purgat*, tum hic, tum infra.

31. *Mys*) Lindenii Edit. *Mus*. Sed in Codicibus Mediceis ſcribitur *Mys* per *y* (in II. *Mis*) ut apud Cælium Aurelianum lib. 2. Acut. Morb. cap. 13.

32. *convenit*) Aliqui Codices, *oportet*; Mediceus I. *convenit*, ut vulgo legitur.

33. *innexæ*) Ita in Mſs. & in Editionibus vetuſtis. Lindeniana habet *connexæ*, ut eſt in margine Conſtantinianæ: quam vocem Scribonius adhibuit in eadem ſententia cap. 68. *Implicitas Medicinæ partes inter ſe & ita connexas eſſe conſtat, ut nullo modo diduci ſine totius profeſſionis detrimento poſſint.*

34. *Ergo & illa.....& illa &c.*) Ita in Cod. Mediceo primo. Alii Codices habent *Ergo ut illa....ita et illa &c.* alii *Ergo ut illa.....ita illa &c.* Editiones antiquæ *Ergo ut illa....& illa &c.* Lindeniana *Ergo ut illa....ſic illa &c.*

cia opitulentur, ſæpe miſta; non alienum videtur ante proponere & nomina, & vires, & miſturas eorum; quo minor ipſas curationes exſequentibus [35] mora ſit.

I. Sanguinem ſupprimunt, atramentum ſutorium, quod Græci χάλκανθον appellant, chalcitis, acacia, & ex aqua lycium, thus, aloe, gummi, plumbum combuſtum, porrum, herba ſanguinalis, creta vel Cimolia vel figularis [36], miſy [37], frigida aqua, vinum, acetum, alumen, melinum, ſquama & ferri [38] & æris; atque hujus quoque duæ ſpecies ſunt, alia tantum æris, alia rubri æris.

II. Glutinant vulnus, myrrha [39], thus, gummi, præcipueque acanthinum, pſyllium, tragacantha, cardamomum, bulbi, lini ſemen, naſturtium, ovi album, gluten, ichthyocolla, vitis alba, contuſæ cum teſtis ſuis cochleæ, mel coctum, ſpongia vel ex aqua frigida, vel ex vino, vel ex aceto expreſſa; ex iiſdem lana ſuccida; ſi levis plaga eſt, etiam aranea.

Reprimunt, alumen [40] & ſciſſile, quod σχιστὸν vocatur, & liquidum, melinum, auripigmentum, ærugo, chalcitis, atramentum ſutorium.

III. Concoquunt & movent pus, nardum, myrrha, coſtum [41], balſamum, galbanum, propolis, ſtyrax, thuris [42] & fuligo & cor-

35. *ipſas curationes exſequentibus*) Alii leg. *ipſius curationis ex ſequentibus*; Lindenius, *ipſam curationem exſequentibus*. Ego ſic reſtitui ex Codice Mediceo vetuſtiori. Re vera habet, *ipſius curationes*, & in voce *curationes* expungitur littera *s* ſupraque ponitur, *m*, ut ſit, *curationem*. Sed nemo non videt, *ipſius* ex *ipſas* corruptum eſſe, & omnino retinendum, *curationes*.

36. *figularis*) Quædam Edd. habent, *figuralis*.

37. *miſy*) In antiquis Codicibus ſcribitur tum *miſi*, tum *myſi*, tum *miſy*; quæ poſtrema ſcribendi ratio recta eſt. Nam Græca vox eſt, eaque ita ſcribitur: μίσυ.

38. *ferri*) Rubeus affirmat, ſe *utriuſque ferri* ſcriptum inveniſſe in Codicibus Vaticanis. Vbi lateant Codices illi ignoro. Septem certe, quos videre mihi datum eſt in Vaticana Bibliotheca, vocem *utriuſque* non habent: cum quibus Medicei conſentiunt.

39. *myrrha*) In Cod. Medic. I. fere ubique ſcribitur *murra* ſine adſpiratione.

40. *Reprimunt, alumen*) Verbum *reprimunt*, quod eſt in Cod. Medic. I. & in nonnullis Vaticanis, reſtituit Egnatius; ſed legit, *araneum reprimunt, alumen*. Eum Stephanus ſecutus eſt. Ego ſequor Lindenium, & aliquos alios, verba hæc rectius diſtinguentes. Ruellius & Cæſarius omittunt *reprimunt*, quod neque in priſcis Editionibus, neque in reliquis ſex Mediceis Codicibus habetur: itaque *alumen* & reliqua addunt poſt *aranea*, atque hæc quoque ad illa referunt, quæ glutinandi vim habent.

41. *coſtum*) Vulgo, *coſtus*, ut eſt in Cod. Medic. I. Ego *coſtum* repoſui ex aliis Codicibus: & ita habetur, & cap. *6*. hujus libri, & cap. 27. ſect. 7. & lib. 3. cap. 21.

42. *ſtyrax, thuris*) In Cod. Medic. I. *ſtorax turis*; deinde, *ſebum* per *b*, ut multis aliis in locis. *Tus* fere ubique ſine adſpiratione ſcribitur in eo Codice.

cortex, bitumen, pix, ſulphur, reſina, ſevum, adeps, oleum.

IV. Aperiunt tamquam ora in corporibus [43], quod στόμα Græce dicitur [44], cinnamomum, balſamum, panaces, juncus quadratus, pulegium, flos albæ violæ, bdellium [45], galbanum, reſina terebinthina & pinea, propolis, oleum vetus, piper, pyrethrum, chamæpitys, uva taminia [46], ſulphur, alumen, rutæ ſemen.

V. Purgant, ærugo, auripigmentum, quod ἀρσενικὸν a Græcis nominatur; (huic autem & ſandarachæ in omnia eadem vis, ſed validior eſt); ſquama æris [47], pumex, iris, balſamum, ſtyrax, thus, thuris cortex, reſina, & pinea, & terebinthina liquida, œnanthe, lacerti ſtercus, ſanguis columbæ, & palumbi, & hirundinis, ammoniacum, bdellium; (quod in omnia idem, quod ammoniacum, poteſt; ſed valentius eſt [48]); abrotonum, ficus arida, coccum Gnidium, ſcobis eboris, omphacium, radicula, coagulum, ſed maxime leporinum; (cui eadem, quæ ceteris coagulis, facultas, ſed utique validior eſt [49]); fel, vitellus crudus, cornu cer-

43. *Aperiunt tamquam ora in corporibus*) Alii leg. *Vulnera aperiunt &c.* Ego ex fide Cod. Medic. vetuſtioris expuli vocem *Vulnera*, quam ex prava interpretatione intruſam eſſe apparet. Galenus quoque lib. 5. de ſimplic. medic. facult. cap. 5. ſcribit de medicamentis, quæ aperiendi vim habent; ἀνασομωτικὰ appellat.

44. *quod στόμα Græce dicitur*) Ita in omnibus antiquis Codicibus; niſi quod aliqui cum Mediceo I. habent, *ſtoma* litteris latinis. Conſtantinus ita legendum putat: *quæ* ἀνασομωτικὰ *Græce dicuntur*. Lindenius leg. *quod* ἀνασομοῦν *Græce dicitur*. Quo levior mutatio ſit, qui Conſtantino aſſentiuntur, legant, σομωτικὰ; qui Lindenio, σομοῦν. Mihi hæc verba Celſi eſſe non videntur, ſed alicujus interpretis; ideoque explodenda.

45. *bdellium*) Cod. Medic. I. *bdella*, ut in aliquibus aliis locis: ſed capite proximo & cap. 12. habet, *bdellium*; cap. 15. *bdellion*. Hoc loco autem in aliis Codd. quoque & in Edd. priſcis eſt, *bdella*: primus Cæſarius *bdellium* repoſuit. Porro *vidella*, quod pro *bdellium* Geſnerus invenit in quodam Mſ. Vegetii Codice, corruptum videtur ex *bdella*.

46. *taminia*) Aldina Edit. *aminia*: Editiones vetuſtiores, *timinia*, ut & hic & alibi Codex Medic. I.

47. *validior eſt*); *ſquama æris*) Arſenici ſcilicet vis major eſt, quam ſandarachæ. Lindenius leg. *validius eſt*) *ſquama æris*; Editiones vetuſtæ habent, *validior eſt ſquama æris*; Conſtantiniana vero in margine, *validior eſt ſandarachæ*, *ſquama æris*, ſententia minus probanda. In quibuſdam Mſs. ita legitur: *validior eſt, quam æris ſpuma ex iris, balſamum &c.* Sed hoc membrum: *huic autem & ſandarachæ in omnia eadem vis, ſed validior eſt*, fortaſſe Celſi non eſt, & conflatum eſt ex iis, quæ de arſenico habet Plinius lib. 34. cap. 56. *vis eadem, ut ſupra* (i. e. eadem atque ſandarachæ) *ſed acrior*.

48. *quod in omnia idem, quod ammoniacum, poteſt; ſed valentius eſt*) Adnotatio ſimilis præcedenti. Adverte dicendi formam, *in omnia*; quæ, ab eodem auctore utraſque eſſe, declarat. Hæc forma alibi non reperitur in Celſo. Pro *ſed valentius eſt*, Lindenius legit, *ſed hoc valentius eſt*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

49. *cui eadem, quæ ceteris coagulis facultas, ſed utique validior eſt*) Alii habent, ubi-

cervinum, gluten taurinum [50], mel crudum, miſy, chalcitis, crocum, uva taminia [51], ſpuma argenti, galla, ſquama æris, lapis hæmatites, minium, coſtum, ſulphur, pix cruda, ſevum, adeps, oleum, ruta, porrum, lenticula, ervum.

VI. Rodunt, alumen liquidum, ſed magis rotundum, ærugo, chalcitis, miſy, ſquama æris, ſed magis rubri, æs combuſtum, ſandaracha, minium Sinopicum, galla [52], balſamum, myrrha, thus [53], thuris cortex, galbanum, reſina terebinthina humida [54], piper utrumque, ſed rotundum magis, cardamomum, auripigmentum, calx, nitrum, & ſpuma ejus, apii ſemen, narciſſi radix, omphacium, alcyonium, oleum ex amaris nucibus, allium, mel crudum, vinum, lentiſcus, ſquama ferri, fel taurinum, ſcammonia, uva taminia, cinnamomum, ſtyrax, cicutæ ſemen [55], re-

ubique; Lindenius, *utique*, ut in veteri Codice ſe inveniſſe Conſtantinus ſcribit. Mihi hoc membrum præter rem addi videtur, quia duabus particulis, *ſed maxime*, ſententiam ſuam Celſus ſatis expreſſit. Nec aliter ipſe loqui ſolet. Cap. 2. hujus lib. *gummi, præcipueque acanthinum;* lib. 2. cap. 31. *paſtinaca, magiſque agreſtis;* & cap. 32. *lactuca, maximeque æſtiva*. Igitur hæc quoque videtur adnotatio, ex margine inconſulto deſcripta, ſicut ſuperiores duæ. Nequaquam ſunt moris Celſiani; nec ſimile quidquam invenitur in capitibus ſuperioribus, aut in proximis, in quibus res eadem tractatur.

50. *gluten taurinum*) Abſtergendi facultatem habere, Paulus quoque Ægineta ſcribit lib. 7. cap. 3. Lindenius *taurinum* hinc tollit, & addit voci *fel*; ut habet vetus Codex a Conſtantino allatus. Aliter Codices Medicei, ex quorum fide veterem lectionem retinere malui. Ac Plinius quoque Major pluribus locis, & Scribonius Largus Compoſit. 254. adhibet *gluten*, vel *glutinum* cum hoc adjuncto. Celſus tamen cap. 2. hujus libri, ut obſervat Rhodius in Lexico Scriboniano, habet ſine adjuncto: quem locum illuſtrant hæc Plinii verba in lib. 28. cap. 18. *Recentes vero plagas ferro illatas* ſanat *glutinum taurinum &c.* In proximo Celſi capite habetur, *fel taurinum*; at cap. 7. & 12. abſolute, *fel*.

51. *uva taminia*) In libris antiquis additur, *abrotonum*, ſive, ut in aliis ſcribitur, *abrotanum;* (vulgo *abrotonum* ſcribitur a Stephano & Lindenio, neque tamen ubique; ab aliis, *abrotanum*); quod cum ſemel poſitum ſit, Cæſarius, quem Pantinus & Lindenius ſecuti ſunt, hoc loco delevit. *Squama æris* quoque infra delenda eſt, quod perperam bis legatur in hoc capite. Et ſane omittitur in quibuſdam Mſs. in quibus tamen & illa omittuntur: *ſpuma argenti, galla, lapis hæmatites, minium*.

52. *galla*) Lindenius leg. *caſia*. Et ſane in ceteris Codicibus Mediceis eſt, *caſſia*. Primus tamen habet, *galla*, ut alii legunt.

53. *thus*) Alii omnes omittunt hanc vocem, quæ deeſt in Mſs. pleriſque. Eam ego addidi ex Medic. I.

54. *reſina terebinthina humida*) In Mſs. eſt, *humida*, vel *umida*. Si quis non probat, *liquida* reponat ex Editione Lindenii & ex margine Conſtantinianæ: quod ſæpius a Celſo uſurpatur. Attamen cap. 28. hujus libri ſect. 16. Conſtantino & Lindenio conſentientibus, legitur, *reſinæ humidæ*.

55. *cicutæ ſemen*) In Mſs. Codicibus additur, *omphacium, apii ſemen*. Hoc, ex ſuperioribus perperam repetitum, omiſit ille, quicumque fuit, qui duas priores voces, *cicutæ ſemen*, atque alias multas ex præcedentibus, quæ deerant in Cod. Medic. IV. ejus margini adſcripſit. Itaque neque in principe Florentina, neque in Editioni-

bus

ſina [56], narciſſi ſemen, fel, nuces amaræ, oleumque earum [57], atramentum ſutorium, chryſocolla, veratrum, cinis [58].

VII. Exedunt corpus, acaciæ ſuccus, hebenus, ærugo, ſquama æris, chryſocolla, cinis Cyprius [59], nitrum, cadmia, ſpuma argenti, hypociſtis, diphryges, ſal, auripigmentum, ſulphur, cicuta [60], ſandaracha, ſalamandra, alcyonium, æris flos, chalcitis, atra-

bus aliis ſunt tres illæ voces, *omphacium*, *apii ſemen*. Ceterum negant fere Interpretes cicutæ ſemen rodendi facultatem habere; ſed aliqui, veterem lectionem retinentes, myrrhidem ſignificari putant, quam quidam ex recentioribus Medicis *cicutariam* appellarunt. Ego neque hanc interpretationem probo, neque contra meos Codices accedere auſim Lindenio, qui verba mutat & leg. *rutæ* pro *cicutæ*. Pro veteri lectione facere videtur locus Plinii in lib. 30. cap. 13. *Veſpertilionum ſanguis pſilothri vim habet: ſed malis puerorum illitus non ſatis proficit, niſi ærugo vel cicutæ ſemen poſtea inducatur*. Nam ſive *ærugo* cum Harduino, ſive cum aliis *erucæ* legas, vides profecto, cicutæ ſemen facultatem habere ei ſimilem, quam habet ſive erucæ ſemen, ſive ærugo: quæ ſine dubio rodunt. Illud quoque animadvertendum eſt, cum multa ex his, quæ tamquam rodentia in hoc capite proponuntur, in cap. 15. tamquam mollientia proponantur, inter alia etiam *cicutæ ſemen* ibi occurrere.

56. *reſina*) Quæ? plures enim ejus ſpecies ſunt. Num omnes ſub generali nomine comprehendere voluit? Fruſtra igitur ſupra poſuit, *reſinam terebinthinam humidam*. Idem dicendum de voce *fel*, quæ mox ſequitur, cum præcedat *fel taurinum*. Celſus ſcripſiſſet, opinor, ſuo more: *fel*, *maximeque taurinum*. Si non, ut alia multa, *fel* quoque, vel librarii culpa iteratum, vel ab aliquo inſertum fuit, rectius fortaſſe legatur, *ſal*; ut, cum ita a quibuſdam legi monuiſſet Conſtantinus, Lindenius edidit. Dicam tamen quæ res me ab hac mutatione dehortetur. Non ſolet Celſus repetere quod ſemel dixit. Hanc cauſam fuiſſe puto, quamobrem in hoc capite non erucæ & naſturtii & radiculæ ſeminum, non ſinapis, non fici mentionem fecerit; quod nimirum de his, tamquam erodentibus, dixerit in lib. 2. cap. 33. Cum ibi ſalem quoque poſuerit, videri poteſt eadem de cauſa hoc loco omiſiſſe. Si quis hoc argumentum parvi facit, huic videndum eſt, num etiam *reſina* corruptum ſit ex *ſinapi*, & *cicutæ ſemen*, ex *erucæ ſemen*. Atque hoc poſtremum ſuſpicioſius eſſet, ſi *rutæ* ſemen, ut edidit, Lindenius invenit in aliquo Codice ſatis fideli. Nam *rutæ* fortaſſe ortum eſt ex *erutæ*, quod erat mendoſe, pro *erucæ*; quemadmodum *eruta*, pro *eruca*, habet Cod. Medic. VI. paulo infra.

57. *oleumque earum*) En oleum quoque ex amaris nucibus bis poſitum in eodem capite; quod ante alios Pantinus adnotavit. Quidam, teſte Conſtantino, non ineptam hanc repetitionem putant, ſi hic legatur: *ut oleumque earum*; quibus adſtipulatur Lindenius, ſed reponit: *ut oleum earum*. Mihi hæc verba explodenda videntur, & retinenda ſuperiora, *oleum ex amaris nucibus*; quia conſtructio cum ſexto caſu & præpoſitione *ex* Celſo magis familiaris eſt, quam cum ſecundo caſu.

58. *veratrum*, *cinis*) Lindenius leg. *concharum cinis*; ſed rectius alii, ut eſt in Codicibus Mediceis, *veratrum*, *cinis*. Nam Aetius quoque Tetrab. 1. ſerm. 2. cap. 219. nigrum veratrum rodentibus annumerat.

59. *cinis Cyprius*) Qui ſit cinis Cyprius, mihi quidem non conſtat. Neque enim arridet Conſtantini interpretatio, qui cinerem eſſe dicit ex Cypria arundine, de qua Plinius in lib. 24. cap. 11. Fortaſſe inter has duas voces interpungendum eſt, ut in antiquis quibuſdam libris factum video; & in voce *Cyprius* mendum ſubeſt. Num reponendum *cyprus*, ut in capite undecimo? Amplius videndum.

60. *cicuta*) Refrigerat & reprimit, ſicut lenticula, quæ ſimiliter refertur inter rodentia; ut Pantinus animadvertit. Lindenius mutat in *eruca*; ſed mei Codices adverſantur.

atramentum ſutorium, ochra, calx, acetum[61], galla, alumen, lac caprifici, vel lactucæ marinæ, quæ τιθύμαλλος a Græcis nominatur[62], fel, thuris fuligo, ſpodium, lenticula, mel, oleæ folia, marrubium[63], lapis hæmatites, & Phrygius, & Aſius, & ſciſſilis, miſy, vinum, acetum.

VIII. Adurunt, auripigmentum, atramentum ſutorium, chalcitis, miſy, ærugo, calx, charta combuſta, ſal, ſquama æris, fæx combuſta, myrrha, ſtercus & lacerti, & columbæ, & palumbi, & hirundinis, piper, coccum Gnidium, allium, diphryges, lac utrumque, quod proximo capite ſupra comprehenſum eſt, veratrum & album & nigrum, cantharides, corallium, pyrethrum, thus[64], ſalamandra, eruca, ſandaracha, uva taminia, chryſocolla, ochra, alumen ſciſſile, ovillum ſtercus, œnanthe.

IX. Eadem fere cruſtas ulceribus[65] tamquam igne aduſtis inducunt; ſed præcipue chalcitis, utique ſi cocta eſt, flos æris, ærugo, auripigmentum, miſy, & id quoque magis coctum[66].

X. Cruſtas vero has reſolvit farina triticea cum ruta, vel porro, aut lenticula, cui mellis aliquid adjectum eſt.

XI. Ad diſcutienda vero ea, quæ in corporis parte aliqua coierunt, maxime poſſunt, abrotonum, helenium, amaracus, alba viola, mel, lilium, ſampſucus Cyprius[67], lac, ſertula Campana,

61. *acetum*) Tolle hinc, quod iterum ſit in fine capitis; ut eſt ab aliis animadverſum.

62. *nominatur*) Poſt hoc verbum in antiquis libris ſequitur *alcyonium*; quod Lindenius recte ſuſtulit: eſt enim ſupra. Pro *nominatur*, Cod. Med. I. habet, *appellatur*.

63. *marrubium*) Codex modo allatus, *marruvium*, & cap. 16. *marruvio* per *v*.

64. *thus*) Idem Codex omittit vocem hanc. Infra habet, non *eruca*, ſed *urucea*. In VI. eſt, *eruta*.

65. *ulceribus*) Quidam Codices Mſs. habent, *vulneribus*.

66. *id quoque magis coctum*) Ita in Editionibus Ruellii, Stephani, Lindenii, & in margine Conſtantinianæ; itemque in Codd. Mediceis III. & VI. Codex ſecundus aliique habent, *id quæque &c.* primus, *id quo &c.* ut olim vulgo legebatur. Sed adverbium *quoque* reſpondet verbis præcedentibus, *chalcitis, utique ſi cocta eſt*.

67. *ſampſucus Cyprius*) Cæſarius, Gryphius, & Lindenius ſcribunt *ſanſucus*, ut eſt in Codicibus pleriſque. In Mediceo I. eſt, *ſamſycus*; in IV. *ſanſucus*, ſed corrigitur, *ſampſucus*; & ita habent Editiones ceteræ. Sed videtur ſcribendum *ſampſuchus* per *ch*; quia Græca vox eſt, quæ a Dioſcoride & Galeno ita ſcribitur: σάμψυχον. Ceterum *ſampſuchus* ſequiori genere invenitur apud Plinium in lib. 13. H. N. cap. 1. *Optimum hoc* (unguentum ſampſuchinum) *in Cypro & Mitylenis, ubi plurima ſampſuchus*: & neutro genere *ſampſuchum* in lib. 21. cap. 22. *Sampſuchum ſive amaracum in Cypro laudatiſſimum & odoratiſſimum, ſcorpionibus adverſatur &c.* *Sampſucus* vero genere maſculino, ut habet Celſus, non facile apud alium Auctorem invenietur. Sed ipſius Celſi auctoritas dubia eſt; nam le-

ſerpyllum [68], cupreſſus, cedrus, iris, viola purpurea, narciſſus, roſa, crocum, paſſum [69], juncus quadratus, nardum, cinnamomum, caſia, ammoniacum, cera, reſina, uva taminia, ſpuma argenti, ſtyrax, ficus arida, tragoriganus, lini & narciſſi ſemen, bitumen, ſordes ex gymnaſio, pyrites lapis, aut molaris, crudus vitellus, amaræ nuces, ſulphur.

XII. Evocat & educit ladanum, alumen rotundum, hebenus, lini ſemen, omphacium, fel, chalcitis, bdellium, reſina terebinthina & pinea, propolis, ficus arida decocta, ſtercus columbæ, pumex, farina lolii, groſſi in aqua cocti, elaterium, lauri baccæ, nitrum, ſal.

XIII. Lævat [70] id, quod exaſperatum eſt, ſpodium, hebenus, gummi, ovi album, lac, tragacanthum.

XIV. Carnem alit & ulcus implet reſina pinea, ochra Attice [71], vel aſterace [72], cera, butyrum.

XV.

ctio variat. In Editione Ruellii *Cyprius* eſt adjunctum vocis *ſampſucus*; quam lectionem ſequi, tutius mihi viſum eſt. In Editionibus priſcis, & in Mſs. quoque fere omnibus inter duas haſce voces interpungitur. Cæſarius, haud intelligens quid ſignificaret vox ſubſtantiva *cyprius*, repoſuit *cyperus*. Cæſario adſtipulatus eſt Lindenius cum pleriſque Editoribus; quamvis Ronſſeus monuerat, ferendam non eſſe mutationem iſtam, quod infra fit, *juncus quadratus*, qui idem eſt ac κύπειρος; ut apparet ex lib. 3. cap. 21. Ego & in hoc plane aſſentior Ronſſeo, & propemodum in illo quoque, quod *cyprus* reponendum putat. Eſt autem cyprus arbor, cujus folia & ſurculos diſcutiendi facultatem habere ſcribit Galenus lib. 7. de Simplic. Medic. facult. cap. 10. Paul. Ægin. lib. 7. cap. 3. Aetius Tetrab. 1. Serm. 1. *Cyprus* legitur cap. 24. ſect. 3. hujus libri; ſed ibi cyprinum ſignificat. Ceterum manifeſtum eſt, Celſum cum iis facere, qui ſampſuchum ab amaraco diſtinguunt. Nam amarachum jam poſuit. Niſi forte quis ſuſpicetur, *amaracus* interpretationem eſſe vocis *ſampſucus*, ex margine temere deſcriptam.

68. *ſertula Campana, ſerpyllum*) Cod. Medic. I. *ſerpula campana, ſerpullum*. Ac *ſerpullum* per *u* aliis quoque in locis ſcribitur in hoc Codice.

69. *paſſum*) Lindenius leg. *praſium*; ſed ſi intelligit marrubium, hoc ipſo nomine id Celſus appellat & ſupra cap. 7. & alibi.

70. *Lævat*) Al. *Levat*; al. cum Cæſario, *Levant*; Lindenius, *Lævant*. Etiam in capite proximo Cæſarius, quem omnes poſtea ſecuti ſunt, leg. *alunt* & *implent*, pro *ali* & *implet*, ut habent Editiones vetuſtiores & Codd. Medicei.

71. *Attice*) Alii leg. *actice*, al. *actica*. Quidam ante hanc vocem interpungunt. Cap. 18. hujus lib. ſect. 19. *ochra, quæ Attice nominatur*: ubi fortaſſe Α'ττικὴ græcis litteris ſcribendum eſt.

72. *vel aſterace*) Qui monſtrabit, quid ſit *aſterace*, ut habent Editiones vetuſtiores, vel, ut Aldina, *aſterica*, vel, ut Stephanus legit, *aſteriaca*, vel, ut Lindenius aliique cum Cæſario, *aſteriace*; erit mihi magnus Apollo. Conſtantinus non probat quod dicit, aſteriacen eſſe aſterem Samium. Nam Celſus, non *aſteriacen*, ſed *terram Samiam* appellat lib. 6. cap. 6. ſect. 12. *terram Samiam, quæ ἀστὴρ vocatur*. In Cod. Medic. I. eſt *vel aſtyrice*, in III. & IV. *vel aſtrace*, in reliquis, *vel aſtirace*. Pro *vel* Cæſarius repoſuit *mel*, addita diſtinctionis nota: quem omnes poſtea ſecuti ſunt. Quidam, ut Conſtantinus affirmat, legendum pu-

XV. Molliunt, æs combuſtum, terra Eretria, nitrum, papaveris lacrima, ammoniacum, bdellium, cera, ſevum, adeps, oleum, ficus arida, ſeſamum, ſertula Campana, narciſſi & radix & ſemen, roſæ folia, coagulum, vitellus crudus, amaræ nuces, medulla omnis[73], ſtibi[74], pix, cochlea cocta[75], cicutæ ſemen, plumbi recrementum[76]; (*σκωρίαν μολύβδυ* Græci vocant); panaces, cardamomum, galbanum, reſina, uva taminia, ſtyrax, iris, balſamum, ſordes ex gymnaſio, ſulphur[77], butyrum, ruta.

XVI. Cutem purgat mel, ſed magis, ſi eſt cum galla, vel ervo, vel lenticula, vel marrubio, vel iride, vel ruta, vel nitro, vel ærugine.

XVII. 1. Expoſitis ſimplicibus facultatibus, dicendum eſt, quemadmodum miſceantur, quæque[78] ex his fiant. Miſcentur autem

putant, *ochra*, *Atticum mel*, *aut ericæum*. Ego magis feror ad ſuſpicandum, has voces, *vel aſterace*, ex varianti lectione ortas eſſe. Aliquis enim, qui non bene intellexit quid eſſet *ochra Attice*, ſupra vocem *Attice* poſuit *vel aſterace*, aut *aſterice*, aut *aſteriace*, aut potius *aſtera*, ſic, ut huic voci ſyllaba *ce* poſtea adhæſerit ex duplicatione primæ ſyllabæ vocis ſequentis. Significavit autem ille, quicumque fuit, terram, quæ ἀςὴρ vocatur. Niſi forte *aſter* poſitum fuit ſupra vocem *ochra*, ad ſignificandum *aſterem Atticum*, id eſt herbam, quæ etiam *bubonion* appellatur, ut eſt apud Plinium lib. 25. cap. 5.

73. *medulla omnis*) Cod. Medic. I. *medullæ omnes*.

74. *ſtibi*) Ita legit Egnatius, quem ceteri Editores ſecuti ſunt uſque ad Lindenium. Is repoſuit *ſtimmi* a ςίμμι: ac *ſtimmi*, vel *ſtibium*, Conſtantinus quoque legendum putarat. In Cod. Medic. I. vox hæc coaluit cum proxima *pix*, & formavit *ſtimpix:* Palavicinus correxit, *ſtimbi pix*. In Codicibus aliis legitur, *ſtilmi pix*. Mſs. igitur Codices videntur favere Lindenianæ lectioni, *ſtimmi;* cum omnes habeant litteram *m*. Attamen veriſimile non eſt, Celſum, qui poſtea medicamenti hujus mentionem ſæpe facturus eſſet, aliter hic extuliſſe atque alibi extulit: præſertim cum varietas ejuſmodi ſit, ut negotium faceſſere poſſit minus gnaris. Adhibet enim deinde vocem hanc in genitivo, ac non *ſtimmi* vel *ſtimmis* vel *ſtimmios*, ſed *ſtibis* conſtanter effert, quod eſt a ςίβι. Quare Egnatio magis accedendum videtur. Niſi quis malit *ſtibis* etiam recto caſu; ut eſt in Edit. I. & in duabus vetuſtiſſimis ann. 1493. 1497. & in Juntina. Sic & *ſinapi* & *ſinapis* dicitur. Celſus *ſinapis* ſecundo caſu, *ſinapi* primo & quarto ubique uſurpat. Eadem fortaſſe ratione *ſtibi* uſurpare maluit primo caſu, *ſtibis* ſecundo. Plinius habet ablativum *ſtibi* in lib. 29. cap. 6. Obiter moneo *ſtibi*, *ſtibis* apud Celſum non eſſe fæmineo genere, ut in quibuſdam Lexicis traditur: nam lib 6. cap. 6. ſect. 12. legitur, *ſtibis cocti;* & ſect. 13. *ſtibis combuſti & eloti*.

75. *cochlea cocta*) In Cod. Mediceo I. non eſt vox, *cochlea*: qua ratione *pix cocta* dicta eſſet ad *crudæ* differentiam, de qua Celſus non ſemel.

76. *recrementum*) Lindenius aliique, Cæſarium ſecuti, reponunt, *retrimentum*; & ita habent Codd. Medicei omnes, præter primum; ex cujus fide ego retineo, *recrementum;* quod bis habetur cap. 19. id eſt ſect. 26. & 28. ceteris quoque Codicibus & veteribus Editionibus conſentientibus. Lindenius ibi quoque reponit, *retrimentum*. Idem tamen cum aliis omnibus habet, *recrementum*, lib. 6. cap. 8.

77. *ſulphur*) Codex Medic. I. *ſulpur;* quam tamen ſcribendi rationem ubique non ſervat.

78. *quæque*) Plerique alii, *quæ*.

tem varie, neque hujus ullus modus eſt [79]; cum ex ſimplicibus [80] alia demantur, alia adjiciantur; iiſdemque ſervatis, ponderum ratio mutetur. Itaque [81], cum facultatum materia non ita multiplex ſit, innumerabilia miſturarum genera ſunt; quæ comprehendi ſi poſſent, tamen eſſet ſupervacuum. Nam & iidem effectus intra [82] paucas compoſitiones ſunt, & mutare eas cuilibet, cognitis facultatibus, facile eſt. Itaque contentus iis ero, quas accepi velut nobiliſſimas. In hoc autem volumine eas explicabo, quæ vel deſiderari in prioribus potuerunt; vel ad eas curationes pertinent, quas protinus hic comprehendam, ſic, ut tamen, quæ magis communia ſunt, ſimul jungam. Si qua ſingulis, vel etiam paucis accommodata [83] ſunt, in ipſarum [84] locum differam. Sed & ante ſciri volo, in uncia pondus denariorum [85] ſeptem eſſe: unius deinde denarii pondus dividi a me in ſex partes, id eſt ſextantes; ut idem in ſextante [86] denarii habeam, quod Græci ha-

79. *neque hujus ullus modus eſt*) *hujus* pro *hujus rei*. Hoc loco alibi uſus ſum pro exemplo. En hujus lectionis exempla alia. Lib. 4. cap. 18. *Deſidere oportet in aqua calida; ſæpiuſque ipſum anum nutrire: cui plura medicamenta idonea ſunt;* lib. 7. cap. 26. ſect. 3. *Si quando autem is* (calculus) *major non videtur, niſi rupta cervice, extrahi poſſe, findendus eſt: cujus repertor Ammonius, ob id* λιθότομος *cognominatus eſt.* Pro *ullus*, Conſtantinus mallet, *unus*.

80. *ſimplicibus*) Lindenius leg. *ſimilibus*; ut habent Codd. Medicei, excepto primo, & Conſtantini Editio in margine.

81. *Itaque*) Al. *Ita*. Deinde, pro *facultatum*, Cod. Medic. I. *facultatium*.

82. *intra*) Nonnulli, ſecuti Editionem Cæſarii an. 1538. legunt, *inter*: quod ex mendo eſt. Nam Editio ejuſdem Cæſarii an. 1528. habet, *intra*.

83. *paucis accommodata*) Pantinus & Lindenius leg. *commodata*; decepti a modo allata Editione an. 1538. quæ habet, *parvis commodata*. Editiones aliæ & Codices Mſs. habent, *parvis accommodata*. Sed iidem Pantinus & Lindenius rectius leg. *paucis*; ut Morgagnus animadvertit: atque hanc mutationem Lindenius in contextum jam induxit.

84. *ipſarum*) videlicet curationum. Sic repoſui ex Morgagno. Alii leg. *ipſorum*, ut habent Mſs. Codices.

85. *denariorum*) In Cod. Medic. I. eſt, *denario*, & ſupra extremam hujus vocis litteram ponitur *rum*, ut ſit, *denariorum*. In ceteris ſex, *denarii*; & deinde, *dividam*, pro *dividi a me*, quod primus habet.

86. *ſextantes; ut idem in ſextante &c.*) Ita ediderunt Cæſarius & Lindenius, nec aliter legi poſſe Ronſſeus, Rubeus, aliique Critici contendunt. In aliis Editionibus, ut & in Mſs. Mediceis, habetur: *ſex uncias; ut idem in uncia &c.* Error fortaſſe ortus eſt ex non bene intellecta nota, per quam vox *ſextantes* ſcripta fuerat. Rhodius (de Ponderibus & menſur. &c.) hunc locum ita corrigendum putabat: *6. ſextantes, ut idem in uncia &c.* Sed ſequentia repugnant. Nam in denario pondus plus ſex ſcripulorum eſſet. Cumque in uncia pondus ſit denariorum ſeptem; ut ſupra poſitum eſt; ſequeretur, in eadem pondus eſſe plus duorum & quadraginta ſcripulorum. Atqui uncia quatuor & viginti ſcripulis completur. Vide Voluſ. Mæcian. & Balbum de Aſſe.

habent in eo, quem ὀβολὸν appellant. Id ad noſtra pondera relatum [87] paulo plus dimidio ſcripulo facit [88].

2. Malagmata vero, atque emplaſtra, paſtillique, quos τροχίσκους Græci vocant, cum plurima eadem habeant; differunt eo, quod malagmata maxime ex odoribus [89] eorumque etiam ſurculis, emplaſtra paſtillique magis ex quibuſdam metallicis fiunt. Deinde malagmata contuſa abunde molleſcunt: nam ſuper integram cutem injiciuntur: laborioſe vero conteruntur ea, ex quibus emplaſtra paſtillique fiunt; ne lædant vulnera, cum impoſita ſunt. Inter emplaſtrum autem & paſtillum hoc intereſt, quod emplaſtrum utique liquati aliquid accipit: in paſtillo tantum arida medicamenta aliquo humore junguntur. Tum emplaſtrum hoc modo fit: arida medicamenta per ſe teruntur; deinde miſtis his inſtillatur aut acetum, aut ſi quis alius non pinguis [90] humor acceſſurus eſt, & ea rurſus ex eo teruntur: ea vero, quæ liquari poſſunt, ad ignem ſimul liquantur; & ſi quid olei miſceri debet, tum infunditur: interdum etiam aridum aliquod ex oleo prius coquitur. Vbi facta ſunt, quæ ſeparatim fieri debuerunt, in unum omnia miſcentur. At paſtilli hæc ratio eſt: arida medicamenta contrita humore non pingui, ut vino [91] vel aceto, coguntur, & rurſus coacta, inareſcunt; atque, ubi utendum eſt, ejuſdem generis humore diluuntur. Tum emplaſtrum imponitur, paſtillus illinitur, aut alicui molliori, ut cerato [92], miſcetur.

XVIII. 1. His cognitis, primum malagmata ſubjiciam [93], quæ ſe-

87. *Id ad noſtra pondera relatum*) Lindenius leg. *Is ad noſtra pondera relatus*.

88. *paulo plus dimidio ſcripulo facit*) Nam ſcripula XXIV. in uncia continentur; ut paulo ſupra dictum eſt. Alii leg. *ſcrupulo*, ut habent Codices Medicei II. III. & VI.

89. *odoribus*) aromatibus. In lib. 4. cap. 20. *potiones ſunt, quæ ex odoribus fiunt, id eſt ſpica nardi, croco &c.* Sic autem lego ex Codice Mediceo I. & Editionibus quatuor vetuſtioribus. Alii cum Egnatio leg. *floribus*; ut habent Codices reliqui Medicei & omnes fere Vaticani.

90. *alius non pinguis*) Codex Mediceus I. *alius pinguis*.

91. *ut vino*) Ita in Editione Lindenii & in Codice Mediceo I. Alii leg. *aut vino*. Deinde, *coguntur, & rurſus coacta*, lego ex iiſdem libris. Alii habent; *coquuntur, & rurſus cocta*; Conſtant. *decocta*.

92. *ut cerato*) Al. *aut cerato*. Ego repoſui *ut* ex Medic. I. aliiſque Mſs. Codicibus; atque ex Caſauboni conjectura, ut eſt in Scholiis apud Almeloveenium.

93. *primum malagmata ſubjiciam*) Nonnulla tamen medicamenta ſunt in hoc capite, quæ malagmata vocari vix poſſunt; ut ſuo loco adnotabo. Itaque videndum eſt, ſintne a Celſo medicamenta illa, an ab alio.

fere non ſunt refrigerandi, ſed calefaciendi cauſa reperta. Eſt tamen, quod refrigerare poſſit [94], ad calidas podagras aptum. Habet gallæ & immaturæ & alterius, coriandri ſeminis, cicutæ, lacrimæ aridæ [95], gummi, ſingulorum plenum acetabulum, cerati eloti, quod πεπλυμένον Græci vocant, ſelibram. Reliqua fere [96] calefaciunt: ſed quædam digerunt materiam, quædam extrahunt, quæ ἐπισπαστικὰ vocantur; pleraque certis magis partibus [97] membrorum accommodata ſunt.

2. Si materia extrahenda eſt, ut in hydropico, in lateris dolore, in incipiente abſceſſu, in ſuppuratione quoque mediocri, aptum eſt id, quod habet reſinæ aridæ [98], nitri, ammoniaci, galbani, ſingulorum pondo, ceræ pondo [99]. Aut in quo hæc ſunt: æruginis raſæ, thuris, ſingulorum p. ✱. II. [1] ammoniaci ſalis p. ✱. VI. ſquamæ æris, ceræ, ſingulorum p. ✱. VIII. reſinæ aridæ. p. ✱. XII. [2] ace-

94. *poſſit*) Al. *poteſt*.

95. *lacrimæ aridæ*) Quæ lacrima? Quidpiam deeſſe puto. Fortaſſe *papaveris* præmitti debet; vel legendum, *reſinæ aridæ*. Facile autem in ejuſmodi rebus errare librarii ſolent, & vocem aliquam omittere: idque cum in prima hujus libri parte, quæ ſimplicia medicamenta, tum vero in hac, quæ eorum miſturas comprehendit, ſæpe contigiſſe exiſtimo.

96. *Reliqua fere*) In aliquibus Codicibus legitur, *Reliqua vero*.

97. *certis magis partibus*) Lindenius omittit *magis*.

98. *aridæ*) Hæc vox non eſt in Cod. Medic. I. & expungitur in IV.

99. *pondo, ceræ pondo*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Editionibus priſcis. In aliis Codicibus eſt, *pars*, *ceræ pars*; ex notis videlicet *p. ceræ p.* perperam explicatis. Cæſarius, quem omnes poſtea ſecuti ſunt, utrobique addidit notam denarii ✱. ut *pondo* ſignificet *pondus*. Nam ubi nihil additur, ut hoc ipſo loco, libram ſignificat. Ac ſæpe & apud Celſum, & apud Scribonium Largum invenitur *p. I.* pro *pondo libra*, vel *libræ*. Niſi quis forte contendat, deeſſe denarii notam; vel *p. I.* corruptum eſſe ex *p. l.* h. e. pondo libra. Illud quoque animadvertendum eſt, in hac compoſitione, quæ ſimplicium ſingulorum libram habet, *ceræ pondo*, quod Celſus, ſicut brevitatis & elegantiæ cauſa ſolet, cum ceteris conjungere, & ante vocem *ſingulorum* collocare poterat, ſeparatim poſitum eſſe. Idem & in Apollophanis compoſitione ſect. 6. & in aliis nonnullis notari poteſt. Quæ forma in veterum Auctorum ſcriptis, Galeni in primis, frequentiſſima, cum rarius apud Celſum occurrat, ejuſque ingenio minus apta videatur, ſuſpicari licet, ejuſmodi in locis ponderum notas mendoſas eſſe. Nimirum in hac parte, in qua medicamentorum compoſitiones explicantur, magnas varietates, & menda plurima inveni in libris vetuſtis. Sed quia emendatio difficilis, ne dicam impoſſibilis, tum etiam prope inutilis futura erat, quod noſtra ætate hæ compoſitiones pene omnes in uſu eſſe deſierint; reliquum fuit, ut in ipſis varietatibus notandis diligentem me præberem.

1. *p. X. II.*) Aldina Editio, *p. ✱.* Editiones vetuſtiores, *p. X. II.* quia in his ubique, pro ✱. eſt X: itaque, ubi X duo vel plura ſunt, prius denarium denotat, reliqua, denariorum numerum; ut alii pridem monuerunt. In Editione Aldina, ut & in Mſs. Codicibus, denarii nota eſt hæc, ✱. Editores alii iſtam adhibent, *: aliique ante numeri notam collocant; alii vero poſt; in his Lindenius.

2. *p. ✱. VIII. reſinæ aridæ p. ✱. XII*) Aldina Edit. *p. VIII. reſinæ aridæ p. VII.* Infra quoque uſque ad ſect. 9. denarii nota in Editione illa omittitur.

aceti cyathus. Idem præſtat cumini farina cum ſtruthio, & melle [3].

3. Si jecur dolet, id in quo eſt balſami lacrimæ p. ӿ. XII. coſti, cinnamomi, caſiæ corticis, myrrhæ, croci, junci rotundi, balſami ſeminis, iridis Illyricæ, cardamomi, amomi, nardi, ſingulorum p. ӿ. XVI. quibus adjicitur nardinum [4] unguentum, donec cerati craſſitudo ſit. Et hujus quidem recentis uſus eſt: ſi vero ſervandum eſt, reſinæ terebinthinæ p. ӿ. XVI. ceræ p. ӿ. X. ex vino leni contunduntur, tum eo miſcentur [5].

4. At ſi lienis torquet, glandis, quam βάλανον μυρεψικὴν [6] Græci vocant, cortex & nitrum paribus portionibus contunduntur, reſperguntur que aceto quam acerrimo: ubi cerati craſſitudinem habet, linteo, ante in aqua frigida madefacto, illinitur, & ſic imponitur, ſupraque farina hordeacea injicitur: ſed manere ibi non amplius ſex horis debet, ne lienem conſumat; ſatiuſque eſt id bis, aut ter fieri.

5. Commune autem & jocinori, & lieni, & abſceſſibus, & ſtrumæ, parotidibus, articulis, calcibus quoque ſuppurantibus, aut aliter dolentibus, etiam concoctioni ventris [7], Lyſias compoſuit ex his: opopanacis [8], ſtyracis, galbani, reſinæ, ſingulorum p. ӿ. II.

 am-

3. *& melle*) Ita in Mſs. Mediceis & in Edit. I. Sed cum in Editione illa poſt duas voces, *& melle*, quæ ſunt in extrema pagina, ſequatur nota *p. ii.* quæ ex iis eſt, quibus ad paginarum ordinem indicandum Typographi uti ſolent; (& ſane pagina præcedens notatur per *p. i.* proxima per *p. iii.*); notam illam paginæ alii pro ponderis nota acceperunt, & ita ediderunt: *& melle p. II.* Quin etiam denarii nota addita eſt a Cæſario, aliiſque. Ceterum familiaris quidem Celſo eſt hic modus, *idem præſtat &c.* hic tamen, conſtructionem variando, orationem non parum turbat; cum verba ſequentia, *Si jecur dolet, id in quo eſt*, cohæreant cum ſuperioribus, *Si materia extrahenda eſt &c. aptum eſt id, quod habet &c.* Itaque, ſi cui forte hoc inciſum in ſuſpicionem venit, non eſt id ſine cauſa.

4. *nardinum*) Ita multi legunt, Aldinam Editionem ſecuti. Al. *nardum*, ut & Medic. I. & alii Codices habent.

5. *tum eo miſcentur*) Hæc verba Conſtantino addititia videntur: & ſane abſunt a multis libris. Neceſſaria tamen ſunt, ut conſideranti manifeſtum erit; atque habentur in Cod. Mediceo I. Lindenius leg. *& cum eo miſcentur*. Sed nihil opus eſt mutatione iſta. *Eo miſcere* dictum eſt, ut *eo adjicere* cap. 25. ſect. 17. hujus libri, & lib. 6. cap. 6. ſect. 1.

6. *quam βάλανον μυρεψικὴν*) Sic repoſui ex Mſs. Mediceis. In I. & IV. eſt, *quam balanon* ΥΡΕΨΙΚΗΝ; in reliquis, *quam balano* ΜΥΡΙΦΙΚΕΝ (in VII. ΜΥΡΕΨΙΚΕΝ). Lindenius leg. *quam μυροβάλανον*; ut habet in margine Conſtantini Editio. In aliis Editionibus habetur: *quam balanon Græci &c.* ſed in quibuſdam, βάλανον græcis litteris.

7. *concoctioni ventris*) Vox *ventris* videtur gloſſema eſſe. Nam Celſus *concoctionem* ſimpliciter adhibet, ut ex uno capite 9. lib. 1. ſatis apparet.

8. *ex his: opopanacis*) Alii leg. *ex hyſſopi, panacis:* quem errorem veteres quidam Codices pepererunt, in quibus tres priores litteræ vocis *opopanacis* voci præcedenti *his* adhæ-

ammoniaci, bdellii, ceræ, ſevi taurini, iridis aridæ p. ж. IIII. cachryos acetabulo, piperis granis quadraginta: quæ contrita irino unguento temperantur.

6. Ad laterum autem dolores compoſitio eſt Apollophanis: in qua ſunt reſinæ terebinthinæ, thuris fuliginis, ſingulorum p. ж. IV. bdellii, ammoniaci, iridis, ſevi vitulini [9], aut caprini a renibus, viſci [10], ſingulorum p. ж. IV. Hæc autem eadem [11] omnem dolorem levant, dura emolliunt, mediocriter calefaciunt.

7. Ad idem [12] Andreæ quoque malagma eſt; quod etiam reſolvit, humorem educit, pus maturat, ubi id maturum eſt, cutem rumpit, & ad cicatricem perducit. Prodeſt impoſitum minutis majoribuſque abſceſſibus: item articulis, ideoque & coxis [13], & pedibus dolentibus: item [14], ſi quid in corpore colliſum eſt, reficit; præcordia quoque dura & inflata emollit: oſſa extrahit: ad omnia denique valet, quæ adjuvare calor poteſt. Id habet ceræ p. ж. XI. [15] viſci, ſycamini, quam alias ſycomorum vocant [16], lacrimæ, ſingulorum p. ж. I. [17] piperis & rotundi, & longi, ammoniaci thymiamatis, bdellii, iridis Illyricæ, cardamomi, amomi [18], xylobalſami, thuris maſculi, myrrhæ, reſinæ aridæ, ſingulorum p. ж. X. pyrethri, cocci Gnidii, ſpumæ nitri, ſalis Ammo-

adhæſerunt. Igitur in ſex Codicibus Mediceis habetur: *ex hyſopo panacis*. Ego ſecutus ſum Codicem vetuſtiorem & Lindenii Editionem. Proxima vox *ſtyracis* abeſt ab ea Editione.

9. *vitulini*) Linden. *aut vitulini*.

10. *a renibus*, *viſci*) Ita legit Lindenius; & ita eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. Al. *a renibus ſicci*; ut in Mſs. habetur.

11. *Hæc autem eadem*) Lindenius omittit *eadem*; deinde leg. *levat*, & *emollit*, & *calefacit*.

12. *Ad idem*) id eſt ad dolorem levandum &c. Nam Lindenio aſſentior, qui cum legeretur, *Ad idem latus*, ſuſtulit vocem *latus*. Proxima tamen verba ita lego ex veterum librorum fide: *Andreæ quoque malagma eſt;* quæ verba idem Lindenius ita mutat: *valet Andreæ quoque malagma*.

13. *ideoque & coxis*) Lindenius omittit *ideoque*.

14. *item*) Fortaſſe, *idem*.

15. *p. ж. XI.*) Ita Lindenius aliique, Editionem Cæſarii ſecuti. In Editionibus vetuſtioribus, & in Mſs. Mediceis eſt *p. ж. I.* quod mendoſum videtur. Fortaſſe tollenda eſt denarii nota, & legendum *p. I.*

16. *quam alias ſycomorum vocant*) Hæc explicatio fortaſſe Celſi non eſt, qui rem ſatis jam declaravit in lib. 3. cap. 18. In Codicibus Mediceis ſcribitur *ſycamorum* per *a*.

17. *p. ж. I.*) Aldina Edit. *p. XI.*

18. *cardamomi*, *amomi*) Lindenius omittit *amomi*; quæ vox habetur in cunctis Mediceis Codicibus. Duo Andreæ malagmata ex Aſclepiade deſcribit Galenus lib. 10. de C. M. S. L. cap. 2. Vtrumque amomum habet; alterum, quod magis convenit cum hoc, quod Celſus proponit, & cardamomum. Variantes tamen Aſclepiadis Codices idem Galenus reperit; in aliis enim & cardamomum & amomum & xylobalſamum omiſſa fuerant.

moniaci, ariſtolochiæ [19] Creticæ, radicis ex cucumere agreſti [20], reſinæ terebinthinæ liquidæ, ſingulorum p. ✕. xx. quibus adjicitur unguenti irini, quantum ſatis eſt ad ea mollienda, atque cogenda.

8. Præcipuum vero eſt ad reſolvenda, quæ adſtricta ſunt, mollienda, quæ dura ſunt, digerenda, quæ coeunt, id, quod ad Polyarchum auctorem refertur. Habet junci quadrati, cardamomi, thuris fuliginis, amomi, ceræ, reſinæ liquidæ pares portiones.

9. Aliud ad eadem Nilei: crocomagmatis [21], quod quaſi recrementum ejus eſt [22], p. ✕. IV. ammoniaci thymiamatis, ceræ, ſingulorum p. ✕. xx. ex quibus [23] duo priora ex aceto teruntur, cera cum roſa liquatur, & tum omnia junguntur.

10. Proprie etiam dura emollit [24] id, quod Moſchi eſſe dicitur. Habet galbani unciam, thuris fuliginis p. =. [25] ceræ, am-

19. *ariſtolochiæ*) Lindenius habet, *radicis ariſtolochiæ*. Sed *radicis* abeſt ab omnibus noſtris Codicibus, neque legitur apud Galenum l. c.

20. *radicis ex cucumere agreſti*) Linden. *cucumeris agreſtis radicis*.

21. *crocomagmatis*) Ante Egnatium legebatur, *croci magmatis*. Et ſane in Mediceo I. eſt, *crocimagmatis*. Codices tamen plerique Egnatii lectionem comprobare videntur, quamvis mendo non careant: ſiquidem habent, *croco malagmatis*. Sed rurſus & ſect. 16. hujus capitis, & lib. 6. cap. 6. ſect. 25. Codex Mediceus primus habet, *crocimagmatis*, ceteri ſex, ut olim vulgo legebatur, *croci magmatis*. Eodemque lib. 6. cap. 6. ſect. 32. primus, *crocimagmatæ*; Codices alii, *croci magmate*: ut omnino *croci magma* ſcribendum eſſe per voces duas, alicui videri poſſit; quemadmodum *myrobalani magma* habetur lib. 6. cap. 5. Nec deſunt exempla iſtius ſcriptionis; ſiquidem Marcellus Empiricus, qualiſcumque ejus auctoritas ſit, cap. 8. dixit: *magmatis croci* ✕. *XII*. Vox *crocomagma* occurrit in Plinii lib. 21. cap. 20. *Fæx quoque expreſſi* (croci) *unguento crocino, quod crocomagma appellant &c.* niſi forte Græcis litteris ſcribenda eſt. In Scribonio autem invenitur ſecundo & tertio caſu: Compoſit. 5. *crocomagmatis pondo ſextans*; Compoſit. 259. *admiſto crocomagmate*. Atque ego ab iis libenter ſto, qui apud Celſum quoque leg. *crocomagma*. Credibile enim eſt, Latinos & medicamentum & vocabulum a Græcis ſumpſiſſe.

22. *quod quaſi recrementum ejus eſt*) Hanc interpretationem Rhodius ex margine irrepſiſſe exiſtimat; nec falli videtur. Erit fortaſſe tamen, qui cenſeat, hæc verba, quæ in omnibus Mſs. reperiuntur, commodius retineri poſſe, ſi ſupra legatur, *croci magmatis*.

23. *p. ✕. XX. ex quibus*) In Edit. Lindenii, *p. ✕. XXX. ex quibus*. In Cod. Mediceo I. *p. ✕. XX. quibus*.

24. *emollit*) Ita ex Cod. Mediceo I. Al. *mollit*.

25. *p. =.*) pondo ſextantem; id eſt duas uncias. Sic interpretanda eſt ex Voluſio Mæciano & Rhodio de Ponderibus & Menſ. &c. nota hæc, =. quæ multis locis occurrit, ut in Cod. Mediceo I. exaratur, vel Z. ut in aliis Codicibus & in Editionibus priſcis. Huic notæ ſæpe præmittitur denarii nota, ut poſtea apparebit; & ſignificatur denarii ſextans, de quo in capite ſuperiori. Cæſarii autem Editio, ubi in vetuſtioribus eſt, *p. Z.* habet alias, *p. 3.* (quod a Ruellio, quem fere Lindenius aliique ſequuntur, redditur per *p. ✕. III.*) alias vero, *p. ✕. II.* alias, *p. 2.* Quod cum ad multa loca pertineat, ſemel hic diſerte adſcribendum fuit.

moniaci thymiamatis trientes, picis aridæ p. II.[26] aceti heminas tres.

11. Fertur etiam ad digerenda, quæ coeunt, ſub auctore Medio[27], quod habet ceræ p. =.[28] panacis p. x. s.[29] ſquamæ æris, aluminis rotundi, item ſciſſilis, ſingulorum p. x. I.[30] plumbi combuſti p. x. I. s.

12. Ad eadem Panthemus utebatur, calcis p. s.[31] ſinapis contriti, item fœni Græci, aluminis, ſingulorum p. I. ſevi bubuli p. II. s.[32]

13. 14. Ad ſtrumam multa malagmata invenio. Credo autem, quo pejus id malum eſt, minuſque facile diſcutitur, eo plura eſſe tentata; quæ in perſonis varie reſponderunt. Andreas auctor eſt, ut hæc miſceantur: urticæ ſeminis p. x. I. piperis rotundi, bdellii, galbani, ammoniaci thymiamatis, reſinæ aridæ, ſingulorum p. x. IV. reſinæ liquidæ, ceræ, pyrethri, piperis longi, lactucæ marinæ ſeminis, ſulphuris ignem non experti, quod *ἄπυρον* vocatur[33], fæcis aridæ aceti, ſpumæ nitri, ſalis Ammoniaci, ſinapis, cardamomi, radicis ex cucumere ſilveſtri[34], reſinæ, ſingulorum p. x. VIII.[35] quæ ex leni vino contunduntur.

15. Expeditius ad idem fit, quod habet viſci ſeminis, ſtercoris[36], reſinæ, ſulphuris ignem non experti pares portiones. Et in

26. *p. II.*) Lindenius aliique, Aldinam Editionem ſecuti, addunt denarii notam.

27. *Medio*) Ita ex Mſs. atque ita Almeloveenius legendum conjecerat in Scholiis. Vulgo, *Medo*.

28. *p. =.*) Cæſarius, *p.* 3. Lindenius, aliique quidam, *p. x. III.*

29. *p. x. s.*) Al. *p. s.*

30. *p. x. I.*) Al. *p. I.* deinde, *p. I. s.* pro *p. x. I. s.* Sed utrovis modo legatur, aliquid in hoc malagmate deſiderari videtur, vel ſebum, vel oleum, vel alius non pinguis humor.

31. *p. s.*) Al. *p. x. ſemis*; deinde, *p. x. I.* pro *p. I.*

32. *p. II. s.*) Alii leg. *p. x. II. & ſemis*. In Codicibus Mediceis eſt: *p. II. s. In alio ſemel*. Sed tres voces, *in alio ſemel*, quibus ſignificatur, pro *s.* in alio exemplari eſſe, *ſemel*, in Cod. IV. expunguntur.

33. *quod ἄπυρον vocatur*) Lindenius addit, *pares portiones*; & ea, quæ ſequuntur, in compoſitionem aliam confert hoc modo: 14. *Hoc autem Miconis eſt: fæcis aridæ, aceti &c.*

34. *ex cucumere ſilveſtri*) Lindenius & alii quidam, *cucumeris ſilveſtris*.

35. *reſinæ, ſingulorum p. x. VIII.*) Cum in hac compoſitione jam ſit *reſina arida*, & *reſina liquida*, vox *reſinæ* videtur hic ſtare non poſſe, niſi fortaſſe cum aliquo adjuncto. Pro *p. x. VIII.* Aldina Edit. habet, *p. x. V.* Stephan. *p. x. VII.* Linden. *p. x. IV.*

36. *viſci ſeminis, ſtercoris*) Ita Conſtantinus invenit in quodam Codice, a quo minimum abeſt Mediceus I. in quo, pro *ſeminis*, eſt, *ſemini*. Reliqui ſex habent, *ſimini*. In Edit. I. & in duabus vetuſtiſſimis ann. 1493. 1497. & in Juntina atque Aldina quoque eſt, *ſemeni*. Videtur ſub cor-

in quo eſt ſulphuris p. ✱. I. lapidis, quem πυρίτην vocant, p. ✱. IV. cumini acetabulum. Item in quo eſt lapidis ejuſdem pars una, ſulphuris duæ partes, reſinæ terebinthinæ partes tres.

16. Arabis autem cujuſdam eſt ad ſtrumam, & orientia tubercula [37], quæ φύματα vocantur, quod hæc digerit. Habet myrrhæ, ſalis Ammoniaci, thuris, reſinæ & liquidæ & aridæ, crocomagmatis, ceræ, ſingulorum p. ✱. I. lapidis ejus, quem πυρίτην vocant, p. ✱. IV. quibus quidam adjiciunt ſulphuris p. ✱. II. [38]

17. Eſt etiam proficiens in ſtruma, & in iis tuberibus, quæ difficiliter [39] concoquuntur, & in iis, quæ καρκινώδη vocantur, quod ex his conſtat; ſulphuris p. ✱. II. nitri p. ✱. IV. myrrhæ p. ✱. VI. fuliginis thuris p. s. ſalis [40] Ammoniaci p. =. [41] ceræ p. I.

18. Protarchus autem ad παρωτίδας, eaque [42] tubercula, quæ μελικήρια [43], id eſt favi, vel φύματα nominantur, item mala ulcera, pumicis, reſinæ pineæ liquidæ, thuris fuliginis, ſpumæ nitri, iridis, ſingulorum p. ✱. VIII. cum ceræ p. ✱. IX. miſcebat, hiſque olei cyathum & dimidium adjiciebat.

19.

corrupta hac voce latere adjunctum vocis proxim æ, *ſtercoris*; fortaſſe, *columbini*. Nam *felini*, quod, pro *ſeminis*, Cæſariana & Editiones omnes Cæſariana poſteriores habent, mihi non probatur; cum ob alias rationes, tum etiam quia Facciolatus in Animadverſionibus in Danetii Lexicon ſcribit, alium Latinum Scriptorem non ſuccurrere, qui vocem iſtam uſurpaverit. Cæſarius ipſe, quamvis ita edidit, probare non videtur; cum adnotet, fortaſſe legendum eſſe, *caprini*, vel *bovilli*. Celſus *caprini* quidem ſtercoris meminit cap. 27. ſect. 8. hujus libri; *lacerti* ſtercoris, inter ea, quæ purgant, cap. 5. ejuſdem *lacerti*, & *columbæ*, & *palumbi*, & *hirundinis*, & *ovilli*, inter ea, quæ adurunt, cap. 8. *columbæ* inter ea, quæ evocant, & educunt, cap. 12. ſtercoris *felini*, aut *bovilli*, numquam meminit.

37. *orientia tubercula, quæ φύματα vocantur*) orientia tubercula ea, quæ φύματα vocantur. Sed fortaſſe de omni tuberculorum genere Celſus loquitur; & tres voces, *quæ φύματα vocantur*, ſunt ab aliquo interprete. Vide infra adnotat. 45.

38. *p. ✱. II.*) Al. *p. II.*

39. *difficiliter*) Linden. *difficulter*.

40. *p. ſ. ſalis*) Ita in Editionibus priſcis. Al. leg. *p. ✱. ſemis, ſalis*. In Codice Medic. I. eſt, *p. e. ſalis*, & ſupra *e*, a Palavicino, *X*.

41. *p. =.*) Cæſarius, *p.* 3. Al. *p. ✱. III.* Deinde, pro *p. I.* alii cum Cæſario, *p. ✱. I.*

42. *eaque*) Lindenius leg. *atque*.

43. *μελικήρια*) In Mſs. Mediceis atque in Editionibus vetuſtioribus eſt, *melicera*. Ego Aldinam ſequor. Cæſarius, Gryphius, Pantinus, Conſtantinus, & Ronſſeus leg. *meliceriæ*; Stephanus, & Lindenius, μελικηρίδες. Celſus vitium illud intelligit, quod κηρίον a Græcis appellari ſcribit cap. 28. ſect. 13. hujus libri; ubi etiam hunc, de quo loquimur, locum indicat his verbis: *emplaſtra ac malagmata materiam educentia, aut quæ proprie huc pertinentia ſupra poſui*. Si igitur hoc malagma proprie eo pertinet, ex loco illo fortaſſe hic, pro μελικήρια, legendum eſt, κηρία. Ita hæc ulcera appellant Dioſcorides & Plinius multis in locis. Aetius tamen Tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 68. & ſerm. 4. cap. 15. etiam μελικηρίδες nominari tradit. Verba autem, *id eſt favi*, quæ proxime ſequuntur, fortaſſe addita ſunt ab in-

19. At adverſus panem [44], tum primum orientem, quod φύγεθλον Græci vocant, & omne tuberculum, quod φῦμα nominatur [45], miſcetur ochra, quæ Attice nominatur, cum duabus partibus ſimilæ, hiſque, dum contunduntur [46], ſubinde mel inſtilletur, donec malagmatis craſſitudo fit.

20. Diſcutit etiam omne tuberculum, quod φῦμα vocatur, id, quod habet calcis, nitri ſpumæ, piperis rotundi, ſingulorum p. ✕. I. galbani p. ✕. II. ſalis p. ✕. IV. quæ excipiuntur cerato ex roſa facto.

21. Supprimitque [47] omne, quod abſcedit, id, in quo eſt galbani, fabæ freſſæ, ſingulorum p. ✕. I. myrrhæ, thuris, ex radice capparis corticis, ſingulorum p. ✕. IV. Satiſque [48] omnia abſcedentia digerit murex combuſtus, & bene contritus, aceto ſubinde adjecto.

22. At ſi ſatis ſanguis ſubit [49], recte imponitur, quod adver-

interprete aliquo. In eamdem ſuſpicionem cadunt illa quoque, *vel* φύματα. Niſi forte legendum eſt, *eaque, quæ* φύματα.

44. *panem*) Ita in Codicibus Mediceis I. II. III. & VII. In tribus reliquis, ut in libris impreſſis, eſt, *panum*. Vide adnotationem 98. ad cap. 28. ſect. 10. hujus libri.

45. *omne tuberculum, quod* φῦμα *nominatur*) Φῦμα apud Hippocratem tuberculum omne ſignificat: apud Celſum vero, quoddam genus dumtaxat; ut eſt in cap. 28. ſect. 9. hujus libri. Senſus igitur eſt: omne tuberculum ex iis, que φύματα nominantur. Ego tamen per eas voces, *omne tuberculum*, omnia in univerſum tubercula Celſum ſignificaſſe exiſtimo; neque ejus eſſe voces illas, *quod* φῦμα *nominatur*, ut neque illas, *quod* φῦμα *vocatur*, ſequenti ſectione. Maximum argumentum peto ex cap. 28. ſect. 8. hujus libri, ubi loquitur de furunculo, quem *tuberculum &c.* eſſe docet: *Proprium*, inquit, *ejus medicamentum galbanum eſt: ſed alia quoque ſupra comprehenſa ſunt*; hoc ſcilicet capite, atque hæc medicamenta, quæ ad omne tuberculum proponuntur. Nam nec ullibi medicamenta habet furunculi propria; neque communia omnium tuberculorum alibi, quam hoc capite. Cum igitur φῦμα non poſſit apud Celſum de toto genere, aut hic de ſpecie tantum intelligi; apparet, quid judicandum ſit de iis vocibus, *quod* φῦμα *nominatur*.

46. *hiſque, dum contunduntur*) Ita Lindenius. Alii leg. *hiſque contunditur*. In margine Editionis Conſtantinianæ ita habetur: *hiſque cum tunduntur*. In Editione Stephani, *iiſque contunduntur*, ut in Codice quoque Mediceo I. ſed in hoc, *hiſque*. Ego ſto a Lindenio, quod etiam in malagmate ultimo habeatur: *quibus dum contunduntur &c.* Si quis tamen, pro *dum*, legere malit, *cum*, non repugnabo.

47. *Supprimitque*) Lindenius, *Supprimit quoque*.

48. *Satiſque*) Hoc medicamentum malagmatis ſpeciem vix habet.

49. *ſi ſatis ſanguis ſubit*) Huic compoſitioni in Editione Lindenii præmittitur titulus, *Ad ſanguinem ſupprimendum*; in aliis libris, *Ad ſanguinem ſupprimendum, & phymata*. Si hæc eſt ſententia loci hujus, *ſubit* eſt pro *ſubiit*, antiquo ſcribendi more: neque neceſſaria eſt Conſtantini emendatio, quam Lindenius recepit: *ſi plus ſatis ſanguis ſubit*. Sic in lib. 2. cap. 15. *cum aqua cutem ſubit* habet Cod. Medic. I. ubi alii, *ſubiit*. Verum *ſubiit* pro *effluxit*, durum, atque, ut opinor, ſine exemplo eſt. Neque vero intelligere ſatis queo, cur ſangui-

verſus phymata quoque poteſt. Conſtat ex his: bdellii, ſtyracis, ammoniaci, galbani, reſinæ & aridæ & liquidæ pineæ, item ex lentiſco [50], thuris, iridis, ſingulorum p. X. II.

23. Καρκινώδη vero phymata [51] commode his leniuntur: galbani, viſci, ammoniaci, reſinæ terebinthinæ, ſingulorum p. X. I. ſevi taurini p. s. [52] fæcis combuſtæ quam maxima portione, dum id ſiccius non faciat, quam eſſe malagma oportet.

24. Quod ſi facie contuſa livor ſubcruentus eſt, hæc compoſitio nocte & die impoſita tollit. Ariſtolochiæ, thapſiæ, ſingulorum p. X. II. bdellii, ſtyracis, ammoniaci thymiamatis, galbani, reſinæ aridæ, & ex lentiſco liquidæ, thuris maſculi, iridis Illyricæ, ceræ, ſingulorum p. X. IV. Idem [53] faba quoque impoſita proficit.

25.

guinis profuſionis mentio fiat inter ea, quæ ad tubercula atque omnes abſceſſus digerendos proponuntur; nec, quomodo, quæ ad digerendum valent, ad ſanguinem ſupprimendum item valere poſſint; præſertim cum in hac compoſitione, præter thus, aliud non ſit ex iis, quæ ſanguinem ſupprimere dicta ſunt cap. 1. Ronſſeus exiſtimat, Celſum loqui de ſanguine, qui in ſugillatione ſub cutem coit; quod aptius certe hic caderet, eaque ratione verbum *ſubeo* a propria ſignificatione non diſcederet. Ita loco ſupra citato dicitur: *aqua cutem ſubiit*. Hic tamen, niſi aliis quibuſdam vocibus circumſcribatur verbum hoc, quamvis *ſatis*, quod ſenſui officit, vel expellatur, ut in Edit. Cæſarii an. 1538. vel mutetur in *cutem*; tamen forma loquendi coacta nimis & obſcura eſt. Celſus infra ſect. 24. hac forma utitur: *Si facie contuſa livor ſubcruentus eſt*. Omnino locus hic recte ſe habere non videtur. Adverbium *ſatis* errore omiſſum puto in allata Cæſarii Editione, cum ſit in Editione ejuſdem Cæſarii an. 1528.

50. *& liquidæ pineæ, item ex lentiſco*) i. e. liquidæ & pineæ & ex lentiſco. Sic autem legendum ex Mſs. mutata interpunctione. Ita habent: *& liquidæ pineæ. Item ex lentiſco &c.* In Medic. I. pro *ex lentiſco thuris*, eſt, *ex lectis coturis*. Vulgo legitur: *& liquidæ pineæ; item ex lentiſci*: ſed perperam. Reſina liquida ex lentiſco memoratur etiam infra, ſectione 24.

51. Καρκινώδη *vero phymata*) Ita ex Codicibus Mediceis: ſed in his eſt *Carcinode*, litteris latinis. In IV. ſupra vocem *phymata* ponitur particula *et*, ſcribiturque, ut in II. & V. non *Carcinode*, ſed *Carcinodæ* cum diphthongo. Vnde vulgo, *Carcinodæ* (Ald. Edit. καρκινώδαι) *vero & phymata* (eadem Edit. φύματα). Pro *Carcinodæ*, Lindenius repoſuit, *Carcinomata*. Sed Καρκινώδη vox adjectiva eſt, ut ſupra ſect. 17. *in iis* (tuberibus) *quæ* καρκινώδη *vocantur*. Hic vero *tubercula* ex præcedentibus ſubaudiri videtur; & *phymata* fortaſſe irrepſit ex gloſſemate. Suſpicor igitur, Celſum ita ſcripſiſſe: Καρκινώδη *vero commode his leniuntur*. Qui vero inter καρκινώδη & *phymata*, particulam *&* poſuerunt, vim verbi *leniuntur* intellexiſſe non videntur. Conſideranti verba illa cap. 28. ſect. 2. hujus lib. *lenia medicamenta, quæ quaſi blandiantur*, facile apparebit, καρκινώδη *leniuntur* recte dici; *phymata leniuntur*, non item.

52. *p. s.*) Al. *p. X. s.*

53. *Idem &c.*) Alii cum Cæſario leg. *Item*; quod adverbium *quoque* non patitur: Lindenius, *Eidem*. In Mſs. Mediceis & in Codd. vetuſtioribus eſt, *Idem*. Aliquis fortaſſe malit, *Ad idem*. Mihi hoc inciſum ſuſpectum eſt, cum propter duriorem dicendi modum, tum quia, non malagma, ſed ne compoſitum quidem medicamentum exhibet.

25. Sunt etiam quædam malagmata, quæ στομωτικὰ [54] Græci vocant, quoniam aperiendi vim habent. Quale eſt, quod ex his conſtat: piperis longi, ſpumæ nitri, ſingulorum p. ✱. II. eryſimi p. ✱. IV. quæ cum melle miſcentur. Idoneaque etiam ſtrumæ aperiendæ ſunt. Ejus generis, vehementiuſque ex his eſt id, quod [55] habet calcis p. ✱. IV. piperis grana ſex, nitri, ceræ, ſingulorum p. ✱. X. mellis p. =. [56] olei heminam.

26. Miconis [57] quoque eſt, quod reſolvit, aperit, purgat. Habet alcyonium, ſulphur, nitrum, pumicem, paribus portionibus [59]; quibus tantum picis, & ceræ adjicitur, ut fiat cerati craſſitudo.

27. Ad oſſa autem Ariſtogenis, fit ex his: ſulphuris p. ✱. I. reſinæ terebinthinæ, nitri ſpumæ, & ex ſcilla partis interioris, plumbi eloti, ſingulorum p. ✱. II. thuris fuliginis p. ✱. VIII. ficus aridæ [59] quam pinguiſſimæ, ſevi taurini, ſingulorum p. ✱. VIII. ceræ p. ✱. XII. [60] iridis Macedonicæ p. ✱. VI. ſeſami fricti acetabulum.

28. Maximeque nervis [61] & articulis malagma convenit. Igitur Euthyclei eſt, & ad articulos, & ad omnem dolorem, & ad veſi-

54. στομωτικὰ) Alii leg. *ſtomachica*, ut eſt in Medic. I. & aliis quibuſdam Codicibus; al. στοματικὰ, ut eſt, ſed litteris latinis, in III. & VI. In II. legitur, *tomathica*. Apparet legendum eſſe, στομωτικὰ; & ſic ego repoſui. Lindenius habet, ἀναστομωτικὰ; ſecutus eſt autem Conſtantinum, qui ita reponendum adnotaverat, pro στοματικὰ.

55. *id, quod*) Lindenius omittit *id*. Infra, pro *p.* ✱. X. in aliquibus Codicibus eſt, *p.* ✱. *XII.*

56. *p.* =.) Cæſarius, *p.* 3. al. *p.* ✱. *III.*

57. *Miconis*) Aldina & vetuſtiores Edd. *Niconis*; ut eſt in quibuſdam Mſs. Cæſarius ſuſpicatur legendum, *Myctionis*, ex Plinio. Sed Plinii quoque Codices aliqui lib. 20. cap. 23. habent, *Miccon*, alii, *Mycon*; ut adnotat Harduinus; qui tamen legit, *Micton*.

58. *paribus portionibus*) Hic modus adeo familiaris eſt Celſo, ut mirer, Lindenium contra priores Editiones, cum quibus conſentiunt Codd. Medicei, maluiſſe, *pari pondere*; & ſect. 29. *par pondus*, pro *pares portiones*, ut iidem veteres libri habent.

59. *ficus aridæ*) Ante hæc verba Codices Medicei habent, *in alio exemplari frans*: quæ verba in IV. expunguntur; in I. ſic a Palavicino mutantur, ut legatur, *in alio exemplari ſtat*; ſed ſupra ſcribitur, *gloſa eſt*.

60. *p.* ✱. *XII.*) Ita Lindenii Edit. & Codices Medicei reliqui. Primus habet, ut Editiones vetuſtæ, *p.* ✱. *XI.*

61. *Maximeque nervis &c.*) Maxime autem nervis & articulis utilia malagmata ſunt. Alii omnes periodo ſuperiori addunt membrum hoc, ut ſententia ſit: Ariſtogenis malagma maxime convenit nervis & articulis. Quin etiam Lindenius ad ſenſum expediendum voci *malagma* addit *hoc*; & alia item mutat. Totum hunc locum ita legit: *maximeque nervis & articulis malagma hoc convenit.*

Euthyclei quod eſt, & ad articulos &c. Græci nominant, conveniens, habet &c. Alii quoque legunt, *& ad articulos*. Cod. Medic. I. non habet particulam *et*.

veſicæ [62], & ad recenti cicatrice contractos articulos, quas ἀγκύλας Græci nominant, quod habet fuliginis thuris acetabulum, reſinæ tantumdem, galbani ſine ſurculis ſeſcunciam, ammoniaci, bdellii, ſingulorum p. =. ceræ p. s. [63] Ad eoſdem digitos: iridis [64], ammoniaci, galbani, nitri, ſingulorum p. X. XIV. reſinæ liquidæ p. X. VI. ceræ p. X. XVI.

29. Ad dolores articulorum [65] Soſagoræ: plumbi combuſti, papaveris lacrimæ, corticis hyoſcyami, ſtyracis, peucedani, ſevi, reſinæ, ceræ pares portiones.

30. Chryſippi [66]: reſinæ liquidæ, ſandarachæ, piperis, ſingulorum p. X. XII. quibus ceræ paululum adjicitur.

31. Cteſiphontis: ceræ Creticæ, reſinæ terebinthinæ, nitri quam ruberrimi, ſingulorum p. s. [67] olei cyathi tres. Sed id nitrum ante per triduum, inſtillata aqua, teritur, & cum ſextario ejus incoquitur, donec omnis humor conſumatur. Poteſt [68] vero ea compoſitio etiam ad parotidas, phymata, ſtrumam, omnemque coitum humoris emolliendum.

32. Ad articulos, fici quoque aridi [69] partem nepetæ miſtam;

62. *& ad veſicæ*) Fortaſſe legendum, *etiam veſicæ*, vel *& ad veſicam*. Mihi tamen hæc tria verba ſuſpecta ſunt; atque alia quoque fortaſſe ex margine irrepſerunt. Rectius, ut arbitror, legeretur: *Igitur Euthyclei eſt ad omnem dolorem* (ſubaudi ex membro præcedenti, *nervorum & articulorum*) *& ad recenti cicatrice contractos articulos &c.*

63. *ſingulorum p. =. ceræ p. s.*) In Mſs. Mediceis habetur, *p. X. III. ſing. p. Z.* (in I. *p. =.*) *ceræ* (in al. *cæra*) *p. s.* Sed *p. X. III.* expungitur in IV. In Editionibus vetuſtioribus, *ſingulorum p. Z. cæræ p. ſemis*; in Aldina, *ſingulorum p. X. III. ceræ p. ſemis*; in Cæſariana, *ſingulorum p. 3. cæræ p. X. ſemis*; in aliis, *ſingulorum p. X. 3.* (vel *III.*) *cæræ p. X. ſemis*; in Linden. *ſingulorum p. X. cæræ p. X. ſemis*.

64. *Ad eoſdem digitos: iridis &c.*) Lego, *Ad eoſdem: iridis*; & ſubaudio, *articulos*. Nam *digitos* irrepſit, opinor, in contextum a malo interprete. Niſi forte hæc vox ſub mendo nomen continet auctoris, cujus hæc compoſitio eſt. In Mſs. Mediceis, excepto primo, in quo, ut alio loco dixi, ſine ejuſmodi ſectionibus continens ſcriptura eſt, ex tribus verbis, *Ad eoſdem digitos*, titulus conficitur hoc modo:

Ad eoſdem digitos.

Hyridis &c. Vulgo legitur: *Aliud item fit, quod habet iridis*; quæ videntur addita ex ingenio.

65. *Ad dolores articulorum*) Verba hæc fortaſſe margini adſcripta fuerant, unde in contextum immigrarunt.

66. *Chryſippi*) Lindenius, *Eſt & Chryſippi*.

67. *p. s.*) Al. *p. X. ſemis*; male.

68. *Poteſt*) Sic lib. 6. cap. 6. ſect. 28. collyrium, *quod Hieracis nominatur, ad aſpritudinem poteſt*; & alibi quoque. Lindenius leg. *Prodeſt*.

69. *Ad articulos, fici quoque aridi &c.*) Conſtructio hæc, *imponere ad articulos*, mihi non probatur. Itaque ſuſpicor duas voces, *Ad articulos*, ex gloſſemate additas eſſe. Quid ſi tota periodus inſititia eſt? Certe duo hæc medicamenta vix pertinere videntur ad id genus compoſitionum, quod hic Celſus perſequitur. Lindenius leg. *aridæ*. In Codicibus tamen Mediceis eſt, *aridi*.

vel uvam taminiam ſine ſeminibus cum pulegio recte aliquis impoṅit.

33. Eadem podagræ præſidio ſunt [70]. Sed ad eam fit Ariſtonis quoque, quod habet nardi, cinnamomi, caſiæ, chamæleontis, junci rotundi, ſingulorum p. ✕. VIII. ſevi caprini ex irino liquati p. ✕. XX. iridis p. ✕. I. quæ in aceto quam acerrimo jacere per XX. dies debet. Idem autem etiam recentia phymata doloreſque omnes diſcutit.

34. At Theoxenus ad pedum dolores, ſevi a renibus partem tertiam, ſalis partes duas miſcebat, hiſque membranulam illitam imponebat; tum ſuperinjiciebat ammoniacum thymiama in aceto liquatum.

35. At Numenius podagram, ceteroſque articulos induratos hoc molliebat: abrotoni, roſæ aridæ, papaveris lacrimæ, ſingulorum p. ✕. III. reſinæ terebinthinæ p. ✕. IV. thuris, ſpumæ nitri, ſingulorum p. ✕. VIII. iridis, ariſtolochiæ, ſingulorum p. ✕. XII. ceræ p. III. [71] quibus adjicitur cedri [72] cyathus unus, olei laurei cyathi tres, olei acerbi ſextarius.

36. Si quando autem in articulis callus increvit, Dexius docuit imponere, calcis p. ✕. IV. ceruſſæ p. ✕. VIII. reſinæ pineæ p. ✕. XX. piperis grana XXX. ceræ p. =. [73] quibus, dum contunduntur, hemina vini lenis inſtillatur.

XIX. Ex emplaſtris autem nulla majorem uſum præſtant, quam quæ cruentis protinus vulneribus injiciuntur: ἔναιμα Græci vocant. Hæc enim reprimunt inflammationem, niſi magna vis eam cogit, atque illius [74] quoque impetum minuunt: tum glutinant vulnera, quæ id patiuntur [75], cicatricem iiſdem inducunt. Conſtant au-

70. *præſidio ſunt*) In Mſs. Mediceis, *præſidia ſunt*; quod minus placet. Palavicinus correxit, *præſidio*; & ita legitur in libris vulgatis.

71. *p. III.*) Alii apponunt denarii notam.

72. *cedri*) pro cedria; ut roſa pro oleo roſaceo, cyprus pro cyprino. Lindenius leg. *cedriæ*, quemadmodum Conſtantinus habet in margine: deinde, ut Cæſarius aliique, *laurini*; pro *laurei*, quod eſt in Editionibus vetuſtioribus & in Mſs. Mediceis, exceptis III. & VI. in quibus, *lauri*. Laureum oleum ſæpius habetur lib. 6. cap. 7. & apud Plinium lib. 20. cap. 13.

73. *p.* =.) Al. cum Cæſario, *p.* ✕. *II.*

74. *atque illius*) Lindenius, *atque tum illius*: deinde, *& glutinant*, pro *tum glutinant*.

75. *quæ id patiuntur*) Non omnia enim vulnera glutinari poſſunt; ut ex cap. 26. ſect. 23. & 27. intelligitur. Ex quo appa-ret,

autem ex medicamentis non pinguibus; ideoque ἀλίπαινη [76] nominantur.

1. Optimum ex his eſt, quod Barbarum vocatur. Habet [77] æruginis raſæ p. ҂. XII. ſpumæ argenti p. ҂. XX. aluminis, picis aridæ, reſinæ pineæ aridæ, ſingulorum p. ҂. I. quibus adjiciuntur olei & aceti ſingulæ heminæ [78].

2. Alterum ad idem, quod Coacon [79] vocant, habet ſpumæ argenti p. ҂. C. [80] reſinæ aridæ tantumdem: ſed ſpuma prius ex tribus olei heminis coquitur. His duobus emplaſtris color niger eſt, qui fere talis fit ex pice atque reſina: at [81] ex bitumine nigerrimus; ex ærugine, aut æris ſquama, viridis; ex minio ruber; ex ceruſſa albus.

3. Paucæ admodum compoſitiones ſunt, in quibus aliquid miſturæ varietas novat. Ergo id quoque nigrum eſt, quod βασιλικὸν nominatur. Habet panacis [82] p. ҂. I. galbani p. ҂. II. picis, & reſinæ, ſingulorum p. ҂. X. olei dimidium cyathum.

4. At quod [83] perviride eſt, ſmaragdinum appellatur: in quo ſunt reſinæ pineæ p. ҂. III. ceræ p. ҂. I. [84] æruginis p. S. thuris fuliginis [85]

 p. =.

ret, Lindenium perperam legere: *quæ id non patiuntur*. Idem Lindenius proximæ voci, *cicatricem*, præmittit &.

76. ἀλίπαινη) In Codicibus Mſs. & in Editionibus antiquis habetur, *alipene*; in quibuſdam, *alipenæ*. Ego hanc vocem græcis litteris ſcripſi, Egnatium ſecutus: ſed ille, ἀλιπένη per ε; ego, ἀλίπαινη per αι, ut ſit a λιπαίνω. Conſtantinus mallet, ἀλίπαινα. Stephanus leg. ἀλιπῆ; Lindenius ex Pantini conjectura, ἀλίπαντα, & addit, *a Græcis*. Cæſarius habet, *alipenæ*; in margine autem, *aliparæ*.

77. *Barbarum vocatur. Habet &c.*) Lindenius leg. *Barbarum nominatur. Habet enim &c.*

78. *heminæ*) Poſt hanc vocem in Mſs. additur littera *K*; quæ apud Græcos heminæ nota eſt; ſed hic vacat.

79. *Coacon*) Ita in Mſs. quibuſdam; quod & Cæſario probatur. Sed græcis litteris ſcribendum videtur. Dictum eſt κωακὸν, ut & κωακαὶ προγνώσεις, fortaſſe a Coo inſula; quemadmodum infra Epheſium emplaſtrum ab Epheſo urbe, Alexandrinum ab Alexandria. Alii leg. χόακον, vel *choacon*. Conſtantinus mallet, κοακὸν.

80. *p.* ҂. *C*) Lindenius, *p.* ҂. X.

81. *at*) Lindenius, *ut*.

82. *panacis*) Idem, *opopanacis*.

83. *At quod*) Ita in vulgatis. In Mediceo I. aliiſque Mſs. *At quia*.

84. *ceræ p.* ҂. *I.*) Videtur legendum, *ceræ p. I.*, ſi quidem ſequentes ponderum notæ recte habent.

85. *thuris fuliginis*) Pro *fuliginis*, Lindenius legit, *pollinis*; & deinde, *pollen*, pro *fuligo*: ut malebat Conſtantinus, negans ſmaragdinum fore, in quo eſſet thuris fuligo. Attamen advertendum, æruginis, unde viridis color, multo majorem modum, quam fuliginis adhiberi. Omnino contra veteres Codices nihil mutare auſim. Apud Conſtantinum autem, ut & apud Cæſarium alioſque, variatur in ponderum notis. Habetur enim, *p.* ҂. *II.* pro *p.* =. & *æruginis p.* ҂. *ſemis*, pro *æruginis p. S.*

p. ═. olei tantumdem, aceti, quo [86] fuligo & ærugo in unum cogantur.

5. Eſt etiam coloris fere rufi, quod celeriter ad cicatricem vulnera perducere videtur. Habet thuris p. ✕. I. reſinæ p. ✕. II. ſquamæ æris p. ✕. IV. [87] ſpumæ argenti p. ✕. XX. ceræ p. ✕. C. olei heminam.

6. Præterea eſt, quam παρακολλητικὴν [88] a glutinando vocant. Conſtat ex his: bituminis, aluminis ſciſſilis, p. ✕. IV. ſpumæ argenti p. ✕. XL. olei [89] veteris hemina.

7. Præterea ſunt quædam generis ejuſdem, quæ, quia capitibus fractis maxime conveniunt, κεφαλικὰ a Græcis nominantur. Philotæ compoſitio habet terræ Eretriæ, chalcitidis, ſingulorum p. ✕. IV. myrrhæ, æris combuſti, ſingulorum p. ✕. X. ichthyocollæ p. ✕. VI. [90] æruginis raſæ, aluminis rotundi, miſy [91] crudi, ariſtolochiæ, ſingulorum p. ✕. VIII. ſquamæ æris p. ✕. X. [92] thuris maſculi p. ✕. II. ceræ p. I. roſæ, & olei acerbi, ternos cyathos, aceti quantum ſatis eſt, dum arida ex eo conteruntur.

8. Aliud ad idem viride: æris [93] combuſti, ſquamæ æris, myrrhæ, ichthyocollæ, ſingulorum p. ✕. VI. miſy crudi, æruginis raſæ,

86. *aceti, quo*) aceti tantum, quo &c. Lindenius & alii cum Cæſario leg. *& aceti, quo*.

87. *p. ✕. IV.*) Hic quoque alii Cæſarium ſequuntur, qui legit, *p. ✕. III.*

88. *quam παρακολλητικὴν*) Ita Aldina: Editiones autem vetuſtiores, *paracolleticam*, latinis litteris ac terminatione. Alii cum Cæſario leg. *quod παρακολλητικὸν*; quia ſubauditur *emplaſtrum*. Sed vide adnotat. 34. ſect. 25. hujus cap. Ceterum hæc vox formata ab aliquo videtur ex titulo, qui huic compoſitioni præmittitur in quibuſdam libris: *Colliticen* (vel *Colleticen*) *ad glutinandum*. Nam in textu Codices Medicei habent, ΠΑΓΙΤΟΥCΑΜ; primus, *paſiſoycam*; quartus, *paſiſoican*. Videndum aliis relinquo, num forte Celſus ſcripſerit, *quam παγιῶσαν*, a verbo παγιόω.

89. *p. ✕. XL. olei &c.*) In Mſs. Mediceis legitur: *p. ✕. XL. olei veteris heminam* (in I. *eminam*). Sed in IV. ſupra notam numeralem *XL.* poſita eſt particula *et*, correctumque, *hemina*. Hinc in Editione I. & in aliis pervetuſtis: *p. X. & olei hemina*: recepta videlicet in textum particula *&*, ejectaque nota *XL*. Egnatius repoſuit, *p. ✕. XL.* ſed particulam *&* retinuit. Lindenius aliique leg. *p. ✕. IIII. & olei hemina*, cum Cæſario.

90. *ſingulorum p. ✕. X. ichthyocollæ p. ✕. VI.*) Plerique omnes omittunt, *ſingulorum*; ſed libri vulgati ante Cæſarium, itemque Codices Mſs. habent eam vocem poſt *ichthyocollæ*. Hinc ſuſpicio oritur, tollendum eſſe *p. ✕. X.* quod fortaſſe ex varia lectione ſequentis notæ, *p. ✕. VI.* huc inſertum fuit; ut legatur: *æris combuſti, ichthyocollæ ſingulorum p. ✕. VI.* Porro Codices alii, ſicut Medic. I. habent, *p. ✕. VI.* alii, *p. ✕. XVI.*

91. *miſy*) Hoc nomen apud Celſum indeclinabile eſt; ſi quidem antiquis Codicibus ſtandum eſt. Cur autem ſtandum non ſit? Attamen Cæſarius aliique quidam *miſyos* efferunt generandi caſu; quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

92. *p. ✕. X.*) Cæſarius & alii, *p. ✕. XX.* & poſtea, *ceræ p. ✕. I.* pro *ceræ p. I.*

93. *æris*) Lindenius præmittit, *Habet*; & in fine leg. *heminam*, pro *hemina*.

ſæ, ariſtolochiæ, aluminis rotundi, ſingulorum p. ӿ. VIII. ceræ p. ӿ. I. [94] olei hemina, aceti quod ſatis ſit.

9. Puri autem movendo non aliud melius, quam quod expeditiſſimum eſt: τετραφάρμακον [95] a Græcis nominatur. Habet pares portiones ceræ, picis, reſinæ, ſevi taurini; ſi id non eſt, vitulini.

10. Alterum ad idem, ἐννεαφάρμακον [96] nominatur; quod magis purgat. Conſtat ex novem rebus, cera, melle, ſevo, reſina, myrrha, roſa, medulla vel cervina vel vitulina vel bubula, œſypo [97], butyro: quorum ipſorum quoque pondera paria miſcentur.

11. Sunt autem quædam emplaſtra, quibus utriuſque rei facultas eſt: quæ, ſi ſingula habenda ſunt, meliora ſunt [98]; ſed in copia rejicienda ſunt; iis potius adhibitis, quæ proprie id, quod eo tempore opus eſt, conſequuntur. Exempli cauſa duo proponam. Eſt igitur ad vulnera Attalum; quod habet ſquamæ æris p. ӿ. XVI. [99] thuris fuliginis [1] p. ӿ XV. ammoniaci tantumdem, reſinæ

94. *p. ӿ. I.*) In multis Mſs. numeri nota magis ad *L.* quam ad *I.* accedere videtur: ideoque fortaſſe legendum, *p. ӿ. L.* Niſi quis denarii notam tollere malit, & legere *p. I.* Alii cum Cæſario leg. *p. ӿ. VI.* alii cum Pantino, *p. ӿ. VII.*

95. τετραφάρμακον) Lindenius præmittit particulam *&*.

96. ἐννεαφάρμακον) Al. *enneapharmacum* litteris latinis; Cod. Medic. I. *ennepharmacum*.

97. *œſypo*) Ita Lindenius ex Pantini conjectura; quam & ego probavi. Alii leg. *hyſſopo*. In Cod. Medic. I. eſt, *yſopo*. In verbis proximis Lindenius omittit, *ipſorum*.

98. *quæ, ſi ſingula habenda ſunt, meliora ſunt &c.*) Hujus loci, in quo Codices Mſs. nihil variant, hæc ſententia eſt: ſi copia deeſt, atque unum dumtaxat emplaſtrum habere licet, expedit ex hoc genere habere, quod ſimul & glutinandi & pus movendi facultatem habet: ſi copia eſt, hoc rejiciendum eſt, & prout opus eſt, vel illud adhibendum, quod glutinat tantum, vel illud, quod tantum pus movet. *Singula* ſignificat *unica;* ut cap. 17. hujus libri ſect. 1. *ſi qua ſingulis vel etiam paucis accomodata ſunt*; & cap. 27. ſect. 10. *Adverſus quos ſatis proficit herba Vettonica, vel Cantabrica, vel centaurion .... ſingulæ binæve tritæ, & cum vino potui datæ*. Sic Cicero lib. 2. de Divinit. cap. 2. *Id enim ipſum a Platone, philoſophiaque didiceram, naturales eſſe quaſdam converſiones rerum publicarum, ut eæ tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a ſingulis*. Conſtantinus & Lindenius Celſi ſententiam aſſecuti non ſunt. Nam Conſtantinus ita habet in libri margine: *cui, ſi ſingula addenda ſunt meliora ſunt; alias deteriora, nec niſi cum utraque opus eſt, aut in ſingulis ſingulorum inopia, utenda venit. Sed in copia &c.* Vnde multa ſumpſit Lindenius, & ita edidit: *quæ, niſi ſingula habenda ſit, meliora ſunt; alias deteriora, nec niſi cum utraque opus eſt, aut in ſingulis ſingulorum inopia, utenda veniunt: ſed in copia &c.* Quæ quantum a Celſi ſententia, & a latinæ linguæ conſuetudine abhorreant, dici vix poteſt. Vide etiam Morgagn. Epiſt. VII. in Celſum.

99. *p. ӿ. XVI.*) Egnatius & alii, *p. ӿ. VI.*

1. *thuris fuliginis*) Vocem *thuris*, quæ deeſt in antiquis libris, & Mſs. & impreſſis, quotquot ego vidi, reſtituit Lindenius; ſed fortaſſe ex ſola Conſtantini conjectura.

ſinæ terebinthinæ liquidæ p. ӿ. xxv. ſevi taurini tantumdem, aceti heminas tres, olei ſextarium. At inter ea, quæ fracto capiti accommodantur, habent quidam id, quod ad auctorem Judæum refertur. Conſtat ex his: ſalis p. ӿ. IV. ſquamæ æris rubri, æris [2] combuſti, ſingulorum p. ӿ. XII. ammoniaci thymiamatis, thuris fuliginis, reſinæ aridæ, ſingulorum p. ӿ. XVI. [3] reſinæ Colophoniacæ, ceræ, ſevi vitulini curati, ſingulorum p. ӿ. XX. aceti ſeſquicyatho [4], olei minus cyatho. Τεθεραπευμένα Græci appellant, quæ curata vocant [5]; cum ex ſevo puta omnes membranulæ diligenter exemptæ ſunt, ex alio medicamento [6].

12. Sunt etiam quædam emplaſtra nobilia ad extrahendum; quæ ipſa quoque ἐπισπαστικὰ nominantur: quale eſt, quod, quia lauri baccas habet, διὰ δαφνίδων appellatur. In eo eſt, reſinæ terebinthinæ p. ӿ. X. nitri, ceræ, picis aridæ, baccarum lauri, ſingulorum p. ӿ. XX. olei paulum. Quoties aut [7] baccam, aut nucem, aut ſimile aliquid poſuero, ſcire oportebit, antequam expendatur, ei ſummam pelliculam eſſe demendam.

13. Aliud eodem nomine [8], quod puri quoque movendo eſt. Sevi vitulini, ammoniaci thymiamatis, picis, ceræ, nitri, bacca-

2. *rubri, æris*) Hæ duæ voces deſunt in Cod. Medic. I.

3. *p. ӿ. XVI.*) Ita in Mſs. Libri impreſſi habent, *p. ӿ. VI.* Poſtea, pro *Colophoniacæ*, Lindenius leg. *Colophoniæ*, ut in margine habet Cæſarii Editio. *Colophoniacæ* habetur iterum ſect. 17. hujus capitis; ſed Lindenius ibi quoque leg. *Colophoniæ*.

4. *aceti ſeſquicyatho*) Sic repoſui poſcente conſtructione. Niſi forte Lindenius eſt ſequendus, qui legit: *additur aceti ſeſquiciathus*. In Codd. Mſs. & in Edd. vetuſtis habetur: *aceti ſeſquicyathum*, vel *ſexquicyathum*. Deinde, *minus cyatho* recte edidit Lindenius, pro *minus cyathum*, quod iidem illi habent veteres libri. Sic infra cap. 21. ſect. 4. recte legitur: *roſæ minus cyatho*; ut adnotavit Rhodius de Ponderib. & Menſur.

5. *Τεθεραπευμένα Græci appellant, quæ curata vocant*) In Codicibus Mediceis eſt, ΘΕΡΑΠΕΜΕΝΑ. Pro *vocant*, Conſtantinus mallet, *vocamus*, vel *vocantur*. Lindenius ſic repoſuit: *Quæ τεθεραπευμένα Græci appellant, nos curata vocamus*. Mihi vox *noſtri* deeſſe videtur poſt *quæ*. Niſi dicere malimus, hæc verba, *τεθεραπευμένα Græci appellant*, eſſe ab interprete aliquo; quibus temere a librario in textum traductis, interpolatores addiderint relativum *quæ* ad omnia connectenda.

6. *ex alio medicamento*) Hæc quoque ex margine immigraſſe ſuſpicor. Qui illa addidit, non videtur intellexiſſe vim verbi *puta*, quod cum adverbialiter adhibetur, rem aliquam determinatam ad exemplum poſtulat, ut ſebum, ut adipem. At medicamentum indeterminata res eſt. Ceterum hæc non cohærent cum præcedentibus, niſi *aut* præmittatur; ut in Aldina Editione, quam multi ſecuti ſunt. Sed particula iſta non reperitur in Mſs.

7. *Quoties aut*) Lindenius leg. *Quoties autem*.

8. *eodem nomine*) Ante Lindenium legebatur, *eo nomine*. Codex Mediceus I. habet, *eo nominedem*; & ex Palavicini emendatione, *eodem nomine appellatur*.

carum lauri, reſinæ aridæ, ariſtolochiæ, pyrethri, pares portiones.

14. Præter hæc [9], eſt Philocratis; quod habet ſalis Ammoniaci p. x. VII. ariſtolochiæ p. x. VIII. ceræ, reſinæ terebinthinæ, fuliginis thuris, ſingulorum p. x. XVI. ſpumæ argenti p. x. XXXII. [10] Quibus, ut pus quoque moveant, iridis p. x. IV. & galbani [11] p. VI. adjiciuntur.

15. Optimum tamen ad extrahendum eſt id, quod a ſimilitudine ſordium ῥυπώδεις Græci appellant. Habet myrrhæ, croci, iridis, propolis, bdellii, capitulorum Punici mali, aluminis & ſciſſilis & rotundi, miſy, chalcitidis [12], attramenti ſutorii cocti, panacis [13], ſalis Ammoniaci, viſci, ſingulorum p. x. IV. ariſtolochiæ p. x. VIII. ſquamæ æris p. x. XVI. reſinæ terebinthinæ p. x. LXXV. ceræ, & ſevi vel taurini vel hircini, ſingulorum p. x. C.

16. Hecatæo quoque auctore emplaſtrum generis ejuſdem fit ex his: galbani p. x. II. fuliginis thuris p. x. IV. picis p. x. VI. ceræ, & reſinæ terebinthinæ, ſingulorum p. x. VIII. quibus paulum irini unguenti miſcetur.

17. Valenſque ad idem emplaſtrum viride Alexandrinum eſt. Habet aluminis ſciſſilis p. x. VIII. ſalis Ammoniaci p. x. VIII. =. [14] ſquamæ æris p. x. XVI. myrrhæ, thuris, ſingulorum p. x. XVIII. ceræ p. x. CL. reſinæ Colophoniacæ aut pineæ p. x. CC. [15] olei heminam, aceti ſextarium.

18. Quædam autem ſunt emplaſtra exedentia, quæ σηπτὰ [16] Græci vocant: quale eſt id, quod habet reſinæ terebinthinæ, fuliginis thuris, ſingulorum p. =. [17] ſquamæ æris p. x. I. ladani p. x. II. aluminis tantumdem, ſpumæ argenti p. x. IV.

19. Ex

9. *Præter hæc*) Ita Lindenius; cum antea legeretur, *Præter has*; quod ferri non poteſt.

10. *p. x.* XXXII.) Quidam ſecuti Cæſarium, *p. x.* L*II.*

11. *p. x. IV. & galbani*) Lindenius, *p. x. III. galbani*.

12. *chalcitidis*) *chalcitis* vel *calchitis* ſecundo caſu hic & multis aliis in locis habent Mſs. Codices atque Editiones priſcæ; ſed mendum videtur. Alibi recte, *chalcitidis*.

13. *panacis*) Lindenius leg. *opopanacis*.

14. *p. x. VIII. =.*) Al. *p. x. VIII.* 3. Ruell. *p. x. VIII. III.* Linden. *p. x. VII.*

15. *p. x. CC.*) Cæſarius, & alii, *p. x. CXC.*

16. *σηπτὰ*) In Codicibus Mediceis atque Editionibus antiquioribus vox hæc latinis litteris ſcribitur: in Aldina & Ruelliana, græcis. Cæſarius, quem ceteri poſtea ſecuti ſunt, repoſuit, σηπτικὰ. Sed antiqua lectio & ipſa proba eſt.

17. *p. =.*) Cæſarius, *p.* 3. Al. *p. x.* 3. ut eſt in Edit. an. 1538. Ruell. *p. x. III.* Linden. *p. x. II.*

19. Exeſt etiam [18] vehementer corpus, atque oſſa quoque reſolvit, & ſupercreſcentem carnem coercet, id quod habet ſpumæ argenti, ſquamæ æris, uncias ſingulas, nitri ignem non experti, lapidis Aſii, ariſtolochiæ p. ſextantes, ceræ, reſinæ terebinthinæ, thuris, olei veteris, atramenti ſutorii, ſalis Ammoniaci p. s. æruginis raſæ p. beſſem, aceti ſcillitici heminam, vini Aminæi tantumdem.

20. Sunt etiam adverſus morſus quædam accommodata; quale eſt Diogeni nigrum [19], quod habet bituminis, ceræ, reſinæ pineæ aridæ, ſingulorum p. ✕. xx. ſpumæ argenti p. ✕. c. olei ſextarium. Aut in quo ſunt ſquamæ æris p. ✕. IV. ceruſſæ, & æruginis raſæ, ſingulorum p. ✕. VIII. ammoniaci p. ✕. XII. ceræ, reſinæ pineæ, ſingulorum p. ✕. XXV. ſpumæ argenti p. ✕. c. olei ſextarium. Aut in quo ſunt [20] ſquamæ æris p. ✕. XIV. galbani p. ✕. VI. ceruſſæ, & æruginis raſæ, ſingulorum p. ✕. VIII. ammoniaci p. ✕. XII. ceræ, reſinæ pineæ, ſingulorum p. ✕. XXXV. [21] ſpuma argenti concoquitur [22].

21. Rubrum quoque emplaſtrum, quod Epheſium [23] vocatur, huc

18. *Exeſt etiam*) Particula *etiam* non eſt in Cod. Medic. I. Alii quidam Codices habent, *Eſt etiam*, alii, *Es eſt etiam*.

19. *Diogeni nigrum*) Ita in Codd. Mſs. & in Edit. I. aliiſque nonnullis, vetuſto more, pro *Diogenis*; quemadmodum *Ariſtoteli*, pro *Ariſtotelis*, apud Ciceronem lib. 13. ad Atticum epiſt. 28. & *Themiſtocli*, pro *Themiſtoclis* lib. 5. ad famil. epiſt. 12. Vide ibi Victorii adnot. Alii cum Egnatio legunt, *Diogenis*; & fortaſſe rectius. Codex Medic. I. habet, *Diogenigrum*. Idem Codex habet, *Dioge* etiam cap. 27. ſect. 1. ubi alii Codices & quædam Editiones, *Diogenis*; Editiones priſcæ, *Diogeſi*.

20. *Aut in quo ſunt*) Vehementer dubito, num hæc compoſitio eadem ſit ac ſuperior, variaque in variis Codicibus lectio deſcriptionis geminandæ cauſam dederit. Certe ab ea parum differt.

21. *p. ✕. XXXV.*) Ita in Codicibus Mediceis & in alio Codice apud Conſtantinum. Vulgo alii, *p. ✕. LV.* alii, *p. ✕. XLV.*

22. *ſpuma argenti concoquitur*) Cæſarius, ut manifeſto vitio mederetur, leg. *ex quibus ſpuma &c.* & ita deinceps Editores ceteri. Sed id auxilii ſatis non eſt. Primum ſpuma argenti, quæ hic nominatur, non eſt in ipſa compoſitione: deinde, quo refertur illud *ex quibus?* Ad ceram puto & reſinam. At ſpuma argenti ex his non coquitur, ſed ex oleo fere, vel ex aqua, ut apparet ex ſect. 24. hujus capitis. Itaque videntur aliqua deeſſe. Pro *concoquitur*, malim, *coquitur*; ut infra ſect. 23. Si divinare licet, fortaſſe, cum ad hunc modum eſſet: *ſpumæ argenti p. ✕. c. olei ſextarium; ex quo ſpuma argenti coquitur;* librarius in deſcribendo, a *ſpumæ argenti* tranſiit ad *ſpuma argenti*. Niſi potius, quia ceruſſa quoque, ubi oleum adjicitur, ex eo coquenda eſt, ut mox docebitur, Celſus ita ſcripſit: *ſpumæ argenti p. ✕. c. olei ſextarium; ex quo ceruſſa, & ſpuma argenti coquitur*. Sed fortaſſe hæc verba, *ex quo ceruſſa, & ſpuma argenti coquitur*, addenda ſunt poſt illa, *olei ſextarium*, quæ ſupra ſunt, & cetera tollenda. Vid. adnotat. 20.

23. *Epheſium*) *Etheſium* habent Editiones vetuſtiores cum Cod. Medic. I. In Aldina eſt, ἔμφιον; in quibuſdam Mſs. *& ephium*. Cæſarius repoſuit, *Epheſium*; ut, omnibus antiquis libris conſentientibus, legitur cap. 27. hujus libri ſect. 3.

huc aptum eſt. Habet reſinæ terebinthinæ p. x. II. galbani p. x. IV. minii Sinopici p. x. VI. thuris fuliginis p. x. VI. ceræ p. x. VIII. ſpumæ argenti p. x. XXXVI.[24] olei veteris heminam.

22. Item id, quod ex his conſtat: ſquamæ æris, thuris fuliginis, ſingulorum p. x. IV. galbani p. x. VI. ſalis Ammoniaci[25] p. x. XII. =.[26] ceræ p. x. XXV. olei tribus heminis. Hæc autem aliis quoque recentioribus vulneribus recte imponuntur.

23. Sunt etiam alba lenia (λευκὰ Græci vocant) fere non gravibus vulneribus accommodata, præcipueque ſenilibus: quale eſt quod habet ceruſſæ p. x. XXXII.[27] ſevi vitulini curati, & ceræ, ſingulorum p. x. XLVIII.[28] olei heminas tres, ex quibus ceruſſa[29] coquitur.

24. Aliud, quod habet ceruſſæ p. x. XX.[30] ceræ p. x. XXXV.[31] olei hæminam, aquæ ſextarium. Quæ quoties adjiciuntur ceruſſæ vel ſpumæ argenti, ſcire licet, illa ex his coquenda eſſe. Eſt autem ea percandida compoſitio, quæ ſupra poſita eſt[32], ideoque ἐλεφαντίνη[33] nominatur.

25. Lenia quoque quædam emplaſtra ſunt, quas λιπαρὰς[34] fere Græci nominant; ut id quod habet minii p. x. IV. ſpumæ argenti p. x. XXV. ceræ, & adipis ſuillæ, ſingulorum p. x. XXXVII.[35] vitellos quatuor.

26. Alia compoſitio generis ejuſdem: ceræ, reſinæ terebinthi-

24. *p. X. XXXVI.*) In libris vulgatis, *p. X. LXVI.* Ego Mſs. ſequor.

25. *p. X. VI. ſalis Ammoniaci*) Hoc totum deeſt in Mſs. Medic. omnibus præterquam in primo. In quarto & ſeptimo margini adſcriptum eſt alia manu.

26. *p. X. XII. =.*) Al. *p. X. XII.* 3. Ruell. *p. X. XII. III.*

27. *p. X. XXXII.*) Al. cum Cæſario, *p. X. LII.* Stephan. *p. X. LI.*

28. *p. X. XLVIII.*) Ita in Mſs. Vulgo legitur, *p. X. LVIII.*

29. *ceruſſa*) Legebatur, *ea ceruſſa*, ut eſt in Codice I. Ego pronomen ſuſtuli ex fide ceterorum Codicum Mediceorum.

30. *p. X. XX.*) Al. *p. X.* Conſtantin. *p. X. Z. X.*

31. *p. X. XXXV.*) Al. *p. X. LV.*

32. *quæ ſupra poſita eſt*) Hæc verba redundant, & ab explanatore aliquo addita videntur.

33. ἐλεφαντίνη) In Codice Medic. I. *elephantinæ*; in aliis, *elephantine*, inveni. Ego græcis litteris ſcripſi. Vulgo legebatur, *elephantina*.

34. *quas* λιπαρὰς) Lindenius leg. *quæ* λιπαρὰ, quia præcedit *emplaſtra*. Sed Celſus græcam vocem retinuit, ſicut cap. 26. ſect. 35. Græci autem efferunt, λιπαρὰς ἐμπλάστρους, fœmineo genere.

35. *p. X. XXXVII.*) Ita in Mſs. Sed re vera in pleriſque eſt, non *II.* ſed *u*; quæ tamen littera alibi quoque invenitur pro, *II.* Vulgo alii leg. *p. X. XXVII.* Linden. *p. X. XXXV.* idemque, poſt *vitellos*, addit, *ovorum*; quæ vox neque neceſſaria eſt, neque invenitur in meis Mſs.

næ, ſingulorum p. ✠. VI. [36] ceruſſæ p. ✠. VIII. ſpumæ argenti, plumbi recrementi, σκωρίαν μολύβδυ Græci vocant [37], ſingulorum p. ✠. XX. [38] cicini olei, & myrtei, ſingulorum heminæ [39].

27. Tertia, quæ ad auctorem Archagathum refertur: miſy cocti, æris combuſti, ſingulorum p. ✠. IV. ceruſſæ coctæ p. ✠. VIII. reſinæ terebinthinæ p. ✠. X. ſpumæ argenti p. ✠. VI.

28. Etiamnum generis ejuſdem: ſpumæ argenti, ceræ, adipis ſuillæ, ſingulorum p. ✠. XXVII. vitelli cocti quatuor [40], roſæ hemina. Aut, cerati ex oleo myrteo facti partes tres, adipis ſuillæ pars quarta, paulum ex plumbi recremento. Aut, ſpumæ argenti ſelibra, ex olei hemina, & aquæ marinæ altera, cocta, donec bullire deſierit, cui paulum ceræ ſit adjectum. Aut, pares portiones ceræ, ſevi, ſtibis [41], ſpumæ argenti, ceruſſæ.

XX. 1. Paſtilli quoque facultates diverſas habent. Sunt enim ad recentia vulnera glutinanda ſanandaque apti: qualis eſt, qui habet chalcitidis, miſy, ſpumæ nitri, floris æris, gallæ, aluminis ſciſſilis modice cocti, ſingulorum p. ✠. I. æris combuſti, capitulorum mali Punici, ſingulorum p. ✠. III. Hunc oportet diluere aceto, ac ſic, ubi [42] vulnus glutinandum eſt, illinere. At, ſi nervo-

36. *p. ✠. VI.*) Linden. *p. ✠. V.*

37. *σκωρίαν μολύβδυ Græci vocant*) Verba hæc inſerta videntur ex interpretatione ſumpta ex cap. 15.

38. *p. ✠. XX.*) Multi omittunt denarii notam, ſecuti Edit. an. 1538. Lindenius leg. *p. ✠. X.* Deinde alii leg. *myrti*. Ego ſequor Lindenium, qui repoſuit, *myrtei*. In Mſs. Mediceis eſt, *murti*; in III. *mirti*; in VI. mendoſe, *mixti*.

39. *ſingulorum heminæ*) Legendum puto *ſingulæ heminæ*; ut ſupra ſect. 7. *olei & aceti ſingulæ heminæ*. Sic ſect. 19. *ſpumæ argenti, ſquamæ æris uncias ſingulas*. Fortaſſe *ſingul.* vel *ſingl.* compendio ſcriptum erat, quemadmodum *ſingul.* vel *ſingl.* pro *ſingulorum* paſſim invenitur in vetuſtis Codicibus. Hinc error. Niſi fortaſſe quis legere malit, *ſingulorum hemina*. Minus recte Lindenius, *ſingulorum heminæ tertia*; ſumpta videlicet voce *tertia* ex periodo proxima, ibique *Alia* ei ſuffecta. Nam deinde leg. *Alia, quæ ad autborem Archagatbum &c.*

40. *vitelli cocti quatuor*) Gryphius, Pantinus, & Lindenius ſecuti Edit. an. 1538. omittunt, *quatuor*; ſed perperam. Deinde, pro *Aut, cerati*, Lindenius leg. *Aut compoſitio bæc: cerati*; itemque infra, *Aut bæc compoſitio: ſpumæ*, pro *Aut, ſpumæ*; & in fine capitis, *Aut bæc: pares portiones*, pro *Aut, pares portiones*.

41. *ſtibis*) Lindenius tum hic, tum alibi repoſuit *ſtibii* a *ſtibium*; quemadmodum Conſtantinus malebat. Cod. Mediceus I. ſemel habet, *ſtibii* lib. 6. cap. 6. ſect. 16. *ſtibiis* ſect. 8. ejuſdem capitis: alii tamen Codices utrobique, *ſtibis*. Contra ſect. 12. ubi alii Codices habent, *ſtibii*, ille, *ſtibis*. Verum tot loca ſunt, in quibus, *ſtibis*, ſine ulla Codicum varietate legitur, ut is modus efferendi vocem hanc, extra omnem dubitationem poni debeat.

42. *ac ſic, ubi &c.*) Ita in Edit. Lindenii. Sed particulam *ac* ego, neque in Mſs. neque in ceteris Editionibus inveni. In margine Conſtantinianæ dumtaxat eſt, *ac ubi*. Poſtea, pro *illinere*, ut Lindenius aliique le-

voſus aut muſculoſus is locus eſt, commodius eſt cerato miſcere, ſic, ut illius octo partes, nona hujus ſit.

Alius ad idem conſtat ex his: bituminis, aluminis ſciſſilis, ſingulorum p. x. I. æris combuſti p. x. IV. ſpumæ argenti p. x. XI. olei ſextario.

2. Sed longe Polybi [43] celeberrimus eſt; σφραγὶς autem nominatur: qui habet aluminis ſciſſilis p. x. I. =. [44] atramenti ſutorii p. x. II. myrrhæ p. x. V. aloes tantumdem, capitulorum Punici mali, fellis taurini, ſingulorum p. x. VI. quæ contrita vino auſtero excipiuntur.

3. Ad ulcera ſordida, & nigritiem in auribus, naribus, obſcœnis partibus, inflammationeſque eorum: chryſocollæ p. x. I. atramenti ſutorii, aluminis ſciſſilis, ſingulorum p. x. II. halicacabi corticis p. x. IV. minii p. x. VI. ſpumæ argenti p. x. XII. ceruſſæ p. x. XVI. quæ ex aceto, & coguntur [45], &, ubi utendum eſt, diluuntur.

4. Andronis vero eſt ad uvam inflammatam, ad naturalia ſordida, etiam cancro laborantia: gallæ, atramenti ſutorii, myrrhæ, ſingulorum p. x. I. [46] ariſtolochiæ, aluminis ſciſſilis, ſingulorum p. x. II. capitulorum [47] Punici mali p. x. XXV. ex paſſo coa-

legunt cum Egnatio, in Mſs. eſt, *inbinire*, vel *illinire*; quod capite proximo ſect. 1. Lindenius retinet, quamvis Egnatius, & Ruellius ibi quoque repoſuerint *illinere*.

43. *Polybi*) Pantinus, cui alii quoque Interpretes adſtipulantur, legendum putavit, *Polyidæ* ex Galeno lib. 5. de C. M. S. G. cap. 12. & ex Paulo Ægineta lib. 7. cap. 12. Conſtantinus adnotavit, Polyidæ ſphragidem ab Aetio quoque memorari Tetrab. 3. Serm. 1. cap. 49. (mihi 48.). Sed de alia compoſitione ibi loquitur Aetius. Paſtillus hic, ſeu ſphragis Polyidæ apud eum habetur Tetrab. 4. Serm. 2. cap. 50. His addi poteſt & Cælius Aurelianus lib. 3. Acut. morb. cap. 3. & 4. & Nicolaus Myrepſus ſect. 41. cap. 44. qui hanc compoſitionem ipſi quoque ad Polyidam referunt. Igitur Lindenius, *Polyidæ*, hic repoſuit. Cujus quidem judicium aliqui fortaſſe probabunt; inconſtantiam nemo probare poterit. Nam idem cap. 26. hujus libri ſect. 23. & lib. 6. cap. 7. ſect. 3. retinuit, *Polybi*. Ego & hic *Polybi*, vel *Polibi* inveni in Mſs. & infra cap. 26. ſect. 23. *Polybi ſphragidem* in Medic. I. & nonnullis aliis: nam in pleriſque multa eo loco deſiderantur. Itemque lib. 6. cap. 7. ſect. 3. *Polybi ſphragis*, legitur in quibuſdam, ut in Medic. I. in aliis vero, *Polybii* (vel *Polibii*) *phagis*. Videndum eſt apud utrum error ſit, Celſum, an Galenum; ac ſitne error Auctoris, an librariorum. Cæſarius & alii quidam leg. *Polybii*.

44. *p. x. I.* =.) Alii cum Cæſario, *p. x. I.* 3. Ruell. *p. x. I. III.* Linden. *p. x. IV.*

45. *& coguntur*) Lindenius omittit *&*.

46. *p. x. I.*) In Aldina Edit. *p. x. ij*.

47. *capitulorum &c.*) Sic legendum cum Cæſario & aliis multis. Niſi quis, *capitula*, ut eſt in Edd. vetuſtioribus & in Mſs. retinere malit, & legere: *capitula Punici mali XXV*. Sed in Editionibus omnibus, omnibuſque Mſs. habetur *p. x. XXV.* Poſtea in Mſs. & in Editionibus priſcis, *coacta*, & *diluta*. Alii cum eodem Cæſario leg. *coactorum* & *dilutorum*.

cta, & cum uſus exigit, aceto vel vino diluta, prout valentius aut levius vitium eſt, cui medendum eſt.

5. Proprie autem ad ani fiſſa, vel ora venarum fundentia ſanguinem, vel cancrum [48]: æruginis p. ✱. II. myrrhæ p. ✱. XII. [49] ſtibis, lacrimæ papaveris, acaciæ, ſingulorum p. ✱. XVI. quæ ex vino & teruntur, & in ipſo uſu deliquantur.

6. Expellere autem ex veſica cum urina calculum videtur hæc compoſitio: caſiæ, croci, myrrhæ, coſti, nardi, cinnamomi, dulcis radicis, balſami, hyperici pares portiones conteruntur; deinde vinum lene inſtillatur, & paſtilli fiunt, qui ſinguli habeant p. ✱. =. [50] hique ſinguli quotidie mane jejuno dantur.

XXI. 1. Hæc tria compoſitionum genera, id eſt, quæ in malagmatis, emplaſtris, paſtilliſque ſunt, maximum præcipueque varium uſum præſtant. Sed alia quoque utilia ſunt; ut ea quæ fœminis ſubjiciuntur [51]: πεσσοὺς Græci vocant. Eorum hæc proprietas eſt: medicamenta compoſita molli lana excipiuntur, eaque lana naturalibus conditur.

Ad ſanguinem autem evocandum, cauneis duabus adjicitur nitri p. ✱. I. [52] aut allii ſemen conteritur, adjicitur myrrhæ paululum, & unguento ſuſino miſcetur: aut cucumeris ſilveſtris pars interior ex lacte muliebri diluitur.

2. Ad vulvam molliendam, ovi vitellus, & fœnum Græcum, & roſa, & crocum temperantur. Aut elaterii p. ✱. =. [53] ſalis tantumdem, uvæ taminiæ p. ✱. VI. melle excipiuntur.

3. Aut Boetho auctore [54]: croci, reſinæ terebinthinæ, ſingulorum

48. *vel cancrum*) Lindenius addit, *valet*.

49. *æruginis p. ✱. II. myrrhæ p. ✱. XII.*) *p. ✱. II. myrrhæ*, non eſt in Mſs. Mediceis, niſi in primo. Lindenius ita habet: *æruginis p. ✱. II. myrrhæ p. ✱. IV. gummi p. ✱. VIII. thuris p. ✱. XII.*

50. *p. ✱. =.*) Al. *p. ✱. 3.* Ruell. *p. ✱. III.* Linden. *p. ✱. I.*

51. *ſubjiciuntur*) Lindenius leg. *ſubjiciunt*, ut eſt in Edit. an. 1538. ſed, ut opinor, ex mendo.

52. *p. ✱. I.*) Ita plerique ediderunt, omniumque primus Cæſarius. In Editione Aldina habetur, *p. ✱. II.* in Cod. Medic. I. *p. ✱.* in reliquis ſex, *p. ✱. ϒ.* quæ nota occurrit etiam capite proximo ſect. 8. in omnibus Codicibus, ſed in primo paulo aliter expreſſa. De qua mihi facile non eſt judicare, num vitio careat, quidve ſignificet. In Editionibus priſcis repræſentatur per litteram *r*.

53. *p. ✱. =.*) Al. *p. ✱. 3.* Lindenius aliique quidam cum Ruellio, *p. ✱. III.*

54. *Aut Boetho auctore*) Lindenius leg. *Aliud Boetho authore; quod habet.*

rum p. ✱. IV. myrrhæ p. ✱. = =. [55] roſæ p. ✱. I. ſevi vitulini p. ✱. I. =. [56] ceræ p. ✱. II. miſcentur.

4. Optima autem adverſus inflammationes vulvæ Numenii compoſitio eſt, quæ habet croci p. ✱. =. [57] ceræ p. ✱. I. butyri p. ✱. VIII. adipis anſerinæ [58] p. ✱. XII. vitellos coctos duos, roſæ minus cyatho.

5. Si vero infans intus [59] deceſſit, quo facilius ejiciatur, malicorium [60] ex aqua terendum, eoque utendum eſt.

6. Si concidere vitio locorum mulier ſolet, cochleæ cum teſtis ſuis comburendæ, conterendæque, deinde his mel adjiciendum eſt [61].

7. Si non comprehendit, adeps leonina ex roſa mollienda eſt.

XXII. 1. Quædam autem [62] miſturæ medicamentorum ſunt, quibus aridis neque coactis utimur, ſic, ut inſpergamus, aut cum aliquo liquido miſta illinamus: quale eſt, ad carnem ſupercreſcentem exedendam, quod habet ſquamæ æris [63], fuliginis thuris, ſingulorum p. ✱. I. æruginis p. ✱. II. Hæc autem eadem cum melle purgant ulcera; cum cera [64], implent. Miſy quoque & galla, ſi paribus portionibus miſceantur, corpus conſumunt: eaque vel arida inſpergere licet, vel excepta cadmia illinere.

2. Putrem vero carnem continet, neque ultra ſerpere patitur, & leniter exeſt, mel vel cum lenticula, vel cum marrubio, vel cum oleæ foliis, ante ex vino decoctis: item ſertula Campana in mulſo cocta, deinde contrita: aut calx cum cerato: aut amaræ nuces cum allio, ſic, ut hujus pars tertia ſit, paulumque his cro-

ci

55. *p.* ✱. = =.) Alii ex Cæſario, *p.* ✱. 3. Alii ex Ruellio, *p.* ✱. *III.*

56. *p.* ✱. *I.* =.) Alii, *p.* ✱. 3. Alii, *p.* ✱. *III.* quibus Almeloveenius aſſenſus eſt. Nam Lindenius denarii notam omittit, & leg. *p. III.* In Codice Medic. I. deſunt illa: *p.* ✱. *I. ſevi vitulini p.* ✱. *I.* =. *ceræ.*

57. *p.* ✱. =.) Al. *p.* ✱. 3. Al. *p.* ✱. *III.*

58. *anſerinæ*) Al. *anſerini*, ut eſt in Mſs. Sed cum paulo poſt ſequatur, *adeps leonina*, ego Almeloveenio accedo, qui leg. *anſerinæ*.

59. *intus*) Codex Mediceus V. *in vulva*; quod Rhodius, qui ita in duobus Codicibus reperit, recte cenſet, ex interpretatione ortum eſſe. Ita erat etiam in Mediceo IV. ſed correctum eſt, *intus*, ut ceteri habent.

60. *malicorium*) *malocorium* habent Edd. vetuſtiores; & ita plerumque, & in Medic. I. & in aliis Codicibus ſcribitur.

61. *adjiciendum eſt*) Almeloveenius non habet *eſt*.

62. *Quædam autem*) Nonnulli cum Cæſario omittunt *autem*.

63. *ſquamæ æris*) Ita ex Lindenio. Vox *æris* non eſt in veteribus libris; neceſſaria tamen videtur.

64. *cum cera*) Lindenius leg. *& cum cera*.

ci adjiciatur: aut quod habet ſpumæ argenti p. ✱. VI. cornu bubuli combuſti p. ✱. XII. olei myrtei, & vini cyathos ternos: aut quod ex his conſtat: floris Punici mali, atramenti ſutorii, aloes, ſingulorum p. ✱. II. aluminis ſciſſilis, thuris, ſingulorum [65] p. ✱. IV. gallæ p. ✱. VIII. ariſtolochiæ p. ✱. X. Vehementius idem facit, etiam adurendo, auripigmentum cum chalcitide, & aut nitro, aut calce, aut charta combuſta: item ſal cum aceto: vel ea compoſitio, quæ habet chalcitidis, capitulorum Punici mali, aloes, ſingulorum p. ✱. II. aluminis ſciſſilis, thuris, ſingulorum p. ✱. IV. gallæ p. ✱. VIII. ariſtolochiæ p. ✱. X. mellis quantum ſatis ſit ad ea cogenda: vel cantharides ✱. I. [66] ſulphuris p. ✱. I. lolii p. ✱. III. quibus adjicitur picis liquidæ quantum ſatis eſt ad jungendum: vel chalcitis quoque cum reſina & ruta miſta: aut cum eadem reſina diphryges: aut uva taminia cum pice liquida. Idem vero poſſunt & fæces vini combuſtæ, & calcis & nitri pares portiones: vel aluminis ſciſſilis p. ✱. = =. [67] thuris, ſandarachæ, nitri, ſingulorum p. ✱. I. [68] gallæ p. ✱. VIII. ariſtolochiæ p. ✱. X. mellis quantum ſatis eſt.

3. Eſt etiam Heræ [69] compoſitio, quæ habet myrrhæ, chalcitidis, ſingulorum p. ✱. II. aloes, thuris, aluminis ſciſſilis, ſingulorum p. ✱. IV. ariſtolochiæ, gallæ immaturæ, ſingulorum p. ✱. VIII. malicorii contriti p. ✱. X. [70]

4. Eſt Judæi [71], in qua ſunt calcis partes duæ, nitri quam ruber-

65. *p. ✱. II. aluminis ſciſſilis, thuris, ſingulorum*) Hoc totum deeſt in Codice Mediceo I.

66. *cantharides ✱. I.*) Ita in Mſs. Mediceis omnibus, præter VI. in quo eſt, *cantharides p. ✱. I.* ut cum Egnatio plerique legunt. Lindenius, *cantharidum, ſulphuris, ſingulorum p. ✱. I.* aptius ille quidem, ſed, ut opinor, ex conjectura. Videtur omnino mendum hic ſubeſſe. Fortaſſe ✱. eſt pro *X.* legendumque, *cantharides XI.* vel potius, *cantharides X.* ſublata unitatis nota, quam ſuſpicari licet, poſtea ab aliquo additam fuiſſe notæ denarii ✱. Sic apud Scribonium in compoſitione 231. quæ facultate huic ſimilis eſt, cantharides ſunt, non pondere, ſed numero: *Allii candidi ſpicæ capitis tritæ cum cantharidibus viginti Alexandrinis* (*ſunt autem variæ & oblongæ*) *ſulphuris vivi ✱. p. I. & victoriati &c.*

67. *p. ✱. = =.*) Al. *p. ✱.* 33. Al. *p. ✱. XXXIII.* Linden. *p. I.* Conſtantin. in margine, *p. ✱. &* 3.

68. *p. ✱. I.*) Al. *p. ✱.*

69. *Heræ*) Alii leg. *Hieræ*. In Codice Mediceo I. eſt, *Seræ*. Multas compoſitiones ex hoc Auctore deſcribit Galenus, qui eum *Heram* nominat; ut Ronſſeus animadvertit; cujus fortaſſe conjecturam ſecutus Lindenius repoſuit *Heræ*.

70. *p. ✱. X.*) Al. *p. ✱. XX.*

71. *Eſt Judæi*) Ita in Mſs. & in Edit. I. & in Aldina. Cum alii legerent, *Et ſi Judæi*, ut eſt in Edit. anni 1493. Cæſarius correxit, *Et eſt Judæi*; Ruellius, quem multi ſecuti ſunt, *Eſt & Judæi*.

berrimi pars tertia: quæ urina impuberis pueri coguntur, donec ſtrigmenti craſſitudo ſit. Sed ſubinde is locus, cui id illinitur, madefaciendus eſt.

5. At Jollas, chartæ combuſtæ, ſandarachæ, ſingulorum p. 𐆖. I. calcis p. 𐆖. II. [72] auripigmenti tantumdem miſcebat.

6. Si vero ex membrana, quæ ſuper cerebrum eſt, profluit ſanguis, vitellus combuſtus & contritus inſpergi debet: ſi alio loco [73] ſanguinis profluvium eſt, auripigmenti, ſquamæ æris, ſingulorum p. 𐆖. I. ſandarachæ p. 𐆖. II. marmoris cocti p. 𐆖. IV. inſpergi debet [74]. Eadem cancro quoque obſiſtunt. Ad inducendam cicatricem, ſquamæ æris, thuris fuliginis, ſingulorum p. 𐆖. II. calcis p. 𐆖. IIII. [75] Eadem increſcentem quoque carnem coercent.

7. Timæus autem ad ignem ſacrum, & ad cancrum [76] his uteba-

72. *p. 𐆖. II.*) Quidam cum Gryphio, *p. II.* Linden. *p. II. p.*

73. *ſi alio loco*) Lindenius leg. *ſi ex alio loco*.

74. *inſpergi debet*) Pro *debet*, Cæſarius repoſuit *debent*. Hunc multi ſecuti ſunt. Sed fortaſſe hæc duo verba in contextum irrepſere ex gloſſemate; cum ſint ex ſuperioribus intelligenda.

75. *p. 𐆖. IIII.*) Ita Cæſarius aliique non pauci. Egnatius, *p. ꝑ. IIII.* ut Codices aliqui habent. Sed Codices alii cum Medic. I. *p. ꝑ. III.* alii, *p. p. III.* alii, notis *p. p.* haud intellectis, *prop. III.* vel *pro p. III.* Porro & in reliqua hujus capitis parte & in capitibus proximis 23. 24. & 25. hæc nota *p. ꝑ.* ſæpius occurrit in Codicibus Mſs. & in Edit. Aldina. Non raro autem, ubi Codex Medic. I. habet, *p. ꝑ.* alii habent, *ꝑ. p.* Sed ſi *p.* & *ꝑ.* idem ſignificant, id eſt *pondo*; ut docet Rhodius; ex duabus hiſce notis, *p. ꝑ.* aut *p. p.* altera redundat; ſatiſque eſt ſcribere, ex. gr. *p. IIII.* ut & ipſe Celſus alibi ſcribit, & ratio poſcit, ut ſcribatur. Nam quid hoc conſtructionis eſt, *pondo pondo quatuor?* Satis eſt, *pondo quatuor*; nec aliter Latini loqui ſolent. Accedit huc, quod in multis compoſitionibus, ubi eſt, *p. ꝑ.* non poteſt accipi pro *pondo libra*: quia ponderis iſtius ratio pro ceterorum ratione nimia eſſet; ut hoc ipſo, de quo loquimur, loco. Nam ceræ pondus librarum quatuor immane eſt, cum ſquamæ æris & thuris fuliginis ſingulorum pondus ſit duum tantum denariorum. Igitur vel *p. ꝑ.* vitio aliquo laborat, vel ex duabus his notis altera *pondo* non ſignificat. Num forte *p.* vel *ꝑ.* mendoſe ſcriptum eſt pro *d* vel *đ*? Cum eſſet nimirum, *pondo denarii*; (neque enim ſemper per notas ſcribebatur); & librarii feciſſent *p. d.* vel *p. đ*: vel potius, cum eſſet, *p. 𐆖.* & aliquis interpretationis cauſa ſupra *𐆖.* poſuiſſet *d.* vel *đ.* idque in textum receptum eſſet. Vtcumque res ſe habeat, multis in locis, vel ex ipſa ponderum ratione, apparet, *p. ꝑ.* eſſe pro *p. 𐆖.* atque id ipſum alicubi habent ceteri Codd. Medicei, pro *p. ꝑ.* quod eſt in primo. Sic cap. 24. ſect. 1. in hoc Codice eſt, *xylobalſami ſing. p. ꝑ. XXVIII.* in aliis, *p. 𐆖. XXVIII.* cap. 25. ſect. 3. in eodem, *rutæ ſilveſtris ſeminis ſing. p. ꝑ. I.* in aliis, *p. 𐆖. I.* Vbi autem Mſs. Codices habent, *p. ꝑ.* in Edit. I. & in duabus ann. 1493. 1497. & in Juntina omittitur, *ꝑ.* Ex quo non ſemel factum eſt, ut cum in Mſs. eſſet ex. gr. *p. ꝑ. XIIII.* in allatis vero Editionibus, *p. XIIII.* id alii, X. pro *𐆖.* eſſe rati, ſic expreſſerint, *p. 𐆖. IIII.* ut cap. 24. ſect. 1. & 4. videre licet. Ego vulgarem denarii notam cum pleriſque retinebo; & alicubi, prout res feret, quam in vetuſtis Codicibus invenerim, ſignificabo.

76. *& ad cancrum*) In Mſs. Mediceis deeſt particula *&*. In I. eſt *vel*, addita a Palavicino; unde olim vulgo legebatur, *vel ad cancrum*. Lindenius *vel* in *&* mutavit.

batur: myrrhæ p. ⁎. II. thuris, atramenti ſutorii, ſingulorum p. ⁎. III. ſandarachæ, auripigmenti, ſquamæ æris, ſingulorum p. ⁎. IV. gallæ p. ⁎. VI. ceruſſæ combuſtæ p. ⁎. VIII. Ea [77] vel arida inſperſa, vel melle excepta idem præſtant.

8. Sternutamenta vero vel albo veratro [78], vel ſtruthio conjecto in nares excitantur, vel his miſtis: piperis, veratri albi, ſingulorum p. ⁎. =. [79] caſtorei p. ⁎. I. [80] ſpumæ nitri p. ⁎. I. ſtruthii p. ⁎. IIII. [81]

9. Gargarizationes autem aut lævandi cauſa fiunt, aut reprimendi, aut evocandi. Lævant, lac, cremor vel ptiſanæ, vel furfurum: reprimit aqua, in qua vel lenticula, vel roſa, vel rubus, vel cotoneum malum, vel palmulæ decoctæ ſunt: evocant, ſinapi, piper.

XXIII. 1. Antidota raro, ſed præcipue interdum neceſſaria ſunt, quia graviſſimis caſibus opitulantur. Ea recte quidem dantur colliſis corporibus vel per ictus, vel ubi ex alto deciderunt, vel in viſcerum, laterum, faucium, interiorumque partium doloribus: maxime autem deſideranda ſunt adverſus venena, vel per morſus, vel per cibos, aut potiones noſtris corporibus inſerta.

Vnum eſt, quod habet lacrimæ papaveris p. ⁎. = =. [82] acori, malobathri, p. ⁎. V. iridis Illyricæ, gummi, ſingulorum p. ⁎. II. aniſi p. ⁎. III. nardi Gallici, foliorum roſæ aridorum, cardamomi,

77. *Ea*) Ita ex Mſs. Vulgo legitur, *Eadem*.

78. *vel albo veratro*) Lindenius leg. *& albo veratro*.

79. *p.* ⁎. =.) In Cod. Medic. I. *p.* ⁎. in II. V. & VII. *p.* ⁎. ꝛ. in III. IV. & VI. *p.* ⁎. *z*. Videtur igitur nota ꝛ. quæ alibi quoque occurrit, non aliud eſſe, quam *z*. minus bene expreſſa. Alii cum Cæſario leg. *p.* ⁎. 3. Al. *p.* X. *III*.

80. *p.* ⁎. *I*.) Edd. Aldina & Conſtantiniana, *p.* ⁎. ſed Conſtantinus in margine addit *V*. In Editionibus vetuſtioribus habetur, *p.* ⁎. ⲅ. in Mſs. Mediceis, *p.* ⁎. ⲅ. exceptis I. & IV. In hoc, *p.* ⁎. *x*. in illo eſt, *p.* ⁎. ⳁ. Cæſarius hic quoque, ſicut ſupra cap. 21. ſect. 1. repoſuit, *p.* ⁎. *I*. deinde, *ſpumæ nitri p.* ⁎. *II*. pro *ſpumæ nitri p.* ⁎. *I*. quem multi ſecuti ſunt; in his Lindenius.

81. *p.* ⁎. *IIII*.) Vulgo, *p.* ⁎. *III*. ab omnibus legitur, præterquam a Ruellio, qui habet *p.* ⁎. *VIII*. In Mſs. eſt, *p. p. IIII*. Sectione proxima, pro *reprimit*, Lindenius habet, *Reprimit autem*.

82. *p.* ⁎. = =.) Sic repoſui ex Codice Mediceo I. Nam, *p.* ⁎. =. ut alii Codices habent, & ut quidam vulgo legunt, nimis exiguum eſt. In aliquibus Codicibus eſt, *p.* X. Ƶ. Alii cum Cæſario leg. *p.* ⁎. 3. qui, ſi intelligunt pondo denarii trientem, nobiſcum faciunt. Ruell. *p.* ⁎. *III*. Deinde, pro *malobathri*, ut eſt in veteribus Codicibus, tum hic, tum in Mithridatis antidoto, Conſtantinus & Lindenius utrobique ſcribunt, *malabathri*. In Cod. Medic. I. re vera eſt, *malabthri*, & ex Palavicini emendatione, *malabathri*; ſed infra in Mithridatis antidoto plane, *malobathri*.

mi, ſingulorum p. x. IV. [83] petroſelini p. x. IIII. ═ ═. trifolii p. x. V. [84] caſiæ nigræ, ſilis, bdellii, balſami ſeminis, piperis albi [85], ſingulorum p. x. V. ═ ═. ſtyracis p. x. V. ═ ═. [86] myrrhæ, opopanacis, nardi Syri, thuris maſculi, hypociſtidis ſucci, ſingulorum p. x. VI. caſtorei p. x. VI. coſti, piperis albi, galbani, reſinæ terebinthinæ, croci, floris junci rotundi, ſingulorum p. x.

83. *p. X. IV.*) In Codice Medic. I. *p. p. IIII.* in aliis, *p. X. p. VIII.* Infra alii leg. *petroſelini p. X. IIII. Z.* ut plerique Codices habent; alii, *p. X. IIII.* 3. Ruellius, *p. X. IIII. III.* Lindenius, *p. X. III. Z.* fortaſſe quod, *p. X. III.* 3. invenerit in Edit. an. 1538. Ego ſequor Cod. Medic. I. in quo eſt, *p. p. IIII.* ═ ═.

84. *trifolii p. X. V.*) Ita plerique legunt ex Cæſarii emendatione. In Editionibus vetuſtioribus habetur, *p folii p. V.* In Codicibus Mediceis, *perfolii p. p. V.* in I. *vel folii p. p. V.* Meminit quidem trifolii Celſus cap. 27. hujus libri, ſect. 7. adverſus ceraſtis ictum; multaque apud Galenum antidota accipiunt trifolii vel ſemen vel radicem: ſed cum pene omnia polium habeant, videndum eſt, num potius *polii* hic legendum ſit, pro *trifolii*. Nam in aliis Mſs. *folii*, in aliis *polii*, videtur olim fuiſſe; atque ad lectionis varietatem indicandam, in illis ſupra primam litteram vocis *folii* poſitam eſſe *p*; in his autem, *vel folii*, ſupra *polii*. Hinc fortaſſe & *perfolii* & *vel folii*. Sed *folii* h. e. malobathri, legi non poteſt, quia *malobathri* ſupra habetur. Igitur vel retinenda Cæſarii lectio, vel reponendum, *polii*.

85. *balſami ſeminis, piperis albi*) Cum hæc verba ſic interpungerentur: *balſami, ſeminis piperis albi*; Conſtantinus, pro *piperis*, *papaveris* legendum putavit; quæ conjectura eo probabilior videri poteſt, quod infra iterum ſit *piperis albi*. Lindenius, a quo conjectura iſta in textum recepta eſt, mutavit etiam *balſami* in *carpobalſami*. Ego nihil mutavi, præter interpunctionem: eamque repoſui, quam in Mſs. quibuſdam inveni. Verba in nullo variant. Porro *balſami ſemen* nominat etiam cap. 18. hujus libri, ſect. 3. Quod autem *piperis albi* bis ponatur, mendum id quidem eſt, ſed alia ratione corrigendum. Fortaſſe *longi* altero loco legendum eſt, pro *albi*. Nam ex multis illis variiſque compoſitionibus apud Galenum lib. 2. de Antidotis, paucæ admodum non utrumque piper habent. Contra vero, quæ papaveris ſemen habeat, aliam invenire non potui, præter quamdam Damocratis cap. 5. ad ſanguinem ſurſum deorſumque erumpentem: ſed albi papaveris, an nigri, Damocrates non explicat. Quid ſi *piperis albi* alterutro loco vacat? Ejuſmodi ſane geminationibus librarii frequenter peccant. Animadverti apud Galenum lib. cit. loca duo hac ratione contaminata, huic, quo de agimus, ſatis ſimilia. Alter eſt cap. 5. compoſit. 5. ubi cum piper & album & longum ſemel poſitum ſit, longum iterum ponitur: alter cap. 9. in Mithridatis theriacæ deſcriptione, in qua piper tum album, tum longum bis occurrit. Sed in Celſi quoque Codicibus hujuſmodi plura vitia & a me & ab aliis deprehenſa ſunt; quorum aliqua ſupra notavi.

86. *p. X. V.* ═ ═. *ſtyracis p. X. V.* ═ ═.) Alii leg. *p. V. Z. ſtyracis p. V. Z.* alii, *p. X. Z. ſtyracis p. V. Z.* alii, *p. X.* 3. *ſtyracis p. X. V.* 3. alii, *p. X. III. ſtyracis p. X. V III.* alii, *p. X. Z. ſtyracis p. X. V. Z.* In Codice Medic. I. eſt, *p. p. V.* ═ ═. *ſtyracis p. p. V.* ═ ═. in ceteris, *p. p. V. Z. ſtyracis p. p. V. Z.* Sed ſive hos Codices, ſive illum ſequaris, ſtyracis eumdem invenies modum atque ſimplicium proxime antecedentium. Fortaſſe igitur corruptæ ponderum notæ ſunt; atque altero loco, *p. X. V.* ═. legendum ex Codicibus Mediceis ceteris, altero, *p. X. V.* ═ ═. ex primo. Niſi potius *ſtyracis* conjungendum cum *myrrhæ*, quod poſtea ſequitur; ac mediæ inter has voces ponderis notæ tollendæ ſunt. Quam in ſuſpicionem alia quoque mihi ſimilia loca veniunt.

vi. ═══ ; [87] dulcis radicis p. ✗. viii. ═══ . quæ vel melle [88] vel paſſo excipiuntur.

2. Alterum, quod Zopyrus regi Ptolemæo dicitur compoſuiſſe, atque Ambroſiam nominaſſe, ex his conſtat: coſti, thuris maſculi, ſingulorum p. ✗. v. [89] piperis albi p. ✗. ═ . [90] floris junci rotundi p. ✗. ii. cinnamomi p. ✗. iii. caſiæ nigræ p. ✗. iv. croci Cilicii [91] p. ✗. iiii. ═ . [92] myrrhæ, quam στακτὴν nominant, p. ✗. v. nardi Indici p. ✗. v. ═ . [93] quæ ſingula contrita melle coĉto excipiuntur; deinde, ubi utendum eſt, id, quod Ægyptiæ fabæ magnitudinem impleat, in potione vini diluitur.

3. Nobiliſſimum autem eſt Mithridatis, quod quotidie ſumendo rex ille dicitur adverſus venenorum pericula tutum corpus ſuum reddidiſſe: in quo hæc ſunt: coſti p. ✗. z. ═ . [94] acori

p. ✗.

87. *p.* ✗. *vi.* ═ ═ .) In aliis Cod. habetur *p. p. vi. z.* unde vulgo, *p. vi. z.* vel *p.* ✗. *vi. z.* vel *p.* ✗. *vi.* 3. vel *p.* ✗. *vi. iii.* At in Codice Mediceo I. quem ſequor, *p. p. vi.* ═ ═ . Poſtea in eodem Codice, *dulcis radicis p. p. viii.* ═ ═ . in aliis vero, *dulcis radicis p. p. vii. z.* cum quibus Aldina Editio facit. Aliæ Editiones habent, *p. viii. z.* aliæ, *p.* ✗. *viii. z.* aliæ, *p.* ✗. *viii.* 3. aliæ, *p.* ✗. *viii. iii.*

88. *vel melle*) Quidam cum Cæſario omittunt *vel*.

89. *p.* ✗. *v.*) Vulgaris hæc lectio nititur auctoritate Codicis Medicei primi, in quo eſt, *p. p. v.* In ſecundo, quinto, & ſeptimo eſt, *p. p.* 2 2. in tertio, *p. p.* ∿∿. in ſexto, *p. p. uu.* Videntur igitur ∿ & 2 una eſſe atque eadem nota, eaque fortaſſe corrupta ex *z*; ut ſupra indicavi. Quod ſi ita eſt, pro ✗. *v.* legendum videtur, *p.* ✗. ═ ═ . quod magis accedit ad ponderis rationem a Galeno propoſitam in Zopyrio antidoto lib. 2. de Antid. cap. 17. & a Paulo Ægineta lib. 7. cap. 11. Quamvis de ponderum ratione ne inter eos quidem convenit. Nam Galenus ita habet: *Myrrhæ drach. v. Syriacæ nardi drach. v. s. croci drach. iiii. s. ſchœnanti drach. ii. s. caſſiæ drach. iiii. cinnamomi drach. iii. piperis albi drach. i. s. thuris drach. i. & obolum i. coſti drach. i. melle Attico excipe &c.* Paulus vero ſic: *myrrhæ drach. v. croci, caſſiæ, ſingulorum drach. iiii. cinnamomi drach. iii. ſpicæ nardi drach. ii. junci odorati floris tantumdem, piperis albi ſeſquidrachma, thuris drachma, coſti drachma, mellis quod ſatis eſt.* Paulus igitur & Celſus in eo conſentiunt, quod coſtum & thus paribus portionibus habent: ſed ille, ſingulorum drachmam; hic, fortaſſe denarii ſextantes duos. Nam denarios quinque, vix credibile eſt.

90. *p.* ✗. ═ .) Fortaſſe reponendum, *p.* ✗. *i.* ═ . Niſi quis malit, *p.* ✗. *i. s.* quod ita habeant Galenus & Paulus. Sed advertendum eſt, etiam in reliqua parte hujus compoſitionis, ubi Galenus habet *s.* Celſum habere ═ .

91. *Cilicii*) Edd. Aldina vetuſtiores habent, *Cilici*, ut & Mſs. Codices, pro *Cilicii*. In Medic. I. ſupra extremas litteras vocis *Cilici* additur *ni*, ut legatur, *Cilicini*.

92. *p.* ✗. *iiii.* ═ .) Al. *p.* ✗. *iv.* 3. Ruell. *p.* ✗. *iiii. iii.* Deinde alii *ſtacten* ſcribunt latinis litteris: ego græcis ſcribo, ut eſt in Codice Mediceo I.

93. *p.* ✗. *v.* ═ .) Al. *p.* ✗. *v.* 3. Ruell. *p.* ✗. *viii.*

94. *p.* ✗. 2. ═ .) In Mſs. quibuſdam eſt, *p. p.* 2. *z.* in Mediceis III. & VI. *p. p. l. z.* in vetuſtiore, *p. p.* & a Palavicino additur, 2. *z.* Hanc notam, ſive, quod idem eſt, *p.* ✗. 2. ═ . ego retineo; quid autem de ea ſuſpicer, antea ſignificavi. Editio I. aliæque ex vetuſtioribus habent, *p. s. z.* utraque Cæſarii, *p.* ∸ 3. Alii cum Gryphio leg. *p.* ✗. *s.* 3. Ruell. *p.* ✗. 3. Linden. *p.* ✗. *z.*

p. x. v. hyperici, gummi [95], ſagapeni, acaciæ ſucci, iridis Illyricæ; cardamomi, ſingulorum p. x. II. aniſi p. x. III. nardi Gallici, gentianæ radicis, aridorum roſæ foliorum, ſingulorum p. x. IV. papaveris lacrimæ, petroſelini, ſingulorum p. x. IIII. =. caſiæ, ſilis [96], polii [97], piperis longi, ſingulorum p. x. VI. ſtyracis p. x. v. =. caſtorei, thuris, hypociſtidis ſucci, myrrhæ, opopanacis, ſingulorum p. x. VI. malobathri folii p. x. VI. floris junci rotundi, reſinæ terebinthinæ, galbani, dauci Cretici ſeminis, ſingulorum p. x. VI. = [98]. nardi, opobalſami, ſingulorum p. x. VI. =. thlaſpis p. x. v. == [99]. radicis Ponticæ p. x. VII. croci, zingiberis [1], cinnamomi, ſingulorum p. x. VIII. [2] Hæc contrita melle excipiuntur, & adverſus venenum, quod magnitudinem nucis Græcæ impleat, ex vino datur: in ceteris autem affectibus corporis pro modo eorum, vel quod Ægyptiæ fabæ, vel quod ervi [3] magnitudinem impleat, ſatis eſt.

XXIV. 1. Acopa quoque utilia nervis ſunt: quale eſt, quod habet floris junci rotundi p. x. II. ==. coſti, junci quadrati, lauri baccarum, ammoniaci, cardamomi, ſingulorum p. x. IIII. =. myrrhæ, æris combuſti, ſingulorum p. x. VII. iridis Illyricæ, ce-

95. *gummi*) Sic reſtitui ex Medic. I. aliiſque Mſs. atque ita Rhodius legendum rebatur ex alio quodam Codice. Vide Lexic. Scribon. in *Commis*. In libris vulgatis legitur, *cumini*, ut eſt in Mediceo III. & in VI. ſed perperam. Nam & apud Scribonium & apud Scriptores alios Mithridatis compoſitio habet, non cuminum, ſed gummi. Errorem peperit vetus ſcriptio *cummi*, quæ & hic & alibi invenitur in vetuſtis Codicibus, atque in *cumini* facile mutatur. Sic infra quoque cap. 28. ſect. 12. duo allati Medicei Codices, III. ſcilicet & VI. habent, *cumini*; ubi *cummi* eſt in aliis, *cummis* in vetuſtiore: & lib. 6. cap. 6. ſect. 4. & 5. alii habent *cummi*, primus *gummis*, ſextus *cumini*.

96. *ſilis*) Sic & in antidoto primo, & cap. 25. ſect. 3. antiquis Codicibus conſentientibus: niſi quod *ſcilis* hic ſcribitur in Medic. I. ut & priſcæ Editiones habent. Lindenius leg. *ſileris*, quemadmodum Rhodio placebat. Vid. III. Morgagni Epiſtolam in Auctores Rei Ruſticæ ſect. 31.

97. *polii*) Vulgo legitur, *lolii*: nec aliter in Mſs. Codicibus; niſi quod multi habent, *lollii* duplici *l*. Sed plane legendum, *polii*, ut Conſtantinus & Ronſſeus contendunt; & ut omnes hujus antidoti deſcriptiones, quæ apud alios Auctores habentur, declarant; quamvis in aliis rebus varient.

98. *p. x. VI. =.*) In Codicibus Mediceis & in Edit. Aldina habetur, *p. p. VI. z.* In Editionibus vetuſtioribus, *p. VI. z.* Alii cum Cæſario leg. *p. x. V.* 3. Linden. *p. x. V. z.*

99. *p. x. V. ==.*) Ita Mſs. & Editiones antiquiores. Cæſarius, & alii quidam habent, *p. x. V.* 33. Ruell. *p. x. V. XXXIII.* Linden. *p. x. VI.*

1. *zingiberis*) Vulgo, *zinziberis*; ſed in Medic. I. & Codd. aliis ſcribitur *zingiberis* per *g*.

2. *p. x. VIII.*) Al. *p. x. VIII.* Ɛ. al. *p. x. VII.* Ɛ. al. *p. x. VIII.* 3. al. *p. x. VIII. III.*

3. *vel quod ervi*) Alii cum Cæſario leg. *vel ervi*; & ita habent duo ex Mediceis Codicibus, IV. ſcilicet & V.

ræ, ſingulorum p. ✱. XIIII.[4] Alexandrini calami, junci rotundi, aſpalathi[5], xylobalſami, ſingulorum p. ✱. XXVIII.[6] ſevi p. I. unguenti irini cyathum.

2. Alterum, quod ὀζῶδες[7] vocant, hoc modo fit: ceræ p. =.[8] olei tantumdem, reſinæ terebinthinæ ad nucis juglandis magnitudinem, ſimul incoquuntur; deinde in mortario teruntur[9], inſtillaturque ſubinde quam optimi mellis acetabulum, tum irini unguenti, & roſæ terni cyathi.

3. Ε'γχεόμενα autem Græci vocant liquida, quæ illinuntur: quale eſt, quod fit ad ulcera purganda & implenda, maxime inter nervos, paribus portionibus inter ſe miſtis, butyri, medullæ vitulinæ, ſevi vitulini, adipis anſerinæ, ceræ, mellis, reſinæ terebinthinæ, roſæ, olei cicini[10]: quæ ſeparatim omnia liquantur, deinde liquida miſcentur, & tum ſimul teruntur. Et hoc quidem magis purgat: magis vero emollit, ſi pro roſa cyprus infunditur.

4. Ad ſacrum ignem: ſpumæ argenti p. ✱. VI. cornu bubuli com-

4. *p. ✱. XIIII.*) Al. *p. ✱. IIII.*

5. *aſpalathi*) Ita plerique legunt ex Edit. Aldina. Al. *aſphalti*, ut in Mſs. inveni. In Medic. I. eſt, *aſpalthi*.

6. *p. ✱. XXVIII.*) Ita in Mſs. Sed cum in quibuſdam, ut in Mediceo I. ſit *p. p. XXVIII.* antiquiores Editiones, *p* omiſſo, habent, *p. XXVIII.* Cæſariana, aliæque, *p. ✱. XVIII.* Aldina, *p. ✱. VIII.* Poſtea, pro *ſevi p. I.* alii Cæſario duce leg. *ſevi p. ✱. I.* ſed perperam; ſi quidem Mſs. fides habenda eſt.

7. ὀζῶδες) Ita dictum a gravi odore (nam id interdum ὀζῶδες ſignificat, ut obſervat Saracenus in Dioſcorid. lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 10.); & ita ex fide Cod. Medic. I. legendum cenſet Rhodius, ad Scribon. Compoſit. 26. Porro hanc lectionem ſequuntur Egnatius, Gryphius, Pantinus, & Ronſſeus. Alii leg. ἐλαιῶδες, ut eſt in Edit. I. & in duabus vetuſtiſſimis ann. 1493. 1497. & in Juntina: quarum Editionum aliquam ſignificaſſe videtur Conſtantinus, cum ſcripſit ita haberi in veteri exemplari. In Cod. Medic. I. in III. & in aliis multis legitur, *evodes*; quod Palavicinus mutavit in *enodes*.

8. *p.* =.) Editio Cæſarii an. 1528. *p. 2.* Edit. ejuſdem Cæſarii an. 1538. *p. ✱. 2.* Al. *p. ✱. 3.* Ruell. *p. ✱. II.* Linden. *p. ✱. Z.*

9. *in mortario teruntur*) Antea legebatur: *infuſa in mortario teruntur*. Sed vox *infuſa* non eſt in Cod. Medic. I. cujus ego fidem ſequor. Fortaſſe duas quoque voces *in mortario* alienas eſſe aliquis putabit, qui Celſi morem attenderit. Supra cap. 17. ſect. 2. *arida medicamenta per ſe teruntur, deinde miſtis his inſtillatur aut acetum &c. & ea rurſus ex eo teruntur*; cap. 18. ſect. 31. *nitrum ante per triduum inſtillata aqua teritur*; lib. 6. cap. 6. ſect. 31. *chalcitidis aliquid & cadmiæ dimidio plus ex aceto ſimul conteruntur, idque in vas fictile additum, & contectum ficulneis foliis, ſub terra reponitur, ſublatumque poſt dies viginti rurſus teritur*. Neque in his locis, neque alibi de mortario mentio fit.

10. *cicini*) Al. *cilicini*; quod ex mutatione ortum eſt facta in Cod. Medic. I. Cum enim eſſet, ut in aliis, *cycini*, ſupra hanc vocem poſita fuit ſyllaba *li*, ut legeretur *cylicini*. Sed recte cum Egnatio alii leg. *cicini*; ut eſt in cap. 19. ſect. 26.

combuſti p. ✠. XII. [11] conteruntur, adjiciturque invicem vinum, & id, quod ſpecialiter ſic vocatur, & myrteum [12], donec utriuſque terni cyathi conficiantur [13].

XXV. 1. Catapotia quoque multa ſunt, variiſque de cauſis fiunt. Ἀνώδυνα vocant, quæ ſomno dolorem levant: quibus uti, niſi nimia neceſſitas urget, alienum eſt. Sunt enim ex vehementibus medicamentis, & ſtomacho alienis. Prodeſt [14] tamen etiam ad concoquendum, quod habet papaveris lacrimæ, galbani, ſingu-

11. *p.* ✠. *XII.*) Sic Mſs. Codices; ſed Mediceus I. *p. p. XII.* Editiones vetuſtiores habent, *p. XII.* unde alii leg. *p.* ✠. *II.*

12. *vinum, & id, quod ſpecialiter ſic vocatur, & myrteum*) Ante Lindenium, pro *ſic*, legebatur, ut eſt in Cod. Medic. I. *ſil*; & Conſtantinus Rhodiuſque putabant ochræ genus ſignificari, de quo Plinius in lib. 33. cap. 12. & 13. At lectio iſta cum aliis de cauſis mihi non probatur, tum maxime quia non apparet, quorſum addatur *ſpecialiter*, & cur *ſil*, quod difficillime teritur, ut eſt apud Plinium l. c. ſupra non ſit cum iis poſitum, quæ conterenda ſunt. Nam hic, qui humor contritis ſiccis medicamentis adjiciendus ſit, docetur. Adde huc, ſi *ſil* res eſt a vino & myrteo diverſa, vocem *utriuſque*, quæ conſequitur, ſtare non poſſe. Num igitur his verbis, *vinum id quod ſpecialiter ſil vocatur*, ſignificatur vinum ſili conditum? *Silatum* id veteres nominaſſe, ex Feſto colligitur: *ſil* pro *ſilato* nemo dixit, quod ego ſciam. Omnino *ſil* corruptum videtur ex *ſic*, quod habent reliqui Medicei Codices, & Lindenii Editio, hoc ſenſu: & vinum proprie appellatum, & vinum myrteum. Sed ego aliter Celſum ſcripſiſſe, atque aliam ſuſpicor ipſius eſſe ſententiam. Nam myrtei vini numquam mentionem fecit, niſi in lib. 4. cap. 19. his verbis: *myrti baccas legere, ex his vinum exprimere, id decoquere, ut decima pars remaneat &c.* Sunt quidem, qui lib. 6. cap. 2. legant, *ladanum cum myrteo vino*, ut eſt in multis Codicibus: ſed depravati ſunt Codices illi; legendumque ex fide Medic. I. *cum myrteo & vino*, ut edidit Lindenius; ac myrteum oleum intelligendum. Sic lib. 2. cap. 33. *melinum, myrteum, roſa, acerbum oleum;* lib. 3. cap. 6. *roſa, vel melino, vel myrteo, cui vinum auſterum ſit adjectum;* lib. 6. cap. 18. ſect. 11. *ceratum ex myrteo factum;* & cap. 19. *cerato miſcetur ex myrteo facto*. Atque hæc duo poſtrema loca explicanda ſunt ex illo cap. 19. hujus libri, ſect. 28. *cerati ex oleo myrteo facti*. Ex his colligitur, & *myrteum* abſolute pro oleo myrteo Celſum uſurpaſſe, & ad medicamenta, quæ imponebantur, vel illinebantur, frequenter hoc oleum adhibitum fuiſſe, interdum vino adjecto; ut etiam ſupra cap. 22. ſect. 2. *olei myrtei & vini ternos cyathos;* lib. 6. cap. 8. *illinenda ulcera aut plumbi recremento, aut ceruſſa, aut argenti ſpuma: cum horum quodlibet aliquis conterit, eique, dum teritur, invicem vinum & oleum myrteum adjicit*. Capite autem 18. ſect. 8. roſa utitur: *thuris p.* ✠. *I. aluminis &c. quibus, dum teruntur, invicem roſa & vinum inſtillatur*. Atque oleum vino miſceri, ut in aliis compoſitionibus non rarum, ſic in acopis frequentiſſimum eſt. Illud autem fere perpetuum, ut vel oleum, vel pingue aliquid acopa accipiant: quod & apud Galenum lib. 7. de compoſit. medic. s. g. cap. 11. & ſeqq. & apud alios Auctores videre licet. Hæc autem compoſitio, de qua loquimur, non oleum, non unguentum, non ſevum, non adipem, non medullam, non butyrum habet: immo nec ceram, nec picem, nec reſinam. Quid ergo eſt? Ita legendum arbitror: *adjiciturque invicem vinum & myrteum*, h. e. oleum, non vinum, ut putavit interpres, cujus verba; *& id quod ſpecialiter ſic vocatur;* explicationis cauſa in margine addita, poſtea in textum irrepſere ad ſententiam turbandam.

13. *conficiantur*) Ita plerique legunt ex Cæſarii emendatione. In antiquis Codicibus eſt, *coiciantur*; id eſt, ut Egnatius leg. *conjiciantur*.

14. *Prodeſt*) Al. *Poteſt*.

gulorum p. ✻. I. myrrhæ, caſtorei, piperis, ſingulorum p. ✻. II.[15] ex quibus, quod ervi magnitudinem habet, ſatis eſt devoraſſe.

2. Alterum, ſtomacho pejus, ad ſomnum valentius, ex his fit: mandragoræ p. ✻. =.[16] apii ſeminis; item hyoſcyami ſeminis, ſingulorum p. ✻. IV. quæ ex vino teruntur. Vnum autem ejuſdem magnitudinis, quæ ſupra poſita eſt, abunde eſt ſumpſiſſe.

3. Sive autem capitis dolores, ſive ulcera, ſive lippitudo, ſive dentes[17], ſive ſpiritus difficultas, ſive inteſtinorum tormenta, ſive inflammatio vulvæ eſt, ſive coxa[18], ſive jecur, aut lienis, aut latus torquet, ſive vitio locorum aliqua prolabitur & obmuteſcit, occurrit dolori per quietem ejuſmodi catapotium. Silis, acori, rutæ ſilveſtris ſeminis, ſingulorum p. ✻. I.[19] caſtorei, cinnamomi, ſingulorum p. ✻. II. papaveris lacrimæ, panacis radicis, mandragoræ malorum aridorum[20], junci rotundi floris, ſingulorum p. ✻. III.[21] piperis grana LVI. Hæc per ſe contrita, rurſus inſtillato ſubinde paſſo ſimul omnia teruntur, donec craſſitudo ſordium fiat. Ex eo paulum aut devoratur, aut aqua diluitur; & potui datur.

4. Quin etiam ſilveſtris papaveris, cum jam ad excipiendam lacrimam maturum eſt, manipulus, qui manu comprehendi poteſt[22], in vas demittitur, & ſuperinfunditur aqua, quæ id contegat, atque ita coquitur. Vbi jam bene manipulus is coctus eſt, ibidem expreſſus projicitur[23], & cum eo humore paſſum pari men-

15. *p. ✻. II.*) Lindenius, *p. II.*

16. *p. ✻. =.*) Al. *p.* 3. Al. *p.* ✻. 3. Ruell. *p. ✻. III.*

17. *ſive dentes*) Quid ſignificat, *ſive dentes ſunt?* Si duæ hæ voces ſunt Celſi, ab ipſo poſt verbum *eſt* poſitas fuiſſe exiſtimo, ut cum *torquet* cohærerent.

18. *inflammatio vulvæ eſt, ſive coxa &c.*) Lindenius leg. *inflammatio vulvæ, ſive coxæ eſt &c.* ſed minus recte.

19. *p. ✻. I.*) Lindenius, *p. ✻. II.*

20. *panacis radicis, mandragoræ malorum aridorum*) Ita interpungit Lindenius, ita & Ronſſeus malebat. Al. *panacis, radicis mandragoræ, malorum aridorum.*

21. *p. ✻. III.*) Ita in multis Mſs. Alii leg. *p. ✻. II.* ut eſt in Mediceo I.

22. *qui manu comprehendi poteſt*) Aſſentior Morgagno, qui putat hæc verba præcedentis vocis *manipulus* explicationem eſſe, huc ex margine traductam. Legi etiam poteſt, *quantum* (vel *quod*) *manu comprehendi poteſt*, ſi expellatur vox *manipulus*. Sed retinenda eſt ea vox, quod etiam infra habeatur, ut idem Morgagnus obſervat; ac potius hæc verba tollenda. In Codice Mediceo I. tum hic, tum infra eſt, *manipellus*, pro *manipulus*.

23. *projicitur*) Lindenius, *projiciatur*; deinde, *miſceatur*, *inferveatque*.

menſura [24] miſcetur, infervetque, donec craſſitudinem ſordium habeat. Cum infrixit, catapotia ex eo fiunt, ad noſtræ fabæ magnitudinem, habentque uſum multiplicem. Nam & ſomnum faciunt, vel per ſe aſſumpta, vel ex aquâ data: & aurium dolores levant, adjectis exiguo modo rutæ ſucco, ac paſſo [25]: & tormina ſupprimunt ex vino liquata: & inflammationem vulvæ coercent, miſta cerato ex roſa facto, cum paulum his croci quoque acceſſit: & ex aqua fronti inducta, pituitam in oculos decurrentem tenent.

5. Item, ſi vulva dolens ſomnum prohibet: croci p. ✕. = =. [26] aniſi, myrrhæ, ſingulorum p. ✕. I. papaveris lacrimæ p. ✕. III. [27] cicutæ ſeminis p. ✕. VIII. miſcentur, excipiunturque vino vetere, &, quod lupini magnitudinem habet, in tribus cyathis aquæ diluitur. Id tamen in febre periculoſe datur.

6. Ad ſanandum jecur: nitri p. ✕. =. [28] croci, myrrhæ, nardi Gallici, ſingulorum p. ✕. I. melle [29] excipiuntur, daturque, quod Ægyptiæ fabæ magnitudinem habeat.

7. Ad lateris dolores finiendos: piperis, ariſtolochiæ, nardi, myrrhæ pares portiones.

8. Ad thoracis: nardi p. ✕. I. thuris, caſiæ, ſingulorum p. ✕. III. myrrhæ, cinnamomi, ſingulorum p. ✕. VI. croci p. ✕. VIII. reſinæ terebinthinæ quadrans [30], mellis heminæ tres.

9. Ad tuſſim, Athenionis: myrrhæ, piperis, ſingulorum p. ✕. I. caſtorei, papaveris lacrimæ, ſingulorum p. ✕. I. quæ ſeparatim con-

24. *paſſum pari menſura*) Ita correxit Lindenius. In Editionibus antiquis, & in libris Mſs. legitur, *paſſi pari menſura*. Itaque, ut a veteri lectione minus recedamus, malim, *paſſi par menſura*.

25. *rutæ ſucco, ac paſſo*) Hæc quoque lectio ex Lindenio eſt. Alii leg. *rutæ ſucci, ac paſſi*; ut habent Codd. Mſs. quæ verba fortaſſe recte habent; ſed ſupra, pro *adjectis*, reponendum, *adjecto*. Niſi potius ſit legendum: *adjectis exiguo modo rutæ ſucci, ac paſſo*. Cæſarius & alii leg. *rutæ ſucco ac paſſi*. In Cod. Medic. I. eſt, *rutæ ſuci hac paſſi*, & ſupra *ſuci* ponitur *s*, ut legatur *ſucis*.

26. *p. ✕. = =.*) Al. leg. *p. ✕. II.* ut eſt in pleriſque Mſs. Ego Medic. I. ſequor, in quo eſt, *p. p.* = =.

27. *p. ✕. III.*) Aldina Editio, *p. p. IIII.* unde aliæ quoque habent *IIII.* pro *III.* quod eſt in vetuſtioribus & in Mſs.

28. *p. ✕. =.*) Al. *p. ✕. 3.* Ruell. *p. ✕. III.*

29. *p. ✕. I. melle*) In Cod. Medic. I. *p. p. I. melle*; in reliquis ſex, *p. ✕. I. libra melle*. In IV. tamen vox *libra* expuncta eſt; & nota ✕ mutata, ut in VII. in *p.*

30. *quadrans*) In Cod. Medic. I. *p. p.* =. Sed fortaſſe legendum, *p.* =. ut ſit, non denarii, ſed libræ ſextans.

contuſa poſtea junguntur, & ad magnitudinem fabæ noſtræ, bina catapotia mane, bina noctu dormituro dantur.

10. Si tuſſis [31] ſomnum prohibet, ad utrumque Heraclidis Tarentini: croci p. X. =. [32] myrrhæ, piperis longi, coſti, galbani, ſingulorum p. X. =. cinnamomi, caſtorei, papaveris lacrimæ, ſingulorum p. X. I.

11. Quod ſi purganda ulcera in faucibus tuſſientibus ſunt, panacis, myrrhæ, reſinæ terebinthinæ, ſingulorum p. uncia [33], galbani p. X. =. [34] hyſſopi p. X. =. [35] conterenda ſunt, hiſque hemina mellis adjicienda, & quod digito excipi poteſt, devorandum eſt.

12. Colice vero Caſſii ex his conſtat: croci [36], aniſi, caſtorei, ſingulorum p. X. III. petroſelini p. X. IV. piperis & longi & rotundi, ſingulorum [37] p. X. V. papaveris lacrimæ, junci rotundi, myrrhæ, nardi, ſingulorum p. X. VI. quæ melle excipiuntur. Id autem & devorari poteſt, & ex aqua calida ſumi.

13. Infantem vero mortuum, aut ſecundas expellit aquæ potio, cui ſalis Ammoniaci p. X. I. aut cui dictami Cretici p. X. I. adjectum eſt.

14. Ex partu laboranti [38] eryſimum ex vino tepido jejunæ dari debet.

15. Vo-

31. *Si tuſſis*) Lindenius leg. *At ſi tuſſis*.

32. *p. X. =. &c.*) Ita ex Cod. Medic. I. in quo eſt: *p. ꝑ. =. murræ, piperis longi, coſti, galbani ſing. p. ꝑ. =. cinnamomi, caſtorei, papaveris lacrimæ ſing. p. ꝑ. I.* In Codicibus aliis: *p. X. I. cinnamomi, caſtorei, papaveris lacrimæ ſing. p. X. I. murræ, piperis longi, coſti, galbani ſing. p. X. I.* atque ita habetur etiam in libris vulgatis; niſi quod in his eſt, *galbani ſingulorum p. z.* in aliis, *p. X. 3.* in uno, *p. X. III*

33. *p. uncia*) Ita in Cod. Medic. I. In aliis Codicibus, *p. X.* unde in libris impreſſis, *p. x.* quod alii, Cæſarium ſecuti, mutarunt in *p. X. V.*

34. *p. X. =.*) Hæc nota non videtur eſſe ſine mendo. In Mſs. Mediceis, excepto primo, habetur, *ꝑ. X. p. z.* ∾. ſed in IV. correctum eſt, *p. ꝑ. z.* ut eſt in primo: unde in Editionibus vetuſtioribus *p. z.* Cæſarius leg. *p.* 3. al. *p. X.* 3. Linden. *p. X. z.*

35. *hyſſopi p. X. =.*) Fortaſſe neque hæc nota vitio caret: ſi quidem ſupra recte legitur, *p. uncia*. Nimis enim exiguus videtur eſſe hyſſopi modus, itemque galbani, pro ceterarum rerum modo. In aliquibus Mſs. eſt, *biſopi p. X. I.*

36. *croci*) Ad hunc locum ita ſcribit Almeloveenius: *Forte* coſti *uti lib.* 4. *cap.* 14. *ſed malim ibi legere* croci; *ita Scribon. Larg. cap.* 29. *cujus deſcriptio in aliis variat*. Neque vero Codices deſunt, in quibus hic quoque ſit, *coſti*: Mediceus tamen I. habet, *croci*, ut vulgo legitur. Quod attinet ad locum lib. 4. ab Almeloveenio citatum, vide quæ ego ibi adnotavi.

37. *ſingulorum*) Hæc vox abeſt a Cod. Mediceo I.

38. *laboranti*) Ita in Mſs. Codicibus; & in Editione I. In Editione an. 1493. & in ceteris legitur, *laborantibus*: ſed perperam; quia ſequitur, *jejunæ*: cui vitio medentur Conſtantinus & Lindenius reponendo, *jejunis*.

15. Vocem adjuvat thuris p. ӿ. I. in duobus cyathis vini datum.

16. Adverſus urinæ difficultatem: piperis longi, caſtorei, myrrhæ, galbani, papaveris lacrimæ, croci, coſti, unciæ ſingulæ, ſtyracis, reſinæ terebinthinæ, pondo ſextantes, mellis, abſinthii, cyathi ſinguli [39]: ex quibus ad magnitudinem fabæ Ægyptiæ & mane [40] & cœnato dari debet.

17. Arteriace vero hoc modo fit: caſiæ, iridis, cinnamomi, nardi, myrrhæ, thuris, ſingulorum p. ӿ. I. croci p. ӿ. I. =. [41] piperis grana xxx. ex paſſi tribus ſextariis decoquuntur, donec mellis craſſitudo his fiat: aut croci, myrrhæ, thuris, ſingulorum p. ӿ. I. conjiciuntur in paſſi eumdem modum, eodemque modo decoquuntur: aut ejuſdem paſſi heminæ tres uſque eo coquuntur, donec extracta inde gutta indureſcat; eo adjicitur [42] tritæ caſiæ p. ӿ. I.

XXVI. 1. Cum facultates medicamentorum propoſuerim, genera, in quibus noxa corpori eſt, proponam. Ea quinque ſunt: cum quid extrinſecus læſit, ut in vulneribus; cum quid intra ſeipſum corruptum eſt, ut in cancro; cum quid innatum eſt, ut in veſica calculus; cum quid increvit, ut vena, quæ intumeſcens in varicem convertitur; cum quid deeſt, ut cum curta [43] pars aliqua eſt. Ex his alia ſunt, in quibus medicamenta [44], alia in quibus plus manus proficit. Ergo [45], dilatis iis, quæ præcipue ſcalpellum & manum poſtulant, nunc de iis [46] dicam, quæ maxime medicamen-

L l tis

39. *mellis, abſinthii, cyathi ſinguli*) Sic repoſui partim ex Lindenii Editione, partim ex Codicibus Mſs. Fortaſſe tamen Celſi verba nondum plane reſtituta ſunt. Ante Lindenium legebatur, *mel abſinthii cyathus:* Lindenius vero correxit, *mellis abſinthii cyathus*. In Codice Mediceo I. legitur, *mel abſinthy cyathus*; in ceteris ſex, *mel abſenti* (in IV. *abſinthi*) *cyathi ſingul.* ſcilicet *ſinguli*, h. e. ſingulorum cyathus unus.

40. *& mane*) Lindenius omittit *&*.

41. *p.* ӿ. *I.* =.) Antea legebatur, *p.* ӿ. *I.* ut habent plerique Codices. In Medic. I. habetur, *p. p. I.* =. ex quo ego ſic reſtitui.

42. *eo adjicitur*) Ita & modo allatus & alii Mſs. Codices. Omnes impreſſi libri, *& adjicitur*. Conſtantinus in margine, *& ei adjicitur*.

43. *ut cum curta*) Lindenius leg. *aut cum curta*; ſed perperam. Pro *curta*, Edd. Aldina & Stephan. & Codices Mſs. omnes, præter Medic. I. mendoſe habent, *curata*.

44. *medicamenta*) Al. *plus medicamenta*.

45. *Ergo*) Codex Mediceus I. atque Editiones Lindenii & Almeloveenii habent, *Ego*. Sed recte Vulpius repoſuit *Ergo* ex Editionibus vetuſtis. Ita legitur etiam in Codicibus ceteris Mediceis.

46. *de iis*) Egnatius reſtituit duas has voces, quæ deſunt in Editionibus priſcis. Deſunt etiam in Cod. Medic. I. ſed habentur in reliquis.

tis egent. Dividam autem hanc quoque curandi partem, ſicut priorem; & ante dicam de iis, quæ in quamlibet partem corporis incidunt; tum de iis, quæ certas partes infeſtant. Incipiam a vulneribus.

In his autem ante omnia ſcire medicus debet, quæ inſanabilia ſint, quæ difficilem [47] curationem habeant, quæ promptiorem. Eſt enim prudentis hominis, primum eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus, ut occiſi, quem fors ipſius interemit: deinde, ubi gravis metus ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe [48]; ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur. Sed ut hæc prudenti viro conveniunt; ſic rurſus hiſtrionis eſt, parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur. Obligari æquum eſt confeſſione promptæ rei, quo curioſius etiam circumſpiciat, ne, quod per ſe exiguum eſt, majus curantis negligentia fiat.

2. Servari non poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui jocinoris portæ, cui in ſpina medulla percuſſa eſt; cuique aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius inteſtinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati ſunt; cuive circa fauces grandes venæ, vel arteriæ præciſæ ſunt.

3. Vix autem ad ſanitatem perveniunt, quibus ulla parte pulmo [49], aut jocinoris craſſum, aut membrana, quæ continet cerebrum, aut lienis, aut vulva, aut veſica, aut ullum inteſtinum, aut ſeptum tranſverſum vulneratum eſt. Ii quoque in præcipiti ſunt, in quibus uſque ad grandes intuſque conditas venas in alis vel poplitibus mucro deſedit [50]. Periculoſa etiam vulnera ſunt, ubicumque venæ majores ſunt, quoniam exhaurire hominem profuſione ſanguinis poſſunt: idque evenit non in alis tantum, atque poplitibus; ſed etiam in iis venis, quæ ad anum teſticuloſque perveniunt. Præter hæc malum vulnus eſt, quodcumque in alis vel femi-

47. *quæ difficilem*) Linden. & *quæ difficilem*.

48. *in difficili rem eſſe*) Pro *rem*, nonnulli cum Cæſario leg. *ſpem*. Sic cap. 27. ſect. 2. hujus libri: *in anguſto ſpes eſt*; ubi veteres Codices nihil diſcrepant. Hoc loco primus quidem habet, *ſpem*: ceteri vero Medicei, *rem*; neque aliter legendum videtur.

49. *pulmo*) Linden. *aut pulmo*.

50. *deſedit*) Edd. Aldina & Ruell. *deſcendit*.

feminibus, vel inanibus locis, vel in articulis [51], vel inter digitos eſt: item quodcumque muſculum, aut nervum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginem læſit. Tutiſſimum omnium, quod in carne eſt.

4. Et hæc quidem loco vel pejora, vel meliora ſunt. Modo vero periculum facit, quodcumque magnum eſt.

5. Aliquid etiam in vulneris genere figuraque eſt. Nam pejus eſt, quod etiam colliſum, quam quod tantum diſciſſum eſt: adeo ut acuto quoque, quam retuſo telo, vulnerari commodius ſit. Pejus etiam vulnus eſt, ex quo aliquid exciſum eſt; ex quove caro alia parte abſciſſa, alia dependet. Peſſimaque [52] plaga in orbem eſt [53]; tutiſſima, quæ lineæ modo recta eſt [54]. Quo deinde propius huic illive figuræ vulnus eſt, eo vel deterius vel tolerabilius eſt.

6. Quin etiam confert aliquid & ætas, & corpus, & vitæ propoſitum, & anni tempus: quia facilius ſaneſcit puer vel adoleſcens, quam ſenior; valens, quam infirmus; neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quam ſi alterum ex his eſt; integri habitus, quam corrupti; exercitatus, quam iners; ſobrius & temperans, quam vino venerique deditus. Opportuniſſimumque curationi tempus, vernum eſt, aut certe neque fervens, neque frigidum: ſiquidem vulnera & nimius calor & nimium frigus infeſtant; maxime tamen horum varietas: ideoque pernicioſiſſimus autumnus eſt.

7. Sed pleraque ex vulneribus oculis ſubjecta ſunt: quorumdam ipſæ ſedes indices ſunt; quas alio loco demonſtravimus, cum poſitus interiorum partium oſtendimus. Verumtamen, quia quædam vicina ſunt, intereſtque [55], vulnus in ſumma parte ſit, an pe-

51. *vel in articulis*) Hoc inciſum perperam omittitur in Edit. Lindenii; ut Morgagnus animadvertit.

52. *Peſſimaque*) Al. *Peſſima quæ*; al. *Peſſima quæque*, ut plerique Mſs. Codices habent. Ego ſecutus ſum Medic. I. & Vatic. item I. atque Editiones Cæſarii, Ruellii, & alias nonnullas.

53. *plaga in orbem eſt*) Pro *in orbem*, Lindenius leg. *curva*. Ita ſane habet Cod. Medic. I. ſed explicatio quædam eſt, ut mihi videtur. Itaque *in orbem* retineo, ut reliqui omnes Codices, præter Vatic. VI. & cum iis veteres Editiones habent.

54. *lineæ modo recta eſt*) *liene facta eſt* mendoſe eſt in Codicibus Mediceis, excepto I. ex quo, *lineæ modo recta eſt*, alia manu in margine adſcriptum habent IV. & VII.

55. *intereſtque*) Ita in Cod. Medic. I. & in Edit. Lindenii. Alii leg. *intereſt quoque*.

penitus [56] penetraverit, neceſſarium eſt notas ſubjicere, per quas quid intus ictum [57] ſit, ſcire poſſimus; & ex quibus vel ſpes, vel deſperatio oriatur.

8. Igitur, corde percuſſo, ſanguis multus fertur, venæ langueſcunt [58], color pallidiſſimus, ſudores frigidi, malique odoris, tamquam irrorato [59] corpore oriuntur: extremiſque partibus frigidis matura mors ſequitur.

9. Pulmone vero [60] icto, ſpirandi difficultas eſt; ſanguis ex ore ſpumans, ex plaga rubens [61], ſimulque etiam ſpiritus cum ſono fertur; in vulnus inclinari juvat: quidam ſine ratione conſurgunt: multi ſi in ipſum vulnus inclinati ſunt, loquuntur; ſi in aliam partem, obmuteſcunt.

10. Jocinoris autem vulnerati notæ ſunt: multus ſub dextra parte præcordiorum profuſus ſanguis; ad ſpinam reducta præcordia; in ventrem cubandi dulcedo; punctiones, doloreſque uſque ad jugulum, junctumque ei latum ſcapularum os, intenti [62]: quibus nonnumquam etiam bilioſus vomitus [63] accedit.

11. Renibus vero percuſſis, dolor ad inguina teſticuloſque deſcendit; difficulter urina redditur; eaque aut eſt cruenta, aut cruor fertur.

12. At

56. *penitus*) In Edit. Lindenii & in margine Conſtantinianæ, *penitius*.

57. *ictum*) Ita emendavit Lindenius, cum antea legeretur, *actum*.

58. *langueſcunt*) In quibuſdam Codd. Mſs. *elangueſcunt*. Sic infra ſect. 15. *venarum motus elangueſcunt*. Hic vulgo legitur *langueſcunt*, ut habet Cod. Medic. I. fortaſſe quod prima littera verbi *elangueſcunt* coaluerit cum extrema vocis præcedentis *venæ*.

59. *irrorato*) Hanc Egnatii & Stephani lectionem probat Morgagnus, & Codicis ſui Ms. teſtimonio confirmat. Plerique etiam ex Mediceis Codicibus habent, *inrorato*; tertius, *in rorato*, ut legitur in Editionibus priſcis. In Codice vetuſtiore eſt, *inrotato*; in Editione utraque Cæſarii, *in rotato*; in Lindeniana, *in ægroto*, ut in margine Conſtantinianæ; quæ tamen lectio ipſi Conſtantino minus arridet. Mallet, *irritato*, quod in veteri Cod. invenerit, *irrotato*.

60. *Pulmone vero*) Particulam *vero* ego inveni in Mſs. Mediceis omnibus, præter primum: quia tamen in IV. eſt expuncta, Fontius & veteres quidam alii Editores eam omiſerunt. Codex I. habet *Pulmove*, & ſyllabam *ne* ſupra poſitam, ut legatur *Pulmoneve*, an potius *Pulmone*?

61. *rubens*) Cod. Medic. I. *rubèr*.

62. *latum ſcapularum os, intenti*) Ante Lindenium legebatur, *latus ſcapularum os intentum*. Codex Mediceus I. habet *latus*, non recte; ſed recte, *intenti*, non *intentum*.

63. *bilioſus vomitus*) Cod. Medic. I. *bilis vomitus*. Celſus adhibet utramque formam. Sect. 13. hujus capitis, *vomitus bilis inſequitur*; itemque ſect. 14. & 15. At lib. 4. cap. 10. *ſi frequens bilioſus vomitus accedit*; & cap. 13. *Adjicit periculo vomitus bilioſus &c.* Etiam ſect. 26. hujus capitis Codices Mſs. variant. Mediceus I. habet, *Vomitus autem bilis*; alii, *Vomitus autem bilioſus*, ut vulgo legitur.

12. At liene ictο, ſanguis niger a ſiniſtra parte prorumpit; præcordia cum ventriculo ab eadem parte indureſcunt; ſitis ingens oritur; dolor ad jugulum, ſicut jocinore vulnerato, venit.

13. At cum vulva percuſſa eſt, dolor in inguinibus, & coxis, & feminibus eſt; ſanguinis pars per vulnus, pars per naturale [64] deſcendit; vomitus bilis inſequitur; quædam obmuteſcunt [65]; quædam mente labuntur; quædam, ſui compotes, nervorum oculorumque dolore urgeri ſe confitentur; morienteſque eadem [66], quæ corde vulnerato, patiuntur.

14. Sin cerebrum membranave ejus vulnus accepit, ſanguis per nares, quibuſdam etiam per aures exit; fereque bilis vomitus inſequitur; quorumdam ſenſus obtunduntur, appellatique ignorant; quorumdam trux vultus eſt; quorumdam oculi, quaſi reſoluti, huc atque illuc [67] moventur; fereque tertio, vel quinto die delirium accedit; multorum etiam nervi diſtenduntur: ante mortem autem plerique faſcias, quibus caput deligatum eſt, lacerant, ac nudum vulnus frigori objiciunt.

15. Vbi ſtomachus autem percuſſus eſt, ſingultus, & bilis vomitus inſequitur; ſi quid cibi vel potionis aſſumptum eſt, id redditur cito [68]; venarum motus elangueſcunt; ſudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcunt.

16. Communes vero jejuni inteſtini & ventriculi vulnerati notæ ſunt: nam cibus & potio per vulnus exeunt; præcordia indureſcunt; nonnumquam bilis per os redditur: inteſtino tantum ſedes inferior eſt. Cetera inteſtina icta vel ſtercus, vel odorem ejus exhibent.

17. Me-

64. *naturale*) *Naturale*, vel *naturalia*, vel *naturales partes* Celſus appellat in fæminis genitalia earum; nonnumqnam etiam in viris; ut Morgagnus obſervat. Sed *naturale* ſingulari numero de ſolis fæminis uſurpat. Lindenius leg. *naturam*; quæ vox bona eſt, utpote cum Cicero quoque illa utatur hac ſignificatione; ut in Scholiis ad hunc locum adnotat Almeloveenius: attamen Celſiana non eſt. Mſs. Codices, quotquot vidi, habent, *naturale*.

65. *obmuteſcunt*) Quidam leg. *obtumeſcunt*, ut eſt in Edit. an. 1538. ſed perperam.

66. *eadem*) Alii, *tandem*; al. *tandem eadem*. Ego ſecutus ſum Edit. Lindenii & Cod. Medic. I.

67. *huc atque illuc*) Lindenius leg. *huc illucque*. Conſtantinus ita ſcriptum invenit in Codice quodam: *huc illuc commoventur*.

68. *id redditur cito*) Ita multi legunt ex Cæſarii emendatione. Editiones vetuſtiores & Codices Mſs. habent, non *id*, ſed *ea*; quod pronomen fortaſſe addititium eſt.

17. Medulla vero, quæ in ſpina eſt, percuſſa [69], nervi reſolvuntur, aut diſtenduntur; ſenſus intercidit; interpoſito tempore aliquo ſine voluntate inferiores partes vel ſemen, vel urinam, vel etiam ſtercus excernunt.

18. At ſi ſeptum tranſverſum percuſſum eſt, præcordia ſurſum contrahuntur; ſpina dolet; ſpiritus rarus eſt; ſanguis ſpumans fertur.

19. Veſica vero vulnerata, dolent inguina; quod ſuper pubem eſt, intenditur; pro urina, ſanguis; at ex ipſo vulnere urina deſcendit; ſtomachus afficitur; itaque aut bilem vomunt, aut ſingultiunt; frigus, & ex eo mors ſequitur.

20. His cognitis, etiamnum quædam alia noſcenda ſunt, ad omnia vulnera ulceraque, de quibus dicturi ſumus, pertinentia. Ex his autem exit ſanguis, ſanies, pus. Sanguis omnibus notus eſt; ſanies eſt tenuior hoc, varie craſſa, & glutinoſa, & colorata; pus craſſiſſimum albidiſſimumque, glutinoſius & ſanguine & ſanie. Exit autem ſanguis ex vulnere recenti, aut jam ſaneſcente; ſanies eſt inter utrumque tempus [70]; pus ex ulcere jam ad ſanitatem ſpectante. Rurſus & ſanies & pus quaſdam ſpecies Græcis nominibus diſtinctas habent. Eſt enim quædam ſanies, quæ vel ὕδρωψ [71], vel μελίκηρα [72] nominatur: eſt pus, quod ἐλαιῶδες appellatur. Ὕδρωψ tenuis, ſubalbidus, ex malo ulcere exit, maximeque

69. *percuſſa*) In Mſs. & Editionibus antiquis legitur, *diſcuſſa*. Itidem lib. 7. cap. 21. *diſcuſſo ventre*, & lib. 8. cap. 4. *cutis diſcuſſa*, habent iidem veteres libri: quibus duobus in locis Conſtantinus & Lindenius leg. *diſciſſo* & *diſciſſa*. Lindenius hic quoque reponit, *diſciſſa*, quo modo nonnullos legere maluiſſe, ſcribit Conſtantinus. Ipſe tamen Conſtantinus *percuſſa* invenit in veteri libro; ex quo ego ſic repoſui. Nam & ſupra ſect. 2. legitur: *Servari non poteſt . . . . . cui in ſpina medulla percuſſa eſt*.

70. *ſanies eſt inter utrumque tempus*) Cum proximum membrum regatur a verbo *exit* membri ſuperioris, etiam membrum hoc ab eodem verbo regi videtur. Itaque verbum ſubſtantivum *eſt* fortaſſe tollendum eſt.

71. ὕδρωψ) Vox hæc iterum tertioque occurrit in hac ſectione. Editiones priſcæ & Codices ceteri Medicei ubique habent, *hydrops*: Codex I. hic, *hydropos*; infra utrobique, *hydros*. Ego ὕδρωψ græcis litteris ſcripſi. In libris Hippocraticis ſignificat humorem illum corporis, qui aquæ ſimilis eſt: ſerum vocant a ſimilitudine ejus, quod eſt in lacte. Hac notione & ὕδωρ & ἰχὼρ reperitur in libris illis, ut animadvertit Foeſius Œcon. Hippocr. Eſt igitur ὕδρωψ apud Celſum, ſanies aquoſa. Alii leg. ἰχὼρ, ut Egnatius & Cæſarius mutarunt. Sed videndum eſt, an jure mutatum fuerit.

72. μελίκηρα) In Mſs. Mediceis & in Editionibus priſcis legitur, *melitera*, tum hic, tum infra. In Cod. VI. tamen hic, *melicera*; ut & in alio quodam Conſtantinus invenit. Lindenius μελίκηρα græcis litteris ſcribit; quem ſequor. Aldina Editio habet, μελίκηρως; Cæſariana aliæque, *meliceria*.

que ubi, nervo læſo, inflammatio ſecuta eſt. Μελίκηρα craſſior eſt, glutinoſior, ſubalbida, mellique albo ſubſimilis. Fertur hæc quoque ex malis ulceribus, ubi nervi circa articulos læſi ſunt; & inter hæc loca, maxime ex genibus. Ἐλαιῶδες tenue, ſubalbidum, quaſi unctum [73], colore, atque pinguitudine oleo albo non diſſimile apparet in magnis ulceribus ſaneſcentibus. Malus autem eſt ſanguis, nimium aut tenuis, aut craſſus, colore vel lividus, vel niger, aut pituita miſtus, aut varius: optimus calidus, rubens [74], modice craſſus, non glutinoſus. Itaque protinus ejus vulneris expedita magis curatio eſt, ex quo ſanguis bonus fluxit: itemque poſtea ſpes in iis major eſt, ex quibus melioris generis quæque proveniunt. Sanies igitur mala eſt, multa, nimis tenuis, livida, aut pallida, aut nigra, aut glutinoſa, aut mali odoris, aut quæ, & ipſum ulcus, & junctam ei cutem erodit: melior eſt non multa, modice craſſa, ſubrubicunda, aut ſubalbida. Ὕδρωψ autem pejor eſt multus, craſſus, ſublividus aut ſubpallidus, glutinoſus, ater [75], calidus, mali odoris: tolerabilior eſt ſubalbidus, qui cetera [76] omnia contraria prioribus habet. Μελίκηρα autem mala eſt, multa, & percraſſa: melior, quæ & tenuior, & minus copioſa eſt. Pus inter hæc optimum eſt. Sed id quoque pejus eſt, multum, tenue, dilutum; magiſque, ſi ab initio tale eſt: itemque, ſi colore ſero ſimile, ſi pallidum, ſi lividum, ſi fæculentum eſt: præter hæc, ſi male olet; niſi tamen locus hunc odorem excitat. Melius eſt, quo minus eſt, quo craſſius, quo albidius: itemque, ſi læve eſt, ſi nihil olet, ſi æquale eſt. Modo tamen convenire & magnitudini vulneris, & tempori debet: nam plus ex majore, plus nondum ſolutis inflammationibus naturaliter fertur. Ἐλαιῶδες quoque pe-

73. *unctum*) Lindenius leg. *unguinoſum*; ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ, nullo tamen citato veteris Codicis teſtimonio. Idem Lindenius infra, in his verbis, *aut quæ & ipſum ulcus*, omittit *&*. Et ſane deeſt ea particula in Codice Mediceo I. & in Vaticano VI. habetur tamen in ceteris omnibus.

74. *rubens*) Conſtantinus margini adſcripſit, *ruber*; & ita eſt in Codice Mediceo I.

75. *ater*) Aliqui Codices habent, *acer*. Fortaſſe rectius; quia de colore ſupra dictum eſt; & præcedens vox *glutinoſus* ſignificat tranſitum eſſe factum ad alias mali hydropis qualitates recenſendas. Attamen communiter legitur, *ater*, ut eſt in Cod. Mediceo I.

76. *qui cetera*) Linden. *quique cætera*.

pejus eſt multum; & parum pingue: quo minus ejus [77], quoque id ipſum pinguius, eo melius eſt.

21. Quibus exploratis, ubi aliquis ictus eſt, qui ſervari poteſt, protinus proſpicienda duo ſunt: ne ſanguinis profuſio [78], neve inflammatio interimat. Si profuſionem timemus (quod ex ſede vulneris, & ex magnitudine ejus, & ex impetu ruentis ſanguinis intelligi poteſt) ſiccis linamentis [79] vulnus implendum eſt, ſupraque imponenda ſpongia ex aqua frigida expreſſa, ac manu ſuper comprimenda. Si parum ſic ſanguis conquieſcit, ſæpius linamenta mutanda ſunt; &, ſi ſicca parum valent, aceto madefacienda ſunt. Id vehemens ad ſanguinem ſupprimendum eſt: ideoque quidam id vulneri infundunt. Sed alius rurſus metus ſubeſt; ne nimis valenter ibi retenta materia, magnam inflammationem poſtea moveat. Quæ res efficit, ut neque rodentibus medicamentis, neque adurentibus, & ob id ipſum inducentibus cruſtam, ſit utendum; quamvis pleraque ex his ſanguinem ſupprimunt: ſed, ſi ſemel ad ea decurritur, iis potius, quæ mitius idem efficiunt. Quod ſi illa quoque profluvio vincuntur, venæ, quæ ſanguinem fundunt, apprehendendæ, circaque [80] id, quod ictum eſt, duobus locis deligandæ, intercidendæque ſunt, ut & in ſe ipſæ coeant [81], & nihilominus ora præcluſa habeant. Vbi ne id quidem

77. *quo minus ejus*) Pro *ejus*, ut habet in margine Conſtantini Editio, atque ut ego reſtitui ex aliquibus Mſs. alii leg. *etiam*, ut eſt in Mediceo primo; Lindenius, *autem*.

78. *ne ſanguinis profuſio*) Alii cum Egnatio leg. *ne ſanguinis ſit profuſio*. Et quidem *ſit* invenitur in multis Mſs. ſed ex gloſſemate; ut mihi videtur. Codex Mediceus vetuſtior verbum illud non habet.

79. *linamentis*) In Cod. Medic. I. non *linamentum*, ſed *liniamentum* fere ubique legitur; ut hic, *liniamentis*. In aliis quoque Codicibus ſæpe eſt, *liniamentum*.

80. *circaque*) In quibuſdam Mſs. & in margine Edit. Conſtantinianæ legitur, *intraque*.

81. *ut & in ſe ipſæ cocant*) In Editione Aldina omittitur particula &. In pleriſque Mſs. ita legitur: *ut in ſe iunctæ* (in Vatic. VII. *uinctæ*) *coeant*. In Mediceo I. *ut et in ſe ipſe coeatur*. Notanda locutio, *coire in ſe*. Id enim, opinor, Celſus ſibi vult, venæ præciſæ capita, non alterum cum altero, ſed utrumque per ſe coire. Lucem huic loco afferre poſſunt, quæ ſcribit Aetius Tetrab. 4. Serm. 2. cap. 51. *Si vero neque ſic ſanguis ſiſtatur, ſi quidem vena fuerit, conandum eſt, ut citra vinculum ſanguinem ſupprimat per aliquod ſanguinem ſiſtens medicamentum &c. Si vero arteria fuerit, ex duobus alterum faciens, aut vinculum circumdans, aut totum vas præcidens ac diſſecans, ſanguinem ſiſtes. Cogimur tamen aliquando etiam magnis venis vinculum obligare, atque etiam aliquando totas ipſas diſſecare, tranſverſas videlicet: quæ neceſſitas incumbet in iis, quæ rectæ ex alto ſurſum feruntur, & præſertim per anguſtiam aliquam aut principales partes. Sic enim utraque pars utrimque retrahitur, & ab incumbentibus corporibus vulnus tegitur & occultatur.* Eadem habet Paulus Ægineta lib. 4. cap. 53.

dem res patitur, poſſunt ferro candenti aduri. Sed etiam [82] ſatis multo ſanguine effuſo ex eo loco, quo neque nervus, neque muſculus eſt, ut puta in fronte, vel ſuperiore capitis parte, commodiſſimum tamen eſt, cucurbitulam admovere a diverſa parte [83], ut illuc ſanguinis curſus revocetur.

22. Et adverſus profuſionem quidem in his auxilium eſt: adverſus inflammationem autem, in ipſo ſanguinis curſu. Ea timeri poteſt, ubi læſum eſt vel os, vel nervus, vel cartilago, vel muſculus; aut ubi parum ſanguinis pro modo vulneris fluxit. Ergo quoties quid tale erit, ſanguinem mature ſupprimere non oportebit; ſed pati fluere, dum tutum erit, adeo ut, ſi parum fluxiſſe videbitur, mitti quoque ex brachio debeat; utique, ſi corpus juvenile, & robuſtum, & exercitatum eſt: multoque magis, ſi id vulnus ebrietas præceſſit. Quod ſi muſculus læſus videbitur, præcidendus erit: nam percuſſus, mortiferus eſt; præciſus, ſanitatem recipit.

23. Sanguine autem vel ſuppreſſo, ſi nimius erumpit; vel exhauſto, ſi per ſe parum fluxit; longe optimum eſt, vulnus glutinari. Poteſt autem id, quod vel in cute, vel etiam in carne eſt, ſi nihil ei præterea mali accedit: poteſt caro, alia parte dependens, alia inhærens; ſi tamen etiamnum integra eſt [84], & conjunctione corporis fovetur. In iis vero, quæ glutinantur, duplex curatio eſt. Nam ſi plaga in molli parte eſt, ſui debet; maximeque, ſi diſciſſa auris ima eſt, vel imus naſus, vel frons, vel bucca, vel palpebra, vel labrum, vel circa guttur cutis, vel venter. Si vero in carne vulnus eſt, hiatque, neque in unum oræ facile attrahuntur, ſutura quidem aliena eſt; imponendæ vero fibulæ ſunt (ἀγκτῆρας Græci nominant) quæ oras, paulum tamen, contrahant [85], quo minus lata poſtea cicatrix ſit. Ex his

 au-

82. *Sed etiam*) Lindenius leg. *Sic etiam:* & poſtea omittit *tamen*.

83. *a diverſa parte*) Hujus loci ſententiam declarant hæc verba lib. 2. cap. 11. *nemo cucurbitulam diverſæ parti imponit, niſi cum profuſionem ſanguinis eo avertit.* Lindenius leg. *adverſa parte*; ut habent Codices Medicei, excepto primo.

84. *etiamnum integra eſt*) Hæc & quæ ſequuntur uſque ad extrema illa hujus ſectionis verba; *& oleo; vel cataplaſma &c.* habentur in Codice Medic. I. in aliis fere omnibus vel deſunt, vel poſt inſerta ſunt, quam cetera ſcripta fuerant; ut manifeſtum ſit, ea defuiſſe in Codice illo, unde ii omnes deſcripti ſunt.

85. *paulum tamen, contrahant*) Ante Lindenium legebatur, non *contrahant*, ſed con-

autem colligi poteſt, id quoque [86], quod alia parte dependens, alia inhærebit, ſi alienatum adhuc non eſt, ſuturam, an fibulam poſtulet. Ex quibus neutra ante debet imponi, quam intus vulnus purgatum eſt; ne quid ibi concreti ſanguinis relinquatur. Id enim & in pus vertitur, & inflammationem movet, & glutinari vulnus prohibet. Ne linamentum quidem, quod ſupprimendi ſanguinis cauſa inditum eſt, inibi [87] relinquendum eſt: nam id quoque inflammat. Comprehendi vero ſutura, vel fibula, non cutem tantum, ſed etiam aliquid ex carne, ubi ſuberit hæc, oportebit; quo valentius hæreat, neque cutem abrumpat. Vtraque optima eſt ex acia [88] molli, non nimis torta, quo mitius corpori inſidat [89]. Vtraque neque nimis rara, neque nimis crebra injicienda eſt. Si nimis rara eſt, non continet: ſi nimis crebra eſt, vehementer afficit; quia, quo ſæpius acus corpus tranſuit [90], quoque plura loca injectum vinculum mordet, eo majores inflammationes oriuntur; magiſque æſtate. Neutra etiam vim ullam deſiderat; ſed eatenus utilis eſt, qua [91] cutis ducentem quaſi ſua ſponte ſubſequitur. Fere tamen [92] fibulæ latius vulnus eſſe patiuntur: ſutura oras jungit; quæ ne ipſæ quidem inter ſe contingere ex toto debent; ut ſi quid intus humoris concreverit, ſit qua emanet. Si quod vulnus neutrum horum recipit, id tamen purgari debet. Deinde omni vulneri primo imponenda eſt ſpongia ex aceto expreſſa: ſi ſuſtinere aliquis aceti vim non poteſt, vino utendum eſt. Levis plaga juvatur etiam, ſi ex aqua frigida expreſſa ſpon-

contrahunt. Pro *paulum*, Lindenius habet *paulatim*.

86. *id quoque*) Cæſarius, Pantinus, & Lindenius præmittunt *utrum*; quod ego in nullo Ms. inveni.

87. *inibi*) In Codice Medic. I. & in aliis quibuſdam, *ibi hi*. Palavicinus correxit, *inibi*; quæ vulgaris lectio eſt; & ita habetur in Cod. Vatic. VI. & in Medic. IV. in illo quidem poſt Palavicini emendationem; fortaſſe & in hoc.

88. *acia*) Cæſarius margini adſcripſit, *acu*; & Pantinus quoque ſic legendum conjecit. Sed retinendum *acia* cum vetuſtis Codicibus; ut probat Joannes Rhodius in libro, quem ab ipſa inſcripſit, ubi totus hic locus de ſutura & fibula illuſtratur.

89. *inſidat*) Lindenius, *inſideat*.

90. *tranſuit*) Al. *tranſivit*; Egnatius, *tranſit*. Sed Editiones antiquiores, & Codices Medicei I. IV. & VII. *tranſuit*. Quam lectionem & Rhodius probat, & J. F. Gronovius, qui eam exemplis confirmat ex Ovidio & Seneca, in epiſtola ad eumdem Rhodium, quæ addita eſt illius libro, *De acia &c.*

91. *eatenus utilis eſt, qua &c.*) Pro *eatenus*, Lindenius leg. *ea hactenus*; pro *qua*, Conſtantinus mallet, *quatenus*. Nihil mutandum.

92. *tamen*) Editio an. 1538. & Lindeniana, *etiam*.

ſpongia imponitur. Sed ea, quocumque modo impoſita eſt, dum madet, prodeſt: itaque, ut inareſcat, non eſt committendum. Licetque ſine peregrinis, & conquiſitis, & compoſitis medicamentis vulnus curare. Sed ſi quis huic parum confidit, imponere medicamentum debet, quod ſine ſevo compoſitum ſit ex iis, quæ cruentis vulneribus apta eſſe propoſui; maximeque ſi caro eſt, Barbarum, ſi nervi, vel cartilago, vel aliquid ex eminentibus, quales aures, vel labra ſunt, Polybi ſphragidem. Alexandrinum quoque viride nervis idoneum eſt: eminentibuſque partibus ea, quam Græci ῥάπτουσαν [93] vocant. Solet etiam, colliſo corpore, exigua parte findi cutis. Quod ubi incidit, non alienum eſt, ſcalpello latius aperire; niſi muſculi, nervique juxta ſunt, quos incidi non expedit: ubi ſatis diductum eſt, medicamentum imponendum eſt. At ſi id, quod colliſum eſt, quamvis parum diductum eſt, latius tamen aperiri propter nervos aut muſculos non licet, adhibenda ſunt ea, quæ humorem leniter extrahant; præcipueque ex his id, quod ῥυπῶδες vocari propoſui. Non alienum eſt etiam, ubicumque vulnus grave eſt, impoſito quo id juvetur [94], inſuper circumdare lanam ſuccidam ex aceto & oleo; vel cataplaſma, ſi mollis is locus eſt, quod leniter reprimat; ſi nervoſus, aut muſculoſus, quod emolliat.

24. Faſcia vero ad vulnus deligandum lintea [95] aptiſſima eſt; eaque lata eſſe debet, ut ſemel injecta non vulnus tantum, ſed paulum utrimque etiam oras ejus comprehendat [96]. Si ab altera

Mm 2 par-

93. ῥάπτουσαν) Compoſitio hoc nomine ſupra nulla eſt. Itaque vel deeſt, vel hoc membrum, *eminentibuſque partibus ea, quam Græci ῥάπτουσαν vocant*, inſititium eſt. Niſi forte ſignificatur compoſitio illa, quæ deſcribitur ſect. 6. cap. 19. & vel ibi ῥάπτουσαν, vel hic παγιοῦσαν legendum eſt. Conſtantinus, quem Lindenius ſequitur, reponit ῥύπτουσαν; & intelligit paſtillum, quod habetur cap. 20. ſect. 4. *ad ulcera ſordida & nigritiem in auribus &c.* Verum, ut alia argumenta prætermittam, verba præcedentia, *imponere medicamentum debet &c. ex iis, quæ cruentis vulneribus apta eſſe propoſui*, mutationi iſti reſiſtunt. Nam paſtillus ad ulcera ſordida ex hoc genere non eſt.

94. *impoſito quo id juvetur*) Ita ex Cod. Medic. I. Antea legebatur; *impoſitum, quo id juvetur*; ut eſt in aliis Codicibus: ſed profecto mendoſe: quod & Conſtantinus vidit, qui ſic reponendum putavit: *impoſito, quo adjuvetur*.

95. *lintea*) Lindenius leg. *linea*; atque ita alios quoſdam legere, Conſtantinus ſcribit. Vtroque modo legi poteſt, ut omnibus eſt notum. Qui tamen vetuſtis Codicibus ſtandum putant, *lintea* hoc loco retineant; quia ita eſt in Mediceo I. atque in aliis probæ notæ. In aliquibus mendoſe, *lente*. Vide adnotat. 47. lib. 2. cap. 17.

96. *etiam oras ejus comprehendat*) Lindenius duas priores voces omittit, & ſententiam depravat. Idem ſupra, pro *paulum*, habet *paululum*, ut ſæpe alibi.

parte caro magis receſſit, ab ea melius attrahitur: ſi æque ab utraque, tranſverſa [97] comprehendere oras debet; aut ſi id vulneris ratio non patitur, media primum injicienda eſt, ut tum in utramque partem ducatur. Sic autem deliganda eſt, ut & contineat, nec adſtringat: quod non continetur, elabitur; quod nimis adſtrictum eſt, cancro periclitatur. Hieme ſæpius faſcia circuire [98] debet: æſtate, quoties neceſſe eſt. Tum extrema pars ejus inferioribus acu aſſuenda eſt: nam nodus vulnus [99] lædit, niſi tamen longe eſt. Illo neminem decipi decet, ut [1] propriam viſcerum curationem requirat, de quibus ſupra poſui. Nam plaga ipſa curanda extrinſecus, vel futura, vel alio medicinæ genere eſt. In viſceribus nihil movendum eſt; niſi, ſi quid aut [2] ex jocinore, aut liene, aut pulmone dumtaxat extremo dependet, id præcidatur [3]. Alioquin vulnus interius ea victus ratio eaque medicamenta ſanabunt, quæ cuique viſceri convenire ſuperiore libro propoſui.

25. His ita primo die ordinatis, homo in lecto collocandus eſt; iſque ſi grave vulnus eſt, abſtinere, quantum vires patiuntur, ante inflammationem, cibo [4] debet; bibere, donec ſitim finiat, aquam calidam, vel, ſi æſtas eſt, ac neque febris, neque dolor eſt, etiam frigidam. Adeo tamen nihil perpetuum eſt, ſed ſemper pro vi [5] corporis æſtimandum, ut imbecillitas etiam cibum protinus facere neceſſarium poſſit; tenuem ſcilicet, & exiguum, qui tantum ſuſtineat. Multique etiam ex profluvio ſanguinis intermo-

97. *tranſverſa*) Lindenius aliique, ſecuti Edit. an. 1538. habent, *tranſverſe*.

98. *circuire*) *circumire* ſcribitur in Cod. Mediceo I. qui tamen hanc ſcribendi rationem conſtanter non ſervat. Nam alibi habet *circuire*, quemadmodum hoc loco alii.

99. *vulnus*) Al. *ulcus*.

1. *Illo neminem decipi decet, ut &c.*) Hac forma loquendi utitur etiam infra, cap. 28. ſect. 11. hujus libri: *Illo neminem decipi decet, ut cerato utatur*. Pro *Illo*, Lindenius leg. *Porro*; ut malebat Conſtantinus: deinde, *viſcerum curationem requirat*. Sed *viſcerum* refert inter Typographi errata, corrigitque, *viſcera*; quam lectionem Almeloveenius ſecutus eſt. Conſtantinus legit ex conjectura, *requirat ab iis, de quibus &c.* Ego veterem lectionem retineo & probam judico.

2. *niſi, ſi quid aut &c.*) Sic repoſui ex Lindenio, cum in Editionibus antiquis, & in Cod. Mediceo I. ſit; *niſi aut ſi quid*. Codices ceteri Medicei ita habent *niſi: ut ſi quid*; quæ lectio omnino improbanda non eſt.

3. *dependet, id prætidatur*) Alii omittunt *id*. Pro *dependet*, quod ego ex Cod. Medic. I. repoſui, alii leg. *dependeat*.

4. *cibo*) Al. *a cibo*.

5. *vi*) Ita Lindenii Editio, quacum facit Codex Mediceus vetuſtior. Alii habent, *viribus*.

morientes ante ullam curationem vino reficiendi ſunt; quod alioqui inimiciſſimum vulneri eſt.

26. Nimis vero intumeſcere vulnus, periculoſum; nihil intumeſcere, periculoſiſſimum eſt: illud indicium eſt magnæ inflammationis; hoc, emortui corporis. Protinuſque, ſi mens homini conſiſtit, ſi nulla febris acceſſit, ſcire licet, mature vulnus ſanum fore. Ac[6] ne febris quidem terrere debet, ſi in magno vulnere, dum inflammatio eſt, permanet. Illa pernicioſa eſt, quæ vel levi vulneri ſupervenit, vel ultra tempus inflammationis durat, vel delirium movet: vel ſi nervorum rigorem aut diſtentionem, quæ ex vulnere orta eſt, ea non finit[7]. Vomitus quoque bilioſus non voluntarius, vel protinus, ut percuſſus eſt aliquis, vel dum inflammatio manet, malum ſignum eſt in iis dumtaxat, quorum vel nervi, vel etiam nervoſi loci vulnerati ſunt. Sponte tamen vomere, non alienum eſt; præcipue iis, quibus in conſuetudine fuit: ſed neque protinus poſt cibum, neque jam inflammatione orta, neque cum in ſuperioribus partibus plaga eſt.

27. Biduo ſic vulnere habito, tertio die id aperiendum, detergendaque ſanies[8] ex aqua frigida eſt, eademque rurſus injicienda ſunt. Quinto jam die, quanta inflammatio futura eſt, ſe oſtendit. Quo die, rurſus detecto vulnere, conſiderandus color eſt: qui[9] ſi lividus, aut pallidus, aut varius, aut niger eſt, ſcire licet, malum vulnus eſſe; idque, quandocumque animadverſum eſt, terrere nos poteſt. Album, aut rubicundum eſſe ulcus[10], com-

6. *Ac*) Al. *At*; ut mendoſe eſt in Edit. an. 1538.

7. *vel ſi nervorum rigorem aut diſtentionem ..... ea non finit*) Ita ex Hippocrate Sect. 2. Aphor. 26. Sect. 4. Aphor. 57. hunc locum Conſtantinus correxit; quem Lindenius ſecutus eſt. Sed cum veteres Codices ad unum omnes ita habeant: *vel ſi nervorum rigor aut diſtentio, quæ ex vulnere orta eſt, eam non finit*; fortaſſe verba ad hunc modum potius reſtituenda ſunt: *vel ſi nervorum rigor aut diſtentio, quæ ex vulnere orta eſt, ea non finitur*. Nam ſic minori mutatione ſanatur ſententia: quam porro ea confirmant, quæ Celſus ſcripſit in lib. 2. cap. 8. *Denique ipſa febris, quod maxime mirum videri poteſt, ſæpe præſidio eſt. Nam & præcordiorum dolores, ſi ſine inflammatione ſunt, finit; & jocinoris dolori ſuccurrit; & nervorum diſtentionem rigoremque, ſi poſtea cæpit, ex toto tollit*.

8. *aperiendum, detergendaque ſanies*) Cod. Mediceus I. *aperiundum tergendaque ſanies*.

9. *color eſt: qui &c.*) In vulgatis, *color eſt. Quod &c.* Ego repoſui *qui* ex Mſ. modo allato.

10. *ulcus*) *ulcus* pro *vulnere* ſæpe invenitur & apud Celſum & apud alios idoneos Scriptores; ut quidem antiqui libri habent: in quibus tamen interdum variatur. Sic ſupra ſect. 24 *nam nodus vulnus lædit*; in aliis legitur *ulcus*. Hic *ulcus* in omni-bus.

commodiſſimum eſt. Item cutis dura, craſſa, dolens, periculum oſtendit: bona ſigna ſunt, ubi hæc ſine dolore, tenuis, & mollis eſt. Sed ſi glutinatur vulnus, aut leviter intumuit, eadem ſunt imponenda, quæ primo fuerunt: ſi gravis inflammatio eſt, neque glutinandi ſpes eſt, ea quæ pus moveant. Jamque [11] aquæ quoque calidæ neceſſarius uſus eſt [12], ut & [13] materiam digerat, & duritiam emolliat, & pus citet. Ea ſic temperanda eſt, ut manu contingenti jucunda ſit; & uſque [14] eo adhibenda, donec aliquid minuiſſe ex tumore, coloremque [15] ulceri magis naturalem reddidiſſe videatur. Poſt id fomentum [16], ſi late plaga non patet, imponi protinus emplaſtrum debet; maximeque, ſi grande vulnus eſt, tetrapharmacum; ſi in articulis, digitis, locis cartilaginoſis, rhypodes: at ſi latius hiat, illud emplaſtrum liquari ex irino unguento oportet, eoque illita linamenta diſponi per plagam; deinde emplaſtrum ſupra

bus. Lindenius repoſuit *vulnus*; quod libenter retinuiſſem, niſi paulo infra libri omnino omnes haberent *ulceri*; & ſect. 29. *Inflammatione finita, vulnus purgandum eſt* &c. *Tum demum vero purum ulcus eſt &c.*

11. *ea, quæ pus moveant. Jamque &c.*) Ita ex quibuſdam Mſs. quos inter eſt Mediceus I. In aliis legitur: *eaque*, vel *eaque p.* poſt parva lacuna eſt; deinde ſequitur, *aquæ &c.* In Editionibus Stephani, Ruellii, Juntæ, & tribus pervetuſtis ann. 1478. 1493. 1497. ſic habetur: *eaque pus moveant: aquæ*; in Aldina, *ea, quæ pus moveant: aquæ*; in utraque Cæſarii & in Lindeniana, *neque movetur, aquæ*; in Gryphiana, Pantiniana, & aliis nonnullis, *eaque pus moveat, aquæ*. In omnibus igitur vulgatis libris omittitur *Jamque*. In iiſdem verba præcedentia ſic interpunguntur: *quæ primo fuerunt. Si gravis inflammatio eſt &c.* Senſus eſt: ſi vulnus glutinatur, eadem glutinantia rurſus imponenda ſunt; ſi glutinandi ſpes non eſt, imponenda ſunt, quæ pus moveant.

12. *aquæ quoque calidæ neceſſarius uſus eſt*) In multis Mſs. *aqua quoque calida neceſſaria eſt*. Sic ſect. 30. hujus cap. *Jamque calida aqua eatenus neceſſaria eſt &c.* Mediceus tamen vetuſtior & quidam ex Vaticanis conſentiunt cum libris vulgatis; quos ego ſecutus ſum.

13. *&*) Et in Cod. Medic. I. & in Vaticano VI. & in Editione Lindenii omittitur hæc particula. Attamen retinenda videtur ex aliorum Codicum fide.

14. *ut manu contingenti jucunda ſit; & uſque &c.*) Cum antea legeretur, *ut & manu contingenti jucunda ſit; uſque &c.* Lindenius particulam *&* tranſtulit poſt *ſit*: nec aliter legendum.

15. *coloremque*) Lindenius leg. *caloremque*. Multi ſane Codices ita habent; ſed depravati ſunt. Mediceus quoque primus corruptus eſt, ſic tamen, ut quæ vera lectio ſit, oſtendat: nam habet, *coleremque*.

16. *Poſt id fomentum &c.*) Ita legitur hic locus in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ; nec aliter legi poteſt. Editiones antiquæ & Mediceus I. aliique quidam Mſs. Codices ita habent: *maximeque ſi grande vulnus eſt tetrapharmacum: ſi in articulis, digitis, locis cartilaginoſis rypodes. poſt id fomentum ſi lata plaga non patet imponi protinus emplaſtrum debet. Et ſi latius hiat &c.* Fortaſſe legendum; *debet: ſi latius hiat*; ſublata particula *&*, quæ videtur geminatio ſyllabæ præcedentis. Plures alii Codices: *maximeque ſi grande vulnus eſt tetropharmacum: ſi in articulis, digitis, locis cartilaginoſis rypodes. poſt id fomentum ſi lata plaga non patet imponi protinus emplaſtrum. Si patet liquari ex hyrino unguento oportet &c.*

pra dari, & ſuper id ſuccidam lanam; minuſque etiam, quam primo, faſciæ adſtringendæ ſunt.

28. Proprie [17] quædam in articulis viſenda ſunt. In quibus ſi præciſi nervi ſunt, qui continebant, debilitas ejus partis ſequitur. Si id dubium eſt, & ex acuto telo plaga eſt, ea tranſverſa [18] commodior eſt: ſi ex retuſo & gravi [19], nullum in figura diſcrimen eſt; ſed videndum [20] eſt; pus ſupra articulum, an infra naſcatur. Si ſub eo naſcitur, albumque & craſſum diu fertur, nervum præciſum eſſe credibile eſt; magiſque, quo [21] majores dolores inflammationeſque, & quo maturius excitatæ ſunt. Quamvis autem non abſciſſus nervus eſt; tamen, ſi circa tumor durus diu permanet, neceſſe eſt, & diuturnum ulcus eſſe, &, ſano [22] quoque eo, tumorem permanere: futurumque eſt, ut tarde membrum id vel extendatur, vel contrahatur. Major tamen in extendendo mora eſt, ubi recurvato articulo curatio adhibita eſt; quam in recurvando eo, quod rectum continuerimus. Collocari quoque membrum, quod ictum eſt, ratione certa debet: ſi glutinandum eſt, ut ſuperius ſit; ſi in inflammatione eſt, ut in neutram partem inclinatum ſit; ſi jam pus profluit, ut devexum ſit. Optimum etiam medicamentum, quies eſt: moveri, & ambulare, niſi ſanis, alienum eſt. Minus tamen iis periculoſum [23], qui in capite vel brachiis, quam qui in inferioribus partibus vulnerati ſunt. Minimeque ambulatio convenit, femine, aut crure, aut pede laborante. Locus, in quo cubabit [24], tepidus eſſe debebit. Balneum quoque, dum parum vulnus

17. *Proprie*) Aldina Editio, *Propriæ*; Lindeniana, *Sed propria*.

18. *ea tranſverſa*) Lindenius præmittit *&*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ, &, excepto primo, in Mſs. Mediceis: ſed perperam.

19. *ſi ex retuſo & gravi*) Al. *ſi retuſo & gravi eſt*; Lindenius, *ſi ex retuſo & gravi eſt*. Ego præpoſitionem *ex* retinui, quamvis in Mſs. Codicibus non invenerim: verbum autem *eſt* excluſi ex fide Medic. I.

20. *ſed videndum*) Ita ex Codice Mediceo I. Lindenius leg. *at videndum*; al. *at viſendum*.

21. *magiſque, quo*) Al. *magis quoque*. Sed recte Conſtantinus & Lindenius, *magiſque, quo*; Codice Medic. I. comprobante. Infra vero non is modo Codex, ſed & alii confirmant Conſtantini, & Lindenii lectionem, *& quo maturius*; ubi alii Editores omittunt *&*.

22. *ſano*) Lindenius leg. *ſanato*.

23. *iis periculoſum*) Alii leg. *his* (vel *iis*) *eſt periculoſum*; Lindenius, *periculoſum his eſt*. Ego omiſi verbum *eſt*, ſecutus auctoritatem Codicis Medicei I.

24. *cubabit*) Lindenius leg. *cubat*; deinde, *debet*.

nus purum eſt, inter res infeſtiſſimas eſt: nam id & humidum [25] & ſordidum reddit: ex quibus ad cancrum tranſitus eſſe conſuevit. Levis [26] frictio recte adhibetur; ſed iis partibus, quæ longius [27] abſunt a vulnere.

29. Inflammatione finita, vulnus purgandum eſt. Id optime faciunt tincta in melle linamenta; ſupraque idem emplaſtrum, vel enneapharmacum [28] dandum eſt. Tum demum vero purum ulcus eſt, cum rubet, ac nimium neque ſiccum, neque humidum eſt. At quodcumque ſenſu caret, quod non naturaliter ſentit, quod nimium aut aridum aut humidum eſt, quod aut albidum, aut pallidum [29], aut lividum, aut nigrum eſt, id purum non eſt.

30. Purgato [30], ſequitur ut impleatur. Jamque calida aqua eatenus neceſſaria eſt, ut ſanies removeatur. Lanæ ſuccidæ ſupervacuus uſus eſt: lota melius circumdatur. Ad implendum autem vulnus proficiunt quidem etiam medicamenta aliqua: itaque ea adhiberi non alienum eſt; ut butyrum cum roſa, & exigua mellis parte [31]; aut cum eadem roſa tetrapharmacum; aut ex roſa linamenta. Plus tamen proficit balneum rarum, cibi boni ſucci, vitatis omnibus acribus; ſed jam pleniores. Nam & avis [32], & ve-

25. *humidum*) Ita legitur in pleriſque libris, tum excuſis, tum manuſcriptis: & quidem rectius, ut mihi videtur, quam *tumidum*, ut eſt in Codice Medic. I. & in Edit. Lindenii. Nam ſect. 34. hujus capitis in curatione gangrenæ ita habetur: *Balneum niſi jam certa fiducia redditæ ſanitatis eſt, alienum eſt: ſiquidem emollitum in eo vulnus cito rurſus eodem malo afficitur.*

26. *Levis*) Conſtantin. & Linden. *Lenis*.

27. *longius*) Linden. *longe*.

28. *ſupraque idem emplaſtrum, vel enneapharmacum*) ſuperque linamenta idem emplaſtrum dandum eſt, quod ſupra poſitum eſt, vel enneapharmacum. Sic repoſui ex Mſs. Vulgo, pro *idem*, legitur *id*. Itaque Lindenius locum ita interpolavit ex Conſtantini conjectura: *ſupraque id emplaſtrum vel τετραφάρμακον vel ἐννεαφάρμακον*.

29. *aut albidum, aut pallidum*) Alii translatis vocibus legunt: *aut pallidum, aut albidum*; ut habent Codices Medicei omnes, præter primum. Lindenius omittit *aut pallidum*, vel quod in aliquo Codice non invenerit, vel quod redundare exiſtimaverit, credideritque *albidum* idem ſignificare. Diſcrimen tamen aliquod inter albidum & pallidum Celſus ſtatuit etiam in lib. 2. cap. 4. *ſi, quod deſcendit, eſt perliquidum, aut albidum, aut pallidum, aut ſpumans*.

30. *Purgato*) Lindenius addit, *vulnere*; ſed non eſt neceſſe.

31. *mellis parte*) In omnibus libris impreſſis additur; *aut cum eadem parte*; in Edit. Lindenii, *aut cum eadem parte mellis*. Id ego ſuſtuli ex fide Codicum Mſs.

32. *ſed jam pleniores. Nam & avis &c.*) Totus hic locus in Editionibus antiquis ita legitur: *Plus tamen proficit balneum rarum. Cibi boni ſucci, vitatis omnibus acribus, ſed jam plenioribus. Nam & avis &c.* In Editione Lindenii: *Plus tamen proficit balneum rarum. Cibi boni ſucci, vitatis omnibus acribus. Sed jam plenioribus, avis &c.* Conſtantinus margini adſcripſit; *ſed etiam pleniores*; & ita habent Codices Medicei, excepto primo,

venatio, & ſuilla elixa dari poteſt. Vinum omnibus, dum febris, dum inflammatio eſt, alienum eſt: itemque uſque ad cicatricem, ſi nervi, muſculive vulnerati ſunt; etiam, ſi alte caro. At [33] ſi plaga in ſumma cute, generis tutioris eſt, poteſt non pervetus, modice tamen datum, ad implendum quoque proficere. Si quid molliendum eſt, quod in nervoſis locis, muſculoſiſque neceſſarium eſt, cerato quoque ſuper vulnus utendum eſt. At ſi caro ſupercrevit, modice reprimit ſiccum linamentum; vehementius ſquama æris. Si plus eſt, quod tolli opus eſt, adhibenda ſunt etiamnum vehementiora, quæ corpus exedunt [34]. Cicatricem, poſt omnia hæc, commode inducit lycium ex paſſo aut lacte dilutum; vel etiam per ſe impoſitum ſiccum linamentum [35].

31. Hic ordo felicis curationis eſt: ſed quædam tamen pericula [36] incidere conſuerunt. Interdum enim vetuſtas ulcus occupat, induciturque ei callus, & circum oræ craſſæ livent: poſt quæ, quidquid medicamentorum ingeritur, parum proficit: quod fere negligenter curato ulceri ſupervenit. Interdum [37] vel ex nimia inflammatione, vel ob æſtus immodicos, vel ob nimia frigora, vel quia nimis vulnus adſtrictum eſt, vel quia corpus ſenile, aut mali habitus eſt, cancer occupat. Id genus a Græcis diductum in ſpecies eſt; noſtris vocabulis non eſt. Omnis autem cancer non ſolum id corrumpit, quod occupavit; ſed etiam ſerpit: deinde aliis aliiſque ſignis diſcernitur. Nam modo ſuper inflammationem rubor ulcus ambit, iſque cum dolore procedit; ἐρυσιπέλας Græci nominant. Modo ulcus nigrum eſt, quia caro e-

N n jus

mo, in quo eſt: *ſed iam plenioribus*. Ego repoſui, *ſed jam pleniores*. Cum cibus adhuc exiguus datus ſit, nunc ad vulnus implendum plenior eſt dandus.

33. *At*) Al. *aut*. Conſtantinus in libri margine, & Lindenius *At*, Cod. Mediceo I. ſuffragante.

34. *exedunt*) Alii cum Cæſario leg. *exedant*.

35. *linamentum*) Lindenius addit, *vehementius*; quod adverbium & in Medic. I. & in aliis quibuſdam Mſs. invenitur. Deceptus librarius videtur a ſuperioribus verbis, *modice reprimit ſiccum linamentum; vehementius ſquama æris*.

36. *quædam tamen pericula &c.*) Vulgo legitur, *periculoſa*, ut habet Codex Medic. I. Ego repoſui *pericula*, ex aliis Codicibus. Ita ſect. proxima: *Ac pericula quidem vulnerum hæc ſunt*. Et lib. 7. cap. 26. ſect. 5. *ſi felix curatio non fuit, varia pericula oriuntur*.

37. *negligenter curato ulceri ſupervenit. Interdum &c.*) Pleraque ex his verbis deſunt in Cod. Medic. I. in quo ita legitur: *negligenter dum vel ex nimia inflammatione, vel ob nimia frigora &c.* Medicei reliqui ſex, pro *æſtus*, ut recte legitur in libris impreſſis, habent *actus*.

jus corrupta eſt: idque vehementius etiam putreſcendo intenditur [38], ubi vulnus humidum eſt, & ex nigro ulcere humor pallidus fertur, malique odoris eſt; carunculæque corruptæ, interdum etiam nervi ac membranæ reſolvuntur; ſpecillumque demiſſum deſcendit aut in latus, aut deorſum: eoque vitio nonnumquam os quoque [39] afficitur. Modo oritur ea, quam Græci γάγγραιναν appellant. Priora in qualibet parte corporis fiunt: hoc [40] in prominentibus membris, id eſt inter ungues, & alas, vel inguina; fereque in ſenibus, vel in iis, quorum corpus mali habitus eſt. Caro in ulcere [41] vel nigra, vel livida eſt, ſed ſicca & arida; proximaque cutis plerumque ſubnigris puſtulis impletur: deinde ei proxima, vel pallida, vel livida, fereque rugoſa [42] & ſine ſenſu eſt; ulterior in inflammatione eſt: omniaque ea ſimul ſerpunt: ulcus, in locum puſtuloſum; puſtulæ, in eum, qui pallet aut livet; pallor aut livor, in id, quod inflammatum eſt; inflammatio, in id, quod integrum eſt, tranſit. Inter hæc deinde febris acuta oritur, ingenſque ſitis: quibuſdam etiam delirium accedit [43]: alii, quamvis mentis ſuæ compotes ſunt, balbutiendo tamen [44] vix ſenſus ſuos explicant: incipit affici ſtomachus: fit fœdi ſpiritus ipſe odoris. Atque initium quidem ejus mali recipit curationem: ubi vero penitus inſedit, inſanabile eſt; plurimique ſub frigido ſudore moriuntur.

32. Ac pericula quidem vulnerum hæc ſunt. Vetus autem ulcus

38. *idque vehementius etiam putreſcendo intenditur &c.*) Lindenius & aliter interpungit, & aliter legit: *corrupta eſt, idque vehementius; etiam in putreſcendo intenditur, ubi vulnus humidum eſt, & ex nigro ulcere humor pallidus fertur, malique odoris eſt, & caro intus corrupta: interdum etiam nervi &c.* Quod ad interpunctionem attinet, alii quoque variant: omnes tamen habent, non *in putreſcendo*, ſed *putreſcendo*; neque *& caro intus corrupta*, ſed *carunculæque* (al. ex Edit. an. 1493. *carunculæ*) *corruptæ*. Vide Morgagn. Epiſt. VII. in Celſum.

39. *os quoque*) Lindenius omittit *quoque*.

40. *hoc*) Omnes Mſs. Codices habent, *hoc*: ſed ſupra, al. *Priores*; Mediceus I. *Priora*. In Editionibus priſcis legitur, *Priores*, & *hoc*. Alii cum Cæſario reponunt, *hæc*; etiam Lindenius, ſed habet *Priora*, non *Priores*.

41. *in ulcere*) Lindenius leg. *illi ulceri*.

42. *rugoſa*) Idem, *æruginoſa*; deinde, *deterior* pro *ulterior*: ſed minus bene; ut a Morgagno animadverſum eſt.

43. *accedit*) Abeſt hoc verbum a Cod. Medic. I. & fortaſſe recte. Nam hoc inciſum regi poteſt a verbo *oritur*, quod præcedit.

44. *balbutiendo tamen*) *tamen* deeſt in Edit. Lindenii.

cus ſcalpello concidendum [45] eſt, excidendæque ejus oræ, & quidquid ſuper eas livet æque incidendum. Si varicula intus eſt, quæ id ſanari prohibet, ea quoque excidenda. Deinde, ubi ſanguis emiſſus, novatumque vulnus eſt, eadem curatio adhibenda, quæ in recentibus vulneribus expoſita eſt. Si ſcalpello aliquis uti non vult, poteſt ſanare id emplaſtrum, quod ex ladano fit: &, cum ulcus ſub eo exeſum eſt, id, quo cicatrix inducitur.

33. Id autem, quod ἐρυσίπελας vocari dixi, non ſolum vulneri ſupervenire, ſed ſine hoc quoque oriri conſuevit: atque interdum periculum majus [46] affert; utique, ſi circa cervices aut caput conſtitit. Oportet, ſi vires patiuntur, ſanguinem mittere; deinde imponere ſimul reprimentia & refrigerantia; maximeque ceruſſam ſolani ſucco, aut Cimoliam cretam aqua pluviali exceptam, aut ex eadem aqua ſubactam farinam [47], cupreſſo adjecta, aut, ſi tenerius corpus eſt, lenticula [48]. Quidquid impoſitum eſt, betæ folio contegendum eſt, & ſuper linteolum frigida aqua madens imponendum. Si per ſe refrigerantia parum prodeerunt, miſcenda erunt hoc modo: ſulphuris p. ж. I. [49] ceruſſæ & croci [50], ſingulorum p. ж. XII. S. [51], eaque cum vino conterenda ſunt [52], & id his illinendum: aut, ſi durior locus eſt, ſolani folia contrita ſuillæ adipi miſcenda ſunt, & illita [53] linteolo ſuperinjicienda.

45. *concidendum*) Alii cum Cæſario leg. *incidendum*; Lindenius, *circumcidendum*. In Edit. Aldina mendoſe eſt, *conjiciendum*, pro *concidendum*, ut Editiones vetuſtiores & omnes Medicei Codices habent.

46. *periculum majus*) Lindenius *magnum* legit, pro *majus*; deinde, *cervicem*, ut habet in margine Conſtantini Editio, pro *cervices*.

47. *farinam*) Conſtantinus habet, *hordei farinam*.

48. *lenticula*) Ita Lindenius edidit ex Conſtantini emendatione. Hi hanc vocem referunt ad *adjecta*; & quidem rectius, ut ego puto. Attamen Mſs. Codices habent, *lenticulam*; neque, qui ſic legunt, omni ratione carent.

49. *p. ж. I.*) Olim legebatur, *p. ж.* ut habet Codex Mediceus I. & cum Cæſariana an. 1528. etiam Ruellii Editio. In ceteris Codicibus Mediceis habetur, *p. ж. I.* quemadmodum alii ediderunt, Egnatium ſecuti: ſed numeri nota, *I.* deletur in IV.

50. *& croci*) Lindenius omittit *&*.

51. *p. ж. XII. S.*) Ita in Mſs. Mediceis, primo excepto. Fortaſſe legendum, *p. ж. II. S.* In IV. hic quoque deletur *II. S.* quod in I. ſit *p. ж. X.* quemadmodum & priſcæ Editiones habent, & Lindeniana. In Aldina eſt, *p. ж. XII.* Cæſarius & alii leg. *p. ж. XX.*

52. *conterenda ſunt*) Fortaſſe tollendum verbum *ſunt*; ut *conterenda* & *illinendum* pendeant ab *erunt*, quod ſupra eſt.

53. *illita*) Lindenius leg. *illinita*.

At ſi nigrities eſt, nequedum [54] ſerpit, imponenda ſunt, quæ carnem putrem lenius exedunt: repurgatumque ulcus, ſic, ut cetera, nutriendum eſt. Si magis putre eſt, jamque procedit ac ſerpit [55], opus eſt vehementius erodentibus. Si ne hæc quidem evincunt, aduri locus debet, donec ex eo nullus humor feratur: nam quod ſanum eſt, ſiccum eſt, cum aduritur. Poſt uſtionem putris ulceris, ſuperponenda ſunt, quæ cruſtas a vivo reſolvant; eas ἐσχάρας Græci nominant [56]. Vbi eæ [57] exciderunt, purgandum ulcus, maxime melle & reſina eſt: ſed aliis [58] quoque purgari poteſt, quibus purulenta curantur, eodemque modo ad ſanitatem perducendum eſt.

34. Gangrænam vero, ſi nondum plane tenet, ſed adhuc incipit, curare non difficillimum eſt; utique in corpore juvenili: & magis etiam, ſi muſculi integri ſunt; ſi nervi vel læſi non ſunt, vel leviter affecti ſunt; neque ullus magnus articulus nudatus eſt; aut carnis in eo loco paulum eſt, ideoque non multum, quod putreſceret, fuit; conſiſtitque eo loco [59] vitium; quod maxime fieri in digito poteſt. In ejuſmodi caſu primum eſt, ſi vires patiuntur, ſanguinem mittere: deinde, quidquid aridum eſt, & intentione quadam proximum quoque locum male habet, uſque ſanum corpus [60] concidere. Medicamenta vero, dum malum ſerpit, adhibenda nulla ſunt, quæ pus movere conſuerunt; ideoque ne aqua quidem calida. Gravia quoque, quamvis reprimentia, aliena ſunt; ſed his quam leviſſimis opus eſt: ſuperque ea, quæ in-

54. *nequedum*) Idem leg. *quæ nequedum*. Sed vetus lectio retineri poteſt. Nam *nequedum* idem eſt atque *& nondum*: & ſic adhibetur lib. 7. cap. 29. *Pertinet etiam ad rem, quam calidiſſimum eſſe imum ventrem, & extrema corporis: nequedum inflammationem cæpiſſe; ſed recenti re protinus adhiberi medicinam*. Et a Cicerone lib. 14. ad Attic. Epiſt. 10. *ille autem quid agat, ſi ſcis, nequedum Roma es profectus, ſcribas ad me velim*.

55. *ac ſerpit*) Hæc duo verba Cod. Medic. I. non habet.

56. *eas ἐσχάρας Græci nominant*) Hæc verba videntur huc ex margine irrepſiſſe. Nam Celſus has cruſtas alibi jam nominavit (cap. 9. & 10. hujus libri); ut nunc explanatio iſta præter rem addatur. Conſtantinus, pro *eas ἐσχάρας*, legendum putat, ἐσχαρωτικὰ: ſed fallitur. Non enim quæ cruſtas a vivo reſolvunt, ſed quæ cruſtas ulceribus inducunt, ἐσχαρωτικὰ nominantur. Igitur Lindenius leg. ἀπεσχαρωτικὰ; ſed invitis Mſs.

57. *Vbi eæ*) Sic repoſui ex Codice Mediceo I. Alii non habent, *eæ*.

58. *ſed aliis*) Lindenius leg. *ſed iis*.

59. *eo loco*) Idem leg. *uno loco*.

60. *uſque ſanum corpus*) Ita habetur in Mſs. Mediceis omnibus, præter primum, in quo, *uſque eo ſanum corpus*; ut olim legebatur. Cæſarius & alii, pro *eo*, repoſuerunt *ad*.

inflammata ſunt, utendum eſt refrigerantibus. Si nihilo magis malum conſtitit, uri id, quod eſt inter integrum ac vitiatum locum, debet. Præcipueque in hoc caſu petendum, non a medicamentis ſolum, ſed etiam a victus ratione præſidium eſt: neque enim id malum, niſi corrupti vitioſique corporis eſt. Ergo primo, niſi imbecillitas prohibet, abſtinentia utendum: deinde danda, quæ per cibum potionemque [61] alvum, ideoque etiam corpus adſtringant; ſed ea levia. Poſtea, ſi vitium conſtitit, imponi ſuper vulnus eadem debent, quæ in putri ulcere præſcripta ſunt. Ac tum quoque plenioribus [62] cibis uti licebit ex media materia; ſed tamen [63] non niſi alvum, corpuſque ſiccantibus: aqua vero pluviali frigida. Balneum, niſi jam certa fiducia redditæ ſanitatis eſt, alienum eſt: ſiquidem emollitum in eo vulnus [64] cito rurſus eodem malo afficitur. Solent vero nonnumquam nihil omnia auxilia proficere, ac nihilominus ſerpere is cancer [65]: inter quæ miſerum, ſed unicum auxilium eſt, ut cetera pars corporis tuta ſit, membrum, quod paulatim emoritur, abſcindere.

35. Hæ graviſſimorum vulnerum curationes ſunt. Sed ne illa quidem negligenda, ubi integra cute [66] interior pars colliſa eſt; aut

61. *per cibum potionemque*) Hæc fortaſſe margini addita fuerant ad explicationem vocis præcedentis, *danda;* unde in orationis contextum immigrarunt. Verbum *dare* hac ratione alibi uſurpatur. Lib. *6*. cap. *6*. ſect. 1. *dari debet id, quod leviſſimum videri poteſt ex iis, quæ pituitam faciunt craſſiorem.* Si hæc verba extrudenda non ſunt; at certe ante relativum *quæ* ſunt collocanda, & legendum: *danda per cibum potionemque, quæ alvum &c.*

62. *tum quoque plenioribus*) Fortaſſe, *tum plenioribus quoque*. In Codice Mediceo I. ante *plenioribus* vocula aliqua erat; qua deleta, Palavicinus repoſuit, *ut*; itaque legitur: *tum quoque ut plenioribus*.

63. *ſed tamen*) Ita ex Conſtantino & Lindenio. Alii leg. *ſic tamen*; ut eſt in Mſs. In Medic. I. *tamen* a Palavicino mutatum fuit in *tantum*.

64. *vulnus*) Lindenius leg. *ulcus*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

65. *is cancer*) Secutus ſum Conſtantini conjecturam; quia nulla fere vis adhibetur veteribus libris. Habent enim, *his cancer:* & frequenter, ut alias dixi, *his* pro *is* in iiſdem reperitur. *his* certe ferendum non eſt. Lindenius leg. *ſub his cancer;* quod valde placet: nam hic modus Celſo familiaris eſt. Cap. 28. hujus libri ſect. 1. *Sequitur enim ſub medicamentis erodentibus cruſta, undique a viva carne diducta, quæ trahit ſecum quidquid corruptum erat;* & ſect. 3. *imponenda, quæ reprimant, cataplaſmata. Si ſub his nihil proficitur, ferro locus aduri debet;* & lib. *6*. cap. 19. *Sub quo medicamento vitioſi ungues cadunt;* & lib. 7. cap. 27. *Sub quibus perveniri ad ſanitatem poteſt.*

66. *integra cute*) Lindenius omiſit has duas voces, quæ, ut Morgagnus oſtendit, ſine totius ſententiæ depravatione omitti nequeunt.

aut ubi deraſum, attritumve [67] aliquid eſt; aut ubi ſurculus corpori infixus eſt; aut ubi tenue, ſed altum vulnus inſedit. In primo caſu commodiſſimum eſt malicorium ex vino coquere, interioremque ejus partem conterere, & cerato miſcere ex roſa facto, idque ſuperponere: deinde, ubi cutis ipſa exaſperata eſt, inducere lene medicamentum, qualis [68] lipara eſt. Deraſo vero, detritoque, imponendum eſt emplaſtrum tetrapharmacum, minuenduſque cibus, & vinum ſubtrahendum. Neque id, quia non habebit altiores ictus, contemnendum erit: ſiquidem ex ejuſmodi caſibus ſæpe cancri fiunt. Quod ſi levius id erit, & in parte exigua, contenti eſſe poterimus eodem leni medicamento. Surculum vero, ſi fieri poteſt, oportet vel manu, vel etiam ferramento ejicere [69]. Si vel præfractus eſt, vel altius deſcendit, quam ut id ita fieri poſſit [70], medicamento evocandus eſt. Optime autem educit ſuperimpoſita arundinis radix, ſi tenera eſt, protinus contrita, ſi jam durior, ante in mulſo decocta; cui ſemper mel adjiciendum eſt: aut ariſtolochia cum eodem melle. Peſſima ex ſurculis, arundo eſt; quia aſpera eſt: eademque offenſa etiam in filice eſt [71]. Sed uſu cognitum eſt, utramque adverſus alteram medicamentum eſſe, ſi contrita ac ſuperimpoſita [72] eſt. Facit autem idem in omnibus ſurculis, quodcumque medicamentum extrahendi vim ha-

67. *attritumve*) Cum infra ſit *detritoque*, Lindenio *detritumve* pro *attritumve* reponenti fortaſſe accederem, niſi & veterem lectionem Mſs. confirmarent, & hac voce Plinius quoque uſus eſſet in lib. 23. cap. 4. *Attrita ſanat* oleum myrteum; lib. 30. cap. 28. *Attritis medetur cinis muris ſilvatici cum melle*. Hæc verba, *aut ubi deraſum, attritumve aliquid eſt*, deſunt in Cod. Medic. I.

68. *qualis*) Al. *quale*; ut eſt in Cod. Medic. I. Lindenius repoſuit, *qualis*; Codicibus Mediceis reliquis ſuffragantibus. Idem Lindenius cum aliis multis λιπαρὰ græcis litteris ſcribit: ſed non eſt neceſſe. In Codicibus Mediceis quidem latinis ſcribitur. De hoc medicamenti genere dixit cap. 19. ſect. 25. hujus libri.

69. *ejicere*) Lib. 7. cap. 5. *Tela quoque, quæ illata corporibus intus hæſerunt, magno negotio ſæpe ejiciuntur*. Lindenius leg. *educere*.

70. *quam ut id ita fieri poſſit*) Ita in Mſs. Mediceis & in Editionibus antiquioribus. Egnatius & Cæſarius *id* expulerunt: quos ceteri Editores ſecuti ſunt. Sed Celſus eodem modo loquitur capite proximo ſect. 2. *Idque cum ita per triduum factum eſt &c.* Conſtantinus, *velli*, ſcriptum reperit in quodam Codice. Ego tamen, *fieri*, in omnibus inveni.

71. *etiam in filice eſt*) Codices Medicei, excepto primo, habent, *in filicis haſtula eſt*, omiſſa particula *etiam*. Aldina Edit. *etiam in filicis haſtula eſt*; quam lectionem Caſaubonus magis probat. Mihi orta videtur ex interpretatione. Certe, ſi arundinem Celſus dixit, pro ejus ſurculo, etiam filicem eodem modo dicere potuit. Conſtantinus margini adſcripſit, *filicis aſſula*.

72. *contrita ac ſuperimpoſita*) Particulam *ac* Lindenius reſtituit. In Cod. Mediceo I. pro *ac* eſt *hac*. Alii leg. *contrita ſuperimpoſita*.

habet. Idem altis tenuibuſque vulneribus aptiſſimum eſt. Priori rei Philocratis; huic Hecatæi emplaſtrum maxime convenit.

36. Vbi vero in quolibet vulnere ventum ad inducendam [73] cicatricem eſt; (quod perpurgatis jam, repletiſque ulceribus neceſſarium eſt); primum ex aqua frigida linamentum, dum caro alitur; deinde, cum jam continenda eſt, ſiccum imponendum eſt [74], donec cicatrix inducatur: tum deligari ſuper album plumbum oportet, quo & reprimitur cicatrix, & colorem maxime ſano corpori ſimilem accipit. Idem radix ſilveſtris cucumeris præſtat: idem compoſitio, quæ habet elaterii p. ӿ. I. ſpumæ argenti p. ӿ. II. unguenti [75] p. ӿ. IV. quæ excipiuntur reſina terebinthina, donec emplaſtri craſſitudo ex omnibus fiat. At [76] nigras quoque cicatrices leniter purgant, paribus portionibus miſta, ærugo & plumbum [77] elotum, eademque reſina coacta [78]; ſive ungitur [79] cicatrix, quod in facie fieri poteſt; ſive id ut emplaſtrum imponitur, quod in aliis partibus commodius eſt. At ſi vel excrevit cicatrix, vel concava eſt, ſtultum eſt, decoris cauſa, rurſus & dolorem & medicinam ſuſtinere: alioquin res utrique [80] ſuccurri patitur. Siquidem utraque cicatrix exulcerari ſcalpello poteſt: ſi medicamentum aliquis mavult, idem efficiunt compoſitiones eæ, quæ corpus exedunt. Cute exulcerata, ſuper eminentem carnem exedentia medicamenta conjicienda ſunt; ſuper concavam, implentia; donec utrumque ulcus ſanæ cuti æquetur: & tum cicatrix inducatur.

XXVII. 1. Dixi de iis vulneribus, quæ maxime per tela inferuntur: ſequitur, ut de iis dicam, quæ morſu fiunt, interdum ho-

73. *inducendam*) Alii *inducendum*. Codex tamen Medic. I. iis favet, qui leg. *inducendam*.

74. *ſiccum imponendum eſt*) Hæc verba deſunt in Cod. Mediceo I.

75. *unguenti*) Quidam, ut ſcribit Conſtantinus, legendum putant, *unguenti ſuſini*, de quo Dioſcorides lib. 1. cap. 62. Ipſe Conſtantinus margini adſcripſit, *glandis unguentariæ*; atque ita edidit Lindenius. In omnibus tamen Mſs. habetur, *unguenti*. Vid. lib. 4. cap. 9. animad. 87.

76. *At*) Al. *Ac*.

77. *ærugo & plumbum*) Particula & non habetur niſi in Editione Lindenii.

78. *eademque reſina coacta*) Pro *roſa cocta*, ut communiter legebatur, Lindenius repoſuit, *reſina coacta*; cui ego magis accedo. In Codice Mediceo I. ſcriptum eſt, *eademque roſa cocta*; correctumque, *coacta*. In Codicibus aliis, *eadem roſa cocta*. Almeloveenius *reſina* quidem habet cum Lindenio, ſed legit, *cocta*, non *coacta*.

79. *ſive ungitur*) Lindenius interjicit *eo*; quod pronomen ego in Mſs. non inveni; neque neceſſarium puto.

80. *utrique*) Cod. Mediceus I. *utriſque*.

hominis, interdum ſimiæ, ſæpe canis, nonnumquam ferorum animalium [81], aut ſerpentium. Omnis autem fere morſus habet [82] quoddam virus. Itaque ſi vehemens vulnus eſt, cucurbitula admovenda eſt: ſi levius, protinus emplaſtrum injiciendum, præcipueque Diogenis; ſi id non eſt, quodlibet ex iis, quæ adverſus morſus propoſui; ſi ea non ſunt, viride Alexandrinum; ſi ne id quidem eſt, quodlibet non pingue ex iis, quæ recentibus vulneribus accommodantur. Sal quoque his, præcipueque ei, quod canis fecit, medicamentum eſt, ſi manus [83] vulneri imponitur, ſuperque id duobus digitis verberatur: exſaniat enim. Ac ſalſamentum quoque recte ſuper id vulnus deligatur.

2. Vtique autem, ſi rabioſus canis fuit, cucurbitula virus ejus extrahendum eſt. Deinde, ſi locus neque nervoſus, neque muſculoſus eſt, vulnus id adurendum eſt: ſi uri non poteſt, ſanguinem homini mitti non alienum eſt. Tum uſto quidem vulneri ſuperimponenda, quæ ceteris uſtis ſunt: ei vero, quod expertum ignem non eſt, ea medicamenta, quæ vehementer exedunt. Poſt quæ nullo novo magiſterio, ſed jam ſupra poſito ulcus erit implendum, & ad ſanitatem perducendum. Quidam poſt rabioſi canis morſum protinus in balneum mittunt; ibique [84] patiuntur deſudare, dum vires corporis ſinunt, vulnere adaperto, quo magis ex eo quoque virus deſtillet: deinde multo meracoque vino excipiunt [85], quod omnibus venenis contrarium eſt. Idque cum ita per triduum factum eſt, tutus eſſe homo a periculo videtur. Solet autem ex eo vulnere, ubi parum occurſum eſt, aquæ timor [86] naſci:

81. *ferorum animalium*) Lindenius leg. *ferarum, aut aliorum animalium*.

82. *Omnis autem fere morſus habet &c.*) Alii leg. *feræ* cum Cæſario; & ita eſt in Codicibus Mediceis I. II. & VII. Sed legendum, *fere*, ut Morgagnus animadvertit. Lindenii Editio habet, *Omnis autem feræ morſus habent &c.*

83. *ſi manus*) Codices Medicei omnes, præter primum, habent, *ſin manus*. Nonnulli apud Conſtantinum contendunt, vocem *manus* transferendam eſſe poſt *digitis*. Mihi, ſive ita fiat, ſive pro *manus* legatur *manu*, hæc vox videtur aliena. Lindenius leg. *ſi aridus*.

84. *ibique*) Lindenius leg. *eumque ibi*; & poſtea, *aperto*, & *putatur*, pro *adaperto*, & *videtur*.

85. *excipiunt*) Cod. Medic. I. *accipiunt*.

86. *timor*) In Cod. Medic. I. *tum timor*; ſcilicet ex varianti lectione. Nam *tum* videtur ſupra tres primas litteras vocis *timor* poſitum fuiſſe ab aliquo, qui in alio Codice invenerat *tumor*, ut eſt in Mediceis III. IV. V. VI. & in Editione I. & duabus pervetuſtis ann. 1493. 1497. & Juntina.

ſci: ὑδροφοβίαν [87] Græci appellant. Miſerrimum genus morbi; in quo ſimul æger & ſiti & aquæ metu cruciatur: quo oppreſſis in anguſto ſpes eſt. Sed unicum tamen remedium eſt, nec opinantem in piſcinam non ante ei proviſam projicere, &, ſi natandi ſcientiam non habet, modo merſum bibere pati, modo attollere; ſi habet, interdum deprimere, ut invitus quoque aqua ſatietur: ſic enim ſimul & ſitis, & aquæ metus tollitur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida vexatum, nervorum diſtentio abſumat. Id ne incidat, a piſcina protinus in oleum calidum demittendus eſt. Antidotum autem, præcipue id, quod primo loco poſui; ubi id non eſt, aliud, ſi nondum æger aquam horret, potui ex aqua dandum eſt; & ſi amaritudine offenditur, mel adjiciendum eſt: ſi jam [88] is morbus occupavit, per catapotia ſumi poteſt.

3. Serpentium quoque morſus non nimium diſtantem curationem deſiderant: quamvis in ea multum antiqui variarunt; adeo ut in ſingula genera anguium ſingula medendi genera [89] præciperent; aliique alia [90]. Sed in omnibus eadem maxime proficiunt. Igitur in primis ſuper [91] vulnus id membrum deligandum eſt; non tamen nimium vehementer, ne torpeat: dein [92] venenum extrahendum eſt. Id cucurbitula optime facit: neque alienum eſt, ante ſcalpello circa vulnus incidere, quo plus vitiati jam ſanguinis extrahatur. Si cucurbitula non eſt; quod tamen vix incidere poteſt; tum quodlibet ſimile vas, quod idem poſſit: ſi ne id quidem eſt, homo adhibendus eſt, qui vulnus exſugat. Neque

87. ὑδροφοβίαν) Hæc vox, quam primus repoſuit Cæſarius, aptiſſima eſt. Haud tamen ſcio, an non ὑδροφόβυς ſit legendum; cum ὑδροφοβυς, vel *hydrophobas* latinis litteris, habeant Mſs. Codices; Aldina vero Editio, ὑδροφόβ☉. Conſtructio paulo videtur durior; fortaſſe tamen exemplis non caret. Modum quidem iſtum ægros pro morbo appellandi, Celſus adhibet etiam lib. 7. cap. 7. ſect. 6. & ſect. 9. In Editionibus vetuſtioribus legitur *hydrophlogas*, quemadmodum alia manu mutatum eſt in Cod. Mediceo IV.

88. *ſi jam*) Ita ex Cod. Mediceo I. Alii leg. *& ſi jam*; Conſtantinus & Lindenius, *at ſi jam*.

89. *ſingula medendi genera*) Lindenius omittit vocem *genera*.

90. *aliique alia*) Ita ex Cod. Mediceo I. & Lindenii Editione. Alii leg. *atque aliis alia*.

91. *ſuper*) Lindenius habet, *ſupra*, ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ. Fortaſſe rectius: in antiquis tamen Codicibus legitur, *ſuper*; quæ particula pro *ſupra* eſt etiam in lib. 3. cap. 21. *Incidendum quoque ſuper talum, quatuor fere digitis, ex parte interiore*.

92. *dein*) Cod. Medic. I. *deinde*.

hercules ſcientiam præcipuam habent ii, qui Pſylli nominantur; ſed audaciam uſu ipſo confirmatam. Nam venenum ſerpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur, non guſtu, ſed in vulnere nocent. Ideoque colubra ipſa tuto eſtur: ictus ejus occidit. Et ſi ſtupente ea; quod per quædam medicamenta circulatores faciunt; in os digitum quis indidit, neque percuſſus eſt, nulla in ea [93] ſaliva noxa eſt. Ergo quiſquis, exemplum Pſylli ſecutus, id vulnus exſuxerit, & ipſe tutus erit, & tutum hominem præſtabit. Illud interea [94] ante debebit attendere, ne quod in gingivis, palatove [95], aliave parte oris ulcus habeat. Poſt hæc is homo loco calido collocandus eſt, ſic, ut id, quod percuſſum erit, in inferiorem partem inclinetur. Si neque qui exſugat, neque cucurbitula eſt, ſorbere oportet jus anſerinum, vel ovillum [96], vel vitulinum, & vomere: vivum autem gallinaceum pullum per medium dividere, & protinus calidum ſuper vulnus imponere, ſic, ut pars interior corpori jungatur. Facit id etiam hœdus agnuſve diſciſſus, & calida ejus caro ſtatim ſuper vulnus impoſita: emplaſtra quoque, quæ ſupra comprehenſa ſunt; aptiſſimumque eſt, vel Epheſium, vel id quod ei ſubjectum eſt. Præſenſque in aliquo antidoto præſidium eſt. Sin id non eſt, neceſſarium eſt exſorbere potionem [97] meri vini cum pipere, vel quidlibet aliud, quod calori movendo eſt [98], nec humorem intus coire patitur [99]: nam maxima pars venenorum frigore interimit. Omnia etiam urinam moventia, quia materiam extenuant, utilia ſunt.

4. Hæc

93. *ea*) Linden. *ejus*.

94. *Illud interea*) Ita ex Lindenio. In Editionibus antiquis & in Mſs. legitur, *Illud ne intereat*. In Cod. Medic. III. & in IV. deeſt periodus hæc tota, itemque ſuperior.

95. *palatove*) Cod. Mediceus I. *palato*.

96. *vel ovillum*) Lindenius omittit duas has voces. Ego eas in omnibus Mſs. inveni.

97. *potionem*) Pantinus & Lindenius leg. *portionem*, ut eſt in Edit. an. 1538.

98. *quod calori movendo eſt*) Sic alibi; *quod puri movendo eſt*; *quæ urinæ movendæ ſunt*. Atque hanc Lindenii lectionem confirmat Cod. Mediceus I. quamvis non careat mendo. Nam ita habet: *quod calori movendum eſt*. Ante Lindenium legebatur: *quo calor movendus eſt*.

99. *nec humorem intus coire patitur*) Ita legit Lindenius; nec aliter legendum videtur. Veteres libri ita habent: *ne humorem intus coire patiatur*. Scilicet *ne* & *nec* facile variant. Cum igitur *ne* mendoſe eſſet in aliquo Codice, *patitur* mutatum fuit in *patiatur*: eadem, opinor, ratione, qua ex *nec protinus crimen artis eſſe*, a quibuſdam, *ne protinus crimen artis eſſet*, factum eſt in lib. 2. cap. 6.

4. Hæc adverſus omnes ictus communia ſunt [1]: uſus tamen ipſe docuit, eum, quem aſpis percuſſit, acetum potius bibere debere [2]. Quod demonſtraſſe dicitur caſus cujuſdam pueri, qui, cum ab hac ictus eſſet, & partim ob ipſum vulnus, partim ob immodicos æſtus ſiti premeretur, ac locis ſiccis alium humorem non reperiret, acetum, quod forte ſecum habebat, ebibit, & liberatus eſt. Credo quoniam id, quamvis refrigerandi vim habet, tamen habet etiam diſſipandi [3]. Quo fit, ut terra reſperſa eo ſpumet. Eadem ergo vi veriſimile eſt ſpiſſeſcentem quoque intus humorem hominis ab eo diſcuti, & ſic dari ſanitatem.

5. In quibuſdam etiam aliis ſerpentibus certa quædam auxilia ſatis nota ſunt. Nam ſcorpio ipſe ſibi pulcherrimum medicamentum eſt. Quidam contritum cum vino bibunt: quidam eodem modo contritum ſuper vulnus imponunt: quidam ſuper prunam [4] eo impoſito, vulnus ſuffumigant, undique veſte circumdata, ne is fumus dilabatur; tum carbonem ejus ſuper vulnus deligant. Bibere autem oportet herbæ ſolaris, quam ἡλιοτρόπιον Græci vocant, ſemen, vel certe folia ex vino. Super vulnus vero etiam furfures ex aceto, vel ruta ſilvatica recte imponitur, vel cum melle ſal toſtus. Cognovi tamen medicos, qui ab ſcorpione ictis nihil aliud, quam ex brachio ſanguinem miſerunt.

6. Et ad ſcorpionis autem [5] & ad aranei [6] ictum, allium cum ruta recte miſcetur, ex oleoque contritum ſuperimponitur.

7. At ſi ceraſtes, aut dipſas, aut hæmorrhois percuſſit, aſphodeli, quod Ægyptiæ [7] fabæ magnitudinem æquet, arefa-

 ctum [8].

1. *communia ſunt*) Idem Lindenius leg. *utilia ſunt, communiaque*.

2. *debere*) Verbum hoc deeſt in Cod. Mediceo I.

3. *refrigerandi vim habet, tamen habet etiam diſſipandi*) Lindenius leg. *refrigerandi vim habet, habet tamen & diſſipandi*. In Codice Mediceo I. ita habetur: *refrigerandi vim habet tamen diſſipandi*. In III. & IV. *refrigerandi vim habebat, tamen* (fortaſſe *habet, attamen*) *habet etiam diſſipandi*. Multi tamen Codices confirmant veterem lectionem, quam ego ſequor.

4. *prunam*) Linden. *prunas*.

5. *Et ad ſcorpionis autem*) Lindenius leg. *Ad ſcorpionis etiam*; fortaſſe quod non tulerit & conjunctum cum *autem*. Sic tamen habent veteres Codices. In Mediceo III. & in IV. pro *autem*, eſt *aut*.

6. *& ad aranei*) Codex Mediceus I. *& aranei*.

7. *aſphodeli, quod Ægyptiæ &c.*) Pro *ſpoli*, quod cum Cod. Medic. I. Juntina & vetuſtiores Editiones habent, Egnatius repoſuit, *catapotium*; Cæſarius, *aſphodeli*. Hunc ceteri Editores ſecuti ſunt; Conſtantinus & hunc & Egnatium: nam edidit, *aſphodeli catapotium*. Sed Egnatius *catapotium*

ctum [8], in duas potiones dividendum eſt, ſic, ut ei rutæ paulum adjiciatur. Trifolium quoque & mentaſtrum, & cum aceto panaces æque proficiunt. Coſtumque, & caſia, & cinnamomum recte per potionem aſſumuntur.

8. Adverſus cherſydri vero ictum, panaces [9], aut laſer, quod ſit ſcripulorum III. S. X. I. [10] vel porri ſuccus cum hemina vini ſumendus eſt, & edenda multa ſatureia. Imponendum autem ſuper vulnus ſtercus caprinum ex aceto coctum; aut ex eodem hordeacea farina; aut ruta, vel nepeta, cum ſale contrita, melle adjecto. Quod in eo quoque vulnere, quod ceraſtes fecit, æque valet.

9. Vbi vero phalangium nocuit, præter eam curationem, quæ manu redditur [11], ſæpe homo demittendus in ſolium eſt, danduſque ei myrrhæ & uvæ taminiæ par modus ex paſſi hemina; vel ra-

tium habuit ex Ms. Codice: ſiquidem ego quoque in pleriſque inveni, *catapotium quod ſupra Ægyptiæ &c.* Videndum eſt, unde Cæſarius habuerit *aſphodeli*. Nam aptum quidem huc eſt aſphodelum: attamen *ſpoli*, veriſimilius eſt ex *polii*, quam ex *aſphodeli*, vel ex *catapotium*, corruptum eſſe. Porro polium ad ſerpentium ictus dari, ex Nicandro, Dioſcoride, & Plinio notum eſt; & quidem cum ruta ſilveſtri miſtum, ut eſt apud eumdem Plinium lib. 21. cap. 20.

8. *æquet*, *arefactum*) Ita vulgo legitur. In Codicibus Mſs. mendum eſt. In Mediceo I. *& quatarfactum*. Palavicinus correxit, *æquat arefactum*; atque ita in IV. quoque correctum eſt, cum eſſet, ut habent alii quinque, *æqua arefactum*.

9. *panaces*) Al. *panacis*.

10. *quod ſit ſcripulorum III. S. X. I.*) Ita in Edit. Aldina (ſed in illa *ſcrupulorum*) & in omnibus fere Mſs. Codicibus. In Mediceo I. habetur: *quod ſit* ꝗ *IΓ*. Hinc in IV. deletis hiſce notis, *III. S. X. I.* repoſitum eſt ☧ *IΓ*. ut legatur, *quod ſit ſcrip.* ☧ *IΓ*. Si igitur nota illa ꝗ, pro ☧ accipienda eſt, quæ nota ad eam accedit, quam ſcripuli exhibet Voluſius Mæcianus, ſcripulum ſignificabit. Mihi tamen poſita videtur pro *p.* id eſt, ut ego explico, pro denarii nota. Alii notam ☧, quæ eſt in Cod. IV. pro X, & *IΓ*. pro *II*. acceperunt: itaque in Edit. I. atque in aliis pervetuſtis legitur, *quod ſit ſcripulorum XII*. Alii vero cum Cæſario leg. *quod ſit ſcripulorum p. X. II.* quod ferri non poteſt, niſi vel voce *ſcripulorum* ſublata, vel denarii nota. Ego totum hoc inſititium eſſe ſuſpicor. Nam neque ſect. præcedenti panacis, aut coſti, aut caſiæ, aut cinnamomi modus exprimitur, neque myrrhæ & uvæ taminiæ ſect. proxima, neque galbani ſect. 12. neque ipſius laſeris ſect. 13. & 16. Deinde hæc forma dicendi, *quod ſit ſcripulorum III. S. X. I.* Celſi eſſe haudquaquam videtur. *Laſer*, vel potius *laſeris p. ſcripulorum &c.* ſuo more ſcripſiſſet. Immo nec *ſcripulorum* ſcripſiſſet, ſed *denarii ſextantium*. Denarium enim, non in ſcripula, ſed, ad Græcorum ὀβολὺς æquandos, in ſextantes diviſit ſex; ut eſt in cap. 17. hujus libri. Et cum in uncia pondus ſit ſcripulorum XXIV. ratione inita reperiemus, *p. X. I.* ſcripturum hoc loco Celſum fuiſſe; quippe cum ſcripula tria & tres ſeptimæ ſcripuli partes, ideſt ſcripula circiter tria cum ſemiſſi denarium conficiant, ut obſervat Rhodius de Ponder. & Menſur. Ex quo illud etiam intelligi poteſt, in his verbis, *ſcrip. III. S. X. I.* vel *X. I.* interpretationem eſſe *ſcrip. III. S.* vel *ſcrip. III. S.* interpretationem *X. I.*

11. *quæ manu redditur*) Lindenius leg. *editur*; ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ, ſed ſine veteris Codicis teſtimonio.

radiculæ ſemen, aut lolii [12] radix ex vino; & ſuper vulnus furfures ex aceto cocti [13], imperandumque, ut is conquieſcat [14].

10. Verum hæc genera ſerpentium & peregrina, & aliquanto magis peſtifera ſunt; maximeque æſtuoſis locis gignuntur [15]. Italia frigidioreſque regiones hac quoque parte ſalubritatem habent, quod minus terribiles angues edunt. Adverſus quos ſatis proficit herba Vettonica [16], vel Cantabrica, vel centaurion [17], vel argemonia [18], vel trixago, vel perſonina [19] vel marina paſtinaca [20], ſingulæ [21] binæve tritæ, & [22] cum vino potui datæ [23], & ſuper vul-

12. *lolii*) Legendum videtur, *polii*.

13. *cocti*) Al. *coctæ*.

14. *ut is conquieſcat*) Hæc verba, & quæ ſubſequuntur, *Verum hæc genera ſerpentium*, deſunt in Cod. Mèdiceo I.

15. *maximeque æſtuoſis locis gignuntur*) Lindenius leg. *maxime, quæ æſtuoſis gignuntur locis*.

16. *Vettonica*) Ita ex Cod. Mediceo I. Alii leg. *betonica*.

17. *centaurion*) Codex modo allatus, *centaurios*. Vtroque modo legi poteſt. Nam apud Græcos eſt κενταύριον, & κενταύρειος.

18. *argemonia*) Ita ſcribitur vox hæc a Cæſario, Ruellio, aliis; quod ἀργεμώνη a Græcis ſcribatur. Quare & apud Plinium lib. 25. cap. 9. *argemone*, vel, ut alii legunt, *argemonia*. Attamen in Mſs. Celſi Codicibus & in Editionibus vetuſtioribus habetur *argimonia* per *i*. Alii cum Egnatio leg. *agrimonia*.

19. *perſonina*) Lindenius leg. *perſonata*, ut Conſtantinus malebat. Fortaſſe recte: ſic enim nominatur a Columella lib. 6. cap. 17. Ego tamen *perſonina* inveni in Mſs. In utraque Cæſarii Editione legitur, *perſonatia*.

20. *marina paſtinaca*) In Cod. Mediceo I. *marinæ paſtinacæ*, ut vulgo legitur. Ego ſic repoſui ex aliis Codicibus. Nulla vero ratione oſtendi poteſt, Celſi marinam paſtinacam, eamdem eſſe atque herba illa, quæ nunc ſic vocatur a quibuſdam; ab aliis, *Crithmum ſecundum*, vel *ſpinoſum*; a Turnefortio, *Aſter maritimus folio tereti, craſſo, tridentato*; olim autem a Plinio lib. 19. cap. 5. *Eryngium foliis apii* nominata eſt, ut Cæſalpinus contendit. Quid igitur Celſus intelligat, obſcurum eſt. Pantinus putat, agreſtem paſtinacam denotari, quæ adverſus ſerpentium ictus utique valet, ut ſcribit Dioſcorides lib. 3. cap. 59. Marinam autem eadem ratione nominari dicit, qua lactuca quædam ſic appellatur lib. 2. cap. 12. non quod ſcilicet in locis maritimis naſcatur, ſed quia ſine humano ſatu provenit. Immo vero, quia *juxta mare naſcitur*, ut eſt in lib. 3. cap. 12. marina lactuca dicta eſt. Paſtinaca autem ea, quæ ſua ſponte provenit, agreſtis a Celſo vocatur in lib. 2. cap. 31. Neque ideo negarim, eamdem fortaſſe hic ſignificari, cognominis ratione aliunde ducta; ſed id probatione indigere affirmo. Omnino herba ſignificatur, non piſcis; inquit Pantinus. Ita ſane videtur. Fortaſſe tamen, cum *paſtinaca* Celſus ſcripſiſſet, piſcem quis intellexit, & *marina* addidit ad explicationem; quia τρυγὼν θαλασσία a Græcis dicitur.

21. *ſingulæ*) In Cod. Mediceo I. *vel ſingulæ*. Lindenius leg. *ſi vel ſingulæ*.

22. *tritæ, &*) Ita communiter legitur; atque ita in duobus Mſs. inveni, in Mediceo I. ſcilicet & in Vaticano VI. Hæ duæ voces deſunt in ceteris; in aliquibus tamen adduntur alia manu.

23. *cum vino potui datæ*) In Mſs. omnibus, præter Vaticanum VI. *datæ ſunt*. Verbum *ſunt* in Mediceo I. obliteratum fuit a Palavicino. Obliteratum eſt etiam in IV. ideoque primus Editor Fontius, & eum ſecuti Editores ceteri id omiſerunt. Lindenius retinere maluit, addita particula *ſi*. Totum hunc locum ita legit: *ſi vel ſingulæ binæve tritæ, & ſic potui datæ ſunt cum vino*.

vulnus impoſitæ. Illud ignorari [24] non oportet, omnis ſerpentis ictum & jejuni & jejuno magis nocere: ideoque perniciosiſſimi ſunt, cum incubant; utiliſſimumque eſt, ubi ex anguibus metus eſt, non ante progredi [25], quam quis aliquid aſſumpſit.

11. Non tam facile iis opitulari eſt, qui venenum, vel in cibo, vel in potione ſumpſerunt: primum, quia non protinus ſentiunt, ut ab angue icti; ita [26] ne ſuccurrere quidem ſtatim ſibi poſſunt: deinde, quia noxa non a cute, ſed ab interioribus partibus incipit. Commodiſſimum eſt tamen, ubi primum ſenſit aliquis, protinus oleo multo epoto vomere: deinde, ubi præcordia exhauſit, bibere antidotum; ſi id non eſt, vel merum vinum.

12. Sunt tamen quædam remedia propria adverſus quædam venena, maximeque leviora. Nam ſi cantharidas aliquis ebibit, panaces cum lacte contuſa [27], vel galbanum vino adjecto dari, vel lac per ſe debet.

13. Si cicutam, vinum merum calidum cum ruta quamplurimum ingerendum eſt; deinde is vomere cogendus; poſteaque laſer ex vino dandum: iſque, ſi febre vacat, in calidum balneum mittendus; ſi non vacat, ungendus ex calefacientibus eſt: poſt quæ quies ei neceſſaria eſt.

14. Si hyoſcyamum, fervens mulſum bibendum eſt, aut quodlibet lac, maxime tamen aſininum.

15. Si ceruſſam, jus malvæ, vel juglandis [28] ex vino contritæ, maxime proſunt.

16. Si ſanguiſuga epota eſt, acetum cum ſale bibendum eſt. Si lac intus coiit, aut paſſum, aut coagulum [29], aut cum aceto laſer.

17. Si

24. *ignorari*) Linden. *ignorare*.

25. *progredi*) Cod. Medic. I. *procedi*.

26. *ut ab angue icti; ita*) Quæ ſequuntur uſque ad verba illa, *inſanabiles reperiuntur*, cap. 28. ſect. 12. deſunt in Cod. Mediceo vetuſtiore, qui tamen ex alio Codice ſuppletus ab eodem fuit, qui & libro quarto ſupplevit. Pro *ita*, Lindenius leg. *ideo*.

27. *cum lacte contuſa*) Vox *lacte*, quam omnes habent vulgati libri, deeſt in Mediceis Mſs. Hinc apparet, cur *galbano* ſit in iiſdem Mſs. Quod mendum, etiam vulgo receptum, Lindenius demum ſuſtulit, repoſuitque *galbanum*.

28. *juglandis*) Ita edidit Lindenius, Conſtantino emendationem præmonſtrante. Nam in Editionibus vetuſtis & in Codicibus Mſs. legitur, *jus glandis*: Ego malim, *juglandes*; quod hac ratione tum ſententiæ, tum conſtructioni melius conſulatur.

29. *aut coagulum*) Lindenius duas has voces omittit; ſed perperam. Inveniuntur enim in Codicibus Mſs. & hanc coaguli facultatem Plinius quoque, Dioſcorides, Galenus, Scribonius, aliique veteres Auctores prædicant.

17. Si fungos inutiles quis aſſumpſit, radicula aut e poſca [30], aut cum ſale & aceto edenda eſt. Ipſi vero hi & ſpecie quidem diſcerni poſſunt ab utilibus, & coẞturæ genere idonei fieri. Nam ſive ex oleo inferbuerunt, ſive piri ſurculus cum his inferbuit, omni noxa vacant.

18. Aduſtis quoque locis extrinſecus vis infertur: itaque ſequi videtur, ut de his dicam. Hæc autem optime curantur foliis aut lilii, aut linguæ caninæ, aut betæ in vetere vino [31] oleoque decoctis: quorum quidlibet protinus impoſitum ad ſanitatem perducit. Sed dividi quoque curatio poteſt in ea, quæ mediocriter exedentia reprimentiaque, primo & puſtulas prohibeant, & ſummam pelliculam exaſperent: deinde ea, quæ lenia ad ſanitatem perducant. Ex prioribus eſt lenticulæ cum melle farina, vel myrrha cum vino, vel creta [32] Cimolia cum thuris cortice contrita, & aqua coacta, atque ubi uſus neceſſitas incidit, aceto diluta: ex inſequentibus, quælibet lipara; ſed idonea maxime eſt, quæ vel plumbi recrementum [33], vel vitellos habet. Eſt etiam illa aduſtorum curatio, dum inflammatio eſt, impoſitam habere cum melle lenticulam: ubi ea declinavit, farinam cum ruta, vel porro, vel marrubio, donec cruſtæ cadant: tum ervum cum melle, aut irim, aut reſinam terebinthinam, donec ulcus purum ſit: noviſſime ſiccum linamentum.

XXVIII. 1. Ab his, quæ extrinſecus incidunt, ad ea veniendum eſt, quæ interius, corrupta aliqua corporum parte, naſcuntur. Ex quibus non aliud carbunculo pejus. Ejus hæ notæ ſunt: rubor eſt, ſuperque eum non nimium puſtulæ eminent, maxime nigræ, interdum ſublividæ, aut pallidæ; in his ſanies eſſe videtur;

30. *e poſca*) Ita Lindenius. In Editionibus vetuſtis & in Codice Mediceo I. eſt, *epota*; in Codicibus aliis, *pota*: quod ferendum non eſt. Conſtantinus corrigit, *potanda*. Fortaſſe Celſus ſcripſit, *per ſe*. Scribonius Largus Compoſit. 197. *Adjuvantur* (qui venenatos fungos aſſumpſerunt) *radice ea, quam nos edimus, acri quampluri-ma per ſe, vel cum ſale manducata*. Aliquis autem mutavit *per ſe* in *epota* vel *pota*, quod legiſſet apud Dioſcoridem lib. 2. cap. 137. *Eſt & auxilio, tam cibo, quam potu iis, qui a fungis ſtrangulantur*.

31. *vetere vino*) In Editione an. 1538. & in Lindeniana omittitur, *vetere*; quam ego vocem reperi in omnibus antiquis Codicibus.

32. *myrrha cum vino, vel creta*) Ita ex Lindenio. Alii leg. *myrrha vel vino, creta*. In Mſs. eſt, *myrra* (vel *murra*) *cum vino creta*.

33. *recrementum*) Linden. *retrimentum*.

tur; infra color niger eſt; ipſum corpus aridum, & durius, quam naturaliter oportet; circaque quaſi cruſta eſt; eaque inflammatione cingitur; neque in eo loco levari cutis poteſt, ſed inferiori carni quaſi affixa eſt; ſomnus urget; nonnumquam horror, aut febris oritur, aut utrumque. Idque vitium ſubteractis quaſi quibuſdam radicibus ſerpit, interdum celerius, interdum tardius: ſupra quoque, procedens inalbeſcit; dein lividum fit, circumque exiguæ puſtulæ oriuntur: & ſi circa ſtomachum fauceſve incidit, ſubito ſpiritum ſæpe elidit. Nihil melius eſt, quam protinus adurere. Neque id grave eſt: nam non ſentit; quoniam ea caro mortua eſt. Finiſque adurendi eſt, dum ex omni parte ſenſus doloris eſt. Tum deinde vulnus [34], ſicut cetera aduſta, curandum eſt. Sequitur enim ſub medicamentis erodentibus cruſta, undique a viva carne diducta, quæ trahit [35] ſecum, quidquid corruptum erat; puruſque jam ſinus curari poteſt implentibus. At ſi in ſumma cute vitium eſt, poſſunt ſuccurrere quædam vel exedentia tantum, vel etiam adurentia: vis pro magnitudine adhibenda eſt. Quodcumque vero medicamentum impoſitum [36] eſt, ſi ſatis proficiet, protinus a viva corruptam partem reſolvit; certaque [37] eſſe fiducia poteſt fere, ut [38] undique vitioſa caro excedat [39], qua hujuſce rei medicamen exeſt [40]. Si id non fit, medicamentumque [41] malo vincitur, utique ad uſtionem properandum eſt. Sed in ejuſmodi caſu abſtinendum a cibo, a vino eſt: aquam liberaliter bibere expedit: magiſque ea ſervanda ſunt, ſi febricula quoque acceſſit.

2. Non

34. *vulnus*) In Edit. Lindenii & in margine Conſtantinianæ *ulcus*.

35. *undique a viva carne diducta, quæ trahit &c.*) Lindenius leg. *quæ undique a viva carne diducta, trahit &c.*

36. *impoſitum*) Ante Lindenium legebatur, *poſitum*.

37. *reſolvit; certaque &c.*) Nihil mutavi, præter interpunctionem. Nam antea ſic interpungebatur: *reſolvit. Certaque &c.* Lindenius leg. *reſolvet*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

38. *fere, ut*) Mſs. Codices nihil variant. Lindenius legit, *fere, ſi*.

39. *excedat*) Idem Lindenius legit, *excidat*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ: & fortaſſe rectius. In Mſs. tamen omnibus ego inveni *excedat*.

40. *qua hujuſce rei medicamen exeſt*) Hæc verba mihi ſuſpecta ſunt; & ſine ſententiæ detrimento omitti poſſunt. Fortaſſe in contextum irrepſere, cum margini addita fuiſſent ad explanandum. Pro *hujuſce rei*, Lindenius leg. *hujuſcemodi*. Levis res eſt, haud tamen ſilentio prætereunda; *hujuſcemodi* nuſquam inveniri apud Celſum, ſed *hujuſmodi*, aut *ejuſmodi*.

41. *medicamentumque*) Ita multi legunt cum Ruellio. Editiones vetuſtiores & Codices Mſs. habent, *medicamentum*.

2. Non idem periculum καρκίνωμα [42] affert, niſi imprudentia curantis agitatum eſt. Id vitium fit maxime in ſuperioribus partibus, circa faciem, nares, aures, labra, mammas fœminarum. Et in jecore autem, aut ſplene hoc naſcitur [43]. Circa locum aliqua quaſi puncta ſentiuntur; iſque immobilis, inæqualis [44] tumet; interdum etiam torpet. Circa eum inflatæ venæ quaſi recurvantur, hæque pallent, aut livent; nonnumquam etiam in quibuſdam deliteſcunt: tactuſque is locus, aliis dolorem affert, in aliis eum non habet: & nonnumquam ſine ulcere durior aut mollior eſt, quam eſſe naturaliter debet; nonnumquam iiſdem omnibus ulcus accedit: interdumque nullam habet proprietatem; interdum ſimile iis eſt, quæ vocant Græci κονδυλώματα, aſpredine quadam & magnitudine ſua: colorque ejus ruber eſt, aut lenticulæ ſimilis; neque tuto feritur [45]: nam protinus aut reſolutio nervorum, aut diſtentio inſequitur. Sæpe homo ictus obmuteſcit, atque ejus anima deficit. Quibuſdam etiam, ſi id ipſum preſſum eſt, quæ circa ſunt, intenduntur & intumeſcunt. Ob quæ [46] peſſimum id genus eſt. Fereque primum id fit, quod κακόηθες a Græcis nominatur: deinde ex eo id carcinoma quod ſine ulcere eſt: deinde ulcus: ex eo thymium [47]. Tolli nihil, niſi cacoethes poteſt:

P p

42. καρκίνωμα) In Editionibus priſcis & in Codicibus Mſs. *carcinoma*, latinis litteris.

43. *Et in jecore autem, aut ſplene hoc naſcitur.*) Recta conſtructionis ratio poſcebat *etiam* vel *quoque*, non *autem:* ideoque Cæſarius, Pantinus, & Lindenius hanc particulam omiſerunt. Mihi totum membrum videtur inſititium. Nam curationem hujus vitii, quam deinde Celſus proponit, manifeſtum eſt, ad eas partes pertinere, quas ſupra nominavit, faciem ſcilicet, nares, aures, labra, mammas: ſi in jocinore aut liene vitium ſit, ea curatio adhiberi non poteſt. Quod ſi ipſe hæc verba poſuiſſet, explicuiſſet profecto, quid in tam gravi caſu fieri deberet. Nec *jecore*, opinor, & *ſplene* dixiſſet, ſed *jocinore* & *liene*: ita enim has voces conſtanter effert. Conſtantinus reponit, *e jecore;* Lindenius, *ex jecore:* quia veteres Medici carcinoma ex atra bile fieri exiſtimarunt. Quo fortaſſe reſpexit etiam qui hæc verba addidit, quicumque ille fuerit.

44. *inæqualis*) Conſtantinus cenſet, addendam eſſe conjunctionem *&*: Lindenius leg. *inæqualiter*.

45. *feritur*) In Mſs. & in Editionibus vetuſtis eſt, *fertur*. Ego repoſui *feritur*, ex conjectura; cui verbo reſpondet *ictus*, quod infra eſt. Conſtantini Editio in margine habet, *aufertur;* Lindenius leg. *ſecatur*.

46. *Ob quæ &c.*) Ita in Mſs. atque in Edit. I. Alii leg. *Namque peſſimum id genus eſt, fereque &c.*

47. *ex eo thymium*) Parum refert, utrum præmittas *&* cum Lindenio, an omittas ex Codicum Mſs. fide. At valde refert ſcire, quid ſit hoc thymium. Nam apud alios veteres Scriptores ejus thymii dumtaxat mentio fit, de quo Celſus loquitur ſect. 14. hujus capitis; quod verrucæ ſimile eſt, ideoque ab hoc differt; quamvis interdum ad carcinomatis naturam accedat. Verum illud non ſu-

teſt: reliqua curationibus irritantur; & quo major [48] vis adhibita eſt, eo magis. Quidam uſi ſunt medicamentis adurentibus; quidam ferro aduſſerunt; quidam ſcalpello exciderunt: neque ulla [49] umquam medicina profecit [50]: ſed aduſta, protinus concitata ſunt, & increverunt, donec occiderent; exciſa, etiam poſt inductam cicatricem, tamen reverterunt, & cauſam mortis attulerunt: cum interim plerique nullam vim adhibendo, qua tollere id malum tentent, ſed imponendo tantum lenia medicamenta, quæ quaſi blandiantur, quominus ad ultimam ſenectutem perveniant, non prohibeantur [51]. Diſcernere autem cacoethes, quod curationem recipit, a carcinomate, quod non recipit, nemo ſcire poteſt, niſi tempore & experimento [52]. Ergo ubi primum id vitium notatum eſt, imponi debent medicamenta adurentia. Si levatur malum, minuunturque ejus indicia, procedere curatio poteſt & ad ſcalpellum, & ad uſtionem: ſi protinus irritatum eſt, ſcire licet, jam carcinoma eſſe; removendaque ſunt omnia acria, omnia vehementia. Sed ſi ſine ulcere is locus durus eſt [53], imponi ficum quam pinguiſſimam, aut rhypodes emplaſtrum ſatis eſt. Si ulcus æquale eſt, ceratum ex roſa injiciendum eſt, adjicienduſque ei pulvis ex contrita teſta, ex qua [54] faber ferrarius tingere candens ferrum ſolitus eſt. Si id nimium ſupercrevit, tentan-

ſupervenit carcinomati exulcerato, ſed per ſe naſcitur. Si igitur Celſi ſunt hæc verba, videntur ſignificare ulcus ſupercreſcens, thymioque ſimile: atque huc fortaſſe trahenda ſunt verba illa ſub finem ſectionis: *Si id nimium ſupercrevit &c.* Alii ulcus a thymio non diſtinguunt, itaque leg. *Deinde ulcus ex eo thymium*. Porro in antiquis Codicibus ſcribitur & *thymium*, & *tymium*, & *timium*, & *thimum*.

48. *irritantur; & quo major &c.*) Alii ſic interpungunt: *irritantur. Et quo major vis adhibita eſt, eo magis quidam uſi ſunt*. Conſtantinus mutata interpunctione locum reſtituit. Hunc ego & Morgagnum ſequor.

49. *ulla*) Vulgo legitur, *ulli*, ut eſt in Cod. Mediceo I. Ego ſic repoſui ex aliis Codicibus.

50. *profecit*) Alii leg. *proficit*; nec aliter in Mſs. inveni. Sed jampridem Conſtantinus animadvertit legendum eſſe, *profecit*. Is tamen in quodam Codice invenit, *profuit*; atque ita edidit Lindenius.

51. *prohibeantur*) Ante Lindenium legebatur, *prohibentur*.

52. *nemo ſcire poteſt, niſi tempore & experimento*) Corruptus hic locus eſt in antiquis Codicibus. Nam ita legitur: *nemo ſcire poteſt, ſed tempore & experimento*. Pro *ſed*, Cæſarius repoſuit *niſi*; quem alii poſtea ſecuti ſunt.

53. *is locus durus eſt*) Egnatius reſtituit vocem *durus*; quæ deeſt quidem in Editionibus vetuſtioribus, ſed habetur in Codicibus Mſs.

54. *ex contrita teſta, ex qua &c.*) Lindenius leg. *ex contrita teſta, ex aqua qua &c.* ſed minus recte. Neque ſane vox *aqua* a me aut a Morgagno inventa eſt in ullo veteri libro.

tanda ſquama æris eſt, quæ leniſſima ex adurentibus eſt; eatenus, ne quid eminere patiatur: ſed ita, ſi nihil exacerbavit: ſin minus, eodem cerato contenti eſſe debebimus.

3. Eſt etiam ulcus, quod ἀγρίωμα Græci vocant. Id & per ſe naſcitur, & interdum ulceri ex alia cauſa facto ſupervenit. Color eſt vel lividus, vel niger; odor fœdus; multus, & muco ſimilis humor: ipſum [55] ulcus neque tactum, neque medicamentum ſentit; prurigine tantum movetur: at circa [56] dolor eſt, & inflammatio: interdum etiam febris oritur: nonnumquam ex ulcere ſanguis erumpit: atque [57] id quoque malum ſerpit. Quæ omnia [58] ſæpe intenduntur; fitque ex his ulcus, quod φαγέδαιναν [59] Græci vocant; quia celeriter ſerpendo, penetrandoque uſque oſſa [60], corpus vorat. Id ulcus inæquale eſt, cœno ſimile [61]; ineſtque multus humor glutinoſus, odor intolerabilis, majorque, quam pro modo ulceris, inflammatio. Vtrumque, ſicut omnis cancer, fit maxime in ſenibus, vel iis, quorum corpora mali habitus ſunt. Curatio utriuſque eadem eſt: ſed in majore malo major vis neceſſaria [62]. Ac primum a victus ratione ordinandum [63] eſt: ut quieſcat in lectulo: ut primis diebus a cibo abſtineat, aquam quamplurimam aſſumat: alvus quoque ei ducatur: dein, poſt inflammationem, cibum boni ſucci capiat, vitatis omni-

55. *ipſum*) Quidam, Cæſarium ſecuti, leg. *Idipſum*.

56. *at circa*) Lindenius omittit *at*. In Cod. Mediceo I. eſt, *ac circa*.

57. *atque*) Editio I. *At*. Al. *Ad*. Lindenius repoſuit, *atque*; & ita eſt in Mſs.

58. *Quæ omnia*) Lindenius leg. *quo omnia*.

59. φαγέδαιναν) Antea legebatur, ἕρπητα ἐσθιόμενον; in quo nonnulli Celſum accuſarunt, contendentes id ulceris genus φαγέδαιναν a Græcis appellari. Et ſane hanc ipſam vocem ego inveni in Codicibus Mſs. ex iiſque eam repoſui. In Mediceo II. lacuna eſt. Similis lacuna erat in IV. quoque, ubi nunc *herpeta eſthiomenon* ſcriptum eſt alia manu: unde vulgaris lectio. Infra quoque legebatur, *herpes*, ut eſt alia manu in eodem Cod. IV. Ego ex Codicibus aliis reſtitui, φαγέδαινα.

60. *uſque oſſa*) Lindenius leg. *uſque ad oſſa*.

61. *cœno ſimile*) Conſtantinus in libri margine habet, *cavo*, tamquam variantem lectionem; & ex quodam Codice, *ovo*. Ego in Mſs. omnibus inveni, *cœno*, vel *ceno*; ut vulgo legitur. Almeloveenius autem ſcribit, doctum quemdam virum fuiſſe, qui locum hunc ita legere malebat: *Id ulcus inæquale eſt, ineſtque multus humor glutinoſus, cœno ſimilis*.

62. *in majore malo major vis neceſſaria*) Ita ex Lindenio. Vtrumque iiſdem remediis curatur; ſed modo levioribus, modo vehementioribus utendum eſt, prout levius aut vehementius malum eſt. *Vis pro magnitudine adhibenda eſt*, dixit ſect. 1. hujus capitis. Veteres libri habent; *in majore malo magis neceſſaria*; quod vix ferri poteſt.

63. *ordinandum*) Alii leg. *ordinandus*; Nardius mallet, *ordiendum*.

nibus acribus; potionis quantum volet, ſic, ut interdiu quidem aqua contentus ſit; in cœna vero [64] etiam vini auſteri aliquid bibat. Non æque tamen fame in iis, quos φαγέδαινα urgebit, atque iis [65], qui θηρίωμα adhuc habebunt, utendum erit. Et victus quidem talis neceſſarius eſt. Super ulcus vero inſpergenda arida aloe œnanthe eſt [66], &, ſi parum proficiet, chalcitis. Ac [67] ſi quis nervus exeſa carne nudatus eſt, contegendus ante linteolo eſt, ne ſub eo medicamento aduratur. Si validioribus etiamnum [68] remediis opus eſt, ad eas compoſitiones veniendum eſt, quæ vehementius adurunt. Quidquid autem inſpergitur, averſo ſpecillo infundi debet. Superdanda cum melle ſunt vel linamenta, vel oleæ folia ex vino decocta, vel marrubium: eaque linteolo contegenda in aqua frigida madefacto, dein bene expreſſo: circaque, qua tumor ex inflammatione eſt, imponenda, quæ reprimant, cataplaſmata. Si ſub his nihil proficitur, ferro locus aduri debet; diligenter nervis, ſi qui [69] apparent, ante contectis. Aduſtum vel medicamentis vel ferro corpus, primum purgandum, deinde implendum eſſe, apparere cuilibet ex prioribus poteſt.

4. Sacer quoque ignis malis ulceribus adnumerari debet. Ejus duæ ſpecies ſunt. Alterum eſt ſubrubicundum, aut miſtum rubore atque pallore, exaſperatumque per puſtulas continuas, quarum nulla altera major eſt, ſed plurimæ perexiguæ. In his ſemper fere pus, & ſæpe rubor cum calore eſt: ſerpitque id nonnumquam ſaneſcente eo, quod primum vitiatum eſt: nonnumquam etiam exulcerato, ubi ruptis puſtulis ulcus continuatur, humor-

que

64. *in cœna vero*) Plerique omittunt *vero*; quæ tamen particula reperitur in Mſs.

65. *atque iis*) Cæſarius & alii leg. *atque in iis*. Sed Codices Mſs. atque Editiones priſcæ non habent præpoſitionem *in*. Ita lib. 2. cap. 1. *adjicit . . . . . cancros, & in ceteris quidem partibus, ſed maxime obſcœnis*; pro *in obſcœnis*.

66. *arida aloe œnanthe eſt*) Secutus ſum Editionem Aldinam & Juntinam & vetuſtiſſimas tres ann. 1478. 1493. 1497. quod a Mſs. Codicibus minus recedant, non quod probem lectionem hanc. In Mſs. Codicibus ita habetur: *arida aloenanthe* (in aliis, *aloenante*, in aliis, *aloenanthe*) *eſt*. Igitur ex *aloenanthe* factum eſt *aloe œnanthe*; quod niſi particula *vel* interjecta, ferri non poteſt. Fortaſſe tamen legendum ex Mſs. *arida œnanthe eſt*, ſyllaba *al* deleta. Cum enim de adurentibus medicamentis ſermo ſit, aloe locum hic habere vix poteſt; quod cap. 8. hujus libri iiſdem non adnumeretur. Alii cum Cæſario leg. *eſt arida aloe, œnanthe*; Lindenius, *eſt arida aloe contrita*.

67. *Ac*) Linden. *At*.

68. *etiamnum*) In Codice Mediceo III. & in VI. legitur, *etiam tum*; in Editionibus Stephan. Ronſs. & Linden. *etiam*.

69. *ſi qui*) Linden. *qui*.

que exit, qui eſſe inter ſaniem & pus videri poteſt. Fit maxime in pectore, aut lateribus, aut eminentibus partibus, præcipueque in plantis. Alterum autem eſt in ſummæ cutis exulceratione, ſed ſine altitudine, latum, ſublividum, inæqualiter tamen; mediumque ſaneſcit, extremis procedentibus: ac ſæpe id, quod jam ſanum videbatur [70], iterum exulceratur: at circa, proxima cutis, quæ vitium receptura eſt, tumidior & durior eſt, coloremque habet ex rubro ſubnigrum. Atque hoc quoque malo [71] fere corpora ſeniora tentantur, aut quæ mali habitus ſunt; ſed in cruribus maxime. Omnis autem ſacer ignis, ut minimum periculum habet ex iis, quæ ſerpunt; ſic prope difficillime tollitur. Medicamentum ejus fortuitum [72] eſt, uno die febris, quæ humorem noxium abſumat. Pus [73], quo craſſius & albidius eſt, eo periculi minus eſt. Prodeſt etiam infra os ulcerum lædi [74], quo plus puris exeat; & id, quo [75] ibi corruptum corpus eſt, extrahatur. Sed tamen, ſi febricula acceſſit, abſtinentia, lectulo, alvi ductione opus eſt. In omni vero ſacro igni, neque lenibus & glutinoſis cibis, neque ſalſis & acribus utendum eſt; ſed iis, quæ in-

70. *videbatur*) Al. *videbitur*.

71. *malo*) Al. *modo*.

72. *fortuitum*) Fortunæ enim eſt, non artis. Lindenius leg. *fortiſſimum*, ut eſt in Editionibus ann. 1493. 1497. & in Juntina, & in Ruelliana; & ut in Codice quodam ſe inveniſſe, Conſtantinus affirmat. Ego & in Mediceis aliiſque Mſs. & in Edit. I. inveni, *fortuitum*.

73. *Pus*) Ita ex Lindenio. Sed Lindenio præivit Foeſius in adnotat. ad lib. 2. Prædict. utriſque vero Conſtantinus, qui margini adſcripſerat, *Cujus pus*. Alii leg. *Cujus*, ut eſt in Mſs.

74. *infra os ulcerum lædi*) Codices Mſs. multi habent, *vulnerum*; omnes, *lædi*. Videtur hic ſenſus eſſe: incidendum eſt infra ulcera. Sed verba corrupta ſunt. Conſtantinus ex conjectura legit, *cædi*; quod Lindenius in contextum recepit. Attamen *cædere* hac ſignificatione non invenitur apud Celſum: *incidere* multis in locis occurrit. Lib. 3. cap. 12. *Incidendum quoque ſuper talum quatuor fere digitis a parte interiore, qua per aliquot dies frequens humor feratur*; lib. 4. cap. 4. ſect. 1. *ultimum eſt, incidere ſatis altis plagis ſub ipſis maxillis ſupra collum &c. ut per ea vulnera morbus erumpat*. Quod ad *os ulcerum* pertinet, quamvis Virgilius lib. 3. Georgic. ubi loquitur de ovium ſcabie, dixit;

ſi quis ſummum potuit reſcindere ferro
Vlceris os;

Celſum tamen hoc loco dixiſſe vix credo. *Os fiſtulæ* ſæpe nominat; ſed id nihil ad rem. Nam fiſtula ulcus altum eſt, quod ſinum, ideoque & os habet: ſacer ignis autem ſummæ dumtaxat cutis exulceratio eſt ſine altitudine. Lindenius ita edidit: *infra ulcera locum cædi*. Ego libenter legerim, *infra* (vel *circa*) *ulcera incidere*; ut alibi Celſus loquitur. Lib. 5. cap. 27. ſect. 3. *Neque alienum eſt, ante ſcalpello circa vulnus incidere, quo plus vitiati jam ſanguinis extrahatur*. Sed, invitis Codicibus, nihil in textu mutare auſim.

75. *quo*) Quidam leg. *quod*: omnes vero, præter Lindenium, *extrahat*. In Cod. Mediceo I. eſt, *quo*, & *extrahitur*.

inter utrumque ſunt: qualis eſt panis ſine fermento, piſcis, hœdus, aves [76], exceptoque apro, omnis fere venatio. Si non eſt febricula, & geſtatio utilis eſt, & ambulatio, & vinum auſterum, & balneum. Atque in hoc quoque genere potio magis liberalis eſſe, quam cibus, debet. Ipſa autem ulcera, ſi mediocriter ſerpunt, aqua calida; ſi vehementius, vino calido fovenda ſunt: deinde acu puſtulæ, quæcumque ſunt, aperiendæ: tum imponenda ea, quæ putrem carnem exedunt [77]. Vbi inflammatio ſublata, ulcuſque purgatum eſt, imponi lene medicamentum debet. In altero autem genere, poſſunt proficere mala cotonea in vino cocta, atque contrita: poteſt emplaſtrum vel Heræ [78], vel tetrapharmacum, cui quinta pars thuris adjecta ſit: poteſt nigra hedera ex vino auſtero cocta; ac, ſi celeriter malum ſerpit, non aliud magis proficit. Purgato ulcere, quod in ſumma cute eſſe propoſui, ſatis ad ſanitatem eadem lenia medicamenta proficient.

5. Chironium autem ulcus appellatur, quod & magnum eſt, & habet oras duras, calloſas, tumentes. Exit ſanies non multa, ſed tenuis; odor malus, neque in ulcere, neque in ejus humore eſt; nulla [79] inflammatio, dolor modicus eſt; nihil ſerpit: ideoque nullum periculum adfert; ſed non facile ſaneſcit. Interdum tenuis cicatrix inducitur, deinde iterum rumpitur, ulcuſque renovatur. Fit maxime in pedibus & cruribus. Super id imponi debet, quod & lene aliquid, & vehemens, & reprimens habeat; quale ejus rei cauſa fit ex his: ſquamæ æris, plumbi eloti combu-

76. *aves*) Fortaſſe legendum, *avis*. Sic lib. 4. cap. 5. *Ex quo colligi poteſt, neque avem, neque venationem, neque piſcem dari debere, niſi generis durioris;* lib. 5. cap. 26. ſect. 30. *nam & avis & venatio dari poteſt*.

77. *exedunt*) *exedant* alii legunt ex Cæſario.

78. *Heræ*) Neque *Heræ*, ut Lindenius legit, neque, ut alii habent cum Mſs. *Hieræ* emplaſtrum Celſus ſupra poſuit. *Heræ compoſitio* eſt in cap. 22. hujus libri; ſed aridum medicamentum eſt. Igitur Conſtantinus cenſet reponendum eſſe, *Hæcatei*, cujus emplaſtrum deſcribitur cap. 5. ſect. 16. Alii, ut idem Conſtantinus refert, legendum putant, *vel Hiera, vel emplaſtrum tetrapharmacum*.

79. *odor malus, neque in ulcere, neque in ejus humore eſt; nulla &c.*) Alii leg. *tumore*. Ego repoſui *humore* ex duobus Codicibus Mediceis, III. & VI. & Editione Aldina. Nam re vera in his ulceribus, quia non ſerpunt, neque putria ſunt, odor malus non eſt. Pro *nulla*, in Cod. Mediceo I. eſt *ulla*. Cujuſmodi Codicem nactus Conſtantinus, ita hunc locum reſtituendum cenſuit: *odor malus. Neque in ulcere, neque in ejus tumore ulla eſt inflammatio*: atque ita Lindenius legit.

buſti, ſingulorum p. ✠. IIII.[80] cadmiæ, ceræ, ſingulorum p. ✠. VIII. roſæ quantum ſatis eſt[81] ad ceram ſimul cum eis molliendam.

6. Fiunt etiam ex frigore hiberno ulcera, maxime in pueris, & præcipue pedibus, digitiſque eorum, nonnumquam etiam in manibus. Rubor cum inflammatione mediocri eſt: interdum puſtulæ oriuntur, deinde exulceratio: dolor autem modicus; prurigo major eſt: nonnumquam humor exit, ſed non multus, qui referre vel pus, vel ſaniem videtur. In primis multa calida aqua fovendum eſt, in qua rapa decocta; aut ſi ea non ſunt, aliquæ verbenæ ex reprimentibus. Si nondum adapertum ulcus eſt, æs, quam maxime calidum quis pati poteſt, admovendum eſt. Si jam exulceratio eſt[82], imponi debet alumen æqua portione cum thure contritum, vino adjecto[83], aut malicorium in aqua coctum, deinde contritum. Si ſumma detracta pellicula eſt, hic quoque melius lenia medicamenta proficiunt.

7. Struma quoque eſt tumor, in quo ſubter concreta quædam ex pure & ſanguine quaſi glandulæ oriuntur: quæ vel præcipue fatigare medicos ſolent; quoniam & febres movent, nec umquam facile matureſcunt; & ſive ferro, ſive medicamentis curantur, plerumque iterum juxta cicatrices ipſas reſurgunt; multoque poſt medicamenta ſæpius[84]: quibus id quoque accedit, quod longo ſpatio detinent. Naſcuntur maxime in cervice; ſed etiam in alis, & inguinibus, & in lateribus[85]. In mammis quoque fœminarum ſe

80. *p. ✠. IIII.*) Linden. *p. ✠. VI.*

81. *ſatis eſt*) Cod. Mediceus I. *ſatis ſit*.

82. *exulceratio eſt*) Idem Codex, *exulceratio facta eſt*.

83. *vino adjecto*) Al. *cum vino adjecto*. Ego ex fide Cod. Medicei I. & Conſtantini conjectura expuli *cum*. Lindenius leg. *tum vino adjecto*.

84. *multoque poſt medicamenta ſæpius*) Ita hunc locum Lindenius reſtituit; cui Mſs. plerique omnes ſuffragantur. Ante Lindenium legebatur: *multoque poſt medicamento eſt opus*; ut eſt in Mediceo I.

85. *& inguinibus, & in lateribus*) Galenus, Aetius, Paulus, aliique ex antiquis Medicis dixerunt, ſtrumas in cervice, in alis, in inguinibus naſci; in lateribus eaſdem fieri, unus dixit Celſus, ſi modo dixit. Suſpicionem enim mihi afferunt Mſs. Codices, in quibus ita legitur: *& inguinibus lateribus*. Vox *lateribus* fortaſſe inſerta eſt ex adnotatione aliqua; quemadmodum vox *talis* ſect. 14. hujus capitis, ubi vid. adnotat. 68. Neque hanc mihi ſuſpicionem eximere valet, quod ſcribit M. Aurelius Severinus lib. 4. de Recondita Abſceſſ. Natur. cap. 5. ſe in lateribus inveniſſe quiddam, quod ad ſtrumarum naturam accederet. Nam ibi raro admodum ſtrumæ oriuntur: Celſus vero loca indicat, in quibus frequentius fiunt; cujuſmodi ſunt alæ & inguina. At enim in mammis quoque fœminarum ſtrumas repertas eſſe notavit, quamvis id frequenter non eveniat. Nimitum

ſe reperiſſe, Meges [86] auctor eſt. Propter hæc & album veratrum recte datur, atque etiam ſæpius, donec ea digerantur: & medicamenta imponuntur, quæ humorem vel educant, vel diſſipent; quorum ſupra mentio facta eſt. Adurentibus quoque quidam utuntur, quæ exedant [87], cruſtaque eum locum adſtringant: tum vero ut ulcus curant. Quæcumque autem ratio curandi eſt, corpus, puro ulcere, exercendum atque alendum eſt, donec ad cicatricem perveniat. Quæ cum medici doceant, quorumdam [88] ruſticorum experimento cognitum, quem ſtruma male habet, eum, ſi anguem edit, liberari.

8. Furunculus vero, eſt tuberculum acutum cum inflammatione [89], & dolore; maximeque ubi jam in pus vertitur [90]. Qui ubi adapertus eſt, & exiit pus, ſubter apparet [91] pars carnis in pus verſa, pars corrupta ſubalbida, ſubrubra; quem [92] ventriculum quidam furunculi nominant. In eo nullum periculum eſt, etiamſi nulla curatio adhibeatur: matureſcit enim per ſe, atque erumpit. Sed dolor efficit, ut potior medicina ſit, quæ maturius liberet. Proprium ejus medicamentum galbanum eſt: ſed alia quoque ſupra comprehenſa ſunt [93]. Si cetera deſunt, imponi debet, primum

rum ſic notavit, ut ſingularem quamdam rem a clariſſimo profeſſore animadverſam. Ceterum, ſi vox *lateribus* retinenda eſt, malim præpoſitionem *in* ei demi, vel addi etiam *inguinibus*.

86. *Meges*) Lindenius leg. *chirurgus Meges*, quod in antiquis Editionibus & in aliquibus Mſs. ut in Mediceo I. ſit, *chirurgicus Meges*; ſcilicet ex adnotatione. Alii Codices vocem illam non habent; quam ego ex eorum fide ejeci.

87. *exedant*) Vulgo legitur, *exedunt*; deinde, *adſtringunt*. In Mſs. eſt, *adſtringant*: in aliis autem, *exedant*, quos ſequor; in aliis, *exedunt*.

88. *Quæ cum medici doceant, quorumdam &c.*) Lindenius leg. *Quæ cum medici doceant, ab iis requirenda. Quorumdam &c.* Vetus lectio optima eſt; neque contra Mediceorum Vaticanorumque Codicum auctoritatem, quidquam addendum.

89. *inflammatione*) Al. *inflatione*.

90. *vertitur*) In Mſs. & in Editionibus vetuſtioribus legitur, *vertit*. Re vera hoc verbum neutrorum more interdum uſurpatum fuit ab optimis Scriptoribus: Celſus tamen paſſivum *vertor* adhibere ſolet. Itaque Cæſarius aliique multi *vertitur* hoc quoque loco repoſuerunt. Nec aliud ſane frequentius mendum in Mſs. quod ſcilicet poſtrema ſyllaba tertiæ perſonæ paſſivorum per lineolam quamdam ſcriberetur, eamque librarii minus diligentes facile omitterent. Lindenius leg. *vergit*.

91. *& exiit pus, ſubter apparet &c.*) Ita repoſuit Lindenius, cum antea legeretur, ut ego inveni in Mſs. *& exit, ſuper apparet &c.* Fortaſſe Celſus ſcripſit, *& exiit pus, apparet &c.* atque ex *pus*, inverſis litteris, *ſup*, ex *ſup*, *ſup*, id eſt *ſuper*, ortum eſt.

92. *quem*) In Cod. Medic. I. *quam*.

93. *ſed alia quoque ſupra comprehenſa ſunt*) Scilicet cap. 18. hujus libri. Vide quæ adnotavi ad ſect. 16. & 19. illius capitis. In Cod. Medic. I. legitur: *& alia quoque quæ ſupra comprehenſa ſunt*.

mum non pingue emplaſtrum, ut id reprimat: deinde, ſi non repreſſit, quodlibet puri movendo accommodatum: ſi ne id quidem eſt, vel reſina, vel fermentum. Expreſſo pure, nulla ultra curatio neceſſaria eſt.

9. Φῦμα vero nominatur tuberculum furunculo ſimile, ſed rotundius & planius, ſæpe etiam majus. Nam furunculus ovi dimidii magnitudinem raro explet, numquam excedit: phyma etiam latius patere conſuevit; ſed inflammatio dolorque ſub eo minores ſunt. Vbi diviſum [94] eſt, pus eodem modo apparet: ventriculus, qui in furunculo, non invenitur [95]: verum omnis corrupta caro in pus vertitur. Id autem in pueris & ſæpius naſcitur & facilius tollitur: in juvenibus rarius oritur, & difficilius curatur: ubi ætas induravit, ne naſcitur quidem. Quibus vero medicamentis diſcuteretur, ſupra propoſitum eſt.

10. Φύγεθλον autem eſt tumor, non altus, latus [96], in quo quiddam puſtulæ ſimile eſt. Dolor diſtentioque vehemens eſt, & major quam pro magnitudine tumoris; interdum etiam febricula: idque tarde matureſcit, neque magnopere in pus convertitur. Fit maxime aut in cervice [97], aut in alis, aut in inguinibus. Panem [98],

94. *diviſum*) ferro apertum. Sect. 13. hujus cap. *Si diviſum eſt &c.* Lib. 7. cap. 7. ſect. 2. *Si pus ſe oſtendit, ſcalpello dividi* (tuberculum) *debet*. Alii leg. *evulſum*; ut eſt in Medic. I. Lindenius, *divulſum*; ut habet Codex quidam apud Conſtantinum. Ego ſic repoſui ex aliis Codicibus. Sic antem hunc locum interpungunt Conſtantinus & Lindenius, quos ego ſecutus ſum. Alii, *Vbi evulſum eſt pus, eodem modo apparet ventriculus, &c.* ſed perperam.

95. *apparet: ventriculus, qui in furunculo, non invenitur*) Ita legit Conſtantinus ex ſuo Codice, & Lindenius: & quidem optime. Alii; *apparet ventriculus, quod in furunculo non invenitur*; ut habet Codex Mediceus primus. Codices alii; *apparet ventriculus ut in furunculo, non invenitur*. Phyma non habet ventriculum illum, de quo in ſect. ſuperiore.

96. *latus*) Quidam leg. *ſed latus*.

97. *cervice*) Alii leg. *vertice*; ſed perperam.

98. *Panem*) Nonnulli Cæſarium ſequuntur, qui habet, *Panum*. Ita porro hunc tumorem appellat Plinius multis in locis, Scribonius Largus Compoſit. 263. Afranius & Nævius apud Nonium. Attamen dicitur etiam *Panis*; ut Critici contendunt. Et ſane Medicei, immo omnes fere Mſs. Codices hoc loco habent, *Panem*; multi, & quidem meliores, habent etiam cap. 18. hujus libri ſect. 19. Quam lectionem Rhodius confirmari ait auctoritate Juvenalis Satyra 6.

fœda aſpectu, ridendaque multo
Pane tumet facies.

Sed Juvenalem non recte interpretatur. Loquitur enim Poeta de quodam faciei medicamento, non de tumore. Verum tametſi aliorum Scriptorum auctoritates fortaſſe non ſuppetant ad hanc ſignificationem hujus vocis comprobandam, ea tamen tot & tam bonis Codicibus ſe tuetur apud Celſum, ut in Lexica referri mereatur.

ad ſimilitudinem figuræ, noſtri vocant. Atque id ipſum quo medicamento tolleretur, ſupra demonſtravi.

11. Sed cum omnes hi nihil niſi minuti abſceſſus ſint, generale nomen trahit latius vitium ad ſuppurationem ſpectans [99]. Idque fere fit aut poſt febres, aut poſt dolores partis alicujus, maximeque eos, qui ventrem infeſtarunt. Sæpiuſque oculis expoſitum eſt; ſiquidem latius aliquid [1] intumeſcit ad ſimilitudinem ejus, quod φῦμα vocari propoſui, rubetque cum calore, & paulo poſt etiam cum duritia, magiſque nocenter indoleſcit [2], & ſitim vigiliamque exprimit. Interdum tamen nihil horum in cute deprehendi poteſt; maximeque, ubi altius pus movetur: ſed cum ſiti vigiliaque ſentiuntur intus aliquæ punctiones. Et quod de ſubito durius non eſt, melius eſt [3]: & quamvis non rubet, coloris tamen aliter mutati eſt [4]. Quæ ſigna jam pure oriente naſcuntur: tumor [5] ruborque multo ante incipiunt. Sed ſi locus mollis eſt [6], aver-

99. *ad ſuppurationem ſpectans*) Conſtantinus vocem *totum* deeſſe putat. Lindenius igitur leg. *totum ad ſuppurationem ſpectans*. Sed nihil addendum. Nam ſenſus eſt: cum furunculus, phyma, & phygethlon nihil ſint, niſi minuti abſceſſus, generale nomen *abſceſſus* comprehendit etiam latius vitium, quodcumque ad ſuppurationem ſpectat: de quo ſcilicet continuo dicetur. Huc ſpectant verba illa lib. 7. cap. 2. *In iis autem negotium majus eſt, quæ per ſe, vitio intus orto, intumeſcunt, & ad ſuppurationem ſpectant. Ea omnia genera abſceſſuum eſſe alias propoſui &c.*

1. *aliquid*) Linden. *aliquando*.

2. *nocenter indoleſcit*) Hic locus in antiquis libris corruptus eſt. Legitur enim in aliis, *innocenter indoleſcit*; in Mediceo I. *inde venter indoleſcit*. Conſtantinus vocem utramque mendoſam judicavit, & ita correxit: *nocenter adoleſcit*. Quaſi vero doloris mentio extra rem ſit: quæ tamen in primis neceſſaria eſt, & infra quoque habetur: *Crudum eſt autem, in quo major quaſi venarum motus eſt, & gravitas, & ardor, & diſtentio, & dolor, & rubor, & durities*. Itaque *indoleſcit* retinendum videtur; quod verbum Celſus uſurpat etiam lib. 8. cap. 9. ſect. 1. Sed *innocenter* profecto mendoſum eſt. Fortaſſe nec detracta prima ſyllaba recte habet. Attamen *nocenter*, quia ſenſum ſatis idoneum reddit, & jam a Lindenio receptum eſt, rejiciendum non putavi. Nec vero quidquam habebam, quod potius ſequerer. Si tamen *nocenter* recte habet, ego malim, *id nocenter*; quod *innocenter* ex eo factum videatur. Senſus eſt, id pernicioſius indoleſcere, quam phyma, ſub quo, ut ſupra dictum eſt, *inflammatio dolorque minores ſunt*. Lindenius non modo *nocenter*, verum etiam *adoleſcit* recepit.

3. *melius eſt*) Aliqui Codices habent, *mollius eſt*.

4. *& quamvis non rubet, coloris tamen aliter mutati eſt*) Si verba recte habent, ſententia hæc eſſe videtur: ſi de ſubito cum duritie rubor quoque ſe remittit, non tamen in colorem naturalem, ſed in alium, ſublividum ſcilicet, aut ſubalbidum, mutatur, bene eſt: matureſcentis enim ſuppurationis indicium eſt. Conſtantinus ita legit ex conjectura: *& quod, quamvis rubet, coloris tamen in album mutati eſt*. Quam lectionem ſecutus Lindenius verba in textu mutavit.

5. *tumor*) Lindenius leg. *tumor enim*.

6. *ſi locus mollis eſt*) Lindenius leg. *nobilis*. Sed *mollis* legendum eſſe, ut Mſs. Codices habent, prima proximæ periodi verba ſignificant, *Si jam durior eſt*. Verba au-

avertendus materiæ aditus eſt per cataplaſmata, quæ ſimul & reprimunt, & refrigerant: qualia & alias & paulo ante in eryſipelate propoſui. Si jam durior eſt, ad ea veniendum eſt, quæ digerant, & reſolvant: qualis eſt ficus arida contuſa; aut fæx miſta cum cerato, quod ex adipe ſuilla coactum ſit; aut cucumeris [7] radix, cui ex farina duæ partes adjectæ ſint, ante ex mulſo decoctæ. Licet etiam miſcere æquis portionibus ammoniacum, galbanum, propolim, viſcum; ponduſque adjicere myrrhæ dimidio minus, quam in prioribus ſingulis erit. Atque emplaſtra quoque & malagmata idem efficiunt, quæ ſupra explicui. Quod per hæc diſcuſſum non eſt, neceſſe eſt, matureſcat. Idque quo celerius fiat, imponenda eſt farina hordeacea, ex aqua cocta *** recte miſcetur [8]. Eadem autem [9] hæc in minoribus quoque abſceſſibus, quorum nomina proprietateſque ſupra reddidi [10], recte fiunt. Eademque omnium curatio: tantum modo [11] diſtat. Crudum eſt autem, in quo major quaſi venarum motus eſt, & gravitas, & ardor, & diſtentio, & dolor, & rubor, & durities; &, ſi major abſceſſus eſt, horror, aut etiam febricula [12] permanet: penituſque condita ſuppuratione, ſi pro his, quæ alibi [13] cutis oſtendit, punctiones ſunt.

autem, quæ ſequuntur, *avertendus materiæ &c.* ita habentur in Codicibus quibuſdam, & in Editione Lindenii. Alii leg. *avertendus is materiæ &c.*

7. *cucumeris*) Fortaſſe deeſt vox *ſilveſtris*, ut Conſtantinus ſuſpicatus eſt: non tamen auſim cum Lindenio reponere vocem iſtam, cum ab omnibus Mſs. abeſſe videam. Et quamquam ad reſolvenda diſcutiendaque ea, quæ coierunt, ſilveſtris potiſſimum cucumeris radice uti conſuerint, ut ex Dioſcoride, Galeno, & Celſo ipſo cap. 18. ſect. 7. & 13. hujus libri colligitur: quædam tamen Plinii verba faciunt, ut ne ſativus quidem cucumis ea facultate carere videatur. Expoſitis enim, quæ ſilveſtres cucumeres præſtant, hæc addit lib. 20. cap. 2. *Multi eadem omnia ſativis attribuunt.*

8. *farina hordeacea ex aqua cocta *** recte miſcetur*) Pro *ex aqua* alii leg. *ex qua*, al. *& aqua*. In Cod. Mediceo I. & in Vaticano VI. eſt, *quæ ex aqua*. Poſt *cocta* deeſt aliquid ex iis, quæ pus movent, quod cum farina hordeacea miſcendum eſt: reſina, an ſevum, an adeps, an oleum, quis dixerit? Lindenius ita edidit: *farina ordeacea, ex aqua cocta, cui & olerum aliquid recte miſcetur*; quæ olim fuerat Conſtantini conjectura, nullo tamen Codicum teſtimonio confirmata.

9. *autem*) Linden. *aut*.

10. *reddidi*) Ita in antiquis libris. Lindenius leg. *edidi*.

11. *tantum modo*) Alii ex Juntina Editione leg. *tantummodo*; atque ita eſt etiam in Codicibus Mediceis; ſed perperam. Editionibus a Morgagno jam allatis, quæ habent *tantum modo*, per voces duas, adde principem Florentinam, & pervetuſtam an. 1493.

12. *aut etiam febricula*) Pro *aut*, quam particulam non modo in vulgatis libris, verum etiam in Mſs. inveni, Lindenius reponit, *atque*.

13. *penituſque condita ſuppuratione, ſi pro his, quæ alibi &c.*) Vbi ſuppuratio condita

Vbi iſta ſe remiſerunt, jamque is locus [14] prurit, & aut ſublividus, aut ſubalbidus eſt, matura ſuppuratio eſt: eaque [15], ubi vel per ipſa medicamenta [16], vel etiam ferro aperta eſt, pus debet emitti. Tum ſi qua in alis, vel inguinibus ſunt, ſine linamento nutrienda ſunt. In ceteris quoque partibus, ſi una plaga exigua eſt [17], ſi mediocris ſuppuratio fuit, ſi non alte penetravit, ſi febris non eſt, ſi valet corpus, æque linamenta ſupervacua ſunt: in reliquis, parce tamen, nec, niſi magna plaga eſt [18], imponi debent. Commode vero vel ſuper linamenta, vel ſine his imponitur lenticula ex melle, aut malicorium ex vino coctum: quæ & per ſe & miſta idonea ſunt. Si qua circa duriora ſunt, ad ea mollienda, vel malva contrita, vel fœni Græci linive ſemen ex paſſo coctum ſuperdandum eſt. Quidquid deinde impoſitum eſt, non adſtringi, ſed modice deligari debet. Illo neminem decipi decet, ut

ta eſt, ſi pro iis, quæ in aliis ſuppurationibus cutis oſtendit, punctiones ſunt, nondum maturam eſſe cognoſcimus. Hæc ad illa refert, quæ ſupra ſcripſit: *Interdum tamen nihil horum in cute deprehendi poteſt; maximeque ubi altius pus movetur: ſed cum ſiti vigiliaque ſentiuntur intus aliquæ punctiones*. Lectio tamen hujus loci varia eſt. Ego ſic repoſui ex multis Mſs. ſed in iis perperam verba ita diſtinguuntur: *penituſque condita ſuppuratione. Si pro his quæ alibi &c.* Lindenius leg. *penitiuſque condita ſuppuratione, pro his, quæ alioqui &c.* Ante Lindenium legebatur, ut eſt in Cod. Mediceo I. *penituſque condita ſuppuratio. Si pro his, quæ alibi &c.* Sed Conſtantinus ita ſcripſerat in libri margine: *leg. Si pro his, quas alibi (ut ſupra lin.12.) ſatis oſtendi. Alii nihil reponunt quam pro alibi, alioquin.* Idem Conſtantinus infra, pro *ubi iſta*, reponit, *ubi iſtæ*.

14. *is locus*) Al. *cutis*.

15. *eaque*) Linden. *Ex qua*.

16. *vel per ipſa medicamenta*) Lindenius leg. *vel per ſe, vel per medicamenta*; fortaſſe quod in aliquo Codice invenerit, *vel per ſe ipſa medicamenta*. Neque enim Codices deſunt, in quibus ita ſcriptum ſit. Sed alterutrum inciſum videtur redundare in lectione illa. Nam ſuppuratio, quæ per medicamenta aperitur, ipſa per ſe, ſcilicet ſine ferro, aperitur; ut colligitur ex his verbis lib. 7. cap. 2. *ſatiſque eſt cataplaſmatibus efficere, ut per ſe pus aperiatur*. In eodem illo capite, huc reſpiciens Celſus; *Cetera eadem*, inquit, *inciſa ſuppuratione facienda ſunt, quæ, ubi per medicamenta rupta eſt, facienda eſſe propoſui*; verbaque illa, *per medicamenta rupta eſt*, reſpondent his, *per ipſa medicamenta aperta eſt*. Niſi quis forte legere malit, *vel per ſe ipſa*; rejecta voce *medicamenta*, tamquam inſerta ab aliis, qui *vel per ipſa* in ſuis Codicibus habuerint, quod *ſe* librarii omiſiſſent.

17. *ſi una plaga exigua eſt*) ſi ſimplex & exigua plaga eſt. *Nam majores ſinus*, inquit lib. 7. cap. 2. *latius; interdum etiam duabus, aut tribus lineis incidendi ſunt*. Nardius leg. *ſi una plaga, eaque exigua eſt*: Lindenius, *ſi ima plaga exigua eſt*, ut Conſtantinus invenit in quodam Codice. Sed *im* & *un* in Codicibus Mſs. facile variant, ut alio loco dixi. Medicei habent, *una*.

18. *nec, niſi magna plaga eſt*) Ita, poſt Conſtantini conjecturam, Lindenius edidit. Vox *magna* deeſt in antiquis Codicibus; ſed qui ſenſus eſt? An hæc verba aliena ſunt? Videntur ſane abeſſe poſſe, cum illa præcedant: *ſi una plaga exigua eſt . . . . . linamenta ſupervacua ſunt*. Niſi quod ſignificatur; etiamſi cetera adſint, quæ linamenta requirunt, ſcilicet corporis infirmitas, febris &c. tamen, niſi magna plaga eſt, linamenta imponenda non eſſe.

ut in hoc genere cerato utatur. Cetera, quæ pertinent ad purgandum ulcus, ad implendum, ad cicatricem inducendam, conveniunt quæ in vulneribus expoſita ſunt [19].

12. Nonnumquam autem ex ejuſmodi abſceſſibus, & ex aliis ulcerum generibus, fiſtulæ oriuntur. Id nomen eſt ulceri alto, anguſto, calloſo. Fit in omni fere parte corporis: habetque quædam in ſingulis locis propria [20]. Prius de communibus dicam. Genera igitur fiſtularum plura ſunt: ſiquidem aliæ breves ſunt, aliæ altius penetrant; aliæ rectæ [21] intus feruntur, aliæ multoque plures tranſverſæ; aliæ ſimplices ſunt, aliæ duplices tripliceſve, ab uno ore intus orſæ quæ fiunt, aut etiam [22] in plures ſinus dividuntur: aliæ rectæ, aliæ flexæ, & tortuoſæ ſunt; aliæ intra carnem deſinunt, aliæ ad oſſa aut cartilaginem penetrant, aut, ubi neutrum horum ſubeſt, ad interiora perveniunt: aliæ deinde facile, aliæ cum difficultate curantur, atque etiam quædam inſanabiles reperiuntur. Expedita curatio eſt in fiſtula ſimplici, recenti [23], intra carnem: adjuvatque ipſam corpus, ſi juvenile, ſi firmum eſt. Inimica contraria his ſunt: itemque, ſi fiſtula os, vel cartilaginem, vel nervum, vel muſculos læſit; ſi articulum occupa-

19. *conveniunt quæ in vulneribus expoſita ſunt*) id eſt eadem conveniunt, quæ &c. atque ita fortaſſe Celſus ſcripſit; ſed librarii vocem *eadem* omiſerunt, decepti ſimilitudine extremarum litterarum præcedentis vocis *inducendam*. Dixit autem *in vulneribus*, pro in eo loco, in quo de vulneribus dictum eſt. Ita cap. 26. ſect. 32. hujus lib. *eadem curatio adhibenda, quæ in recentibus vulneribus expoſita eſt*; lib. 7. cap. 12. ſect. 6. *poſtea facienda eadem ſunt, quæ in auribus aduſtis expoſita ſunt*. Hunc dicendi modum cum Cæſarius non ſatis advertiſſet, variare conatus eſt, *conveniuntque* reponens pro *conveniunt quæ*. Hunc multi ſunt ſecuti; inter ceteros Conſtantinus quoque & Lindenius; ſed hi duo tollunt præpoſitionem *in*.

20. *quædam in ſingulis locis propria*) Fortaſſe legendum: *quædam communia in omnibus, quædam in ſingulis locis propria*. Sic lib. 2. cap. 9. *Ex his* (curationibus) *quædam communes ſunt, quædam propriæ*; lib. 7. cap. 18. *Signa autem quædam communia ſunt, quædam propria*; lib. 8. cap. 11. *Suntque quædam communia omnium ſigna, quædam propria cujuſque*.

21. *rectæ*) Al. *recte*; Lindenius, *recta*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

22. *ab uno ore intus orſæ quæ fiunt, aut etiam &c.*) Ita in Codicibus Mediceis; ſed mendoſe. Vulgo alii aliter correxerunt. In Editionibus vetuſtis vox *tres* inſerta eſt inter *quæ*, & *fiunt*. Conſtantinus exiſtimabat verba ita collocanda eſſe: *ab uno ore orſæ, quæ intus tres fiunt, aut etiam &c.* Eodem fere modo Lindenius edidit, *quæ ab uno ore orſæ; intus tres fiunt, aut etiam &c.* Mihi detrahenda potius quædam videntur, quam quidquam addendum. Fortaſſe legendum eſt, *ab uno ore orſæ, aut etiam &c.* Cetera ſunt ab explanatoribus.

23. *recenti*) Conſtantinus legendum cenſet, *recta*, tum hic, tum infra, ubi communiter legitur: *Sed ſi in carne & recens & ſimplex eſt*. Sed ratio, & veteres Codices ei adverſantur.

pavit; ſi vel ad veſicam, vel ad pulmonem, vel ad vulvam, vel ad grandes venas arteriaſve, vel ad inania, ut guttur [24], ſtomachum, thoracem penetravit. Ad inteſtina quoque eam tendere, ſemper periculoſum, ſæpe peſtiferum eſt. Quibus multum mali accedit, ſi corpus vel ægrum, vel ſenile, vel mali habitus eſt. Ante omnia autem demitti ſpecillum in fiſtulam convenit, ut, quo tendat, & quam alte perveniat, ſcire poſſimus; ſimul etiam protinus [25] humida, an ſiccior ſit: quod extracto ſpecillo patet. Si vero os in vicino eſt, id quoque diſci poteſt [26], ſi jam, nec ne, eo fiſtula penetravit, quatenus nocuerit. Nam ſi molle eſt quod ultimo ſpecillo contingitur, intra carnem adhuc vitium eſt: ſi magis id renititur, ad os ventum eſt. Ibi deinde ſi labitur [27] ſpecillum, nondum caries eſt: ſi non labitur, ſed æquali innititur [28], caries quidem, verum adhuc levis eſt: ſi inæquale quoque & aſperum ſubeſt, vehementius os exeſum eſt. At cartilago ubi ſubſit, ipſa ſedes docet; perventumque eſſe ad eam, ex renisu patet. Et ex his quidem [29] colliguntur fiſtularum ſedes, ſpatia, noxæ. Simplices vero eæ ſint, an in plures partes diducantur, cogno-

24. *ad inania, ut guttur*) Lindenius leg. *ad maxillas, guttur*. Sed nihil mutandum. In Cod. Mediceo I. mendoſe eſt *aut*, pro *ut*.

25. *ſimul etiam protinus*) Lindenius leg. *ſimul etiam, prorſus*.

26. *Si vero os in vicino eſt, id quoque diſci poteſt &c.*) Pro *quoque*, quod ego ex multis Mſs. repoſui, olim legebatur, *quod*, ut eſt in Mediceo I. Verba ſequentia, *ſi jam, nec ne, eo fiſtula penetravit, quatenus nocuerit*, ita leguntur in pleriſque Codicibus, atque in Editionibus Ald. Gryph. Pantin. Steph. & Ronſſei. In aliis vero Editionibus & in aliquibus Codicibus, pro *ſi*, eſt, *ſic*. In Mediceo I. ita habetur: *jam hinc ne eo quo fiſtula pervenerit penetravit quatenus nocuerit*. Omnino depravatus locus eſt; & voces quædam ab explanatoribus additæ videntur. Veriſimile eſt, ita Celſum ſcripſiſſe: *jamne eo fiſtula pervenerit, & quatenus nocuerit*; vel: *jamne eo fiſtula penetraverit, & ſi penetravit, quatenus nocuerit*. Conſtantinus & Lindenius totam periodum mutant. Primus ſuſpicatur legendum; *Si jam in oſſe vitium eſt, necne, id quoque diſci poteſt; & ſi jam eo fiſtula penetravit, quatenus nocuerit*. Secundus leg. *Id quoque diſci poteſt, in oſſe vitium ſit, necne: &, ſi jam eo fiſtula penetravit, quatenus nocuerit*.

27. *labitur*) Nonnulli leg. *elabitur*, ut eſt in Edit. an. 1538. Lindenius; *dilabitur*.

28. *ſi non labitur, ſed æquali innititur*) His verbis illa mox opponit: *ſi inæquale quoque & aſperum ſubeſt*; ex quibus argumentum Morgagnus firmiſſimum ducit, quo probat, hæc recte ſe habere, neque conjecturis ullis vexanda eſſe. Nam Conſtantinus, pro *ſed æquali*, *ſede qua* legendum putabat; fortaſſe quod *ſede* in aliquo Codice reperiſſet. Scaliger malebat, *ſede quali*. Lindenius leg. *ſi non dilabitur ſede, qua innititur*. Haud diffiteor *ſede* haberi in Codice Mediceo I. ſed idem mendum eſſe affirmo. Nec in verbis ceteris variatur.

29. *Et ex his quidem*) Ita ex Cod. Mediceo I. Alii leg. *Sed ex his quidem*; Lindenius, *Ex his quidem*.

gnoſci poteſt ex modo puris: cujus ſi plus fertur, quam quod ſimplici ſpatio convenit, plures ſinus eſſe manifeſtum eſt. Cumque fere juxta ſint caro, & nervus, & aliqua nervoſa, quales fere tunicæ membranæque ſunt, genus quoque puris docebit, num plures ſinus intus diverſa corporis genera perroſerint. Siquidem ex carne pus læve, album, copioſius fertur: at ex nervoſo loco, coloris quidem ejuſdem, ſed tenuius & minus [30]: ex nervo, pingue & oleo non diſſimile. Denique etiam corporis inclinatio docet, num in plures partes fiſtulæ penetrarint; quia ſæpe, cum quis aliter decubuit, aliterque membrum collocavit, pus ferri, quod jam deſierat, iterum incipit [31]; teſtaturque, non ſolum alium ſinum eſſe, ex quo deſcendat, ſed etiam in aliam corporis partem eum tendere. Sed ſi & in carne [32] & recens & ſimplex eſt, ac neque rugoſa [33] neque cava ſede, neque in articulo, ſed in eo membro, quod per ſe immobile, non niſi cum toto corpore movetur; ſatis proficiet emplaſtrum, quod recentibus vulneribus imponitur, dum habeat vel ſalem, vel alumen, vel ſquamam æris, vel æruginem, vel ex metallicis aliquid: exque eo collyrium fieri debet altera parte tenuius, altera paulo plenius, idque ea parte, qua tenuius eſt, antecedente [34] demitti oportet in fiſtulam, donec purus ſanguis ſe oſtendat: quæ in omnibus fiſtularum collyriis perpetua ſunt. Idem deinde emplaſtrum in linteolo ſuperimponendum, ſupraque injicienda ſpongia eſt, in acetum ante demiſſa: ſolvique quinto die ſatis eſt. Genus victus adhibendum eſt, quo carnem ali docui. Ac [35] ſi longius a præcordiis fiſtula eſt, ex intervallo [36] jejunum radiculas eſſe [37], deinde vomere, neceſſarium eſt. Vetuſtate calloſa fit [38] fiſtula. Callus autem neminem fallit, quia durus eſt, & aut

30. *& minus*) Hæ duæ voces abſunt a Cod. Mediceo I. neque ſunt neceſſariæ.

31. *iterum incipit*) Plerique vulgo omittunt *iterum*.

32. *Sed ſi & in carne*) Lindenius leg. *Si in carne*.

33. *rugoſa*) Ita in omnibus antiquis libris. Lindenius leg. *ſinuoſa*.

34. *ea parte, qua tenuius eſt, antecedente*) Ita ex Editione Lindenii, & Cod. Mediceo I. Alii leg. *ea parte, qua tenuius eſt, altera* (Conſtantinus corrigit, *alteram*) *antecedente*.

35. *Ac*) Ruellius, Conſtantinus, & Lindenius, *At*.

36. *ex intervallo*) Al. *intervallo*.

37. *eſſe*) *ediſſe* legunt plerique omnes. Ego ſecutus ſum Editionem Lindenii & Cod. Mediceum I.

38. *Vetuſtate calloſa fit &c.*) Nulla eſt in antiquis libris varietas. Lindenius ita legit: *Quum vetuſtate calloſa fit fiſtula* (*callus*

aut albus, aut pallidus. Sed tum validioribus medicamentis opus eſt: quale eſt, quod habet papaveris lacrimæ p. X. I.[39] gummi p. X. III. =.[40] cadmiæ p. X. IIII. atramenti ſutorii p. X. VIII. ex quibus aqua coactis collyrium fit: aut in quo ſunt gallæ p. X. =.[41] æruginis, ſandarachæ, aluminis Ægyptii, ſingulorum p. X. I.[42] atramenti ſutorii combuſti p. X. II. aut quod conſtat ex chalcitide, & ſaxo calcis[43]; quibus auripigmenti dimidio minus, quam in ſingulis prioribus eſt, adjicitur, eaque melle cocto excipiuntur. Expeditiſſimum autem eſt ex præcepto Megetis, æruginis raſæ p. X. II. conterere, deinde ammoniaci thymiamatis p. X. II. aceto liquare, eoque infuſo æruginem cogere[44]: idque ex primis medicamentis eſt. Sed ut hæc maximi effectus ſunt, ſi cui iſta non adſunt, facile tamen eſt callum quibuslibet adurentibus medicamentis erodere: ſatiſque eſt[45] vel papyrum intortum, vel aliquid ex penicillo in modum collyrii adſtrictum eo illinere. Scilla quoque cocta & miſta cum calce, callum exeſt. Si quando vero longior & tranſverſa fiſtula eſt, demiſſo ſpecillo, contra principium hujus in-

lus autem neminem fallit, quia durus eſt, & aut albus, aut pallidus) *tum validioribus &c.*

39. *p. X. I.*) In Codice Mediceo I. pro X. nota quædam eſt, cujus figura accedit ad figuram hujus litteræ, *a*. In Editionibus 1478. 1493. 1497. & in Juntina legitur, *p. I.*

40. *gummi p. X. III. =.*) In Cod. Mediceo I. *cummis p. p. III. =.* in aliis, *cummi* (in III. & VI. *cumini*) *p. X. IIII.* Vulgo alii leg. *gummi p. III.* alii, *gummi p. X. III.*

41. *p. X. =.*) In Cod. Mediceo I. *p. p. =.* & ita correctum eſt in IV. cum antea eſſet, *p. X. I.* ut ceteri Codices habent; & ut Egnatius, Stephanus, & Lindenius ediderunt. Alii leg. *p. x.* alii, *p. X.*

42. *p. X. I.*) Cod. Medic. I. *p. q. I.*

43. *ſaxo calcis*) In quibuſdam Mſs. pro *calcis*, mendoſe eſt *alchis*. Lindenius leg. *e ſaxo calce*.

44. *æruginem cogere*) Ita Lindenius legit. Ante ipſum legebatur: *ex ærugine colligere*. Cum tamen præpoſitio *ex* abſit a Cod. Mediceo I. facile intelligitur, *ærugine* ex *æruginem* corruptum eſſe. Neque *colligere* vitio carere videtur. Celſus hoc ſenſu *cogere* uſurpare ſolet: itaque Lindenio accedo. Paulo ſupra, *ex quibus aqua coactis collyrium fit*; cap. 17. ſect. 2. hujus lib. *arida medicamenta contrita humore non pingui, ut vino, vel aceto, coguntur*; cap. 19. ſect. 4. *aceti, quo fuligo & ærugo in unum cogantur*; cap. 20. ſect. 3. *quæ ex aceto, & coguntur, & ubi utendum eſt diluuntur*; ſect. 4. *ex paſſo coacta*. Mitto alia exempla, quod paſſim occurrant.

45. *adurentibus medicamentis erodere: ſatiſque eſt &c.*) Locus hic egregie a Lindenio reſtitutus eſt. Ita legitur etiam in Cod. Mediceo I. niſi quod, pro *erodere*, eſt *rodere*. Alii leg. *adurentibus medicamentis prodere, aut quibus hæc maxime in effectu ſunt erodere: ſatiuſque eſt &c.* Sed nemo non videt, adnotationem aliquam in textum irrepſiſſe. In pleriſque Mſs. omittitur *eſt*; in quibuſdam, pro *effectu*, legitur, *effecto*. Conſtantinus ita corrigendum putabat: *adurentibus medicamentis perdere, aut quibus ad hoc maximi effectus ſunt, erodere. Satiuſque eſt &c.*

incidi commodiſſimum eſt, & collyrium utrimque demitti [46]. At ſi duplicem eſſe fiſtulam vel multiplicem exiſtimamus, ſic tamen, ut brevis, intraque carnem ſit, collyrio uti non debemus; quod unam partem curet, reliquas omittat; ſed eadem medicamenta arida in calamum ſcriptorium conjicienda ſunt, iſque ori fiſtulæ aptandus, inſpirandumque, ut ea medicamenta intus compellantur: aut eadem ex vino liquanda ſunt; vel ſi ſordidior fiſtula eſt, ex mulſo; ſi calloſior, ex aceto; idque intus infundendum. Quidquid [47] inditum eſt, ſuperponenda ſunt, quæ refrigerent & reprimant: nam fere, quæ circa fiſtulam ſunt, habent aliquid inflammationis. Neque alienum eſt, ubi quis reſolverit, antequam rurſus alia medicamenta conjiciat, per oricularium clyſterem fiſtulam eluere, ſi plus puris fertur, vino; ſi callus durior eſt, aceto; ſi jam purgatur, mulſo, vel aqua, in qua ervum coctum ſit, ſic, ut huic quoque mellis paulum adjiciatur. Fere vero fit, ut ea tunica, quæ inter foramen & integram carnem eſt, victa medicamentis tota exeat [48], infraque ulcus purum ſit. Quod ubi contigit, imponenda glutinantia ſunt; præcipueque ſpongia melle cocto illita. Neque ignoro multis placuiſſe, linamentum in modum collyrii compoſitum tinctum melle demitti [49]: ſed celerius id glutinatur, quam impletur [50]. Neque verendum eſt, ne purum corpus puro

R r cor-

46. *collyrium utrimque demitti*) ſcilicet & ab ore fiſtulæ, & qua inciſum eſt. Eodem ſenſu lib. 7. cap. 5. dixit: *utrimque medicamento fovetur*. Ita cum Mediceo III. habent Codices alii multi, & Pantini, & Conſtantini, & Gryphii Editio; ſed hæc ultima in margine. In contextu habet, ut aliæ plures & Cod. Medic. I. *collyrium utrumque demitti*. Lindenius leg. *collyrium, quod volueris, demitti*. Nec deſunt qui legant, *utique*; ut ſcribit Conſtantinus.

47. *idque intus infundendum. Quidquid &c.*) Ego *idque* repoſui ex Cod. Mediceo I. interpunctionem præterea mutavi. Antea communiter legebatur: *atque intus infundendum, quicquid inditum eſt. Superponenda &c.* Infra, pro *conjiciat*, Lindenius leg. *injiciat*.

48. *victa medicamentis tota exeat*) Lindenius leg. *victa tot medicamentis exeat*; ut ſe in quodam Ms. reperiſſe, Conſtantinus adnotaverat. Sed mendum videtur eſſe in Codice illo, *tot* pro *tota*. Hæc vox in aliquibus Codicibus poſita eſt ante *medicamentis*. Codices alii habent, *victa tota medicamentis tota exeat*. Mediceus I. ſtat pro veteri lectione, quam ego ſecutus ſum.

49. *tinctum melle demitti*) Lindenius leg. *& tinctum melle, implendi cauſa demitti*. Ego particulam *&*, & duas voces, *implendi cauſa*, nullo in Codice inveni. Si aliquis Lindenii Codex eas habet, videtur ex gloſſemate habere.

50. *ſed celerius id glutinatur, quam impletur*) Non igitur adhibendum linamentum, quod ulcus glutinari non ſinit. Celſi ſententiam minime aſſecutus eſt Lindenius, qui leg. *ſed celerius ſic glutinatur, quam impletur*. Pro *id glutinatur*, Codices Medicei III. & VI. habent, *vel glutinatur*.

corpori junctum non coeat; adjectis quoque medicamentis ad id efficacibus; cum ſæpe exulceratio digitorum, niſi magna cura proſpeximus, ſaneſcendo in unum eos jungat.

13. Eſt etiam ulceris genus, quod a favi ſimilitudine κηρίον [51] a Græcis nominatur: idque duas ſpecies habet. Alterum eſt ſubalbidum, furunculo ſimile [52]; ſed majus, & cum dolore majore: quod ubi matureſcit, habet foramina, per quæ fertur humor glutinoſus & purulentus; nec tamen ad juſtam maturitatem pervenit. Si diviſum eſt, multo plus intus corrupti, quam in furunculo, apparet, altiuſque deſcendit. Raro fit niſi in capillis [53]. Alterum eſt minus, ſuper corpus eminens [54], durum, latum, ſubviride, ſubpallidum, magis exulceratum: ſiquidem ad ſingulorum pilorum radices foramina ſunt, per quæ fertur humor glutinoſus, ſubpallidus, craſſitudinem mellis, aut viſci referens, interdum olei: ſi inciditur [55], viridis intra caro apparet. Dolor autem, & inflammatio ingens eſt, adeo ut acutam quoque febrem movere conſuerint [56]. Super id, quod minus crebris foraminibus exaſperatum eſt, recte imponitur & ficus arida, & lini ſemen in mulſo coctum [57], & emplaſtra ac malagmata materiam educentia, aut quæ proprie huc pertinentia ſupra poſui [58]. Super alterum, & eadem medicamenta,

51. *κηρίον*) Sic repoſuit Lindenius, cum antea legerent, alii *melicera*, alii μελικηρία, alii μελίκηρον, alii μελικηρὶς. Lindenio ſuffragantur Codices Medicei; niſi quod primus habet, HPION, & *ſimilitudinem* pro *ſimilitudine*, ut littera κ vocis κηρίον præcedenti voci adhæſiſſe & in *m* mutata fuiſſe videatur. In Codice IV. pro græca voce lacuna eſt: ex quo fortaſſe factum eſt, ut Fontius ex ingenio repoſuerit, *melicera*, quod habet Editio princeps ab eo procurata. Ceterum id ulceris genus & Galenus, & Aetius & Græci alii κηρίον appellant. Lindenius in vocibus proximis, *a Græcis nominatur*, omittit præpoſitionem *a*.

52. *furunculo ſimile &c.*) Lindenius leg. *& furunculo ſimile; ſed majus, & cum magno dolore*.

53. *in capillis*) Ita Lindenius in textu habet; Conſtantinus in libri margine. Sed ante utrumque Pantinus vidit, ita ſcribendum eſſe, pro *in ſcapulis*, quod eſt in Mſs.

54. *minus, ſuper corpus eminens*) Sic ſectione proxima: *ſuper corpus quaſi verrucula eminet*. Quem locum ſi attendiſſet Conſtantinus, quid *ſuper corpus* ſignificet, facilius intellexiſſet; nec, pro *corpus*, *caput* hic legendum putaſſet. Lindenius Conſtantinum ſequitur; ſed leg. *minus, & ſuper caput eminens*, inſerta particula *&*. Aliqui ita habent: *minus ſuper corpus eminens*; adverbium *minus* ad *eminens* referentes.

55. *ſi inciditur*) Lindenius leg. *&, ſi inciditur*.

56. *conſuerint*) Al. *conſuerit*.

57. *in mulſo coctum*) Aliqui Mſs. Codices habent; *quod in mulſo coctum eſt*: Aldina Edit. *quod in vino coctum*.

58. *quæ proprie huc pertinentia ſupra poſui*) Cap. ſcilicet 18. hujus libri ſect. 18. Hæc verba videntur firmare, quod a me propoſitum eſt, κηρία ibi fortaſſe legendum eſſe, non μελικηρία.

ta, & farina ex mulſo cocta, ſic, ut ei dimidium reſinæ terebinthinæ miſceatur; & ficus in mulſo decocta, cui paulum hyſſopi contriti ſit adjectum; & uvæ taminiæ pars quarta fico adjecta. Quod ſi parum in utrolibet genere medicamenta proficiunt, totum ulcus uſque ad ſanam carnem excidi oportet. Vlcere ablato [59], ſuper plagam medicamenta danda ſunt, primum, quæ pus citent; deinde, quæ purgent; tum, quæ impleant.

14. Sunt vero quædam verrucis ſimilia; quorum diverſa nomina, ut vitia ſunt. Ἀκροχορδόνα Græci vocant [60], ubi ſub cute coit aliquid durius, & interdum paulo aſperius, coloris ejuſdem; infra tenue, ad cutem latius [61]: idque modicum eſt, quia raro fabæ magnitudinem excedit. Vix unum tantum eodem tempore naſcitur; ſed fere [62] plura, maximeque in pueris [63]; eaque nonnumquam ſubito deſinunt, nonnumquam mediocrem inflammationem excitant; ſub qua etiam in pus convertuntur [64]. At θύμιον [65] nominatur, quod ſuper corpus quaſi verrucula eminet, ad cutem tenue, ſupra latius [66], ſubdurum, & in ſummo peraſperum: idque

59. *oportet. Vlcere ablato* &c.) Ita in Editione Lindenii. In Codice Mediceo I. *oportebit. Vlcere ablato* &c. In aliis & Mſs. & impreſſis libris; *oportet, & ulcere ablato* &c.

60. *Græci vocant*) Vox *Græci* abeſt a Codice Mediceo I.

61. *infra tenue, ad cutem latius*) Contra thymium, de quo paulo poſt ſermo eſt: *ad cutem tenue, ſupra latius*. Nimirum acrochordon ac thymium tubercula quædam ſunt ad turbinis figuram accedentia, quorum alterum ſub cute increſcit, alterum cuti innaſcitur, & ſupra corpus eminet. Ita autem ſunt comparata, ut prius ad cutem baſim habeat, poſterius mucronem. Quidam variare conati ſunt. Lindenius leg. *infra ad cutem tenue, ſupra latius*; ut eſt in Ms. Conſtantini. Viderint alii quantum Codici illi ſit tribuendum. Ego quidem, cum Vaticani Mediceique a vetuſtis Editionibus nihil diſcrepent, antiquam lectionem conſervandam putavi.

62. *fere*) In Codice Mediceo I. deeſt adverbium hoc.

63. *in pueris*) Lindenius omittit præpoſitionem *in*.

64. *ſub qua etiam in pus convertuntur*) Ita in Cod. Mediceo I. In aliis, *ſunt quæ etiam in pus convertuntur*: atque ita habent libri editi omnes.

65. *At θύμιον*) Alii *thymion* latinis litteris ſcribunt. Lindenius tollit particulam *At*, legitque Ἀκροθύμιον, & infra *acrothymium*, tum *acrothymio*. Conſtantinus hic quidem adnotavit, in ſuo exemplari eſſe *Acrothymion*; infra vero nihil adſcripſit. Ego in omnibus antiquis libris *At thymion* ſcriptum reperi; infraque *thymium* (vel *timium*) & poſtea *thymio*.

66. *ad cutem tenue, ſupra latius*) Lindenius leg. *ad cutem latius, ſupra tenue*; ut habet in margine Conſtantini Editio, nullius tamen veteris Codicis teſtimonio allato. Medicei quidem Vaticanique veterem lectionem, quam ego ſecutus ſum, confirmant. Ac thymium ſub hac forma plerumque conſpicitur. Verum facile apparet, quænam cauſa ad hunc locum immutandum Conſtantinum ac Lindenium impulerit. Cum enim verba illa, *infra tenue, ad cutem latius*, ipſi ita legerent: *infra ad cutem tenue, ſupra latius*; hic *ad cutem latius*,

ſummum [67] colorem floris thymi repræſentat, unde ei nomen eſt; ibique facile finditur, & cruentatur; nonnumquam aliquantum ſanguinis fundit: fereque citra magnitudinem fabæ Ægyptiæ eſt, raro majus, interdum perexiguum. Modo autem unum, modo plura naſcuntur, vel in palmis, vel in inferioribus [68] pedum partibus: peſſima tamen in obſcœnis ſunt; maximeque ibi ſanguinem fundunt. Μυρμήκια autem vocantur humiliora thymio durioraque: quæ radices altius exigunt [69], majoremque dolorem movent; infra lata, ſupra autem tenuia; minus ſanguinis mittunt; magnitudine vix umquam lupini modum excedunt. Naſcuntur ea quoque aut in palmis, aut in inferioribus partibus pedum. Clavus autem nonnumquam quidem etiam alibi [70], ſed in pedibus tamen maxime naſcitur, præcipue ex contuſo [71]; quamvis interdum aliter: doloremque [72], etiamſi non alias, tamen ingredienti movet. Ex his acrochordon & [73] thymium ſæpe etiam per ſe finiuntur; & quo minora ſunt, eo magis: myrmecia & clavi ſine curatione vix umquam deſinunt. Acrochordon, ſi exciſa [74] eſt, nullam radiculam relinquit, ideoque ne renaſcitur quidem: thymio clavoque exciſis, ſubter rotunda radicula naſcitur [75], quæ penitus deſcendit ad carnem; ea-

rius, *ſupra tenue* repoſuerunt, quo thymium ab acrochordone differret.

67. *idque ſummum*) In Codice Mediceo I. *atque ſummum*: in Editione Lindenii *Id, quo ſummum*.

68. *vel in palmis, vel in inferioribus* &c.) Ita ex Lindenio; quam lectionem Codex Mediceus I. confirmat, in quo eſt, *vel in palmis, vel inferioribus* &c. Alii Codices ita habent: *vel in talis palmis vel in inferioribus* (al. *vel inferioribus*) &c. Editiones antiquæ: *vel in talis, vel palmis, vel inferioribus* &c. Sed vocem *talis* inſititiam eſſe, vel ex eo colligi poteſt, quod infra, ubi hæc de myrmeciis ſcribuntur: *Naſcuntur ea quoque aut in palmis, aut in inferioribus partibus pedum*; quæ verba locum hunc procul dubio reſpiciunt; nihil de talis occurrit.

69. *exigunt*) Conſtantinus legere mallet *adigunt*; Almeloveenius *agunt*, vel *exſerunt*. Sed omnes antiqui libri habent *exigunt*: & quidem recte. Infra quoque antiqui libri, *eaque relicta idem rurſus exigit*, non *exit*, ut Conſtantinus & Lindenius ediderunt. Vide quæ Morgagnus ſcripſit ad locum illum lib. 8. cap. 1. *Nam malæ cum toto eſſe, quod ſuperiores dentes exigit* &c.

70. *etiam alibi*) Particulam *etiam* Codex Mediceus I. non habet.

71. *præcipue ex contuſo*) Al. *præcipue tamen ex contuſo*. Linden. *præcipue autem ex contuſo*. Ego ita repoſui ex Codice Mediceo I.

72. *doloremque*) Codex Mediceus I. habet *dolorem*.

73. *&*) Codex Mediceus I. habet *aut*: alii Codices & omnes antiquæ Editiones *ſive*, quod Conſtantinus in *ſic &* mutandum putabat. Ego repoſui *&*, ut eſt in Edit. Lindenii.

74. *exciſa*) In multis Mſs. Codicibus legitur *exciſum*.

75. *ſubter rotunda radicula naſcitur*) *Subter* eodem modo adverbialiter adhibetur lib. 5. cap. 28. ſect. 7. *Struma quoque eſt tumor*, *in-*

eaque relicta idem rurſus exigit: myrmecia latiſſimis radicibus inhærent; ideoque ne excidi quidem ſine magna exulceratione poſſunt. Clavum ſubinde radere, commodiſſimum eſt: nam ſine ulla vi ſic molleſcit; ac [76] ſi ſanguinis quoque aliquid emiſſum eſt, ſæpe emoritur. Tollitur etiam, ſi quis eum circumpurgat; deinde imponit reſinam, cui miſcuit pulveris paulum, quem ex lapide molari contrito fecit. Cetera vero genera medicamentis adurenda ſunt: aliiſque id, quod ex fæce vini; myrmeciis id, quod ex alumine & ſandaracha fit, aptiſſimum eſt. Sed ea, quæ circa ſunt, foliis contegi debent, ne ipſa quoque exulcerentur: deinde poſtea lenticula imponi. Tollit thymium [77] etiam ficus in aqua cocta [78].

15. At puſtulæ [79] maxime vernis temporibus oriuntur. Earum plura genera ſunt. Nam modo circa totum corpus partemve aſpritudo [80] quædam fit, ſimilis iis puſtulis, quæ ex urtica, vel ex ſudore [81] naſcuntur: ἐξανθήματα Græci vocant. Eæque modo rubent, modo colorem cutis non excedunt. Nonnumquam plures, ſimiles varis oriuntur; nonnumquam majores: puſtulæ lividæ [82], aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato; ſubeſtque his [83] humor: ubi eæ ruptæ ſunt, infra quaſi exulcerata ca-

in quo ſubter concreta quædam ex pure & ſanguine quaſi glandulæ oriuntur. Lindenius leg. *ſubrotunda radicula naſcitur*. Et ſane in Codice Mediceo I. ſcriptum eſt *ſubrutunda*, non *ſubter rotunda*: ſed fortaſſe mendoſe. Itaque Codices ceteros & antiquas Editiones ſequi malui.

76. *ſine ulla vi ſic molleſcit; ac* &c.) Pro *molleſcit*, alii leg. *emolleſcit*. Codex Mediceus I. habet *molleſcit*, ut Lindenius edidit: ſed, pro *vi ſic*, mendoſe *vis hic*; & *hac* pro *ac*.

77. *lenticula imponi. Tollit thymium* &c.) Olim legebatur; *lenticula imponi ſolet. Tollit thymium* &c. Verbum *ſolet* Lindenius jure expulit; idque Codex Mediceus I. non habet. Sed idem, pro *thymium*, hic quoque repoſuit *acrothymium*. In Codice modo allato ita legitur: *lenticulam poni tollit thymum* &c.

78. *cocta*) Linden. *decocta*.

79. *puſtulæ*) Codex Mediceus I. hac ſectione *puſulæ* conſtanter ſcriptum habet: alii non item. Nam hic *puſtulæ*, & paulo infra *ſimilis iis puſtulis*: ſed mox *puſulæ lividæ*, & *puſularum genus*: poſtea rurſus *ad eas puſtulas*, & *ungi ex ceruſſa puſtulæ debent*. Ac ne idem ſæpius dicendum ſit, alicubi *puſulæ*, alibi vero *puſtulæ*, magna Codicum inconſtantia, in Celſo legitur.

80. *aſpritudo*) Ita in Codice Mediceo I. itemque in Codice Scaligeri, ut eſt in Lexico Scriboniano a Rhodio adnotatum; & in alio Conſtantini. Alii leg. *aſpredo*.

81. *vel ex ſudore*) In Codice Mediceo I. *vel ſudore*.

82. *nonnumquam majores: puſtulæ lividæ* &c.) Diſtinctionis notam, quæ eſt poſt vocem *majores*, alii omittunt. Lindenius ita leg. *nonnunquam majores. Puſtulæ, lividæ ſunt* &c. Sed verbum *ſunt* abeſt ab omnibus antiquis libris.

83. *his*) Linden. *illis*.

caro apparet: φλύκταιναι Græce nominantur [84]. Fiunt vel ex frigore, vel ex igni, vel ex medicamentis. Φλυζάκιον [85] autem paulo durior puſtula eſt, ſubalbida, acuta; ex qua ipſa quod exprimitur, humidum eſt. Ex puſtulis vero nonnumquam etiam ulcuſcula fiunt, aut aridiora, aut humidiora; & modo tantum cum prurigine, modo etiam cum inflammatione ac dolore; exitque aut pus, aut ſanies, aut utrumque. Maximeque id evenit in ætate puerili; raro in medio corpore; ſæpe in eminentibus partibus. Peſſima puſtula eſt, quæ ἐπινυκτὶς vocatur. Ea colore vel ſublivida, vel ſubnigra [86], vel alba eſſe conſuevit: circa hanc autem vehemens inflammatio eſt; & cum adaperta [87] eſt, reperitur intus exulceratio mucoſa, colore [88] humori ſuo ſimilis. Dolor ex ea ſupra magnitudinem ejus eſt: neque enim ea faba major eſt. Atque hæc quoque oritur in eminentibus partibus, & fere noctu; unde nomen quoque a Græcis ei eſt impoſitum [89]. In omni vero puſtularum curatione primum eſt, multum ambulare atque exerceri; ſi quid iſta prohibet, geſtari: ſecundum eſt, cibum minuere; abſtinere ab omnibus acribus & extenuantibus: eademque nutrices fa-

84. *φλύκταιναι Græce nominantur*) Codex Mediceus I. ita habet ΦΙΛΕΚΤΕΝΑΙ *greci nominantur*: II. III. V. VI. VII. ΦΛΥΚΤΑΙΝΑΙ *græce nominatur*. In IV. loco græcæ vocis ΦΛΥΚΤΑΙΝΑΙ, a librario omiſſæ, alia manu ſcriptum eſt *belcodes*, itaque legitur: *belcodes græce nominatur*: quo cum Codice princeps Florentina aliæque pervetuſtæ Editiones conſentiunt. Cæſariana, Ruelliana, & aliæ habent ἑλκῶδες, græcis litteris. Egnatius leg. φλυκταῖναι *græce nominatur*: Conſtantinus, ἑλκώδεις *Græce nominantur*: Stephanus, φλύκταιναι *græce nominantur*: Lindenius, Φλύκταιναι ἑλκώδεις *Græce nominantur*.

85. Φλυζάκιον) Alii cum Egnatio & Cæſario leg. *Pſydracion*: (nam quod habet Aldina Editio *Pſydiacion*, id manifeſtum eſt mendum). Et ſane in Codicibus Mediceis, primo & quarto exceptis, eſt *vel* ΥΔΡΑΚΙΟΝ. Sed in primo *Phyzacion*: atque ita prorſus habent Editiones antiquiores. Lindeniana, & Henrici Stephani Φλυζάκιον. Apud Auctorem quoque Coacarum Prænotionum ſect. 114. Foeſius in quibuſdam Codicibus, pro φλυζάκια, φυζάκια invenit. Ceterum Hieronymus Rubeus veterem lectionem ſuſtineri poſſe negat, quod φλυζάκιον idem ſit ac φλύκταινα, ut ſcribit Galenus ad loc. cit. Coac. Prænot. φλύκταιναι autem a Celſo ſupra deſcriptæ ſint. Sed argumentum hoc nullius eſt momenti; nec plus valet ſi φλυζάκιον, quam ſi, ut ipſi Rubeo placet, ψυδράκιον legatur. Nam idem Galenus ad lib. 2. Epidem. φλυκταινίδες exponit ψυδράκια; atque Hippocrates quoque, ut obſervat Foeſius, indiſcretis his nominibus uſus eſt.

86. *ſubnigra*) In Codice Mediceo I. legitur *nigra*.

87. *adaperta*) Lindenius leg. *aperta*.

88. *colore*) Al. *color eſt*.

89. *nomen quoque a Græcis ei eſt impoſitum*) Alii omnes leg. *nomen quoque a Græcis ei ἐπινυκτὶς eſt impoſitum*. Ego vocem ἐπινυκτὶς, quam credibile eſt ab explanatore aliquo additam fuiſſe, omiſi ex fide Codicis Medicei I.

facere oportet, ſi lactens puer ita affectus eſt. Præter hæc is, qui jam [90] robuſtus eſt, ſi puſtulæ minutæ ſunt, deſudare in balneo debet; ſimulque ſuper eas nitrum inſpergere, oleoque vinum miſcere, & ſic ungi; tum deſcendere in ſolium. Si nihil ſic proficitur, aut ſi majus [91] puſtularum genus occupavit, imponenda lenticula eſt; detractaque ſumma pellicula, ad medicamenta lenia tranſeundum. Epinyctis poſt lenticulam, recte herba quoque ſanguinali, vel viridi coriandro curatur. Vlcera vero [92] ex puſtulis facta tollit ſpuma argenti cum ſemine fœni Græci miſta, ſic, ut his invicem roſa atque intubi ſuccus adjiciatur, donec mellis craſſitudo ei fiat [93]. Proprie ad eas puſtulas, quæ infantes male habent, lapidis, quem πυρίτην [94] vocant, p. ӿ. VIII. cum quinquaginta amaris nucibus miſcetur, adjiciunturque olei cyathi tres. Sed prius ungi ex ceruſſa puſtulæ debent, tum [95] hoc illini.

16. Scabies vero eſt durior cutis, rubicunda [96]; ex qua puſtulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam ſicciores. Exit ex quibuſdam ſanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens, ſerpit-

90. *jam*) Pantinus & Lindenius, *tam*; quos Cæſarii Editio an. 1538. decepit. Editio prima ejuſdem Cæſarii habet *jam*, ut eſt in Mſs. & ut alii legunt.

91. *majus*) Mſs. Codices alii, *malum*; alii, ut Mediceus I. *majus*, alii habent utramque vocem. Vulgati omnes, *majus*.

92. *Vlcera vero*) Particula *vero* non eſt in Cod. Mediceo I.

93. *craſſitudo ei fiat*) Ita in Codice modo allato & Lindenii Editione. In Editionibus vetuſtis & Codicibus aliis omittitur *ei*: quo modo eſt ſect. proxima, *dum mellis craſſitudo fiat*; & cap. 25. hujus libri ſect. 3. ſine ulla Codicum varietate, *donec craſſitudo ſordium fiat*. Attamen ſect. 17. ejuſdem cap. habetur; *donec mellis craſſitudo his fiat*.

94. *πυρίτην vocant*) Alii plures habent *pyriten* latinis litteris. Lindenius leg. *πυρίτην Græci vocant*.

95. *tum*) Linden. *& tum*.

96. *durior cutis, rubicunda*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Vaticano VI. Modus tamen dicendi durior eſt; neque Celſum ſic locutum exiſtimo. Quod vero in aliis eſt Codicibus & in Editionibus antiquioribus, *durior cutis rubicundus*, manifeſte mendoſum eſt. Aldina Editio & Cod. Vaticanus VII. habent, *humor cutis rubicundus*; Ruellius, Pantinus, aliique, Cæſario duce, leg. *durior cutis rubicundior*; Conſtantinus ex conjectura, *tumor durior cutis rubicundior*; alii, ut idem Conſtantinus adnotat, *durities cutis rubicundior*; atque ita edidit Lindenius. At Morgagnus ſuſpicatur, non *durior*, nec *durities* Celſum ſcripſiſſe, ſed fortaſſe *aſpritudo*; quemadmodum in ſuperiore ſect. *circa totum corpus partemve aſpritudo quædam fit*. Atque hanc ſuam conjecturam eo probabiliorem credit, quod paulo poſt ſequatur, *Quo aſperior eſt &c.* Adde & Paulum Æginetam lib. 4. cap. 2. ubi agit de ſcabie, ſic habere: *cutis aſpritudo eſt cum pruritu*; & Columellam lib. 7. cap. 5. de ovibus hoc malo affectis: *ſubeſt aſpera cutis, & velut quædam prurigo*; (al. *porrigo*, & quidem rectius). Ego tamen vocem *durior*, ſive quis malit *durities*, ſummovere non auſim; quia eamdem Celſus adhibet ſectione proxima, de ſimilitudine loquens, quam impetigo & ſcabies habent inter ſe. *Minime*, inquit, *mala eſt, quæ ſimilitudine ſcabiem repræſentat: nam & rubet & durior eſt &c.*

pitque in quibuſdam cito. Atque in aliis quidem ex toto deſinit, in aliis vero certo tempore anni revertitur. Quo aſperior eſt, quoque prurit magis, eo difficilius tollitur. Itaque eam, quæ talis eſt, ἀγρίαν, id eſt feram [97], Græci appellant. In hac quoque victus ratio eadem, quæ ſupra, neceſſaria eſt. Medicamentum autem ad incipientem hanc idoneum eſt quod fit ex ſpodii, croci, æruginis, ſingulorum p. ✻. =. [98] piperis albi, omphacii, ſingulorum p. ✻. I. cadmiæ p. ✻. VIII. At ubi jam exulceratio eſt, id, quod fit ex ſulphuris p. ✻. I. ceræ p. ✻. IV. picis liquidæ hemina, olei ſextariis duobus: quæ ſimul incoquuntur, dum craſſitudo mellis fiat [99]. Eſt etiam, quod ad Protarchum auctorem refertur. Habet [1] farinæ lupinorum ſextarium, nitri cyathos quatuor, picis liquidæ heminam, reſinæ humidæ ſelibram, aceti cyathos tres. Crocum quoque, lycium, ærugo, myrrha, cinis, æquis portionibus recte miſcentur, & ex paſſo coquuntur: idque omnem pituitam utique ſuſtinet [2]. Ac ſi nihil aliud eſt, amurca ad tertiam partem decocta, vel ſulphur pici liquidæ miſtum, ſicut in pecoribus [3] propoſui, hominibus quoque ſcabie laborantibus opitulantur.

17. Impetiginis vero ſpecies ſunt quatuor. Minime mala eſt, quæ ſimilitudine ſcabiem repræſentat: nam & rubet, & durior eſt,

97. *id eſt feram*) Alii voces has tres parentheſi includunt; Lindenius transfert poſt duas proximas *Græci appellant*. Sed fortaſſe explodendæ ſunt. Eamdem interpretationem veteres Codices habent ſect. 18. hujus capitis.

98. *p. ✻. =.*) Repoſui ſextantis notam, cum in Codice Mediceo I. ſit, *p. q. =*. Antea legebatur, *p. ✻. I.*

99. *incoquuntur, dum craſſitudo mellis fiat*) Pro *fiat*, Codex Mediceus I. habet *ſit*. Lindenius leg. *uſque ad craſſitudinem mellis incoquuntur*; quæ explicatio quædam eſt.

1. *Habet*) Ita in Codice Mediceo I. Palavicinus addidit *hoc*; unde in vulgatis legitur, *Habet hoc*. In aliis Mſs. *Habet hæc*.

2. *pituitam utique ſuſtinet*) reprimit, compeſcit; ut recte explicat Conſtantinus. Cap. 25. ſect. 4. hujus lib. *pituitam in oculos decurrentem tenent*. Sed & Conſtantinus & alii quoque leg. *ubique*; nec aliter habent Mſs. Codices. Lindenius repoſuit *utique*; in quo ſequendus videtur: non item in ceteris, quæ mutavit. Sic enim legit: *utique ſcabiem ſanat*. Sed Celſus humorem intelligit, qui puſtulas excitat: quo ſenſu *eruptiones pituitæ* Plinius dixit lib. 23. cap. 2. & 9. lib. 26. cap. 11. lib. 28. cap. 9. & alibi quoque.

3. *in pecoribus*) id eſt in libris Rei Ruſticæ: quam Conſtantini explicationem Critici omnes probant. Quod attinet ad modum dicendi, vid. adnot. 63. lib. 4. cap. 18. Lindenius leg. *de pecoribus*.

eſt, & exulcerata eſt [4], & rodit [5]. Diſtat autem ab ea, quod [6] magis exulcerata eſt, & varis ſimiles puſtulas habet; videnturque eſſe in ea quaſi bullulæ quædam, ex quibus interpoſito tempore ſquamulæ reſolvuntur [7]; certioribuſque hæc [8] temporibus revertitur. Alterum genus pejus eſt, ſimile [9] papulæ fere, ſed aſperius rubicundiuſque, figuras varias habens [10]: ſquamulæ ex ſumma cute diſcedunt [11], roſio major eſt, celerius & latius procedit, certioribuſque etiamnum, quam prior [12], temporibus & fit, & deſinit. Rubra cognominatur [13]. Tertia etiamnum deterior eſt: nam & craſſior eſt, & durior, & magis tumet; in ſumma cute finditur, & vehementius rodit; ipſa quoque ſquamoſa, ſed nigra; proceditque & late, nec tarde; & minus errat in temporibus, quibus [14] aut oritur, aut deſinit; neque ex toto tollitur. Nigræ co-

4. *exulcerata eſt.*) Videtur impetiginem Celſus vocare, quam Græci λέπραν appellant. Lindenius omittit *eſt*.

5. *rodit*) Ita Lindenius. Conſtantinus quoque margini adſcripſit *erodit*, pro *roditur*; ut alii legunt, & ego inveni in Mſs. Sed & infra Mediceus vetuſtior habet *vehementius roditur:* ubi alii Mſs. & omnes vulgati libri rectius, *vehementius rodit*.

6. *ab ea, quod &c.*) In Editionibus antiquioribus, *ab ea, quia &c.* Lindenius leg. *ab ea, quæ &c.* Ego ſecutus ſum Codicem Mediceum I. Alii Codices habent, *ab ea quæ ubi &c.*

7. *ſquamulæ reſolvuntur*) Lindenius leg. *quaſi ſquamulæ ſolvuntur*.

8. *hæc*) Ante Lindenium legebatur *hoc;* ut eſt in Mſs.

9. *genus pejus eſt, ſimile &c.*) In aliis Codicibus Mſs. legitur, *genus eſt ei ſimile*; in aliis, *genus eſt ei eſt ſimile*; in aliis, *genus eſt enim ei eſt ſimile*. Mediceus I. conſentit cum libris impreſſis, qui & ipſi inter ſe conſentiunt; niſi quod Lindenius edidit, *genus eſt pejus & ſimile &c.* cum alii habeant, *genus pejus eſt, ſimile &c.*

10. *habens*) In Codice Mediceo I. *habet*.

11. *diſcedunt*) *Diſcedere*, quemadmodum lib. 8. cap. 3. *abſcedere* & *recedere*. Neque tamen hæc lectio eſt omnino certa: nam Cod. Mediceus I. habet *deſcendunt*; fortaſſe pro *decedunt:* Lindenii Editio *decidunt*.

12. *etiamnum, quam prior*) Alii leg. *nonnumquam prior;* ſed perperam. Lindenius, *etiam, quam prior*. Ego ex Cod. Mediceo vetuſtiore, *etiamnum, quam prior*.

13. *Rubra cognominatur*) In Editionibus antiquis, & in Codicibus Mſs. *Rubrica;* quod fortaſſe ortum eſt ex proxima ſyllaba perperam duplicata. Lindenius repoſuit *Rubra*. Sic infra, *Nigræ cognomen eſt*.

14. *ſed nigra; proceditque & late, nec tarde; & minus errat in temporibus, quibus &c.*) Corruptus eſt hic locus in omnibus libris. Ita legitur in Codice Mediceo primo. In aliis; *ſed nigra procedit, et late, et tarde eminus ſerpit, in temporibus quibus:* neque ab his veteres Editiones diſcrepant; niſi quod aliter interpungunt, & omittunt vocem *quibus*, quæ deeſt etiam in Mſs. Mediceis IV. & V. & in Vaticano I. Fortaſſe locus ita reſtituendus eſt: *ſed nigra; proceditque & minus late & tarde; errat in temporibus, quibus &c.* Dixit paulo ante, ſecundum genus impetiginis celerius & latius procedere, quam primum; certioribuſque temporibus & fieri & deſinere; quamvis primum quoque genus certis temporibus revertatur. Nunc dicit, tertium genus in hoc a ſecundo differre, quod tarde & minus late procedit, incertiſque temporibus aut oritur aut deſinit. Conſtanti-

gnomen eſt. Quartum genus eſt, quod curationem omnino non recipit, diſtans colore: nam ſubalbidum eſt, & recenti cicatrici ſimile; ſquamulaſque habet pallidas, quaſdam ſubalbidas [15], quaſdam lenticulæ ſimiles; quibus demptis, nonnumquam profluit ſanguis. Alioquin vero humor ejus albidus eſt, cutis dura atque fiſſa eſt; proceditque latius. Hæc vero omnia genera maxime oriuntur in pedibus, & manibus; atque ungues quoque infeſtant. Medicamentum non aliud valentius eſt, quam quod ad ſcabiem quoque pertinere ſub auctore Protarcho retuli. Serapion autem, nitri p. ✱. II. ſulphuris p. ✱. IV. excipiebat reſina copioſa, eoque utebatur.

18. Papularum vero duo genera ſunt. Alterum, in quo [16] per minimas puſtulas cutis exaſperatur, & rubet, leviterque roditur; medium habet pauxillo lævius; tarde ſerpit: idque vitium maxime rotundum incipit, eademque ratione in orbem procedit. Altera autem eſt, quam ἀγρίαν [17] Græci appellant: in qua ſimiliter quidem, ſed magis cutis exaſperatur, exulceraturque, ac vehementius & roditur [18], & rubet, & interdum [19] etiam pilos remittit. Quæ minus rotunda eſt, difficilius ſaneſcit: niſi ſublata eſt, in impetiginem vertitur. Sed levis papula etiam, ſi jejuna ſaliva quotidie defricatur, ſaneſcit: major, commodiſſime murali herba tollitur, ſi ſuper eadem trita eſt [20]. Vt vero ad compoſita medicamenta veniamus, idem illud Protarchi tanto valentius in his eſt, quanto minus in his vitii [21] eſt. Alterum ad idem Myronis [22]: nitri rubri, thuris, ſin-

nus ſic legendum putat: *ſed nigra procedit: & late, & tarde, & minus ſerpit, neque in certis temporibus aut oritur, aut deſinit.* Lindenius edidit: *ſed nigra eſt: proceditque & latet, nec tardat: minus vero errat in temporibus, quibus &c.*

15. *pallidas, quaſdam ſubalbidas*) Tria hæc verba non habet Codex Mediceus I.

16. *Alterum, in quo &c.*) Ita in Cod. Mediceo I. Alii leg. *Altera eſt, in qua &c.* fortaſſe quia infra quoque eſt *Altera*. Lindenius, *Alterum eſt, in quo*; infra vero, *Alterum eſt*, omiſſa particula *autem*. Vtrumque genus Græci λειχῆνας vocant.

17. *quam ἀγρίαν*) In Mſs. & in omnibus fere Editionibus additur, *id eſt feram*. Ego ſecutus ſum Egnatium & Lindenium, qui putidam interpretationem omiſerunt. In Codice Mediceo I. *agrian* latinis litteris ſcribitur; in aliis, *agriam* per *m*.

18. *vehementius & roditur*) Omnes Medicei Codices, præter primum, habent, *vehementius eroditur*.

19. *& interdum*) Alii omittunt *&*. Addita eſt hæc particula a Lindenio, & habetur in Cod. Mediceo I.

20. *ſi ſuper eadem trita eſt*) Ita edidit Lindenius; cum antea legeretur, *ſi ſub ea detrita eſt*. In Cod. Mediceo I. *ſi ſub eadem tritaq. eſt*. Quorum nihil placet. Senſus eſſe videtur; ſi hæc trita ſuper illam ſit impoſita. Sed verba, opinor, depravata ſunt.

21. *vitii*) In Mſs. multis, *vitium*.

22. *Myronis*) Lindenii Editio, *Miconis*, & ſect. proxima, *Micone*. Et ſane Miconem

ſingulorum p. x. I. cantharidum purgatarum p. x. II. ſulphuris ignem non experti tantumdem, reſinæ terebinthinæ liquidæ p. x. XX. farinæ lolii ſext. III.[23] gith[24] cyathi tres[25], picis crudæ ſextarius[26].

19. Vitiligo quoque, quamvis per ſe nullum periculum adfert; tamen & fœda eſt, & ex malo corporis habitu fit. Ejus tres ſpecies ſunt. Ἄλφος vocatur, ubi color albus eſt, fere ſubaſper & non continuus, ut quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur: interdum etiam latius, & cum quibuſdam intermiſſionibus ſerpit. Μέλας colore ab hoc differt, quia niger eſt, & umbræ ſimilis: cetera eadem ſunt. Λευκὴ habet quiddam ſimile alpho, ſed magis albida eſt, & altius deſcendit; in eaque albi pili ſunt, & lanugini ſimiles. Omnia hæc ſerpunt: ſed in aliis celerius, in aliis tardius. Alphos & Melas in quibuſdam variis temporibus & oriuntur[27] & deſinunt: Leuce, quem occupavit, non facile dimittit. Priora curationem non difficillimam recipiunt: ultimum vix umquam ſaneſcit; ac, ſi quid ei vitio demptum eſt, tamen non ex toto ſanus color redditur. Vtrum autem aliquod horum ſanabile ſit, an non ſit[28]; experimento facile colligitur. Incidi enim cutis debet, aut acu pungi: ſi ſanguis exit, quod fere fit in duobus prioribus, remedio locus eſt; ſi humor albidus, ſanari non poteſt. Itaque ab hoc quidem abſtinendum eſt. Super id vero, quod curationem recipit, imponenda lenticula miſta cum ſulphu-

nem Celſus ſupra nominavit cap. 18. hujus libri ſect. 26. Hic tamen omnes veteres Codices habent *Myronis*, & infra, *Myrone*.

23. *ſext. III.*) Alii leg. *ſemis*, ut eſt in Editione I. Error ortus eſt ex non intellecta ſextarii nota, quam habent Mſs. Codices; ſcilicet ꞩ. *III*.

24. *gith*) Quidam ſcribunt *git* ſine adſpiratione. In Cod. Mediceo I. eſt *gitti*.

25. *cyathi tres*) Alii leg. *cyathos tres*; ut eſt in Codicibus Mſs. Sed recta conſtructio primum caſum poſtulat: itaque repoſui *cyathi* cum Lindenio.

26. *ſextarius*) Aldina Edit. *ſext.* Codices Medicei, excepto primo, *ſextarium*. Sed legendum *ſextarius*. In Codice Mediceo primo habetur, *ſpicis crudæ I.* ſcilicet cyathus. Hinc Editiones priſcæ, *picis crudæ unum*. Conſtantiniana *unum* habet in textu, *ſext.* in margine. Lindenius utrumque ſumpſit, & edidit, *ſext. unum*; oblitus ſe *cyathi*, pro *cyathos*, ſupra repoſuiſſe, ideoque & *ſext. unus* legi oportere. Ceterum in Cod. Mediceo I. ex Palavicini emendatione eſt, *ſext. I.* Et ſane picis crudæ cyathus ſatis eſſe non videtur ad arida medicamenta, quæ in hac compoſitione ſunt, cogenda.

27. *& oriuntur*) Lindenius omittit *&*.

28. *an non ſit*) Lindenius tollit verbum *ſit*. Eadem tamen hæc forma reperitur in lib. 7. cap. 2. *conſiderari debet, nervoſuſne is locus ſit, an non ſit*. Nec ipſe Lindenius aliter ibi legit.

re & thure, ſic, ut ea contrita ex aceto ſit [29]. Aliud ad idem, quod ad Irenæum auctorem refertur. Alcyonium, nitrum, cuminum [30], fici folia arida paribus portionibus contunduntur, adjecto aceto. His in ſole vitiligo [31] perungitur; deinde non ita multo poſt, ne nimis erodatur, eluitur. Proprie quidam [32], Myrone auctore, eos, quos Alphos vocari dixi, hoc medicamento perungunt: ſulphuris p. X. =. aluminis ſciſſilis p. X. =. nitri p. X. = =. [33] myrti aridæ contritæ [34] acetabulum miſcent, deinde in balneo ſuper vitiliginem inſpergunt farinam ex faba, tum hæc inducunt. Ii vero, quos Melanas vocari dixi, curantur, cum ſimul contrita ſunt alcyonium, thus, hordeum, faba, eaque ſine oleo [35] in balneo ante ſudorem inſperguntur; tum [36] genus id vitiliginis defricatur.

29. *ſit*) ſcilicet lenticula. Codex tamen Mediceus I. habet *ſint*.

30. *cuminum*) In Codice modo allato deeſt vox hæc.

31. *vitiligo*) In multis Mſs. Codicibus, *vitium*; in Mediceo III. *vituligo*: in I. tum hic, tum ſupra, *vitligo*; infra vero, *vitliginem* & *vitliginis*.

32. *quidam*) Ita ex Cod. Mediceo I. & Conſtantini conjectura. Alii leg. *quidem*.

33. *ſulphuris p. X. =. aluminis ſciſſilis p. X. =. nitri p. X. = =.*) In Cod. Mediceo I. *ſulphuris p. p. =. aluminis ſciſſilis p. p. =. nitri p. p. = =.* Ego X. pro p hic quoque, ut alibi, repoſui: quod ad cetera attinet, Codicem illum ſecutus ſum. In Codicibus aliis, *ſulphuris p. X. IIII.* reliqua deſiderantur. Sed in IV. illa, *p. X. IIII.* obliterata ſunt, & hæc alia manu margini adſcripta: *p. p. =. nitri p. p. = =.* Editiones omnes habent; *ſulphuris p. X. II. nitri p. X. IIII.* præter Aldinam, in qua eſt, *ſulphuris p. p. z. aluminis ſciſſilis p. p. z. nitri p. X. IIII.*

34. *myrti aridæ contritæ*) Alii leg. *myrrhæ aridæ contritæ*; nec veterum Codicum teſtimonio carent. Nam Medicei IV. & V. habent *myrræ*. Alii tamen, *myrtæ*. *Murta* autem, vel *myrta* alibi invenitur in Celſi Codicibus; ut ex meis adnotationibus cognoſci poteſt; idemque eſt ac myrtus. In Mediceo vetuſtiori habetur *murti*; in Edit. Aldina *myrti*: in utroque *radice contritæ*, pro *aridæ contritæ*. Ego, pro *myrrhæ*, repoſui *myrti*; ſed *aridæ contritæ* ex aliorum Codicum fide retinui, quod adjectum *aridæ* magis myrto conveniat, quam myrrhæ. Porro alia quoque compoſitio adverſus Alphum apud Paulum Æginetam lib. 4. cap. 6. habet myrtum; decoctamque ex myrti foliis aquam ad idem vitium proponit Dioſcorides lib. 1. cap. 155. Ceterum idem mendum Geſnerus animadvertit in quodam Vegetii Codice, in quo, pro *myrtam quoque aridam conteres*, ut vulgo legitur, eſt, *myrrham quoque &c.*

35. *faba, eaque ſine oleo*) Alii leg. *faba ſine oleo*. Sed Lindenii lectionem, quam ſequor, Mediceus primus, aliique optimæ notæ Codices confirmant. In aliquibus eſt, *fabæ* (vel *fabe*) *aque &c.* quod mendum unde ortum ſit, facile apparet. Prima ſcilicet littera vocis *eaque* in diphthongum coaluit cum extrema vocis præcedentis.

36. *tum*) Lindenius leg. *ac tum*. Videtur ſumpſiſſe ex margine Editionis Conſtantinianæ, ubi hic locus ita legitur: *cum ſimul contrita alcyonium, thus, hordeum, fabæ, ſine oleo in balneo inſperguntur, ac tum &c.*

LIBER SEXTVS.

I. DIxi de iis vitiis, quæ per totum corpus orientia, medicamentorum auxilia deſiderant: nunc ad ea veniam, quæ non niſi in ſingulis partibus incidere conſuerunt, orſus a capite. In hoc igitur capillis fluentibus maxime quidem ſæpe radendo ſuccurritur. Adjicit autem [37] vim quamdam ad continendum ladanum cum oleo miſtum. Nunc de iis capillis loquor, qui poſt morbum fere fluunt. Nam, quo minus caput quibuſdam ætate nudetur, ſuccurri nullo modo poteſt.

II. Porrigo autem eſt, ubi inter pilos quædam quaſi ſquamulæ ſurgunt, eæque a cute reſolvuntur; & interdum madent, multo ſæpius ſiccæ ſunt. Idque evenit modo ſine ulcere, modo exulcerato loco: huic quoque modo malo odore, modo nullo accedente. Fereque id in capillo fit [38], rarius in barba, aliquando etiam in ſupercilio: ac neque ſine aliquo vitio corporis naſcitur, neque ex toto inutile eſt. Nam bene integro capite, non exit: ubi aliquod in eo vitium eſt, non incommodum eſt, ſummam cutem potius ſubinde corrumpi, quam id, quod nocet, in aliam partem magis neceſſariam verti. Commodius eſt ergo ſubinde pectendo repurgare, quam id ex toto prohibere. Si tamen ea res nimium [39] offendit (quod humore ſequente fieri poteſt; magiſque ſi is etiam mali odoris eſt) caput ſæpe radendum eſt; dein id ſuper adjuvandum aliquibus ex leviter reprimentibus; quale eſt nitrum cum aceto, vel ladanum cum myrteo & vino [40], vel myro-

37. *autem*) Ita in Mſs. quibuſdam. Mediceus I. habet *enim*, ut eſt in vulgatis. Lindenius leg. *etiam*, quemadmodum Conſtantino legendum videbatur.

38. *in capillo fit*) id eſt in ea capitis parte, quæ capillo tegitur. Eodem modo loquitur in cap. 3. & in 4. Codex Mediceus I. addit *in capite*; quæ eſt interpretatio quædam in contextum temere illata.

39. *nimium*) Lindenius leg. *magis*; deinde, *quod nimium humore ſequente*.

40. *cum myrteo & vino*) h. e. cum oleo myrteo & vino. Sic autem Lindenius edidit; cui ſuffragatur Codex Mediceus vetuſtior. Porro oleo myrteo antiquos Medicos ad porriginem uti ſolitos, apparet ex Dioſcoride lib. 1. cap. 49. & ex Galeno lib. 1. de compoſit. medic. s. l. cap. 8. ubi etiam Damocratis compoſitio deſcribitur, ex ladano, ceruſſa, & ſulphure ignem non experto, quibus vinum & oleum myrteum adjiciebatur. Alii leg. *cum myrteo vino*.

robalanum cum vino. Si parum per hæc proficitur, vehementioribus uti licet; cum eo, ut ſciamus, utique in recenti vitio id inutile eſſe.

III. Eſt etiam ulcus, quod a fici ſimilitudine σύκωσις a Græcis nominatur. Caro excreſcit [41]: & id quidem generale eſt. Sub eo vero duæ ſpecies ſunt. Alterum [42] ulcus durum & rotundum eſt: alterum humidum & inæquale. Ex duro exiguum quiddam & glutinoſum exit: ex humido plus, & mali odoris. Fit utrumque [43] in iis partibus, quæ pilis conteguntur: ſed id quidem [44], quod calloſum & rotundum eſt, maxime in barba; id vero, quod humidum, præcipue in capillo. Super utrumque oportet imponere elaterium, aut lini ſemen contritum & aqua coactum, aut ficum in aqua decoctam, aut emplaſtrum tetrapharmacum ex aceto ſubactum. Terra quoque Eretria ex aceto liquata recte illinitur.

IV. Arearum quoque duo genera ſunt. Commune utrique eſt, quod emortua ſumma pellicula pili primum extenuantur, deinde excidunt: ac, ſi ictus is locus eſt, ſanguis exit liquidus, & mali odoris: increſcitque utrumque in aliis celeriter, in aliis tarde. Pejus eſt, quod denſam cutem, & ſubpinguem, & ex toto glabram fecit. Sed ea, quæ ἀλωπεκία nominatur, ſub qualibet figura dilatatur. Fit & in capillo, & in barba. Id vero, quod a ſerpentis ſimilitudine ὀφίασις appellatur [45], incipit ab occipitio; duorum digitorum latitudinem non excedit; ad aures duobus capitibus ſerpit; quibuſdam etiam ad frontem, donec ſe duo capita in priorem partem committant. Illud vitium in qualibet ætate eſt; hoc fere in infantibus: illud vix umquam ſine curatione, hoc per ſe ſæpe finitur. Quidam hæc genera arearum ſcalpello exaſ-

41. *Caro excreſcit*) Lindenius leg. *quia caro in eo excreſcit*.

42. *Alterum*) Lindenius leg. *Altera*, tum hic, tum infra.

43. *Fit utrumque*) Ita in Cod. Mediceo I. & Editione Lindenii. Alii interjiciunt particulam *vero*.

44. *id quidem*) Lindenius omittit *quidem*.

45. *a ſerpentis ſimilitudine ὀφίασις appellatur*) Omnes Mſs. Codices habent *ophis*; Editiones *ophiaſis*, vel ὀφίασις, græcis litteris. Pollux lib. 4. cap. 25. ſect. 192. ὄφις, ψίλωσις τριχῶν. Sed ibi quoque ὀφίασις legendum, Critici contendunt: quæ vox certiſſima eſt; ſiquidem reperitur apud Galenum, Oribaſium, Paulum Æginetam, Aetium, Actuarium. In Cod. Mediceo I. deeſt vox *ſerpentis*.

exaſperant: quidam illinunt adurentia ex oleo; maximeque chartam combuſtam: quidam reſinam terebinthinam cum thapſia inducunt. Sed nihil melius eſt, quam novacula quotidie radere: quia [46], cum paulatim ſumma pellicula exciſa eſt, adaperiuntur pilorum radiculæ. Neque ante oportet deſiſtere, quam frequentem pilum naſci apparuerit. Id autem, quod ſubinde raditur, illini atramento ſcriptorio [47] ſatis eſt.

V. Pene ineptiæ ſunt, curare varos, & lenticulas, & ephelidas: ſed eripi tamen fœminis cura cultus ſui non poteſt. Ex his autem, quæ ſupra propoſui [48], vari lenticulæque vulgo notæ ſunt; quamvis rarior ea ſpecies eſt, quam ſemion [49] Græci vocant; cum ſit ea lenticula rubicundior, & inæqualior. Ephelis [50] vero a pleriſque ignoratur: quæ nihil eſt, niſi aſperitas quædam & durities mali coloris. Cetera non niſi in facie: lenticula [51] etiam in alia parte nonnumquam naſci ſolet; de qua per ſe ſcribere alio loco, viſum operæ pretium non eſt. Sed vari commodiſſime tolluntur impoſita reſina, cui non minus [52] quam ipſa eſt, aluminis ſciſſilis, & paulum mellis adjectum eſt. Lenticulam tollunt galbanum & nitrum, cum pares portiones habent, contritaque ex aceto ſunt, donec ad mellis craſſitudinem venerint. His corpus illinendum, &, interpoſitis pluribus horis, mane eluendum eſt, oleoque leviter ungendum. Ephelidem tollit reſina, cui tertia pars ſalis foſſilis & paulum mellis adjectum eſt. Ad omnia vero iſta, atque etiam ad colorandas cicatrices, poteſt [53] ea compoſitio, quæ ad Tryphonem patrem auctorem refertur. In ea pares portiones

ſunt

46. *quia*) Al. *qua*. In Editione Lindenii & in Cod. Mediceo I. legitur *quia*.

47. *ſcriptorio*) quod ſiccandi vim habet, ut eſt apud Galenum lib. 9. de s. m. f. cap. 3. Stephanus & Lindenius leg. *ſutorio*; ſed ego *ſcriptorio* reperi in omnibus Mſs.

48. *quæ ſupra propoſui*) Codex Mediceus I. *quas ſupra poſui*: Tria hæc verba mihi ſuſpecta ſunt. Simile aliquid adnotavi in libro ſuperiore cap. 19. ſect. 24.

49. *ſemion*) Ita in Mſs. Codicibus; quod quid ſit, plane ignoro. Fortaſſe ſcripſit σημεῖον; & ſignum, ac velut impreſſam quamdam notam ſignificavit. Editiones antiquiores habent *xænion*. Egnatius legit, ξένιον; Cæſarius, φακὸν; Lindenius, φακίον; Ronſſeus in adnotationibus habet ξαίνιον; *deducto*, inquit, *vocabuli etbymo* ἀπὸ τοῦ ξαίνειν, *quod percutere ſignificat*.

50. *Ephelis*) Quidam habent Ἐφηλὶς, græcis litteris. Iidem tamen ſupra ſcribunt *ephelidas*, per litteras latinas.

51. *lenticula*) Ita in Cod. Mediceo I. Alii leg. *lenticulæ*; & deinde, *ſolent*.

52. *cui non minus*) Codex modo allatus habet, *cui minus*.

53. *poteſt*) Lindenius leg. *prodeſt*.

ſunt myrobalani magmatis [54], cretæ Cimoliæ ſubcæruleæ, nucum amararum, farinæ hordei atque ervi, ſtruthii albi, ſertulæ Campanæ ſeminis: quæ omnia contrita, melle quam amariſſimo coguntur, illitumque a veſpere uſque mane eluitur [55].

VI. 1. Sed hæc quidem mediocria ſunt. Ingentibus vero & variis caſibus oculi noſtri patent: qui cum magnam partem ad vitæ ſimul & uſum & dulcedinem conferant, ſumma cura tuendi ſunt. Protinus autem orta lippitudine, quædam notæ ſunt, ex quibus, quid eventurum ſit, colligere poſſimus. Nam ſi ſimul & lacrima [56] & tumor & craſſa pituita cœperint; ſi ea pituita lacrimæ miſta eſt; neque lacrima calida eſt [57], pituita vero alba & mollis, tumor non durus, longæ valetudinis metus non eſt. At ſi lacrima multa & calida, pituitæ paulum, tumor modicus eſt, idque in uno oculo eſt; longum id, ſed ſine periculo, futurum eſt. Idque lippitudinis genus minime cum dolore eſt; ſed vix ante viceſimum diem tollitur: nonnumquam per duos menſes durat. Quandoque finitur, pituita alba & mollis eſſe incipit, lacrimæque miſcetur. At ſi ſimul ea [58] utrumque oculum invaſe-

54. *myrobalani magmatis*) contuſi & preſſi myrobalani recrementi; de quo Dioſcorides lib. 4. cap. 160. ut notat Pantinus. Egnatius & alii leg. *myrobalani*, *crocomagmatis*: quod fortaſſe probarem, ſi in Ms. aliquo reperiſſem.

55. *illitumque a veſpere uſque mane eluitur*) In Cod. Mediceo I. ita habetur: *inlitumque aves pereuſque mane*; & deeſt *eluitur*. Sed prima littera vocis *uſque* eſt ab alia manu; a Palavicino ſcilicet, qui eam loco poſuit alius litteræ a ſe deletæ: ab eodemque additum eſt *inluitur*. In aliis Codicibus: *illitumque adveſpere mane eluitur*. In IV. tamen correctum eſt, *illitumque a veſpere uſque mane*; & ita eſt in vulgatis omnibus, qui verbum *eluitur*, quod in illo perperam expunctum eſt, retinent.

56. *ſi ſimul & lacrima*) Particula *ſi* deeſt in Editionibus antiquioribus & in Cod. Mediceo I. ſed habetur in Codicibus multis, & in Cæſariana, Lindeniana, aliiſque Editionibus. Nonnulli cum Ruellio leg. *ſimul ac lachryma*.

57. *neque lacrima calida eſt*) Ita edidit Lindenius. Sed ante eum Foeſius, veterem lectionem, *& ea lacrima calida eſt*, depravatam eſſe, & ſic corrigendam cenſuit: *neque ea &c.* Auctor enim libri 2. Prædict. unde hæc ſumpta ſunt, ita ſcribit: *ſi lacrima gramiæ permiſta, neque vehementer calida fuerit*. Sed fortaſſe legendum eſt, *nec ea lacrima calida eſt*, vel, quod malim, *& ea lacrima calida non eſt*. Codex Mediceus I. habet *ſi ea*, non *& ea*.

58. *Quandoque finitur, pituita alba & mollis eſſe incipit, lacrimæque miſcetur. At ſi ſimul ea &c.*) *Quandoque* pro *Quandocumque*; niſi forte id ipſum reponendum eſt. Ita ego reſtitui ex Cod. Mediceo I. qui tamen habet *eæ*. Ego malui *ea*, ut eſt in aliis Mſs. Ita porro legendum eſſe apparet ex illo Prædict. loco: *At ſi lacrima multa & calida cum pauciſſima gramia & exiguo tumore, idque ex altero oculo profluat, valde diuturnum id quidem, ſed ſine periculo fit; idque lippitudinis genus doloris expers eſt. Et in his præcipue judicatio conſideranda eſt, quæ prima quidem fit circa vigeſimum diem: quod tempus ſi ſuperat, quadrageſimus dies exſpectan-*

ſerunt, poteſt eſſe brevior, ſed periculum ulcerum eſt. Pituita autem ſicca & arida dolorem quidem movet, ſed maturius deſinit; niſi quid exulceravit. Tumor magnus, ſi ſine dolore eſt, & ſiccus, ſine ullo periculo eſt: ſi ſiccus quidem, ſed cum dolore eſt, fere exulcerat; & nonnumquam ex eo caſu fit, ut palpebra cum oculo glutinetur. Ejuſdem exulcerationis timor in palpebris pupilliſve eſt, ubi ſuper magnum dolorem lacrimæ ſalſæ calidæque ſunt [59]; aut etiam ſi, tumore jam finito [60], diu lacrima cum pituita profluit. Pejus etiamnum eſt, ubi pituita pallida [61] aut livida eſt, lacrima calida & multa [62] profluit, caput calet, a temporibus ad oculos dolor pervenit, nocturna vigilia urget: ſiquidem ſub his oculus plerumque rumpitur; votumque eſt, ut tantum exulceretur. Intus ruptum oculum febricula juvat: ſi foras jam ruptus procedit, ſine auxilio eſt. Si de nigro aliquid albidum factum eſt, diu manet. At ſi aſperum, & craſſum eſt, etiam poſt curationem veſtigium aliquod relinquit. Curari vero oculos ſanguinis detractione, medicamento, balneo [63], vino, vetuſtiſſimus auctor Hippocrates memoriæ prodidit. Sed eorum tempo-

ctandus eſt, aut ſi neque in his deſinit, in ſexaginta diebus ſolvitur. At toto tempore ad gramiam attentum eſſe oportet, num in digito miſceatur (in græco Codice eſt, ἢν ἐν τῷ δακτύλῳ τὶ μίσγηται; ſed Foeſius δακρύῳ legendum contendit) *& alba ac mollis fiat, idque præcipue ſub judicationis tempus; tum namque ubi finitur, id evenire ſolet. Quod ſi hæc utrumque oculum invaſerint, majus eſt ulcerum periculum, ſed brevi ſolvetur*. Cum olim legeretur, ut eſt in multis Mſs. *ſed quandoque finitur. Si pituita alba & mollis eſſe incipit, lacrimæque miſcentur; aut ſi ſimul hæ* (in Mſs. & in margine Edit. Conſtantin. *ſimul ea*); M. Aurelius Severinus vitium cognovit, ſatiſque idoneum remedium adhibuit. Sic enim ille reponendum cenſuit: *quandoque finitur, ſi pituita alba & mollis eſſe incipit, lacrimæque miſcentur. At ſi ſimul hæ &c.* At Lindenius ivit in alia omnia: nam ita edidit: *quandoque brevius finitur. Si pituita alba & mollis eſſe incipit, lachrymæque miſcetur, aut, ſi ſimul hæ &c.* Eodem fere ſenſu, *ſed quandoque ante finitur*, legendum putavit Ronſſeus.

59. *ſunt*) Ita ex quibuſdam Mſs. Alii leg. *eunt*, ut eſt in Mediceo I.

60. *tumore jam finito*) Ita Lindenius. Alii leg. *tumore infinito*; atque ita in Mſs. Codicibus inveni; ſed in Mediceo I. expunctum eſt *in*; quo modo veterem lectionem Conſtantinus caſtigandam cenſuit.

61. *pallida*) Alii leg. *calida*, ut eſt in Mſs. Conſtantinus tamen veterem librum affert, in quo eſt *candida*. Ego malui *pallida*, ex Foeſio & Lindenio; quod & ad antiquam lectionem propius accedit, & ad id, quod ſcripſit Auctor lib. 2. Prædict. quem Celſus ſequi videtur. Græca verba hæc ſunt: ἢν δὲ λῆμαι χλωραὶ καὶ πελιδναὶ ἔωσι, καὶ δάκρυον πολὺ καὶ θερμόν &c.

62. *& multa*) Ex ſeptem Mſs. Mediceis ſex ita habent. Vnus omnino, id eſt vetuſtior, *aut multa*; quæ eſt vulgaris lectio.

63. *balneo*) Lindenius leg. *balneo, fotu*; fortaſſe quia Conſtantinus hæc adnotaverat: *lib. 6. Aphor. 31. ubi eſt* πυρίη, *id eſt fomentum, quod Celſus omiſit*. Ego *fotu* nullo in Codice inveni; nec *fotu*, opinor, Celſus ſcripſiſſet, ſed *fomento*.

ra & cauſas parum explicuit: in quibus medicinæ ſumma eſt. Neque minus in abſtinentia & alvi ductione ſæpe auxilii eſt. Hos igitur interdum inflammatio occupat: ubi cum tumore in his dolor eſt; ſequiturque pituitæ curſus, nonnumquam copioſior vel acrior, nonnumquam utraque parte moderatior. In ejuſmodi caſu prima omnium ſunt quies & abſtinentia. Ergo primo die, loco obſcuro cubare debet, ſic, ut a ſermone quoque abſtineat; nullum cibum aſſumere; ſi fieri poteſt, ne aquam quidem; ſin minus, certe quam minimum ejus. Quod ſi graves dolores ſunt, commodius ſecundo die; ſi tamen res urget, etiam primo ſanguis mittendus eſt; utique ſi in fronte venæ tument, ſi firmo corpore [64] materia ſupereſt. Si vero minor impetus minus acrem curationem requirit, alvum, ſed non niſi [65] ſecundo tertiove die duci oportet. At modica [66] inflammatio neutrum ex his auxilium deſiderat; ſatiſque eſt, uti quiete & abſtinentia. Neque tamen in lippientibus [67] longum jejunium neceſſarium eſt, ne pituita tenuior atque acrior fiat: ſed ſecundo die dari debet id, quod leviſſimum videri poteſt ex iis, quæ pituitam faciunt craſſiorem; qualia ſunt ova ſorbilia: ſi minor vis urget, pulticula quoque, aut panis ex lacte. Inſequentibuſque [68] diebus, quantum inflammationi detrahetur, tantum adjici cibis poterit; ſed generis ejuſdem: utique ut nihil ſalſum, nihil acre, nihil ex iis, quæ extenuant, ſumatur; nihil potui præter aquam. Et victus quidem ratio talis maxime neceſſaria eſt. Protinus autem primo die, croci p. x. I. & farinæ candidæ quam tenuiſſimæ p. x. II. excipere oportet ovi albo, donec mellis craſſitudinem habeat: idque in linteolum illinere, & fronti agglutinare, ut, compreſſis venis, pituitæ impetum cohibeat. Si crocum non eſt, thus idem facit. Linteolo an lana excipiatur, nihil intereſt. Superinungi vero oculi debent, ſic, ut croci quantum tribus digitis comprehendi poteſt, ſumatur, myrrhæ ad fabæ,

64. *corpore*) Al. *corpori*.

65. *requirit, alvum, ſed non niſi &c.*) Pro *alvum*, in multis Mſs. eſt *alvus*. Lindenius leg. *requirit. Alvum non niſi &c.*

66. *At modica*) *At* omittitur in Cod. Mediceo I.

67. *in lippientibus*) Particula *in* abeſt a Codice modo allato.

68. *Inſequentibuſque*) Lindenius leg. *Inſequentibus*; ut habent Codices aliqui. Mediceus I. & veteres Editiones, *Inſequentibuſque*.

bæ, papaveris lacrimæ ad lenticulæ [69] magnitudinem, eaque cum paſſo conterantur, & ſpecillo ſuper oculum [70] inducantur. Aliud ad idem: myrrhæ p. x. I. [71] mandragoræ ſucci p. x. I. [72] papaveris lacrimæ p. x. II. foliorum roſæ, cicutæ ſeminis, ſingulorum p. x. III. acaciæ p. x. IIII. gummi [73] p. x. VIII. Et hæc quidem interdiu: noctu [74] vero, quo commodior quies veniat, non alienum eſt, ſuperimponere candidi panis interiorem partem ex vino ſubactam: nam & pituitam reprimit, & , ſi quid lacrimæ proceſſit, abſorbet, & oculum glutinari non patitur. Si grave id & durum, propter magnum oculorum dolorem, videtur, ovi & album & vitellus in vas defundendum eſt, adjiciendumque eo mulſi paulum, idque digito permiſcendum: ubi facta unitas eſt, demitti debet lana mollis bene carpta, quæ id excipiat, ſuperque oculos imponi. Ea res & levis eſt, & refrigerando pituitam coercet, & non exareſcit, & glutinari oculum non patitur. Farina quoque hordeacea cocta, & cum malo cotoneo cocto miſta, commode imponitur. Neque ab ratione abhorret, etiam penicillo potiſſimum uti expreſſo, ſi levior impetus eſt, ex aqua; ſi major, ex poſca. Priora faſcia deliganda ſunt, ne per ſomnum cadant: at hoc ſuperimponi ſatis eſt, quia & reponi ab ipſo [75] commode poteſt; &, cum inaruit [76], iterum madefaciendum eſt. Si tantum mali eſt, ut ſomnum diu prohibeat, eorum aliquid dandum eſt, quæ *ἀνώδυνα* Græci appellant: ſatiſque eſt puero, quod ervi; viro, quod fabæ magnitudinem impleat. In ipſum vero oculum

69. *lenticulæ*) Lindenius, *lentis*.

70. *ſuper oculum*) Ita in antiquis libris. Lindenius leg. *ſuper oculos*.

71. *p. X. I.*) Codex Mediceus I. *p. X.* Fortaſſe reponendum *p. X.* = . vel *p. X.* = = . vel *p. X. S.*

72. *p. X. I.*) Ita in Mſs. & in Editione prima. Sed in Editione illa poſt notam *I.* quædam eſt typorum macula, quam alii alterum *I.* eſſe putarunt, ideoque ediderunt *p. X. II.* Vox *ſucci*, quæ præcedit, deeſt in utraque Cæſarii Editione.

73. *p. X. III. acaciæ p. X. IIII. gummi*) Hæc non habet Codex Mediceus I. In reliquis ſex, pro *p. X. III.* habetur *p. X. IIII.* ut omnes vulgo legunt, præter Lindenium: & *cummis*, non *gummi*.

74. *noctu*) Codex Mediceus I. *nocte*.

75. *ab ipſo*) Lindenius addit *ægro*; quæ vox non extat in antiquis libris, neque neceſſaria eſt. Conſtantinus eam margini adſcripſit; ſed fortaſſe ad explanationem. Eodem modo Celſus loquitur lib. 7. cap. 7. ſect. 15. *Valentior tamen medicina eſt, ubi tenues conditæque venæ ſunt, ideoque legi non poſſunt, eodem modo cervice deligata, retentoque ab ipſo ſpiritu &c.*

76. *&, cum inaruit*) Lindenius leg. *& quia, cum inaruit*.

primo die, niſi modica [77] inflammatio eſt, nihil recte conjicitur: ſæpe enim potius concitatur eo pituita, quam minuitur. A ſecundo die [78], gravi quoque lippitudini per indita medicamenta recte ſuccurritur, ubi vel jam ſanguis miſſus, vel alvus ducta eſt, aut neutrum [79] neceſſarium eſſe manifeſtum eſt.

2. Multa autem multorumque auctorum [80] collyria ad id apta ſunt; noviſque etiamnum [81] miſturis temperari poſſunt; cum lenia medicamenta, & modice reprimentia, facile & varie miſceantur. Ego nobiliſſima [82] exſequar.

3. Eſt igitur Philonis, quod habet ceruſſæ elotæ, ſpodii, gummi, ſingulorum p. ж. I. papaveris lacrimæ combuſtæ p. ж. II. [83] Illud ſcire oportet, hic [84] quoque omnia medicamenta, ſingula primum per ſe teri, deinde miſta iterum, adjecta paulatim vel aqua, vel alio humore: gummi [85] cum quaſdam alias facultates habeat, hoc maxime præſtare [86], ut, ubi collyria diu [87] facta inaruerunt, glutinata ſint, neque frientur.

4. Dionyſii vero collyrium eſt: papaveris [88] lacrimæ combuſtæ,

77. *modica*) Quidam cum Cæſario leg. *immodica*; cui mutationi & Codices Mſs. repugnant, &, ut Morgagnus animadvertit, verba, quæ ſtatim ſequuntur, *ſæpe enim potius concitatur eo pituita, quam minuitur*. Verba quoque illa periodi proximæ, *gravi quoque lippitudini*, de leviori Celſum hic loqui ſignificant.

78. *A ſecundo die*) Lindenii Editio, *At ſecundo die*: ſed veteres Codices, *A ſecundo die*; quemadmodum lib. 8. cap. 5. *a tertio die fovendum id aqua calida eſt*; & cap. 9. *Ab uno vero & viceſimo die, quo utique os eſſe debet glutinatum, id agendum cibis uberioribus eſt, ut corpus quam pleniſſimum fiat*.

79. *aut neutrum*) Ita in Codice Mediceo I. & in Editione Lindenii. Alii leg. *aut ubi neutrum*.

80. *multorumque auctorum*) Lindenius omittit vocem *auctorum*.

81. *etiamnum*) Codex Mediceus I. *etiam*.

82. *Ego nobiliſſima*) Lindenius interjicit *autem*. Pro *Ego*, quidam leg. *Ergo*. Pro *nobiliſſima*, Codices Medicei, excepto primo, habent *nobilium*; quod Conſtantinus quoque reperit in alio Codice. Celſus tamen hoc modo dixit *nobiliſſimas compoſitiones* lib. 5. cap. 17. ſect. 1.

83. *p. ж. II.*) Sic repoſui ex multis Mſs. Antea legebatur *p. ж. I.* ut eſt in Mediceo primo.

84. *hic*) id eſt in collyriis. Reſpicit ad ea, quæ ſupra de emplaſtris ſcripſit lib. 5. cap. 17. ſect. 2. & propterea addit *quoque*. Alii leg. *hæc*.

85. *gummi*) In multis Mſs. additur *mixtum*; ſcilicet ex gloſſemate. Mediceus I. non habet vocem illam.

86. *præſtare*) Hoc infinitum regitur a verbis præcedentibus *ſcire oportet*: neque eſt neceſſe ſententiam abrumpere poſt vocem *humore*, & reponere *præſtat*, ut legunt Conſtantinus, & Lindenius.

87. *diu*) Plerique omittunt adverbium hoc.

88. *Dionyſii vero collyrium eſt: papaveris &c.*) Lindenius, ſecutus Editionem an. 1538. omittit ſecundam vocem. Fortaſſe & duæ ſequentes tollendæ, legendumque, *Dionyſii: papaveris*; ut hæc, & proxima periodus, *Cleonis nobile admodum*, & illa quoque, *Aliud ejuſdem valentius*, quæ poſtea ſequitur, ſenſum continuent cum periodo ſuperiore, *Eſt igitur Philonis*.

ſtæ, donec tenereſcat [89], p. X. I. [90] thuris combuſti, gummi, ſingulorum p. X. II. [91] ſpodii p. X. IIII.

5. Cleonis nobile admodum: papaveris lacrimæ frictæ p. X. I. croci p. X. =. [92] gummi p. X. I. [93] quibus, cum teruntur, adjicitur roſæ ſuccus. Aliud ejuſdem valentius: ſquamæ æris, quod ϛόμωμα appellant [94], p. X. I. croci p. X. II. ſpodii p. X. IV. plumbi eloti, & combuſti [95] p. X. VI. gummi tantumdem. Attalium quoque [96] ad idem eſt, maxime ubi multa pituita profluit: caſtorei p. X. —. [97]

aloes

89. *tenereſcat*) Conſtantinus putat legendum, *inareſcat*. Sed nihil mutandum. Dioſcorides lib. 4. cap. 65. *ad oculorum medicamenta fictili novo torretur* (papaveris lacrima) *dum mollior fulviorque appareat*.

90. *p. X. I.*) Codex Mediceus primus, *p. X. =*.

91. *p. X. II.*) Ita in vulgatis libris. In Codice Ms. modo allato, *p. X. ſ.* in Mediceis ceteris, *p. X. I. Z*.

92. *p. X. =.*) Ita ex Codice Mediceo I. Al. *p. X. I*.

93. *p. X. I.*) Lindenius leg. *p. X. V*.

94. *ſquamæ æris, quod ϛόμωμα appellant*) Pro *æris*, quod habent Mſs. omnes, Criticis quibuſdam videtur legendum *ferri*; atque ita edidit Lindenius. Videndum tamen, ut alii monent, num forte Celſus in eadem fuerit ſententia, in qua Plinius, qui lib. 34. cap. 11. ita ſcribit: *Squamæ* (æris) *eſt alterum genus ſubtilius, ex ſumma ſcilicet lanugine decuſſum, quod vocant ſtomoma*. Et quamvis Celſus lib. 5. cap. 1. duas poſuerit dumtaxat æris ſquamæ ſpecies, alteram æris tantum, alteram rubri æris; neque de hac tertia ſpecie quidquam addiderit: tamen, quoniam ex Plinii verbis colligitur, eam nihil eſſe aliud, quam ſubtiliorem quamdam rubri æris ſquamam, videri poteſt, cum illam nominavit, hanc quoque intellexiſſe. Ceterum hoc Cleonis collyrium, ponderum tantum ratione diverſum, habetur etiam apud Aetium Tetrab. 2. Serm. 3. cap. 107. & apud Paulum lib. 7. cap. 16. ſed vocem ϛομώματος, quam illi adhibuerunt, alii aliter interpretantur. Cornarius *ferri ſtomomatis* vertit ex Aetio; Guinterius ex Paulo, *æris, quod ſtomoma dicitur*. Mihi & Aetius & Paulus ex iis videntur explicandi, quæ ipſi de ſtomomatis ſquama ſcribunt, alter Tetrab. 1. Serm. 2. cap. 59. alter lib. 7. cap. 3. ubi eam ab æris ſquama omnino diſtinguunt; ſicut Galenus quoque lib. 9. de ſimpl. medic. facult. cap. 3. & Dioſcorides lib. 5. cap. 90. &, qui hunc ſequitur, Oribaſius lib. 13. Collect. quem fruſtra Harduinus in Plinii ſententiam trahere conatur.

95. *eloti & combuſti*) In Codice Mediceo I. *& loti &c.* ex quo Codice particula *&* ante vocem *eloti* additur alia manu in quarto. Hinc in vulgatis libris, *& eloti & combuſti*. Sed in Mſs. ceteris, *eloti & combuſti*. Fortaſſe tamen legendum, *combuſti & eloti*: nam prius comburebatur, tum lavabatur. Vide Dioſcoridem lib. 5. cap. 96. & Plinium lib. 34. cap. 18. Poſtea repoſui *p. X. VI.* ex Editionibus Aldina, Pantiniana, & aliis, ex multis etiam Mſs. pro *p. X. I.* ut alii legunt ex Mediceo I.

96. *Attalium quoque*) Antea legebatur; *Ejus aliud quoque*; quod probari non poteſt. Nam ſic Cleonis collyria tria eſſent; cum tamen duo tantum a ſe poſita Celſus affirmet ſect. 8. hujus capitis; *Cleonis collyrio quidam, quod ex duobus ante poſitum eſt, utuntur*. Quare *Attalium* repoſui ex fide Codicis Medicei I.

97. *p. X. —.*) Significat unciam denarii, ſive dimidium ſextantis denarii; atque hac ratione Romanorum pondera ad Græcorum pondera accommodat. Nam ut denarii ſextans, & ὀβολὸς ſibi reſpondent; ſic denarii uncia, & ἡμιοβόλιον. Sic autem repoſui ex Codice Mediceo primo. Codices alii & Editiones antiquiores habent *p. X. Z*. Quidam leg. *p. X. 3.* ex Cæſario. Lindenius, *p. X. I*.

aloes p. X. =. [98] croci p. X. I. [99] myrrhæ p. X. II. lycii p. X. III. cadmiæ curatæ p. X. VIII. ſtibis tantumdem, acaciæ ſucci p. X. XII. Quod gummi hoc non habet, liquidum in pixidicula ſervatur [1]. Theodotus vero huic compoſitioni adjecit papaveris lacrimæ combuſtæ p. X. I. [2] æris combuſti & eloti p. X. II. nucleos palmarum combuſtos numero XX. [3] gummi p. X. XII.

6. At ipſius Theodoti, quod a quibuſdam ἀχάριστον [4] nominatur, ejuſmodi eſt: caſtorei, nardi Indici, ſingulorum p. X. I. lycii p. X. =. [5] papaveris lacrimæ tantumdem, myrrhæ p. X. II. croci, ceruſſæ elotæ, aloes, ſingulorum p. X. III. cadmiæ botryitidis [6] elotæ, æris combuſti, ſingulorum p. X. VIII. gummi p. X. XVIII. acaciæ ſucci p. X. XX. ſtibis tantumdem; quibus aqua pluviatilis adjicitur.

7. Præ-

98. *p. X. =.*) Hic quoque ſecutus ſum Codicem Mediceum I. Alii leg. *p. X. I.* ut eſt in pleriſque Codicibus: alii cum Cæſario, *p. X. l.*

99. *croci p. X. I.*) Hæc omittit Lindenius, itemque illa, *lycii p. X. III.* quæ poſtea ſequuntur.

1. *Quod gummi hoc non habet, liquidum in pixidicula ſervatur*) Nam ſi inaruerit, cum gummi, quo glutinetur, non habeat, friabitur. Vide ſect. 3. hujus capitis. Sic repoſui, cum in Codice Mediceo primo legatur, *quod cummiſcuit hoc non habet &c.* in ceteris, *quod cum cummiſuci id hoc non habet. Liquidum in buxidicula ſervatur*; niſi quod tertius, & ſextus non habent *cum*. Videtur autem *cummiſcuit* ortum eſſe ex *cummis*, quod frequenter occurrit in Mſs. pro *gummi*. Vulgo alii legunt, ut eſt in Editione I. *quod cum miſcuit: liquidum in pixidicula ſervatur*; Egnatius, *quod cum gummi miſcuit id quod habet liquidum in pixidecula ſervatur*. Conſtantinus & Stephanus, *quod cum gummi miſcuit, liquidum in pidixicula ſervatur*. Sed Conſtantinus adnotat, hæc verba *liquidum in* non eſſe in antiquo exemplari; ac *miſcueris* in illo legi, & *ſervetur*. Hinc Lindenius; *quod, cum miſcueris, in pidixicula ſervetur*.

2. *p. X. I.*) Ita ex Stephano & Lindenio. Mſs. alii habent X. alii, ut Mediceus I. *p. X.* atque ita multi quoque ex vulgatis.

3. *nucleos palmarum combuſtos numero XX.*) Non improbo hanc dicendi formam, *numero* XX. cujus multa exempla vel in antiquis lapidibus habentur. Hic tamen vox *numero* fortaſſe eſt ex gloſſemate: non enim ſolet Celſus ita loqui; ut apparet præſertim ex lib. 4. cap. 10. Ipſa quoque varietas Codicum mendi ſuſpicionem affert. Ita enim habetur in margine Editionis Conſtantinianæ, & in Codicibus Mediceis ceteris. At in Codice primo & in Editione prima, & in duabus vetuſtiſſimis ann. 1493. 1497. & in aliis nonnullis, *p. X.* X. Cum igitur eſſet XX. pro varia interpretandi ratione, alii addiderunt *numero*, alii *pondo*, qui etiam primum X in X mutarunt. Cæſarius conſtructioni opem attulit hac ratione: *nucleorum palmarum combuſtorum p. X.* X. quem multi ſequuntur. In Editione Aldina legitur; *nucleos palmarum combuſtos numero* X. X. in margine Gryphianæ; *nucleos palmarum combuſtos numero* X.

4. ἀκάριστον) Al. *achariſtum*; nec aliter Codices Medicei.

5. *p. X. =.*) Al. *p. X.* Al. *p. X. II.* ut eſt in Codicibus Mediceis, excepto primo, in quo *p.* =. Ex hoc Codice repoſui ſextantis notam.

6. *botryitidis*) Al. *botryodis*; Lindenius, *botryitidis*; cui ſuffragatur Codex Mediceus I. qui habet *botruitidis*. In Codicibus aliis habetur *botroitidis*. Hinc poteſt quivis intelligere, quam verum ſit, quod ait Rhodius, in omnibus & ſcriptis & impreſſis libris eſſe *botryodis*.

7. Præter hæc, ex frequentiſſimis collyriis eſt id, quod quidam κύθιον [7], quidam a cinereo colore τέφρον [8] appellant. Amyli [9], tragacanthæ, acaciæ ſucci, gummi, ſingulorum p. x. I. papaveris lacrimæ p. x. II. ceruſſæ elotæ p. x. IV. ſpumæ argenti elotæ p. x. VIII. [10] quæ æque ex aqua pluviatili conteruntur.

8. Euelpides autem, qui ætate noſtra maximus fuit ocularius medicus, utebatur eo, quod ipſe compoſuerat: τρυγῶδες nominabat. Caſtorei p. x. = =. [11] lycii, nardi, papaveris lacrimæ, ſingulorum p. x. I. croci, myrrhæ, aloes, ſingulorum p. x. IV. æris combuſti p. x. VIII. [12] cadmiæ, & ſtibis, ſingulorum p. x. XII. acaciæ ſucci p. x. XXVI. [13] gummi tantumdem.

Quo gravior vero quæque inflammatio eſt, eo magis leniri medicamentum debet [14], adjecto vel albo ovi, vel muliebri lacte. At ſi neque medicus, neque medicamentum præſto eſt, ſæpius utrumlibet horum in oculos penicillo ad id ipſum facto infuſum, id malum lenit. Vbi vero aliquis relevatus eſt, jamque curſus pituitæ conſtitit, reliquias fortaſſe leviores futuras diſcutiunt balneum & vinum. Igitur lavari debet, leviter ante [15] ex oleo perfricatus, diutiuſque in cruribus & feminibus; multaque calida aqua fovere oculos; deinde per caput prius calida, tum

ege-

7. κύθιον) *cythion* latinis litteris omnes ſcribunt, præter Egnatium. In Cod. Mediceo I. eſt *ciclon*.

8. τέφρον) Hæc quoque vox a pleriſque latinis litteris ſcribitur. Sed cum Mſs. Codices alii habeant *tephro*, alii *trephron*, reponendum videtur *tephron*, ut eſt correctum in Mediceo VII. & in aliquo alio, vel τεφρὸν. Ita porro nominatur ab Aetio Tetrab. 2. Serm. 3. cap. 105. *Tephrion*, ut vulgo legitur, habetur in Cod. Mediceo IV. ab emendatore, cum eſſet a librario *trephron*.

9. *Amyli*) Lindenius leg. *Habet amyli*.

10. *ſpumæ argenti elotæ p. x. VIII.*) In Cod. Medic. I. & in Editionibus antiquioribus, *ſpumæ elotæ p. XVIIII.* Pro *p. XVIIII.* Cæſarius repoſuit *p. VIII.* Hunc Lindenius inter alios ſecutus, vocem *argenti* præterea addidit, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. In Codicibus ceteris Mediceis deſunt tres voces, *ſpumæ argenti elotæ*, ut & notæ præcedentes, *p. x. IV.* Ita in illis legitur: *ceruſæ elotæ p. x. VIII.* In Editione Ald. *ceruſſæ elotæ p. x. VIII. ſpumæ elotæ p. x. XIIII.*

11. *Caſtorei p. x. = =.*) Lindenius leg. *Habet autem hoc, caſtorei x. II.*; al. *Caſtorei p. x. II.* Ego ſic repoſui ex Codice Mediceo I.

12. *p. x. VIII.*) Codex Mediceus I. *p. x. VIIII.*

13. *p. x. XXVI.*) Idem Codex, *p. x. XXXVI.*

14. *eo magis leniri medicamentum debet &c.*) Medicamenta hactenus expoſita lenia quidem ſunt; ſed quo gravior inflammatio eſt, eo magis leniri debent, adjecto vel albo ovi vel muliebri lacte. Lindenius leg. *medicamento*, ut in Codice Conſtantini. Codices Medicei & Vaticani habent *medicamentum*.

15. *lavari debet, leviter ante &c.*) Lindenius & alii multi verba ſic diſtinguunt: *lavari debet leviter, ante ex oleo perfricatus*; ſed perperam: nam *leviter* refertur ad *perfricatus*.

egelida perfundi: a balneo cavere ne quo frigore afflatuve lædatur: poſt hæc cibo paulo pleniore, quam ex eorum dierum conſuetudine [16], uti, vitatis tamen omnibus pituitam extenuantibus; vinum bibere leve [17], ſubauſterum, modice vetus, neque effuſe, neque timide; ut neque cruditas ex eo, & tamen ſomnus fiat, lenianturque intus latentia acria. Sed ſi quis in balneo ſenſit majorem oculorum perturbationem, quam attulerat; quod incidere iis ſolet, qui manente adhuc pituitæ curſu feſtinarunt; quamprimum diſcedere debet; nihil eo die vini aſſumere, cibi minus etiam, quam pridie: deinde cum primum ſatis pituita ſubſtitit, iterum ad uſum balnei redire. Solet tamen evenire nonnumquam, ſive tempeſtatum [18] vitio, ſive corporis, ut pluribus diebus neque dolor, neque inflammatio, & minime pituitæ curſus finiatur. Quod ubi incidit, jamque ipſa vetuſtate res matura eſt, ab his eiſdem auxilium petendum eſt, id eſt balneo ac vino. Hæc enim ut in recentibus malis aliena ſunt, quia concitare ea poſſunt, & accendere; ſic in veteribus, quæ nullis aliis [19] auxiliis ceſſerunt, admodum efficacia eſſe conſuerunt: videlicet hic quoque, ut alibi, cum ſecunda vana fuerint, contrariis adjuvantibus. Sed ante tonderi ad cutem convenit: deinde in balneo aqua calida quamplurima caput atque oculos fovere: tum utrumque penicillo detergere, & ungere caput irino unguento; continereque in lectulo ſe, donec omnis calor, qui conceptus eſt, finiatur, deſinatque ſudor, qui neceſſario in capite collectus eſt: tum ad idem cibi vinique genus veniendum, ſic, uti [20] potiones meracæ ſint; obtegendumque caput, & quieſcendum. Sæpe enim poſt hæc gravis ſomnus, ſæpe ſudor, ſæpe alvi dejectio pituitæ curſum finit. Si levatum malum eſt; quod aliquanto ſæpius [21] fit;

16. *ex eorum dierum conſuetudine*) Lindenius leg. *ex operum conſuetudine*: quod merito Morgagnus improbat.

17. *leve*) Ita ex aliquibus Mſs. In aliis eſt *lene*, ut antea vulgo legebatur. Vide adnot. 39. lib. 5. cap. 15. Hæc vox abeſt a Mediceo I. itemque particula *Sed* in periodo ſequenti.

18. *tempeſtatum*) Idem Codex Mediceus habet *tempeſtatium*.

19. *aliis*) Codex modo allatus non habet vocem hanc.

20. *ſic, uti*) Cod. Mediceus I. habet *ſic ut*; Lindenius leg. *eſt, ſic uti*.

21. *aliquanto ſæpius*) Ita in Mediceo I. nonnulliſque aliis Mſs. & in Editionibus antiquis pleriſque omnibus. Conſtantinus & Ronſſeus habent, ſicut Mediceus III. & alii Codices, *aliquando ſæpius*; Lindenius, *aliquando ſerius*.

fit; per plures dies idem fieri oportet, donec ex toto ſanitas reſtituatur. Si diebus iiſdem alvus nihil reddit, ducenda eſt; quo magis ſuperiores partes leventur. Nonnumquam autem ingens inflammatio tanto impetu erumpit, ut oculos ſua ſede [22] propellat: πρόπτωσιν id [23], quoniam oculi procidunt, Græci appellant. His utique, ſi vires patiuntur, ſanguinem mitti; ſi id fieri non poteſt, alvum duci, longioremque inediam indici [24], neceſſarium eſt. Opus autem leniſſimis medicamentis eſt: ideoque Cleonis collyrio quidam, quod ex duobus ante poſitum eſt, utuntur. Sed optimum eſt Nilei; neque de ullo magis inter omnes auctores convenit.

9. Id habet nardi Indici, papaveris lacrimæ, ſingulorum p. ✱. —. [25] gummi p. ✱. I. croci p. ✱. II. foliorum roſæ recentium p. ✱. IV. quæ vel aqua pluviatili, vel vino levi, ſubauſtero [26] coguntur. Neque alienum eſt, malicorium, vel ſertulam Campanam ex vino coquere, deinde conterere; aut myrrham nigram [27] cum roſæ foliis miſcere; aut hyoſcyami folia cum ovi cocti vitello [28]; aut farinam cum acaciæ ſucco, vel paſſo, aut mulſo: quibus ſi folia quoque papaveris adjiciuntur, aliquanto valentiora ſunt. Horum aliquo præparato, penicillo fovere oculos oportet, ex aqua calida expreſſo, in qua ante vel myrti vel roſæ folia decocta ſint: deinde, ex illis aliquid imponi. Præter hæc ab occipitio, inciſa cute, cucurbitula admovenda [29] eſt. Quod ſi per hæc re-

22. *ſua ſede*) Lindenius, *e ſua ſede*.

23. *πρόπτωσιν id &c.*) Locus hic ita legitur in Mſs. Mediceis, excepto primo: *proprie enim malum id quo oculi procidunt græci appellant proptoſin*. In Editione Ald. *proprie enim πρόπτωσιν id, quoniam oculi &c.*

24. *indici*) Lindenius leg. *induci*; minus recte, ut Morgagnus animadvertit; non tamen ſine Codicum teſtimonio; ſiquidem ita habent Medicei III. & VI.

25. *p. ✱. —.*) Ita in Codice Mediceo I. Alii leg. *p. ✱.* quidam cum Egnatio, *p. ✱. I.* ut eſt in Codicibus ceteris.

26. *levi, ſubauſtero*) Ita ex Lindenio. Al. *leni ſubauſtero*.

27. *myrram nigram*) *murram* vel *myrram*, quod eſt in Mſs. fortaſſe corruptum eſt, ut alibi, ex *murtam* vel *myrtam*. Hanc mihi ſuſpicionem injecit adjunctum *nigram*, quod myrrhæ aptum non videtur. Myrtus alia candida, alia eſt nigra, quæ etiam valentior. Porro cum myrti baccam ad oculorum inflammationem recte imponi doceat Plinius lib. 23. cap. 9. & Dioſcorides lib. 1. cap. 155. illud quoque ſuſpicari licet, baccam ipſam a Celſo ſignificari; quo ſenſu etiam Cato *murtam nigram* habet cap. 125. R. R.

28. *aut hyoſcyami folia cum ovi cocti vitello*) In Cod. Mediceo I. deeſt vox *folia*. Lindenius leg. *aut hyoſcyami folia cum ovi vitello cocta*.

29. *admovenda*) Lindenius leg. *adhibenda*. Ita ſane Codex Mediceus I. habet, &

ſtitutus oculus in ſedem ſuam non eſt, eodemque modo prolapſus permanet, ſcire oportet, lumen eſſe amiſſum; deinde futurum, ut aut indureſcat [30] is, aut in pus vertatur. Si ſuppuratio ſe oſtendit, ab eo angulo, qui tempori propior eſt, incidi oculus debet; ut, effuſo pure, inflammatio ac dolor finiatur, & intus tunicæ reſidant, quo minus fœda poſtea facies ſit: utendum deinde vel iiſdem collyriis eſt ex lacte aut ovo; vel croco, cui album ovi miſceatur. At ſi induruit [31], & ſic emortuus eſt, ne [32] in pus verteretur, quatenus fœde prominebit, excidendum erit, ſic, ut hamo ſumma tunica apprehendatur [33], infra id deinde ſcalpellus [34] incidat: tum eadem medicamenta erunt conjicienda [35], donec omnis dolor finiatur. Iiſdem medicamentis in eo quoque oculo utendum eſt, qui primum procidit, deinde per plura loca fiſſus eſt.

10. Solent etiam carbunculi ex inflammatione naſci, nonnumquam in ipſis oculis, nonnumquam in palpebris: & in his ipſis [36], modo ab interiore, modo ab exteriore parte [37]. In hoc caſu alvus ducenda eſt; cibus minuendus; lac potui dandum, ut acria, quæ læſerunt, leniantur. Quod ad cataplaſmata & medicamenta pertinet, iis utendum, quæ adverſus inflammationes propoſita ſunt: atque hic quoque Nilei collyrium optimum eſt. Si tamen carbunculus in exteriore palpebræ parte eſt, ad cataplaſmata aptiſſimum eſt lini ſemen ex mulſo coctum; aut, ſi id non eſt, tritici farina eodem modo cocta.

11. Puſtulæ quoque ex inflammatione [38] interdum oriuntur. Quod

Vaticanus VI. ſed alii omnes, *admovenda*; & quidem rectius, ut mihi videtur. Sic lib. 5. cap. 26. ſect. 21. *cucurbitulam admovere a diverſa parte*.

30. *ut aut indureſcat*) Ita in Cod. Mediceo I. Lindenius omittit *aut*: quam particulam etiam nonnulli eorum omittunt, qui, pro *indureſcat*, legunt, ut eſt in aliis Codicibus, *inareſcat*.

31. *At ſi induruit*) In Mſs. Mediceis; *Ac ſi eduruit*; excepto primo, in quo eſt; *At ſi induruit*, ut habet Lindenius. Alii vulgo leg. *Ac ſi induruit*.

32. *ne*) Linden. *ut ne*.

33. *hamo ſumma tunica apprehendatur*) Pro *hamo*, Codices Medicei omnes, præter primum, habent *oculi*.

34. *infra id deinde ſcalpellus &c.*) Lindenius leg. *atque infra id ſcalpellus &c.*

35. *conjicienda*) Idem, *injicienda*.

36. *in his ipſis*) In nonnullis Editionibus, & in Codicibus Mediceis, excepto primo, additur *oculis*; quod eſt a malo interprete.

37. *parte*) Non habent vocem hanc libri Mſs. immo neque impreſſi ante Lindenium. Ego malim collocare poſt *interiore*.

38. *inflammatione*) Ita in Cod. Medic. I. Alii leg. *inflammationibus*.

Quod ſi inter initia protinus incidit, magis etiam ſervanda ſunt, quæ de ſanguine & quiete ſupra propoſui: ſin ſerius, quam ut ſanguis mitti poſſit, alvus tamen ducenda eſt: ſi id quoque aliqua res inhibet [39], utique victus ratio ſervanda eſt. Medicamentis autem hic quoque lenibus opus eſt, quale Nilei, quale Cleonis eſt.

12. Id quoque, quod Philalethes [40] vocatur, huic aptum eſt [41]. Myrrhæ [42], papaveris lacrimæ, ſingulorum p. x. I. plumbi eloti, terræ Samiæ, quæ ἀστὴρ [43] vocatur, tragacanthæ [44], ſingulorum p. x. IV. ſtibis cocti, amyli, ſingulorum p. x. VI. ſpodii eloti, ceruſſæ elotæ, ſingulorum p. x. VIII. quæ aqua pluviatili excipiuntur. Vſus collyrii, vel ex ovo, vel ex lacte eſt.

13. Ex puſtulis ulcera interdum fiunt; eaque [45] recentia æque lenibus medicamentis nutrienda ſunt, & iiſdem fere, quæ ſupra in puſtulis poſui. Fit quoque proprie ad hæc, quod διὰ λιβάνου [46] vocatur. Habet æris combuſti & eloti, papaveris lacrimæ frictæ, ſingulorum p. x. I. ſpodii eloti, thuris, ſtibis combuſti & eloti [47], myrrhæ, gummi, ſingulorum p. x. II.

14. Evenit etiam, ut oculi, vel ambo, vel ſinguli, minores fiant, quam eſſe naturaliter debeant: idque & acer pituitæ curſus in lippitudine efficit, & continuati fletus, & ictus parum bene curati. In his quoque iiſdem lenibus medicamentis ex mulie-

39. *inhibet*) Hæc eſt vulgaris lectio; eamque Codex primus confirmat. Medicei tamen ceteri habent *prohibet*.

40. *Philalethes*) Tum hic, tum ſect. 23. hujus cap. alii leg. *Phyletos*, vel *Phylætos*; ut habent multi Codices: alii *Philetis*, ex Cæſarii emendatione: Egnatius φιλαλήθους. In Cod. Mediceo I. hic legitur *Philaiethos*. Ego tamen repoſui *Philalethes*, quod ita ſit infra in eodem Codice. Niſi forte, cum in ſect. 23. quidam Codices habeant *philadelphos*, malit quis legere utrobique *philadelphion*; quod φιλαδέλφιον κολλύριον nominetur a Galeno in lib. 5. de C. M. S. L. cap. 8.

41. *huic aptum eſt*) Subaudiendum *vitio*; quemadmodum in his verbis lib. 4. cap. 16. *In hoc utique adhibere oportet comprimentia*. Niſi forte legendum, *huc aptum eſt*; ut lib. 5. cap. 19. ſect. 21.

42. *Myrrhæ*) Lindenius leg. *Habet enim myrrhæ*.

43. ἀστὴρ) Perperam alii, *aſtera*, ut habent Codices Medicei omnes, præter primum, in quo eſt *haſter*.

44. *tragacanthæ*) Cod. Mediceus I. *trachanti*; & ſect. 7. hujus cap. *tragante*.

45. *eaque*) Codex modo allatus, *ea*; & poſtea, *feræ puſulis poſui*, pro *fere*, *quæ ſupra in puſtulis poſui*, vel, ut legit Lindenius, *propoſui*.

46. διὰ λιβάνου) Ita in Editione Lindenii & in margine Conſtantinianæ. In Aldina διὰ βαλάνου; in ceteris *diabalanu*, ut in Codice Mediceo I. & in aliis quoque. Tertius & ſextus habent, *diabalanus*; ſecundus, *diabalami*.

47. *thuris*, *ſtibis combuſti & eloti*) Hæc verba deſunt in Codice Mediceo I.

bri lacte utendum eſt: cibis vero iis, qui maxime corpus alere, & implere conſuerunt: vitandaque omni modo cauſa, quæ lacrimas excitet, curaque [48] domeſticorum: quorum etiam ſi quid tale incidit [49], ejus notitiæ ſubtrahendum. Atque acria quoque medicamenta, & acres cibi non alio magis nomine his nocent, quam quod lacrimas movent.

15. Genus quoque vitii eſt, qui inter pilos [50] palpebrarum pediculi [51] naſcuntur: φθειρίασιν [52] Græci nominant. Quod cum ex malo corporis habitu fiat, raro non ultra procedit: ſed fere tempore interpoſito pituitæ curſus acerrimus ſequitur; exulceratiſque vehementer oculis, aciem quoque ipſam corrumpit. His alvus ducenda eſt; caput ad cutem tondendum, diuque quotidie jejunis perfricandum: his ambulationibus aliiſque exercitationibus diligenter utendum; gargarizandum [53] ex mulſo, in quo nepeta & pinguis ficus decocta ſit; ſæpe in balneo multa calida aqua fovendum caput; vitandi acres cibi; lacte vinoque pingui [54] utendum; bibendumque liberalius, quam edendum eſt. Medicamenta vero intus quidem lenia danda ſunt; ne quid acrioris pituitæ [55] concitent: ſuper ipſos vero pediculos alia, quæ necare eos, & prohibere, ne ſimiles naſcantur, poſſint. Ad id ipſum ſpumæ nitri p. ✱. 1. ſandarachæ p. ✱. 1. [56] uvæ taminiæ p. ✱. 1. ſimul teruntur, adjiciturque vetus oleum pari portione, atque acetum, donec mellis ei [57] craſſitudo ſit.

16. Ha-

48. *curaque*) Linden. *& cura:*

49. *quorum etiam ſi quid tale incidit*) Lindenius pro *tale*, ut habent Mſs. repoſuit *forte*; quod non diſpliceret, niſi a veteri ſcriptura nimis recederet. Vox iſta fortaſſe omnino tollenda eſt.

50. *qui inter pilos &c.*) Vulgaris hæc lectio nititur auctoritate Codicis Medicei I. Palavicinus correxit, *quo*: atque ita Conſtantinus legere mallet, vel *quum*. Conſtructio videtur talis eſſe: genus quoque vitii eſt, pediculi, qui inter pilos palpebrarum naſcuntur. Codices alii habent *quod*.

51. *pediculi*) *peduculi* legitur in Codice Mediceo I. & infra, *peduculos*: fortaſſe pro *pedunculi*.

52. φθειρίασιν) Antea legebatur: *id* φθειρίασιν. Ego omiſi *id* ex fide Codicis Medicei primi. Sed in Codice illo eſt *thiriaſin*.

53. *gargarizandum*) Al. *gargarizandumque*.

54. *lacte vinoque pingui*) Lindenius leg. *lacte pingui vinoque*.

55. *ne quid acrioris pituitæ*) Ita in Mediceo I. & in Codice alio Conſtantini, & in Editione Lindenii. Alii leg. *ne acriorem pituitam*.

56. *ſpumæ nitri p. ✱. 1. ſandarachæ p. ✱. 1.*) Codex Mediceus I. ita habet: *ſpumæ nitri p. ✱. ſandaracæ p. ✱. —*. quæ lectio & ipſa depravata videtur, & vulgarem, quam ſecuti ſumus, quamvis multi Codices eam confirment, ſuſpectam reddit.

57. *mellis ei*) Vulgo *ei* ponitur ante *mellis*. Lindenius leg. *eis melli*.

16. Hactenus oculorum morbi lenibus [58] medicamentis nutriuntur. Genera deinde alia ſunt, quæ diverſam curationem deſiderant; fereque ex inflammationibus nata, ſed finitis quoque his manentia. Atque inprimis in quibuſdam perſeverat tenuis pituitæ curſus. Quibus alvus ab inferiore parte evocanda eſt [59], demendumque aliquid ex cibo. Neque alienum eſt, illini frontem compoſitione [60] Andreæ: quæ habet gummi p. x. I. ceruſſæ, ſtibis, ſingulorum p. x. II. ſpumæ argenti coctæ & elotæ p. x. IV. Sed & ea ſpuma [61] ex aqua pluviatili coquitur, & arida hæc medicamenta ex ſucco myrti conteruntur. His illita fronte, cataplaſma quoque ſuperinjiciendum eſt [62] ex farina, quæ frigida aqua coacta ſit, cuique aut acaciæ ſuccus, aut cupreſſus adjecta ſit. Cucurbitula [63] quoque, inciſo vertice, recte accommodatur; aut ex temporibus ſanguis emittitur. Inungi vero eo debet, quod habet ſquamæ æris, papaveris lacrimæ, ſingulorum p. x. I. [64] cervini cornu [65] combuſti & eloti, plumbi eloti, gummi, ſingulorum p. x. IV. thuris p. x. XII. Hoc [66] collyrium quia cornu habet, διὰ κέρατος nominant. Quotieſcumque non adjicio, quod genus humoris adjiciendum ſit, aquam intelligi volo.

17. Ad idem Euelpidis, quod μεμιγμένον nominabat. In eo papaveris lacrimæ, & albi piperis [67], ſingulæ unciæ ſunt, gummi libra, æris combuſti p. x. I. S. [68] Inter has autem curationes, poſt intermiſſionem aliquam, proſunt balneum & vinum. Cumque omnibus lippientibus vitandi cibi ſint, qui extenuant; tum præci-

pue,

58. *morbi lenibus*) Lindenius leg. *morbi, qui lenibus:* & infra: *fere ex inflammationibus nata*.

59. *alvus ab inferiore parte evocanda eſt*) Vnus hic locus eſt, ubi formam illam dicendi ſibi familiarem, *alvus ducenda eſt*, non adhibuit Celſus. Niſi forte *ab inferiore parte evocanda* explicatio quædam eſt vocis *ducenda*.

60. *compoſitione*) Linden. *ex compoſitione*.

61. *Sed & ea ſpuma*) Quidam cum Cæſario omittunt particulam *&*; & ſane abeſt a Codice Mediceo I. Habetur in reliquis ſex.

62. *ſuperinjiciendum eſt*) Aliqui omittunt *eſt*, ſecuti Editionem an. 1538.

63. *Cucurbitula*) Codex Mediceus I. *cucurbitulæ;* poſtea, *recte id accommodatur*.

64. *p. X. I.*) Ita Editio Aldina & Codices Medicei omnes, præter primum, in quo eſt *p. X.* ut alii legunt.

65. *cornu*) Codices Medicei & Editiones priſcæ, *cornus*; & infra, *cornum*.

66. *Hoc*) Linden. *Hoc vero*.

67. *& albi piperis*) Tria hæc verba deſunt in Codice Mediceo I.

68. *p. X. I. S.*) Alii *p. X. I.* Ego *p. X. I. S.* Ita enim habent omnes Medicei Codices; niſi quod denarii nota omittitur in primo.

pue, quibus tenuis humor diu fertur. Quod ſi jam faſtidium eſt eorum, quæ Pituitam craſſiorem reddunt, ſicut in hoc genere materiæ maxime promptum eſt; confugiendum eſt ad ea, quæ, quia ventrem, corpus quoque adſtringunt.

18. At ulcera, ſi cum inflammatione finita non ſunt, aut ſupercreſcentia, aut ſordida, aut cava [69], aut certe vetera eſſe conſuerunt. Ex his ſupercreſcentia collyrio, quod μεμιγμένον vocatur, optime reprimuntur. Sordida purgantur & eodem, & eo, quod σμίλιον [70] nominatur.

19. Habet æruginis p. ✱. IIII. [71] gummi tantumdem, ammoniaci, minii Sinopici, ſingulorum p. ✱. XVI. quæ quidam ex aqua, quidam, quo vehementiora ſint, ex aceto terunt.

20. Id quoque Euelpidis, quod Phynona [72] appellabat, huic [73] utile eſt. Croci p. ✱. I. papaveris lacrimæ, gummi, ſingulorum p. ✱. II. æris combuſti & eloti, myrrhæ, ſingulorum p. ✱. IV. piperis albi p. ✱. VI. Sed ante lenitum hoc inungendum eſt [74].

21. Id

69. *aut cava*) Hæ duæ voces a Lindenio Almeloveenioque perperam omiſſæ, ut Morgagnus jam admonuit, habentur in omnibus Mediceis Codicibus.

70. σμίλιον) Secutus ſum Editionem Aldinam. Aliæ habent *ſmilion* litteris latinis. In Mſs. Mediceis eſt *zmilion* per *z*, tum hic, tum infra ſect. 25. & 28.

71. *p. ✱. IIII.*) Stephan. *p. ✱. III.* Linden. *p. ✱. VI.*

72. *Phynona*) Codicem Ms. qui communi huic lectioni ſuffragetur, nullum ego inveni. Mediceus I. habet *Pyrrona*; alii *Pyrsbona*. Itaque non deerunt, qui Πυρσὸν, vel Πυῤῥὸν legendum ſuſpicentur. Fortaſſe tamen reponendum eſt Χειρῶνα; quod in multis Mſs. addatur hic titulus, *Chiron Euelpidis*.

73. *huic*) Ita in antiquis libris. Lindenius leg. *hic*: fortaſſe rectius; quemadmodum cap. 18. ſect. 9. *hic idonea ſunt*; ubi Cod. Mediceus I. perperam habet, *huic idonea ſunt*. Vide tamen adnot. 41. ad ſect. 12. & adnot. 38. ad ſect. 34. hujus capitis.

74. *Sed ante lenitum hoc inungendum eſt*) Alii leg. *linitum*, & *ungendum*; ut eſt in Mſs. pleriſque omnibus. Cæſarii Editio in margine habet *litum*; quod a Lindenio in contextum inductum ſententiam nihilo meliorem reddit. Nam *litum* idem valet ac *linitum*, ſive ſubſtantivum ſit, ſive adjectivum. Conſtantinus legere malebat, *fingendum*, pro *ungendum*, ineptiſſima ſententia. Ego repoſui *lenitum*, & *inungendum* ex Codice Mediceo I. Intelligendum autem vitium, vel, quod malim, collyrium; qua ratione dixit ſect. 8. *leniri medicamentum debet, adjecto vel albo ovi, vel muliebri lacte*. Niſi forte legendum eſt, *leni tum*, per voces duas, hoc modo: *Sed ante leni, tum hoc &c.* id eſt ante leni aliquo collyrio, tum hoc acri inungendum eſt. Eodem fere modo loquitur lib. 7. cap. 7. ſect. 3. *ſi intus plaga eſt, inungendum primo lenibus, deinde acrioribus*; & lib. 5. cap. 28. ſect. 15. *Sed prius ungi ex ceruſſa puſtulæ debent, tum hoc illini*. Illud aliquis fortaſſe putabit huic mutationi obſtare, quod a Celſo dictum eſt ſupra ſect. 16. hujus capitis: *Hactenus oculorum morbi lenibus medicamentis nutriuntur*; quaſi numquam eſſent deinde lenia collyria adhibenda. Sed locum illum conſideranti facile apparebit, aliud Celſum non ſignificare, niſi quædam eſſe oculorum vitia, quæ acribus medicamentis curanda ſunt. Hinc tamen non ſequitur, cum acribus lenia quoque interdum adhiberi non poſſe.

21. Id quoque ejuſdem, quod Sphærion [75] nominabat, eodem valet. Lapidis hæmatitis eloti p. x. I. =. [76] piperis grana ſex, cadmiæ elotæ, myrrhæ, papaveris lacrimæ, ſingulorum p. x. II. [77] croci p. x. IV. gummi p. x. VIII. quæ cum vino Aminæo conteruntur.

22. Liquidum quoque medicamentum ad idem componebat, in quo erant hæc: æruginis p. x. =. [78] miſy combuſti [79], atramenti ſutorii, cinnamomi, ſingulorum p. x. I. [80] croci, nardi, papaveris lacrimæ, ſingulorum p. x. I. =. [81] myrrhæ p. x. II. æris combuſti p. x. III. cineris ex odoribus p. x. IV. piperis grana XV. Hæc ex vino auſtero teruntur; deinde cum paſſi tribus heminis decoquuntur, donec corpus unum ſit: idque medicamentum vetuſtate efficacius fit.

23. Cava vero ulcera commodiſſime implent ex iis, quæ ſupra poſita ſunt, Sphærion, & id, quod Philalethes vocatur. Idem Sphærion vetuſtis ulceribus, & vix ad cicatricem venientibus optime ſuccurrit.

24. Eſt etiam collyrium, quod cum ad plura valeat, plurimum tamen proficere in his ulceribus videtur: refertur ad Hermonem auctorem. Habet [82] piperis longi p. x. I. =. albi p. x. [83] cinnamomi, coſti, ſingulorum p. x. I. atramenti ſutorii, nardi, caſiæ, caſtorei, ſingulorum p. x. II. gallæ p. x. V. myrrhæ, croci, thuris, lycii, ceruſſæ, ſingulorum p. x. VIII. papaveris lacrimæ p. x. XII. aloes, æris combuſti, cadmiæ, ſingulorum p. x. XVI. acaciæ, ſtibis, gummi, ſingulorum p. x. XXV.

25. Fa-

75. *Sphærion*) In Codice Mediceo I. *ſperion*, tum hic, tum infra ſect. 13. *perion* ſect. 25. *ſpærion* ſect. 28. Ceterum græcis litteris ſcribendum videtur.

76. *p. x. I.* = .) Ita in Codice Mediceo I. Reliqui ſex habent, *p. x. I. S.* ſed in quarto correctum eſt, *p. x. II.* atque ita legitur in vulgatis.

77. *p. x. II.*) Antea legebatur, *p. x. III.* quemadmodum alia manu mutatum eſt in Codice Mediceo IV. cum in eo eſſet, ut in aliis quinque, *p. x. IIII.* Ego repoſui *p. x. II.* ex Codice primo.

78. *p. x.* = .) Hic quoque ſecutus ſum Codicem Mediceum I. Reliqui habent *p. x. I.* Vulgo legitur *p. x.*

79. *miſy combuſti*) Alii leg. *minii*, ut eſt in Codice Mediceo I. Ego repoſui *miſy* ex Codicibus aliis: nam miſy coquebatur, ſive comburebatur, ut diſcimus ex Celſo ipſo lib. 5. cap. 9. & ex Dioſcoride lib. 5. cap. 117. Conſtantinus quoque *miſy* invenit in quodam Codice; ſed *miſyos* legendum putat, tum hic, tum alibi.

80. *p. x. I.*) Ita in Codice Mediceo I. Alii leg. *p. x. III.*

81. *p. x. I.* = .) Ita in eodem Ms. In Mediceis ceteris, *p. x. II.* In vulgatis, *p. x. I.*

82. *Habet*) Lindenius, *quod habet*.

83. *p. x.*) Ita Mſs. Codices, & omnes fere vulgati libri. Egnatius leg. *p. x. V.*

25. Factæ vero ex ulceribus cicatrices duobus vitiis periclitantur; ne aut cavæ, aut craſſæ ſint. Si cavæ ſunt, poteſt eas implere id, quod Sphærion vocari dixi; vel id, quod Aſclepios [84] nominatur. Habet [85] papaveris lacrimæ p. ✱. II. ſagapeni, opopanacis, ſingulorum p. ✱. III. æruginis p. ✱. IV. gummi [86] p. ✱. VIII. piperis p. ✱. XII. cadmiæ elotæ, ceruſſæ, ſingulorum p. ✱. XVI. At ſi craſſæ cicatrices ſunt, extenuat vel Smilion, vel Canopite collyrium [87]; quod habet cinnamomi, acaciæ [88], ſingulorum p. ✱. I. cadmiæ elotæ, croci, myrrhæ, papaveris lacrimæ [89], gummi, ſingulorum p. ✱. II. piperis albi, thuris, ſingulorum p. ✱. III. æris combuſti p. ✱. VIIII. [90] Vel Euelpidis Pyxinum, quod ex his conſtat: ſalis foſſilis p. ✱. IV. ammoniaci thymiamatis p. ✱. VIII. papaveris lacrimæ p. ✱. XII. ceruſſæ p. ✱. XV. piperis albi, croci Siculi [91], ſingulorum p. ✱. XXXII. [92] gummi p. ✱. XIII. cadmiæ elotæ

84. *Aſclepios*) Alii leg. *Aſclepias*, tum hic, tum ſect. 32. hujus capitis. Ego repoſui *Aſclepios* ex Codice Mediceo I. Apud Galenum lib. 4. de compoſ. medic. s. I. cap. 8. eſt collyrium, quod Ασκληπιὸς nominatur, ſed ab hoc diverſum. Hæc vox videtur græcis litteris ſcribenda.

85. *Habet*) Lindenius addit *hoc*; Codices Medicei ſex, *ea*; Codex primus neutrum habet.

86. *gummi*) Olim legebatur *cumini*. Lindenius repoſuit *gummi*; quod ſane Mediceus I. & nonnulli alii Codices habent.

87. *Canopite collyrium*) Quidam leg. *Canopitæ collyrium*. Vox *collyrium* fortaſſe eſt interpretis alicujus, qui eam margini adſcripſit.

88. *acaciæ*) *caſſiæ* habent omnes Codices Medicei, præter vetuſtiorem, in quo, ut in vulgatis, legitur *acaciæ*.

89. *papaveris lacrimæ*) Duæ hæ voces deſunt in Codice Mediceo I.

90. *p. ✱. VIIII.*) In pleriſque Codicibus additur, *aqua pluviatilis*; quas ego duas voces omiſi ex fide Medicei I. Qui illas addidit, oblitus videtur quid Celſus monuerit ſect. 16. hujus cap. *Quotieſcumque non adjicio, quod genus humoris adjiciendum ſit, aquam intelligi volo*. In libris vulgatis legitur, *p. ✱. VIIII. cum aqua pluviatili*. Pro *VIIII.* Cod. Mediceus I. habet *VIII.*

91. *croci Siculi*) Lindenius leg. *croci Cilicii*; quemadmodum habetur lib. 5. cap. 23. ſect. 2. Apud Scribonium quoque Compoſit. 29. *Cilicii*, pro *Siculi*, Rhodius legendum ſuſpicabatur. Sed iterum in Compoſit. ejuſdem Scribonii 30. legitur, *croci Siculi*. Ceterum, ſi apud Celſum & Largum *Siculi* mendum eſt, ne Marcelli Empirici quidem, & Galeni Codices hac ſuſpicione carent. Nam Marcellus Empiricus habet, *croci Siculi ✱. III.* cap. 8. in collyrio, quod perichryſtarion a Græcis vocari ait; (περιχρυσταριον Rhodius legendum putat); quod idem eſt atque illa, quam ſecundo loco citavi, Scribonii Compoſitio. Apud Galenum autem eſt κρόκȣ Σικελȣ̃ in collyrio, quod Μαχάων Ασκληπιὸς inſcribitur, lib. 4. de compoſit. medic. s. l. cap. 8. Ad Celſum quod attinet, Codex Mediceus I. non habet vocem *Siculi*; quia tamen poſtea, pro *ſingulorum*, habet *ſinguli*, ſuſpicari poſſumus, librarium ſimilitudine vocum *Siculi* & *ſinguli* deceptum, priorem omiſiſſe. Niſi dicere malimus, *Siculi*, quod eſt in aliis Codicibus, ex illo ipſo mendo *ſinguli* ortum eſſe.

92. *p. ✱. XXXII.*) Ita in Codice Mediceo I. & in Editionibus antiquioribus. Alii habent, *p. ✱. XXXI.* ut reliqui Codices Medicei; alii, ut Cæſarius, *p. ✱. LII.*

tæ p. ✗. VIIII. [93] Maxime tamen tollere cicatricem videtur id; quod habet gummi p. ✗. =. [94] æruginis p. ✗. I. crocomagmatis p. ✗. IV.

26. Eſt etiam genus inflammationis, in qua, ſi cui tument ac diſtenduntur cum dolore oculi, ſanguinem ex fronte mitti neceſſarium eſt; multaque aqua calida caput atque oculos fovere; gargarizare ex lenticula, vel ex fici cremore [95]; inungi acribus medicamentis, quæ ſupra comprehenſa ſunt; maximeque eo, quod Sphærion nominatur, quod lapidem hæmatiten habet [96]. Atque alia quoque utilia ſunt, quæ ad extenuandam aſpritudinem fiunt; de qua protinus dicam.

27. Hæc autem inflammationem [97] oculorum fere ſequitur; interdum major, interdum levior. Nonnumquam etiam ex aſpritudine lippitudo fit; ipſam deinde aſpritudinem auget [98], fitque ea in aliis brevis, in aliis longa, & quæ vix umquam finiatur. In hoc genere valetudinis quidam craſſas, duraſque palpebras, & ficulneo folio, & aſperato ſpecillo, & interdum ſcalpello eradunt; verſaſque quotidie medicamentis ſuffricant. Quæ neque niſi in magna vetuſtaque aſpritudine, neque ſæpe facienda ſunt: nam melius eodem ratione victus & idoneis medicamentis pervenitur. Ergo exercitationibus utemur, & balneo frequentiore; multaque oculos [99] aqua calida fovebimus: cibos autem ſumemus [1] acres & ex-

93. *p. ✗. VIIII.*) Codex Mediceus I. *p. ✗. VIII.*

94. *p. ✗. =.*) Antea legebatur, *p. ✗. III.* Ego ſic reſtitui ex Codice Mediceo I. In Codicibus aliis eſt, *p. ✗. Z. III.*

95. *ex fici cremore*) Codex Mediceus I. non habet *ex*.

96. *quod lapidem hæmatiten habet*) Lindenius leg. *quodque &c.* Ceterum non apparet, quorſum hæc verba addantur; cum illa, quæ præcedunt, idem ſignificent. Nam ex acribus medicamentis, quæ ſupra comprehenſa ſunt, nullum eſt, præter Sphærion, quod lapidem hæmatiten habeat. Niſi forte *quod* valet *quia*; vel id ipſum reponendum eſt, ut legitur in Cod. Mediceo I. Sed tum rationem Celſus reddere debuiſſet, cur præcipue lapis hæmatites hic utile ſit. Hæc igitur fortaſſe adnotatio aliqua eſt, ex margine deſcripta. Si quis contra exiſtimat, hæc verba eſſe Celſi; illa vero, *quod Sphærion nominatur*, interpretis alicujus; is non videtur animadvertiſſe, ſolere Celſum Sphærion iſtud & alia hujuſmodi collyria propriis nominibus appellare. Lege ſectiones hujus capitis 23. 25. & 28.

97. *Hæc autem inflammationem &c.*) Aſpritudo ſequitur inflammationem. Ita ex Cod. Mediceo I. & Lindenio. Alii leg. *Hanc autem inflammatio &c.* ſed perperam.

98. *ipſam deinde aſpritudinem auget*) Legendum puto *ipſa*, ſcilicet lippitudo: quamvis omnes Codices habeant *ipſam*; atque alii quidem, ut Mediceus I. ante *deinde*, alii poſt *aſpritudinem*. Lindenius leg. *atque ipſam &c.*

99. *oculos*) Sic reſtitui ex multis Mſs. Alii leg. *oculorum palpebras*, ut eſt in Mediceo I.

1. *cibos autem ſumemus*) Lindenius leg. *cibi autem ſumendi ſunt*.

extenuantes; at medicamentum id, quod Cæſarianum vocatur: Habet [2] atramenti ſutorii p. ж. I. [3] miſy p. ж. =. piperis albi p. ж. = =. [4] papaveris lacrimæ, gummi, ſingulorum p. ж. II. cadmiæ lotæ p. ж. III. ſtibis p. ж. VI. Satiſque conſtat, hoc collyrium adverſus omne genus oculorum valetudinis idoneum eſſe; exceptis iis, quæ lenibus nutriuntur.

28. Id quoque, quod Hieracis nominatur, ad aſpritudinem poteſt. Habet myrrhæ p. ж. I. ammoniaci thymiamatis p. ж. II. æruginis raſæ p. ж. IV. [5] Ad idem idoneum eſt etiam id, quod Canopite, & id [6] quod Smilion vocatur, & id quod Pyxinum, & id quod Sphærion. Si [7] compoſita medicamenta non adſunt, felle caprino, vel quam optimo melle ſatis commode aſpritudo curatur.

29. Eſt etiam genus aridæ lippitudinis: ξηροφθαλμίαν [8] Græci appellant. Neque tument, neque fluunt oculi, ſed rubent tantum [9], & cum dolore quodam graves ſunt, & noctu [10] præ gravi [11] pi-

2. *extenuantes; at medicamentum id, quod Cæſarianum vocatur. Habet &c.*) Sic interpungendum putavi, ut apte cohæreret oratio. Alii omnes, *extenuantes*.

At medicamentum id, quod Cæſarianum vocatur, habet &c. Codex Mediceus I. non habet particulam *at*: neque ſane eſt neceſſaria.

3. *p. ж. I.*) In Codice Mediceo I. *p. ж. I.* —. Fortaſſe legendum, *p. ж.* —. ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

4. *p. ж. =. piperis albi p. ж. = =.*) Ita ex Codice modo allato. In Codicibus aliis eſt, *p. ж. I. piperis albi p. V.* Vulgo legitur, *p. ж. piperis albi p. ж. V.* ſed in margine Editionis Conſtantinianæ, *p. ж.* —. —, pro *p. ж.*

5. *æruginis raſæ p. ж. IV.*) Vulgo additur, *cum aqua pluviatili*, vel *pluviali*; quod adventitium eſt, nec legitur in Codice Mediceo I. In Codicibus ceteris habetur, *aqua pluviatili*: particula vero *cum* in IV. dumtaxat; & quidem alia manu ex Palavicini emendatione. Vide adnot. 90. ſect. 25. hujus cap.

6. *quod Canopite, & id &c.*) Ita ex Lindenio. Al. *quod Canopites eſt, & id &c.* al. *quod Canopite eſt, & id &c.* Conſtantinus mallet *Canopitæ*. In Codice Mediceo I. legitur: *quod canopitæ eſt id &c.*

7. *Si*) Lindenius, *Si autem*.

8. *ξηροφθαλμίαν*) Idem leg. *quod ξηροφθαλμίαν*: & infra, *Sub hoc neque tument, neque &c.*

9. *tantum*) Codex Mediceus I. *tamen*.

10. *cum dolore quodam graves ſunt, & noctu &c.*) Ita in Codice modo allato: in aliis, pro *graves ſunt*, *graveſcunt*, ut olim legebatur. Codicem unum affert Conſtantinus, in quo habetur; *cum dolore quodam fere levi, & prurigine graveſcunt, & palpebræ citra duritiam ullam noctu &c.* atque ita Lindenius edidit, non aliud mutans, quam *graveſcunt* in *graves ſunt*. Sed quædam videntur addita ex Aetio, qui Tetrab. 2. Serm. 3. cap. 75. ita ſcribit: *Lippitudo ſicca eſt, quum ſubaridus factus fuerit oculus, & leniter dolens, citra duritiam palpebrarum*. Verba autem illa, *fere levi*, huc traducta fuerunt ex varianti lectione, de qua infra; ut locus totus ad allata Aetii verba conformaretur.

11. *præ gravi*) Alii leg. *prægravi*, ut eſt in Codice Mediceo primo. Stephanus & Lindenius, *præ gravi*, per voces duas; & quidem rectius. Codices reliqui Medicei habent, *fere levi*.

pituita inhæreſcunt [12] : quantoque minor generi huic [13] impetus, tanto finis minus expeditus [14] eſt. In hoc vitio multum ambulare, multum exerceri, lavari ſæpe, ibique deſudare, multaque frictione uti neceſſarium eſt. Cibi neque qui [15] implent, neque nimium acres, apti ſunt, ſed inter hos medii. Mane, ubi concoxiſſe manifeſtum eſt, non eſt alienum ex ſinapi gargarizare; tum deinde caput atque os diutius defricare [16].

30. Collyrium vero aptiſſimum [17] eſt, quod Rhinion [18] vocatur. Habet myrrhæ p. ※. ═. [19] papaveris lacrimæ, acaciæ ſucci, piperis, gummi, ſingulorum p. ※. I. lapidis hæmatitis, lapidis Phrygii, lycii [20], lapidis ſciſſilis, ſingulorum p. ※. II. æris combuſti p. ※. IV. Ac Pyxinum quoque eodem accomodatum eſt [21].

31. Si vero ſcabri oculi ſunt, quod maxime in angulis eſſe conſuevit, poteſt prodeſſe Rhinion, id quod ſupra poſitum eſt [22]; poteſt ſimiliter id [23], quod habet æruginis raſæ, piperis longi, papaveris lacrimæ, ſingulorum p. ※. II. piperis albi, gummi, ſingulorum p. ※. IV. cadmiæ elotæ [24], ceruſſæ, ſingulorum

 p. ※.

12. *inhæreſcunt*) Quidam cum Cæſario leg. *inareſcunt* : & ſane in Codice Mediceo I. eſt *inhareſcunt*. Sed retinendum *inhæreſcunt*, quod alii Codices habent. Ex deſcriptione ξηροφθαλμίας & σκληροφθαλμίας, quæ eſt apud Aetium l. c. apparet, Celſum utrumque vitium conjunxiſſe.

13. *generi huic*) Al. *generis hujus*.

14. *minus expeditus*) Lindenius leg. *minus expeditior*; ſed perperam. Nam, ut Morgagnus animadvertit, comparativa non ferunt adverbium *minus*.

15. *neque qui*) Ita nonnulli cum Ruellio. Al. *qui neque*, ut eſt in Mſs. pleriſque. In Mediceo I. *neque hi qui*.

16. *defricare*) Alii leg. *perfricare*, ut eſt in Edit. an. 1493. Fortaſſe recte; ſiquidem Celſus ſæpius adhibet verbum hoc. Attamen in Editione prima & in Mſs. eſt *defricare*; quod occurrit etiam lib. 5. cap. 28. ſect. 18. & ſect. 19.

17. *aptiſſimum*) Linden. *hoc aptiſſimum*.

18. *Rhinion*) Græcis, opinor, litteris ſcribendum eſt, ſicut infra βασιλικὸν ſcribitur ab Egnatio & Lindenio. Codex Mediceus I. habet *ſinion*.

19. *p.* ※. ═.) Ita ex Codice Mediceo I. Alii leg. *p.* ※. *I.* Codicibus Mediceis ceteris ſuffragantibus.

20. *lapidis hæmatitis, lapidis Phrygii, lycii*) Hæc verba deſunt in omnibus Codicibus Mediceis, præter quam in primo. In quarto & ſeptimo margini adſcripta ſunt alia manu.

21. *eodem accomodatum eſt*) Sect. 21. hujus cap. *eodem valet*. Lindenius ibi retinet *eodem*; hic *eidem* reponit.

22. *id quod ſupra poſitum eſt*) Hæc fortaſſe librarii ex margine addiderunt.

23. *poteſt ſimiliter id &c.*) Antea legebatur; *poteſt ſimiliter prodeſſe id &c.* Ego omiſi *prodeſſe* ex fide Codicis Medicei I. quod verbum, cum proxime antecedat, facile hic intelligitur. Reliqua tamen verba depravata ſunt in Codice illo : ſic enim habetur : *poteſt ſimulare id &c.* Palavicinus correxit, *ſimiliter*, atque addidit, *prodeſſe* : unde vulgaris lectio. Sed nec ceteri Medicei Codices vitio carent. Nam in aliis legitur, *poteſt prodeſſe militare id*; in ſeptimo, *poteſt eſſe militare id*; in ſexto deeſt verbum *poteſt*.

24. *elotæ*) Al. *lotæ*: ego *elotæ* ex Codice Mediceo I.

p. ✱. VI. [25] Nullum tamen melius eſt, quam Euelpidis, quod βασιλικὸν nominabat. Habet papaveris lacrimæ, ceruſſæ, lapidis Aſii, ſingulorum p. ✱. II. gummi p. ✱. III. piperis albi p. ✱. IV. [26] croci p. ✱. VI. pſorici p. ✱. XIII. Nulla autem per ſe materia eſt, quæ pſoricum nominetur; ſed chalcitidis aliquid, & cadmiæ dimidio plus ex aceto ſimul conteruntur, idque in vas fictile additum [27], & contectum ficulneis foliis, ſub terra reponitur, ſublatumque poſt dies viginti rurſus teritur [28], & ſic appellatur [29]. Verum in baſilico [30] quoque collyrio convenit, ad omnes affectus oculorum id eſſe idoneum, qui non lenibus medicamentis curantur. Vbi non ſunt autem medicamenta [31] compoſita, ſcabros, angulos lævant & mel & vinum: ſuccurritque & his & aridæ lippitudini, ſi quis panem ex vino ſubactum ſuper oculum imponit. Nam, cum fere ſit humor aliquis, qui modo ipſum oculum, modo angulos, aut palpebras exaſperat, ſic, & ſi quid prodit humoris, extrahitur, & ſi quid juxta eſt, repellitur.

32. Caligare vero oculi nonnumquam ex lippitudine, nonnumquam etiam ſine hac, propter ſenectutem, imbecillitatemve aliam, conſuerunt. Si ex reliquiis [32] lippitudinis id vitium eſt, adjuvat col-

25. *p. ✱. VI.*) Ita in libris vulgatis; quos ſequor. Nam in Mſs. mendum ineſſe ſuſpicor. Mediceus I. habet, *p. ✱. XVI.* ceteri ſex, *p. ✱. IIII.*

26. *p. ✱ III. piperis albi p. ✱. IV.*) Al. leg. *p. ✱. XIII.* (Conſtant. *p. ✱. XIIII.*) *piperis albi p. ✱. IV.* Ego ſecutus ſum Editiones antiquiores, quod Codices Medicei plerique, ſi leve mendum ſuſtuleris, cum iis conſentiant. Codices habent, *p. XIII.* pro *p. ✱. III.* immo in ſecundo eſt, *p. ✱. III.* & perperam reponitur, *p. XIII.* In ſexto, *p. ✱. XIIII.* ſed poſtrema unitatis nota expungitur. In quarto vero corrigitur, *p. p. III.* & verba proxima, *piperis albi p. ✱. IV.* notantur tamquam aliena, quia non ſunt in primo. Is enim ita habet: *cummis p. p. IIII. croci &c.*

27. *in vas fictile additum*) *Addere* pro *indere* a Varrone quoque Plinioque adhibetur. Varro lib. I. R. R. cap. 154. *in ollulas addatur* uva. Plinius lib. 20. H. N. cap. 22. *In ovum inane ſuccum* (marrubii) *addit*; & lib. 23. cap. 7. *Dentium quoque dolori hic ſuccus* (caprifici) *appoſitus in lana prodeſt, aut in cava eorum additus.* Celſus ipſe cap. 8. hujus libri ſect. 2. dixit, *addita in narem per linamentum aut penicillum ea compoſitio eſt &c.* Lindenius ibi veteres Codices ſequitur: hic vero Conſtantinum ſequi maluit, qui *inditum* margini adſcripſerat.

28. *reponitur, ſublatumque poſt dies viginti rurſus teritur*) In Codice Mediceo I. *reponitur, ſublatum ē poſt &c.* Lindenius leg. *reponitur diebus viginti, & rurſus ſublatum teritur.*

29. *ſic appellatur*) Lindenius addit *pſoricum*; quod non eſt in aliis Editionibus, nec in meis Mſs.

30. *in baſilico*) Lindenius leg. *de baſilico.*

31. *Vbi non ſunt autem medicamenta*) Idem Lindenius leg. *At, ubi non ſunt medicamenta.*

32. *reliquiis*) Codex Mediceus I. & aliqui alii, *reliquis.*

collyrium, quod Aſclepios nominatur; adjuvat id [33], quod ex crocomagmate fit.

33. Proprie etiam ad id componitur, quod διὰ κρόκυ [34] vocant. Habet piperis p. x. I. [35] croci Cilicii [36], papaveris lacrimæ, ceruſſæ, ſingulorum p. x. II. pſorici, gummi, ſingulorum p. x. IV.

34. At ſi ex ſenectute, aliave imbecillitate id eſt, recte inungi poteſt, & melle quam optimo, & cyprino, & oleo vetere. Commodiſſimum tamen eſt, balſami partem unam, & olei veteris, aut cyprini [37] partes duas, mellis quam acerrimi partes tres miſcere. Vtilia huic quoque [38] medicamenta ſunt, quæ ad caliginem proxime [39], quæque ad extenuandas cicatrices ſupra comprehenſa ſunt. Cuicumque vero oculi caligabunt, huic opus erit multa ambulatione, atque exercitatione; frequenti balneo; ubi totum quidem corpus perfricandum eſt, præcipue tamen caput, & quidem irino [40], donec inſudet; velandumque poſtea, nec detegendum, antequam ſudor & calor domi conquierint. Tum cibis utendum acribus, & extenuantibus; interpoſitiſque aliquibus diebus, ex ſinapi gargarizandum.

35. Suffuſio quoque, quam Græci ὑπόχυσιν nominant, interdum oculi potentiæ, qua cernit [41], ſe opponit. Quod, ſi invetera-

33. *adjuvat id*) Lindenius leg. *Adjuvat & id*; quemadmodum habet in margine Conſtantini Editio.

34. *διὰ κρόκυ*) Editiones Aldina vetuſtiores habent *diacrocu*, latinis litteris; & ita eſt in Codice Mediceo I. In Codicibus ceteris, *diacrocon*.

35. *p. X. I.*) Codex Mediceus I. *p. p. I.* reliqui ſex, *grana p. X. I.*

36. *Cilicii*) Ita Editiones Cæſarii, Ruellii, Pantini & Lindenii; nec diſcrepare videtur Codex Mediceus vetuſtior, in quo *cilici*. Alii legunt, ut habent multi Codices, *cilicis*.

37. *cyprini*) In Codice Mediceo I. *cypri*; ſed fortaſſe mendoſe, ſicut paulo ſupra in eodem Codice *cypri*, pro *cyprino*. Palavicinus correxit, *cyprini*; atque ita legitur in vulgatis libris. Alii Codices Mſs. habent *cyprii*. Ceterum *cyprus* hac ſignificatione uſurpatum eſt in lib. 5. cap. 24. ſect. 3.

38. *huic quoque*) Codex Mediceus I. *huc quoque*; Lindenius, *quoque huic*. Vide adnotat. 41. ſect. 12. hujus capitis, & adnotat. 73. ſect. 20.

39. *quæ ad caliginem proxime*) Verba hæc, itemque illa, *atque exercitatione*, quæ infra ſunt, in Cod. Mediceo I. cum deeſſent, a Palavicino fuerunt adſcripta. In Codicibus Mediceis reliquis legitur: *quæque ad caliginem proxime &c.*

40. *caput, & quidem irino*) Lindenius leg. *caput ex irino*.

41. *potentiæ, qua cernit*) Lindenius leg. *pupillæ*: Pantinus *pituitæ*, ut eſt in Editione an. 1538. non tamen a Cæſario: nam prima ejus Editio, ut pleræque omnes, habet *potentiæ*, Mſs. Codicibus ſuffragantibus. Excipiendus mihi eſt Mediceus I. in quo, loco *potentiæ*, *lippientiumq.* fuiſſe apparet. Nihil præterea ſciri poteſt: nam Palavicinus veterem ſcripturam obliteravit, ut hanc ipſam, *potentiæ*, *qua cernit*, reponeret. De cujus integritate vix dubitare li-

ravit [42], manu curandum eſt: inter initia nonnumquam certis obſervationibus diſcutitur. Sanguinem ex fronte vel naribus mittere; in temporibus venas adurere; gargarizando pituitam evocare; ſuffumigare; oculos acribus medicamentis inungere, expedit. Victus optimus eſt, qui pituitam extenuat.

36. Ac [43] ne reſolutio quidem oculorum, quam παράλυσιν Græci nominant, alio victus modo, vel aliis medicamentis curanda eſt. Expoſuiſſe tantum genus vitii ſatis eſt. Igitur interdum evenit, modo in altero [44] oculo, modo in utroque, aut ex ictu aliquo, aut ex morbo comitiali, aut ex diſtentione nervorum, qua vehementer ipſe oculus concuſſus eſt, ut is neque quoquam intendi poſſit, neque omnino conſiſtat; ſed huc illucve ſine ratione moveatur, ideoque ne conſpectum quidem rerum præſtet [45].

37. Non multum ab hoc malo diſtat id, quod μυδρίασιν Græci vocant. Pupilla funditur [46] & dilatatur, acieſque ejus hebeteſcit [47]; ac pene difficillime [48] genus id imbecillitatis eliditur. In utraque vero, id eſt & paralyſi & mydriaſi [49], pugnandum eſt per eadem omnia, quæ in caligine oculorum præcepta ſunt, paucis tantum mutatis: ſiquidem ad caput irino interdum acetum, interdum nitrum adjiciendum eſt; melle inungi [50] ſatis eſt. Quidam in poſteriore vitio calidis aquis uſi, relevatique: quidam ſine ulla manife-

ſta-

licet. Nam, ut Morgagnus animadvertit, vox *potentia* eodem modo adhibetur lib. 7. cap. 7. ſect. 14. *Igitur vel ex morbo vel ex ictu concreſcit humor ſub duabus tunicis; iſque paulatim indureſcens interiori potentiæ ſe opponit.*

42. *inveteravit*) Al. *inveteraverit*, ut eſt in Editione an. 1493. Editio I. cum Mediceo I. & aliis Mſs. habet *inveteravit*.

43. *Ac*) Codex Vaticanus VII. & Editiones Cæſarii, Pantini & Lindenii, *At*.

44. *in altero*) Lindenius leg. *in uno*; & infra, *convulſus*, pro *concuſſus*.

45. *præſtet*) Codex Mediceus I. *præſtat*.

46. *funditur*) Ita in Codice modo allato. Al. leg. *effunditur*; Linden. *diffunditur*.

47. *hebeteſcit*) Al. *hebeſcit*. In Codice Mediceo vetuſtiore, quem ego ſecutus ſum, legitur *hebeteſcit*; quod eſt jam a Rhodio notatum.

48. *ac pene difficillime*) Videtur deeſſe verbum aliquod poſt *pene*, quod cohæreat ſenſu cum *hebeteſcit*, & ante *difficillime* ſententiam abſolvat: quo modo Lindenius edidit, *ac pene caligat. Difficillime &c.* Lindenius autem, opinor, non veterem aliquem Codicem ſecutus eſt, ſed Conſtantini conjecturam, qui legendum arbitrabatur: *ac pene caligatur. Difficillime &c.*

49. *In utraque vero, id eſt & paralyſi & mydriaſi*) Lindenius omittit particulam *&*, quæ eſt ante *paralyſi*. Codex Mediceus I. ita habet: *In utraque parte vero ideſt & paralyſi & cumydriaſi*; & *cum* ſupra *paralyſi*, ut legatur, *cum paralyſi*.

50. *melle inungi*) Lindenius leg. *oculos vero melle inungi*; ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. Sed voces illas duas *oculos vero*, quæ in veteribus Codicibus non habentur, nullo modo neceſſarias eſſe apparet ex ſimili loco ſect. 16. hujus cap. *Inungi vero eo debet, quod habet &c.*

ſta cauſa ſubito obcæcati ſunt. Ex quibus nonnulli, cum aliquandiu nihil vidiſſent, repentina profuſione alvi, lumen receperunt. Quo minus alienum videtur, & recenti re [51], & interpoſito tempore, medicamentis quoque moliri [52] dejectiones, quæ omnem noxiam materiam in inferiora depellant.

38. Præter hæc imbecillitas oculorum eſt, ex qua quidam [53] interdiu ſatis, noctu nihil cernunt: quod in fœminam bene reſpondentibus menſtruis non cadit. Sed ſic laborantes inungi oportet ſanie [54] jocinoris, maxime hircini; ſin minus, caprini, ubi id aſſum coquitur, excepta: atque edi quoque ipſum jecur debet. Licet tamen etiam iiſdem medicamentis non inutiliter uti, quæ vel cicatrices, vel aſpritudinem extenuant. Quidam contrito ſemine portulacæ mel adjiciunt eatenus, ne id ex ſpecillo deſtil-

51. *videtur*, *& recenti re*) Ante Lindenium legebatur; *videtur ex recenti re*; ex Codice ſcilicet Mediceo IV. in quo; cum eſſet, ut in aliis quinque, *videretur recenti re*; alia manu correctum eſt *videtur*, & addita particula *ex*. Porro hæc additio facta eſt ex Codice I. in quo eſt: *videtur ex recentiore*. Palavicinus repoſuit *&* pro *ex*, & *recentiore* mutavit in *recenti re*. Sic autem legitur & in Codice Vaticano VI. & in Codice alio Conſtantini, & in Editione Lindeniana.

52. *moliri*) Codex Mediceus I. *molliri*. Etiam lib. 3. cap. 18. *Sed id ipſum tamen moliri cibo, quam medicamento, melius eſt*; Codex ille habet *molliri*. Sed utrobique mendoſe.

53. *quidam*) Priſcas Editiones ſequor, cum quibus Mſs. Codices conſentiunt plerique omnes. Gryphius & alii nonnulli leg. *quidem*, ut eſt in Mediceo I.

54. *ſanie*) Locus incertiſſimæ lectionis; ut vel ex iis intelligi poteſt, quæ Morgagnus de eo ſcripſit in Epiſt. V. Codex Mediceus I. habet *ſancti*; & infra, *excepta aqua*, pro *excepta: atque*. Palavicinus corrigit, *ſanie*. Itaque *ſanie*, & *excepta aqua* in Codice eſt Vaticano VI. In Mediceo IV. quoque *ſanie* eſt repoſitum alia manu, cum eſſet, ſicut in ceteris quinque, *humore*: infra vero, pro *excepto atque*, quod alii item habent, margini adſcriptum, *excepta aqua*. *habet vetus exemplar*. Vulgo Egnatius leg. *humore*: ceteri, *ſanguine*, ut eſt in Editione I. Cæſarius tamen *ſanie* habet in libri margine; itemque Conſtantinus, iſque ex veteri Codice. Sed neuter monet, pro *excepto* (ita enim communiter legitur) *excepta* reponendum eſſe. Ac mihi quidem hæc lectio maxime probatur; tum quia *ſancti*, quod eſt in Codice Mediceo, ad *ſanie* proxime accedit; tum quia vox hæc aptior huic loco videtur, quam aut *humore*, aut *ſanguine*, quas alii ſuppoſuerunt. Neque id affirmo Græcos Auctores dumtaxat reſpiciens, Dioſcoridem ſcilicet, & Trallianum, qui, ut alii jam adnotarunt, de hoc auxilii genere ſcribentes, alter lib. 2. cap. 47. alter lib. 1. de ſingul. corp. part. vitiis &c. cap. 23. vocem ἰχῶρα adhibuerunt: ſed quia ſaniem hac ſignificatione Plinium quoque ſæpe uſurpaſſe animadverti. Nam & lib. 28. cap. 11. hanc ipſam rem explicans, dixit; *Quidam inaſſati jocineris ſanie inungunt*; qui locus & a Pantino & ab aliis notatus eſt; & cap. 18. ejuſdem libri, *Hircini vero jocineris diſſecti ſanies efficacior*; & lib. 30. cap. 8. *Verendorum formicationibus verrucisque medetur arietini pulmonis inaſſati ſanies*.

ſtillet, eoque inungunt. Exercitationibus, balneo [55], frictionibus, gargarizationibus iiſdem his quoque utendum eſt.

39. Et hæc quidem in ipſis corporibus oriuntur. Extrinſecus vero interdum ſic [56] ictus oculum lædit, ut ſanguis in eo ſuffundatur. Nihil [57] commodius eſt, quam ſanguine vel columbæ, vel palumbi [58], vel hirundinis inungere. Neque id ſine cauſa fit; cum horum [59] acies extrinſecus læſa, interpoſito tempore in antiquum ſtatum redeat, celerrimeque [60] hirundinis. Vnde etiam locus fabulæ factus eſt, per parentes id herba [61] reſtitui, quod per ſe ſaneſcit. Eorum ergo ſanguis noſtros quoque oculos ab externo caſu commodiſſime tuetur, hoc ordine; ut ſit hirundinis optimus, deinde palumbi, minime [62] efficax columbæ, & illi ipſi, & nobis. Supra percuſſum vero oculum, ad inflammationem leniendam, non eſt alienum imponere etiam cataplaſmata. Sal Ammoniacus [63], vel quilibet alius quam optime [64] teri debet, ſic, ut ei paulatim oleum adjiciatur, donec craſſitudo ſtrigmenti fiat; id deinde miſcendum eſt cum hordeacea farina, quæ ex mulſo decocta ſit. Facile autem, recognitis omnibus, quæ medici prodiderunt [65], apparere cuilibet poteſt, vix ullum ex iis, quæ ſupra

55. *Exercitationibus, balneo, &c.*) Non vidit Lindenius, referri periodum hanc ad illam ſectionis 34. partem, *Cuicumque vero oculi caligabunt &c.* Id ſi vidiſſet, hæc verba, *gargarizationibus iiſdem his quoque*, profecto non expuliſſet. Nunc ita edidit: *Vtendum vero eſt exercitationibus, balneo, & fricationibus.*

56. *ſic*) Al. *ſi*; hique ſententiam non abſolvunt, niſi poſt *inungere*. Ego ſecutus ſum Lindenium, & Codicem Mediceum I.

57. *Nihil*) Lindenius leg. *Huic nihil*.

58. *palumbi*) Idem habet *palumbæ*, ut infra quoque.

59. *horum*) Lindenius reponit *harum*, ut Conſtantinus habet in libri margine. Sed hujus mutationis uterque oblitus, infra retinent *Eorum*.

60. *celerrimeque*) Ita prorſus legendum ex Conſtantino & Lindenio. Nam *celeberrimeque*, quod habent Mſs. & antiquæ Editiones, mendum eſt.

61. *per parentes id herba &c.*) Perperam in multis Mſs. legitur: *aut per parentes, aut id herba &c.* Egnatius, qui lectionem iſtam primus vulgavit, addidit *chelidonio*; al. *chelidonia*.

62. *minime*) Lindenius leg. *minimum*; & poſtea, *ſibi ipſi*, pro *illi ipſi*.

63. *Sal Ammoniacus*) Ita in multis Mſs. & in Editione I. Alii leg. *Sed Ammoniacus*; ut eſt in Editione an. 1493. & in aliquo depravato Codice, qualem ego Mediceum VI. inveni. Mediceus I. quoque mendo laborat: nam habet *ammoniacum*, omiſſa voce *Sal*. Cæſarius ita edidit: *Sed Armeniacus*, ut ſubaudiatur *lapis*: minus recte; quamvis id Pantinus probarit. Lindenius vero habet, *Sed ſal armeniacus*.

64. *optime*) Al. *optimus*. Omnino legendum *optime*, ut eſt in Codice Mediceo I. & in Editione Lindenii.

65. *quæ medici prodiderunt*) Communiter legitur; *quæ medici quoque prodiderunt*; ſed perperam; ut animadvertit Morgagnus. Ipſe legere mallet, *quique*. Sed ſi noviſſet, particulam *quoque* abeſſe a Codice Mediceo I. non

pra comprehenſa ſunt, oculi vitium eſſe, quod non ſimplicibus quoque, & promptis remediis ſubmoveri [66] poſſit.

VII. 1. Hactenus in oculis ea reperiuntur, in quibus medicamenta plurimum poſſunt: ideoque ad aures tranſeundum eſt, quarum uſum proximum a luminibus natura nobis dedit. Sed in his aliquanto majus periculum eſt: nam vitia oculorum intra ipſos nocent; aurium inflammationes doloreſque, interdum etiam ad dementiam mortemque præcipitant. Quo magis inter initia protinus ſuccurrendum eſt, ne majori periculo locus ſit. Ergo ubi primum dolorem aliquis ſenſit, abſtinere & continere ſe debet. Poſtero die, ſi vehementius malum eſt, caput tondere, idque irino unguento calido perungere, & operire. At magnus cum febre vigiliaque dolor exigit, ut ſanguis quoque mittatur. Si id aliquæ cauſæ prohibent, alvus ſolvenda eſt. Cataplaſmata quoque calida, ſubinde mutata, proficiunt; ſive fœni Græci, ſive lini, ſive alia farina ex mulſo decocta [67]. Recte etiam ſubinde admoventur ſpongiæ, ex aqua calida expreſſæ. Tum, levato dolore, ceratum circumdari debet ex irino, aut cyprino factum: in quibuſdam tamen melius, quod ex roſa eſt [68], proficit. Si vehemens inflammatio ſomnum ex toto prohibet, adjici cataplaſmati debent papaveris cortices [69] fricti atque contriti, ſic, ut ex his pars dimidia ſit; eaque tum ſimul ex paſſo miſto [70] decoquuntur. In aurem vero infundere aliquod medicamentum oportet; quod ſemper ante tepefieri convenit: commodiſſimeque per ſtrigilem inſtillatur. Vbi auris repleta eſt, ſuper lana mollis addenda eſt, quæ humorem intus contineat. Et hæc quidem communia ſunt.

 Me-

I. non dubito, quin prorſus abjiciendam judicaviſſet. Itaque ſecutus ſum Codicis illius auctoritatem. In eodem Codice legitur *providerunt*: ſed id quidem mendum eſt.

66. *ſubmoveri*) Ita in Mſs. & in Editionibus Egnat. Ruell. Pantin. & Ronſſ. In Editione prima & nonnullis aliis, *ſubremoveri*. Lindenius leg. *ſubinde removeri*.

67. *decocta*) Lindenius ſuſtulit verbum *eſt*, cum legeretur *decocta eſt*.

68. *quod ex roſa eſt*) Al. *quod ex roſa factum eſt*. Vocem *factum* neque Lindenius habet, neque Cod. Mediceus I.

69. *adjici cataplaſmati debent papaveris cortices*) Al. *adjici cataplaſmata debent papaveris corticis*.

70. *ſimul ex paſſo miſto &c.*) Paſſum miſtum dictum videtur, ut vinum miſtum cap. 9. hujus libri. In Codice Mediceo I. eſt, *ſimul ex paſſo mixta*. Palavicinus corrigit, *ex paſſo ſimul mixto*. Lindenius leg. *ſimul ex paſſo vel mulſo*. Idem poſtea, *decoquuntur*. In antiquis libris legitur, *decoquatur*; in margine Editionis Conſtantinianæ, *decoquantur*.

Medicamentum vero eſt & roſa [71], & radicum arundinis [72] ſuccus, & oleum, in quo lumbrici cocti ſunt, & humor ex amaris nucibus, aut ex nucleo mali Perſici expreſſus. Compoſita vero ad inflammationem doloremque leniendum hæc fere ſunt: caſtorei, papaveris lacrimæ pares portiones conteruntur, deinde adjicitur his paſſum: vel papaveris lacrimæ, croci, myrrhæ par modus ſic teritur, ut invicem modo roſa, modo paſſum inſtilletur: vel id, quod amarum in Ægyptia faba eſt, conteritur, roſa adjecta; quibus myrrhæ quoque paulum a quibuſdam miſcetur, vel papaveris lacrimæ, aut [73] thus cum muliebri lacte: vel amararum nucum cum roſa ſuccus [74]: vel caſtorei, myrrhæ, papaveris lacrimæ pares portiones cum paſſo: vel croci p. ✗. ═. [75] myrrhæ, aluminis ſciſſilis, ſingulorum p. ✗. ═. [76] quibus, dum [77] teruntur, paulatim miſcentur paſſi cyathi tres, mellis minus cyatho; idque ex primis medicamentis eſt: vel papaveris lacrima ex aceto. Licet etiam compoſitione uti Themiſonis; quæ habet caſtorei, opopanacis, papaveris lacrimæ [78], ſingulorum p. ✗. II. ſpumæ lycii [79] p. ✗. IV. quæ contrita paſſo excipiuntur, donec cerati craſ-

71. *& roſa*) In Codice Mediceo I. *ei roſa*. Ex hoc Codice ego, pro *roſæ*, ut antea legebatur, repoſui *roſa*, id eſt oleum roſaceum; quod roſam deinde ſæpe nominet. Sed neque *roſæ*, contemnenda lectio eſt. Nam roſæ floris ſuccum in aurium dolore prodeſſe ſcribit Archigenes, apud Galenum lib. 3. de compoſit. medic. s. l. cap. 1.

72. *arundinis*) Ita ex Mſs. Vulgo legitur, *arundinum*.

73. *miſcetur, vel papaveris lacrimæ, aut &c.*) Ex ipſo orationis contextu apparet, niſi fallor, rectius legendum eſſe; *miſcetur: vel papaveris lacrima, aut &c.* Scribit porro Galenus l. c. in aurium doloribus inflammationibuſque papaveris lacrimam cum lacte utiliter adhiberi; idque ex frequentiſſimis medicamentis eſſe.

74. *cum roſa ſuccus*) Al. leg. *cum roſæ ſucco*; ſed perperam.

75. *p. ✗. ═.*) In Mediceo I. *p. p. ≡*. In aliis Mſs. & in omnibus vulgatis libris, *p. ✗. I.*

76. *p. ✗. ═.*) Ita in Codice Mediceo I. Sed in illo deeſt vox *ſingulorum*. Codices ceteri Medicei habent, *p. ✗. I.* Vulgo alii leg. *p. ✗. Z.* alii cum Ceſario, p. ✗. 3. Ruellius & Lindenius, *p. ✗. III.*

77. *dum*) Al. *tum*, mendoſe. Al. *cum*. Ego malui *dum*, quod eſt in Editione I. & in Mſs. Mediceis.

78. *papaveris lacrimæ*) Vulgo ab omnibus additur, *ex aceto*. Has duas voces Codex Mediceus I. non habet; & qui habent Codices, perperam habere videntur. Deceptus librarius eſt, quia voces illas paulo ante deſcripſerat.

79. *ſpumæ lycii*) Si *nitri* Lindenius non invenit, niſi apud Conſtantinum ex quadam conjectura, haud facile probarim mutationem ab eo in textum inductam. Omnes Medicei Codices habent *lyci*. Lycii autem ſpuma & a Dioſcoride deſcribitur in lib. 1. cap. 132. & nominatur a Plinio in lib. 24. cap. 14. & ab Andromacho adhibetur in medicamentis ad aurium vitia compoſitis, apud Galenum lib. 3. de compoſit. medic. s. l. cap. 1. ubi eſt etiam compoſitio quædam Laodici regis, ab hac Themiſonis non di-

craſſitudinem habeant, atque ita reponuntur. Vbi uſus requirit [80], rurſus id medicamentum, adjecto paſſo, ſpecillo teritur [81]. Illud perpetuum eſt, quotieſcumque craſſius medicamentum eſt, quam ut in aurem inſtillari poſſit, adjiciendum eum eſſe humorem, ex quo id componi debet, donec ſatis liquidum ſit.

2. Si vero pus quoque aures habent, recte lycium per ſe infunditur, aut irinum unguentum; aut porri ſuccus cum melle; aut centaurii [82] ſuccus cum paſſo; aut dulcis mali Punici ſuccus [83] in ipſius cortice tepefactus, adjecta myrrhæ exigua parte. Recte etiam miſcentur myrrhæ, quam ϛακτὴν cognominant, p. ✕. I. croci tantumdem, nuces amaræ xxv. [84] mellis ſeſquicyathus: quæ contrita, cum utendum eſt, in cortice mali Punici tepefiunt [85]. Ea quoque medicamenta, quæ oris exulcerati cauſa componuntur, æque ulcera aurium ſanant. Quæ ſi vetuſtiora ſunt, & multa ſanies fluit, apta compoſitio eſt, quæ ad auctorem Eraſiſtratum refertur: piperis p. ✕. =. croci p. ✕. =. [86] myrrhæ, miſy cocti, ſingulorum p. ✕. I. [87] æris combuſti p. ✕. II. Hæc ex vino teruntur: deinde ubi inaruerunt, adjiciuntur paſſi heminæ tres, & ſimul incoquuntur: cum [88] utendum eſt, adjicitur his mel & vinum. Eſt etiam Ptolemæi chirurgi medicamentum, quod habet lentiſci p. ✕. =. gal-

diſcrepans, niſi ponderum ratione, ut Pantinus animadvertit. Conſtantinus legere malebat; *argenti ſpumæ, lycii*. Alii omnes leg. *ſpumæ lycii*.

80. *uſus requirit*) Ante Lindenium legebatur; *uſus requiritur*; ſed minus recte.

81. *ſpecillo teritur*) Vocem *ſpecillo* quidam Critici explodendam cenſent. Lindenius leg. *piſtillo*; quod a me non in ullo Ms. ſed in margine tantum Editionis Conſtantinianæ inventum eſt.

82. *centaurii*) In pleriſque Mſs. *centauriæ*: in Mediceo I. *centauri*, pro *centaurii*, quod repoſui. Sic paulo ſupra *lyci*, pro *lycii*. Antea legebatur, *centaureæ*. Lib. 5. cap. 27. ſect. 10. dicitur *centaurios*; ut alii legunt, *centaurion*.

83. *dulcis mali Punici ſuccus*) Cap. 10. hujus lib. *Ex malo Punico dulci ſuccus exprimitur*. Lindenius leg. *ſuccus mali punici*.

84. XXV.) Editiones Aldina & Cæſariana an. 1528. ✕. *XV*. Ruelliana & nonnullæ aliæ, XV.

85. *tepefiunt*) Ita in Codice Mediceo I. Alii omnes leg. *tepefiant*.

86. *piperis p. ✕. =. croci p. ✕. =.*) Ita ex Codice modo allato. Sex reliqui Medicei Codices & Editiones priſcæ habent, *piperis p. ✕. I. croci p. ✕. I.* Quidam leg. *piperis p. ✕. I. croci p. ✕. I.* 3. ut eſt in Editione Gryphiana; Lindenius, *habet piperis, croci, ſingulorum p. ✕. I.*

87. *p. ✕. I.*) Antea legebatur, *p. ✕. II.* quod eſt in multis Codicibus. Mediceus primus habet *p. p. I.* & quidem rectius: nam poſtea ſequitur, *æris combuſti p. ✕. II.* In Codice tamen illo mendoſe, *æris combuſti p. p. XII.*

88. *cum*) Linden. *cum vero*.

læ p. ✱. =. [89] omphacii p. ✱. I. ſuccum Punici mali. Eſt Menophili [90] validum admodum, quod ex his conſtat: piperis longi p. ✱. I. caſtorei p. ✱. II. myrrhæ, croci, papaveris lacrimæ, nardi Syriaci, thuris, malicorii, ex Ægyptia faba partis interioris, nucum amararum, mellis quam optimi, ſingulorum p. ✱. IV. quibus, dum teruntur [91], adjicitur acetum quam acerrimum, donec craſſitudo in his paſſi fiat. Eſt Cratonis [92]: cinnamomi, caſiæ, ſingulorum p. ✱. =. [93] lycii, nardi, myrrhæ, ſingulorum p. ✱. I. aloes p. ✱. II. mellis cyathi tres, vini ſextarius: ex quibus lycium cum vino decoquitur, deinde his alia miſcentur. At ſi multum puris, maluſque odor eſt, æruginis raſæ, thuris, ſingulorum p. ✱. II. mellis cyathi duo, aceti quatuor ſimul incoquuntur: ubi utendum eſt, dulce vinum miſcetur. Aut aluminis ſciſſilis, papaveris lacrimæ, acaciæ ſucci par pondus miſcetur, hiſque adjicitur hyoſcyami ſucci dimidio minor, quam unius ex ſuperioribus, portio; eaque trita ex vino diluuntur. Per ſe quoque hyoſcyami ſuccus ſatis proficit.

3. Commune vero auxilium adverſus omnes aurium caſus, jamque uſu comprobatum Aſclepiades compoſuit. In eo ſunt cinnamomi, caſiæ, ſingulorum p. ✱. I. floris junci rotundi, caſtorei, albi piperis, longi [94], amomi, myrobalani, ſingulorum p. ✱. II. [95] thuris maſculi, nardi Syriaci, myrrhæ pinguis, croci, ſpumæ nitri, ſingulorum p. ✱. III. [96] quæ ſeparatim contrita, rurſus miſta, ex

89. *lentiſci p. ✱. =. gallæ p. ✱. =.*) Sic repoſui, quod in Mediceo I. ſit; *lentiſci p. p. =. gallæ p. =.* In aliis Codicibus legitur; *lentiſci p. ✱. I. gallæ p. ✱. I.* (in aliquibus, *gallæ ✱. I.*): atque ita habent Editiones omnes, præter Lindenianam, in qua, *lentiſci*, *gallæ*, *ſingulorum p. ✱. I.* In margine autem Conſtantinianæ adnotatum eſt,, Al. *p. ✱.* — —.

90. *Eſt Menophili*) Linden. *Eſt & Menophili*.

91. *dum teruntur*) Idem, *dum conteruntur*. Al. *cum teruntur*, ut eſt in Codice I. Ego repoſui, *dum teruntur* ex Codicibus Mediceis ceteris.

92. *Eſt Cratonis*) Conſtant. & Linden. *Eſt & Cratonis*.

93. *p. ✱. =.*) Ita in Codice Mediceo primo; in ceteris, *p. ✱. I.* ut vulgo legitur; in margine Editionis Conſtantinianæ, *p. ✱. I.* — —.

94. *albi piperis, longi*) Fortaſſe legendum eſt, *piperis longi*: ſiquidem vox *albi* abeſt a Codicibus multis. Habetur tamen in Mediceo I. Conſtantinus particulam *&* addendam cenſet poſt *piperis*. Lindenius leg. *piperis albi & longi*.

95. *p. ✱. II.*) Vulgo legebatur, *ſcripuli duo*; ut eſt in Mſs. fere omnibus. Ego ſic repoſui ex Mediceo I. qui habet *p. p. II*. Cur autem vulgatam lectionem rejecerim, ex iis intelligi poteſt, quæ ſcripſi ad ſect. 8. cap. 27. lib. 5.

96. *p. ✱. III.*) Ita in Editione I. & in Mſs. Alii leg. *p. ✱. II.* ex Editione an. 1493.

ex aceto conteruntur; atque ita condita, ubi utendum eſt, aceto diluuntur. Eodem modo commune auxilium auribus laborantibus eſt Polybi ſphragis ex dulci vino liquata: quæ compoſitio priori libro [97] continetur. Quod ſi & ſanies profluit, & tumor eſt, non alienum eſt, miſto vino per oricularium clyſterem eluere; & tum infundere vinum auſterum cum roſa miſtum, cui ſpodii paulum ſit adjectum, aut lycium cum lacte, aut herbæ ſanguinalis ſuccum cum roſa, aut mali Punici ſuccum cum exigua myrrhæ parte.

4. Si ſordida quoque ulcera ſunt, melius mulſo eluuntur; & tum aliquod ex iis, quæ ſupra ſcripta ſunt, quod mel habeat, infunditur. Si magis pus profluit, & caput utique tondendum, & multa calida aqua perfundendum, & gargarizandum [98], & uſque ad laſſitudinem ambulandum, & cibo modico utendum eſt. Si cruor quoque ex ulceribus apparuit [99], lycium cum lacte debet infundi; vel aqua, in qua roſa decocta ſit, ſucco aut herbæ ſanguinalis, aut acaciæ adjecto. Quod ſi ſuper ulcera caro increvit, eaque mali odoris ſaniem [1] fundit, aqua tepida elui debet; tum infundi id, quod ex thure & ærugine & aceto [2] & melle fit; aut mel cum ærugine incoctum. Squama quoque æris cum ſandaracha contrita per fiſtulam recte inſtillatur.

5. Vbi vero vermes orti ſunt, ſi juxta ſunt, protrahendi oriculario ſpecillo ſunt: ſi longius, medicamentis enecandi; cavendumque, ne poſtea naſcantur. Ad utrumque proficit album veratrum cum aceto contritum. Elui quoque aurem oportet vino, in quo marrubium decoctum ſit. Emortui vermes [3] in primam auris

97. *libro*) Codex Mediceus I. & Lindenii Editio *libro*. Alii leg. *libello*.

98. *& gargarizandum*) Hæc duo verba Codex Mediceus modo allatus non habet.

99. *apparuit*) Linden. *apparet*.

1. *ſaniem*) Libri vulgati habent, *ſanguinem*: at Mſs. *ſaniem*; a quibus cur diſcederem cauſa nulla fuit. Lindenius hunc locum ita legit: *eaque mali odoris, & ſanguinem fundit*. Ceterum Aetius, cum & ipſe, ut Almeloveenius notat, carnem in auribus ſuper ulcera increſcere ſcripſerit Tetrab. 2. Serm. 2. cap. 84. nihil addidit de ſanie ſanguineve ex illa exeunte.

2. *& aceto*) Hæ duæ voces deſunt in Codice Mediceo I.

3. *Emortui vermes*) Antea legebatur; *Sic emortui vermes*. Ego particulam *ſic* in Mſs. non inveni. In Mediceo I. legitur, *Emortuis vermes*. In aliis, *Sive mortui ſub his vermis*; & ſupra, *decoctum eſt*, pro *decoctum ſit*; ut *Sive mortui* ex *ſit*. *Emortui* corruptum; *eſt* autem adititium videatur. Legendum opinor; *Emortui ſub his vermes*; ſcilicet ſub medicamentis. Ita loquitur cap. proximo: *ſub his enim cruſtæ reſolvuntur*; & alibi.

auris partem prolabuntur [4], unde facillime educi poſſunt.

6. Sin [5] foramen auris compreſſum eſt, & intus craſſa ſanies ſubeſt, mel quam optimum addendum [6] eſt. Si id parum proficit, mellis cyatho & dimidio, æruginis raſæ p. X. II. adjiciendum eſt, incoquendumque, & eo utendum. Iris quoque cum melle idem proficit [7]. Item galbani p. X. II. myrrhæ & fellis [8] taurini, ſingulorum p. X. = =. [9] vini quantum ſatis eſt ad myrrham diluendam.

7. Vbi vero gravius aliquis audire cœpit (quod maxime poſt longos capitis dolores evenire conſuevit) in primis aurem ipſam conſiderare oportet: apparebit enim aut cruſta, qualis ſuper ulcera innaſcitur, aut ſordium coitus. Si cruſta eſt, infundendum eſt aut oleum calidum [10], aut cum melle ærugo, vel porri ſuccus, aut cum mulſo nitri paulum: atque ubi cruſta a corpore jam recedit, eluenda auris aqua tepida eſt [11], quo facilius ea per ſe diducta oriculario ſpecillo protrahatur. Si ſordes, eæque molles [12]

4. *prolabuntur*) Al. *provocabuntur*; ut habet Codex Mediceus I. Lindenius recte, *prolabuntur*; & ita eſt in Mediceo VII. & in Codice alio Conſtantini. In pleriſque legitur, *convocabuntur*, *prolabuntur*, vel *convocabuntur*, *prolabantur*.

5. *Sin*) Lindenius, *Si*. In Codice Mediceo I. eſt, *Sin*, ut alii legunt: in ceteris mendoſe, *Si in*.

6. *addendum*) Ita in antiquis libris. Lindenius leg. *indendum*.

7. *Iris quoque cum melle idem proficit*) Vulgo additur, *Item mellis & roſæ ſcrupuli duo*. Codex Mediceus I. quem ego ſecutus ſum, non habet verba illa: ceteri habent tantummodo, *mellis roſæ ſcrip. II.* quæ inſititia videntur. Vox quoque *idem* hujus inciſi mihi ſuſpecta eſt; quamvis in omnibus Codicibus eam invenerim. Ad confirmandam conſtructionem hanc, afferri poſſunt verba ex lib. 5. cap. 18. ſect. 24. *Idem faba quoque impoſita proficit*. Sed neque locus ille ſuſpicione caret; & ab aliis aliter legitur. Lindenius habet *ad idem proficit*; meliori conſtructione, ſed fortaſſe non meliori fide.

8. *myrrhæ & fellis*) In libris vulgatis; *myrrhæ cum melle*, & *fellis*; ut in multis Mſs. Ego ex fide Medicei vetuſtioris ſuſtuli duas voces, *cum melle*; quas librarius, cum ſupra eſſent poſitæ, temere iteravit; quemadmodum illas, *ex aceto*, in ſect. 1. hujus capitis. Pro *fellis* in allato Mediceo Codice legitur *mellis*: ſed prima ejus vocis littera videtur ex his tribus *rrc* conflata.

9. *p. X. = =.*) In Codicibus Mediceis ceteris, *p. p. ZZ. X, II.* in primo, quem ſecutus ſum, *p. p. = =.* Vulgo legitur, *p. X. II.*

10. *aut oleum calidum*) Particula *aut* abeſt a Codice Mediceo I.

11. *a corpore jam recedit, eluenda auris aqua tepida eſt*) Lindenius leg. *ex auricula procidit, eluenda eſt aqua tepida*. Quandoquidem cauſa nulla erat, ut recte cenſet Morgagnus, cur vetus lectio non probaretur; corruptus Codex videtur Lindenium fefelliſſe. Et ſane, pro *a corpore jam recedit*, Codex Mediceus I. habet, *aut corpore jam procedit*. In reliquis tamen verbis, *eluenda auris aqua tepida eſt*, non variat ab aliis Codicibus; ut neque in verbo *protrahatur*, pro quo Lindenius habet *protrahat*. Sed id quidem, ſi in aliquo Codice invenit, facile poterat intelligere, mendum eſſe.

les[12] ſunt, eodem ſpecillo eximendæ ſunt: at ſi duræ ſunt, acetum & cum eo nitri paulum conjiciendum[13] eſt; cumque emollitæ ſunt, eodem modo elui aurem, purgarique oportet. Quod ſi capitis gravitas manet, attondendum idem, & leniter, ſed diu perfricandum eſt, adjecto vel irino vel laureo[14] oleo, ſic, ut utrilibet paulum aceti miſceatur; tum diu ambulandum, leniterque poſt unctionem aqua calida caput fovendum; cibiſque utendum ex imbecilliſſima & media materia; magiſque aſſumendæ dilutæ potiones; nonnumquam gargarizandum eſt. Infundendum autem in aurem caſtoreum cum aceto & laureo oleo & ſucco radiculæ corticis; aut cucumeris agreſtis ſuccus, adjectis contritis roſæ foliis[15]. Immaturæ quoque uvæ ſuccus cum roſa inſtillatus, adverſus ſurditatem ſatis proficit.

8. Aliud vitii genus eſt, ubi aures intra ſe ipſæ[16] ſonant. Atque hoc quoque fit, ne externum ſonum accipiant. Leviſſimum eſt, ubi id ex gravedine eſt: pejus, ubi ex morbo[17], capitiſve longis doloribus incidit: peſſimum, ubi, magnis morbis venientibus, maximeque comitiali, provenit. Si ex gravedine eſt, purgare aurem oportet, & ſpiritum continere, donec inde humor aliquis exſpumet. Si ex morbo vel capitis dolore, quod ad exercitationem, frictionem, perfuſionem, gargarizationemque pertinet, eadem facienda ſunt: cibis non utendum niſi extenuantibus: in aurem dandus radiculæ ſuccus cum roſa, vel cum ſucco radicis ex cucumere agreſti; vel caſtoreum cum aceto[18], & laureo oleo. Veratrum quoque ex aceto conteritur[19], deinde melle cocto exci-

12. *eæque molles*) Ita ex Lindenio. Alii omnes leg. *æque molles*.

13. *conjiciendum*) Al. ex Cæſarii Editione, *injiciendum*.

14. *laureo*) Codex Mediceus I. *latureo:* alii, *laurino*. Hi etiam paulo infra, *laurino;* ille, *laureo*.

15. *adjectis contritis roſæ foliis*) Codices multi, *contritæ* pro *contritis*. Mediceus I. *adiectis contritis &c.* ſed correctum eſt, *additis & contritis*. Lindenius vocem *contritis* poſt *foliis* transfert.

16. *intra ſe ipſæ*) Plerique leg. *intra ſeipſas;* atque ita eſt in Codice Mediceo I. Lindenius, *intra ſe ipſæ*, Codicibus aliis ſuffragantibus.

17. *morbo*) Hic quoque multi Codices Lindenio favent, qui *morbo* repoſuit. Alii leg. *morbis*, ut habet Codex Mediceus I.

18. *cum aceto*) Ita ex Codice Mediceo modo allato. Antea legebatur, *ex aceto*.

19. *ex aceto conteritur*) Hic vero idem Codex habet, *ex aceto*: quod mihi magis probatur. Alii leg. *cum aceto:* qua conſtructione haud negarim Celſum interdum uſum eſſe; ſiquidem ſect. 5. hujus cap. ita habet; *album veratrum cum aceto contritum*: ſed particulam *ex* frequentius adhibuiſſe animadver-

cipitur, & inde collyrium factum in aurem demittitur. Si ſine his cœpit, ideoque novo metu terret, in aurem dari debet caſtoreum cum aceto, vel irino, aut laureo [20] oleo; aut huic miſtum caſtoreum cum ſucco nucum amararum; aut myrrha & nitrum cum roſa & aceto. Plus tamen in hoc quoque proficit victus ratio: eademque facienda ſunt, quæ ſupra comprehendi, cum majore quoque diligentia; & præterea, donec is ſonus finiatur, a vino abſtinendum. Quod ſi ſimul & ſonus eſt, & inflammatio, laureum oleum conjeciſſe abunde eſt, aut id, quod ex amaris nucibus exprimitur; quibus quidam vel caſtoreum, vel myrrham miſcent.

9. Solet etiam interdum in aurem aliquid incidere, ut calculus, aliquodve animal. Si pulex intus eſt, compellendum eo lanæ paululum eſt; quo [21] ipſe is ſubit [22], & ſimul extrahitur. Si non eſt ſecutus, aliudve animal eſt, ſpecillum lana involutum in reſinam quam glutinoſiſſimam, maximeque terebinthinam demittendum, idque in aurem conjiciendum [23], ibique vertendum eſt: utique enim comprehendet & eximet. Sin aliquid exanime eſt, ſpecillo oriculario protrahendum eſt, aut hamulo retuſo paulum recurvato: ſi iſta nihil proficiunt, poteſt eodem modo reſina protrahi. Sternutamenta quoque admota id commode elidunt, aut oriculario clyſtere aqua vehementer intus compulſa. Tabula quoque collocatur media inhærens, capitibus utrimque pendentibus, ſuperque eam homo deligatur in id latus verſus, cujus auris eo modo laborat, ſic, ut extra tabulam non emineat [24]: tum malleo caput tabulæ, quod a pedibus eſt, feritur; atque ita concuſſa aure, id quod ineſt, excidit.

VIII. 1.

verti. Ceterum hic locus, qui alioquin integer videri poteſt, ita legitur in allato Codice: *Veratrum quoque et id ex aceto conteritur &c.*

20. *aut laureo*) Ita in Codice Mediceo I. In aliis, *aut ex laureo*. Vulgo legitur, *vel laureo*.

21. *quo*) Codices multi Mſs. habent *quas*; Mediceus vetuſtior, *quo*; atque ita eſt in omnibus impreſſis libris. Conſtantinus tamen mallet, *quam*.

22. *ipſe is ſubit*) Lindenius leg. *ipſe ſi ſubit*.

23. *conjiciendum*) *injiciendum* quidam habent ex Cæſario.

24. *non emineat*) Ita legit Lindenius; & ita omnino legendum eſt; quamvis libri veteres non habeant particulam *non*. Idem fere remedium a Galeno proponitur lib. 3. de compoſit. medicament. s. l. cap. 1. & ab Aetio Tetrab. 2. Serm. 2. cap. 87.

VIII. 1. Nares vero exulceratas [25] fovere oportet vapore aquæ calidæ. Id & [26] ſpongia expreſſa atque admota fit, & ſubjecto vaſe oris anguſti, calida aqua repleto. Poſt id fomentum, illinenda ulcera ſunt, aut plumbi recremento, aut ceruſſa, aut argenti ſpuma; cum quodlibet horum aliquis conterit, eique, dum teritur [27], invicem vinum & oleum myrteum adjicit, donec mellis craſſitudinem fecerit [28]. Sin autem ea ulcera circa os [29] ſunt, pluresque cruſtas & odorem fœdum habent; quod genus Græci ὄζαιναν appellant; ſciri quidem debet, vix ei malo poſſe ſuccurri: nihilominus tamen hæc tentari poſſunt; ut caput ad cutem tondeatur, aſſidueque vehementer perfricetur; multa [30] calida aqua perfundatur; multa eidem [31] ambulatio fit; cibus modicus, neque acer, neque valentiſſimus. Tum in narem ipſam mel cum exiguo modo reſinæ terebinthinæ conjiciatur (quod ſpecillo quoque involuto lana fit) attrahaturque ſpiritu is ſuccus, donec in ore guſtus ejus ſentiatur: ſub his enim cruſtæ reſolvuntur, quæ tum per ſternutamenta elidi debent. Puris ulceribus vapor aquæ calidæ ſubjiciendus eſt: deinde adhibendum [32] aut lycium ex vino dilutum, aut amurca, aut omphacium, aut menthæ, aut marrubii ſuccus; aut atramentum ſutorium, quod candefactum, dein-

 de

25. *Nares vero exulceratas*) Alii leg. *Nares vero intus exulceratas*. Particula *intus* abeſt a Codice Mediceo I. & ab Editionibus Gryphii, Conſtantini, & Lindenii: poteſtque facile intelligi. Manifeſtum eſt enim, loqui Celſum de iis ulceribus, quæ in parte narium interiore naſcuntur. Nam quæ in exteriore parte fiunt, nihil differunt ab illis, quæ in aliis exterioribus partibus oriuntur: ideoque non ad nares proprie, ſed ad cutem pertinent univerſam.

26. *Id &*) Cum antea legeretur, *ideſt*, ut habent Codices Medicei; infra vero, *admota*; *fit*; Lindenius repoſuit, *Id & . . . . admota fit*: nec aliter legendum videtur.

27. *eique, dum teritur*) Lindenius leg. *ei, dum teritur*; deinde, *adjiciat*. Verba autem, quæ antecedunt, ita diſtinguit: *ſpuma. cum quodlibet horum aliquis conterit*.

28. *fecerit*) In aliquibus Codicibus legitur, *faciat*; quod & Conſtantinus notavit.

29. *circa os*) Lib. 8. cap. 1. *a ſuperciliis, anguliſque oculorum oſſe inchoantur* (nares) *ad tertiam fere partem*. Eam partem hic ſignificat; ut & lib. 7. cap. 11. de hoc ulcere iterum ſcribens; *eodem ſcriptorium calamum in narem eſſe conjiciendum, donec ſurſum ad os perveniat: tum per id tenue ferramentum candens dandum eſſe ad ipſum os &c. Vel narem incidendam eſſe ab ima parte ad os &c.* Qui *os*, non de oſſe, ſed de ore acceperunt, mendum ſubeſſe ſuſpicantes, repoſuerunt, *circa nares*; quod omnes fere Mſs. Codices habent. Non deeſſe etiam, qui habeant, *intra nares*, ex Conſtantini adnotationibus apparet. In Mediceo I. omnium longe optimo legitur, *circa os*, ut edidit Lindenius.

30. *multa*) Linden. *multaque*.

31. *multa eidem*) Ita Lindenius & Codices Mſs. Alii leg. *multa ei*; & poſtea, *deambulatio*.

32. *deinde adhibendum*) In Codice Mediceo I. deſunt hæ duæ voces.

de contritum ſit; aut interior ſcillæ pars contrita; ſic, ut horum cuilibet mel adjiciatur: cujus in ceteris admodum exigua pars eſſe debet; in atramento ſutorio tanta, ut ea miſtura liquida ſit [33]; cum ſcilla utique pars major. Involvendumque lana ſpecillum eſt, & in eo medicamento tingendum [34], eoque ulcera implenda ſunt: rurſuſque linamentum involutum & oblongum eodem medicamento illinendum, demittendumque in narem, & ab inferiore parte leniter deligandum. Idque per hiemem & ver bis die; per æſtatem & autumnum, ter fieri debet.

2. Interdum vero in naribus etiam carunculæ [35] quædam ſimiles muliebribus mammis naſcuntur, eæque imis partibus, quæ carnoſiſſimæ [36] ſunt, inhærent. Has curare oportet medicamentis adurentibus, ſub quibus ex toto conſumuntur. Polypus [37] vero eſt caruncula, modo alba, modo ſubrubra, quæ narium oſſibus inhæret; ac modo ad labra tendens [38] narem implet, modo retro per id foramen, quo ſpiritus a naribus ad fauces deſcendit, adeo increſcit, ut poſt uvam conſpici poſſit; ſtrangulatque hominem, maxime Auſtro aut Euro flante: fereque mollis eſt, raro dura; eaque magis ſpiritum impedit, & nares dilatat; quæ fere [39] καρκινώδης eſt; itaque attingi non debet. Illud aliud genus fere quidem ferro curatur; interdum tamen inareſcit, ſi addita in narem per linamentum aut penicillum ea compoſitio eſt, quæ habet minii Sinopici, chalciti-

33. *ſit*) Ita in Editione Lindenii & multis Mſs. Codicibus. Alii leg. *fiat*, ut eſt in Cod. Mediceo I.

34. *in eo medicamento tingendum*) Editio Cæſarii an. 1528. *medicamen*; Editio ejuſdem Cæſarii an. 1538. quam Lindenius eſt ſecutus, *medicamentum*. Perperam: nam ſpecillum lana involutum in medicamento tingitur. Sic cap. 15. *linamentum in roſa tingere*; & cap. 18. ſect. 7. *eodem medicamento tinctum linamentum ſuperdandum eſt*; & lib. 5. cap. 26. ſect. 9. *tincta in melle linamenta*.

35. *in naribus etiam carunculæ*) Sic repoſui ex Mſs. In vulgatis legitur: *etiam in naribus carunculæ*. Lindenius tollit *etiam*.

36. *carnoſiſſimæ*) Lindenius leg. *cartilaginoſæ*, ſecutus, opinor, Ms. Codicem a Conſtantino allatum. Ego Codices Mediceos ſequor, & veteres Editiones; in quibus omnibus habetur, *carnoſiſſimæ*. Explicationis autem loco affero ipſius Celſi verba ex lib. 8. cap. 1. *primum a ſuperciliis anguliſque oculorum, oſſe inchoantur* (nares) *ad tertiam fere partem: deinde in cartilaginem verſæ, quo propius ori deſcendunt, eo magis carunculæ quoque molliuntur*.

37. *Polypus*) Lindenius habet, Πολύπους, græcis litteris. Sed hæc vox latinitate donata fuerat ante Celſi ætatem a Catone R. R. cap. 157.

38. *tendens*) Al. *pendens*.

39. *quæ fere*) Lindenius leg. *fereque*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

citidis, calcis, ſandarachæ, ſingulorum p. x. I. atramenti ſutorii p. x. II.

IX. In dentium autem dolore, qui ipſe quoque maximis tormentis annumerari poteſt, vinum ex toto circumcidendum eſt: cibo quoque primo abſtinendum, deinde eo modico mollique utendum, ne mandentis dentes irritet: tum extrinſecus admovendus per ſpongiam vapor aquæ calidæ, imponendumque ceratum ex cyprino aut irino factum, lanaque id comprehendendum, caputque velandum eſt. Quod ſi gravior dolor eſt [40], utiliter & alvus ducitur, & calida cataplaſmata ſuper maxillam [41] injiciuntur, & ore humor calidus cum medicamentis aliquibus continetur, ſæpiuſque mutatur. Cujus rei cauſa & quinquefolii radix in vino miſto coquitur; & hyoſcyami radix vel in poſca, vel in vino miſto coquitur [42], ſic, ut paulum his ſalis adjiciatur; & papaveris non nimium aridi cortices, & mandragoræ radix, eodem modo. Sed in his tribus utique vitandum eſt, ne, quod hauſtum erit, devoretur. Ex populo quoque alba cortex radicis in hunc uſum in vino miſto recte coquitur; & in aceto [43] cornu cervini ramentum [44]; & nepeta cum teda pingui [45], ac ficu item pingui [46] vel

40. *dolor eſt*) Ita in Codice Mediceo I. & in Editione Lindenii. In aliis Codicibus *bis dolor eſt*. In Editionibus antiquis *is dolor eſt*.

41. *ſuper maxillam*) Ita habent omnes fere Mſs. Codices & Lindenii Editio. Alii leg. *ſuper maxillas*; ut eſt in Codice Mediceo I. qui deinde, pro *injiciuntur*, habet *inponuntur*. Infra vero, ubi in omnibus editis libris legitur *ſupra maxillam*, non ſolum Mediceus I. ſed alii quoque Mſs. Codices habent *ſupra maxillas*.

42. *vel in vino miſto coquitur*) Duo verba, *miſto coquitur*, quæ in Mediceo I. utique habentur, abſunt a quibuſdam Mſs. Primum tamen fortaſſe retinendum eſt; alterum prorſus redundat.

43. *& in aceto*) Lindenius leg. *aut in aceto*.

44. *cornu cervini ramentum*) Ita legitur in Mediceo I. & in alio Conſtantini Codice, & in Editione Lindenii, & in margine Cæſarianæ: ſed in Mediceo *cornus*, non *cornu*. Alii Codices & Editiones habent, *cornu cervinum raſum*.

45. *cum teda pingui*) Lindenius leg. *cum teda ac ficu pingui*. Archigenes apud Galenum de compoſit. medicament. ſecund. loc. cap. 5. & Marcellus Empiricus cap. 12. tedam pinguem per ſe ex aceto coquunt: Aetius vero Tetrab. 2. Serm. 4. cap. 28. ficum tedæ adjicit, & coquit in vino.

46. *ac ficu item pingui*) Ita in Codice Mediceo I. & in margine Editionis Conſtantinianæ. In eodem Mediceo Codice manu Palavicini ſcriptum eſt, *ac ficus item pinguis*: atque ita omnes antiquæ Editiones habent. Cæſarius margini adſcripſit, *cum ficu item pingui*. Lindenius leg. *item ficus pinguis*. Quidam manuſcripti Codices ita habent, *ac ficus pingui*: alii, *ac ficus pinguis*.

in mulſo, vel in aceto & melle, ex quibus cum ficus decocta [47] eſt, is humor percolatur. Specillum quoque lana involutum in calidum oleum demittitur, eoque ipſe [48] dens fovetur. Quin etiam quædam quaſi cataplaſmata in dentem ipſum illinuntur [49]: ad quem uſum [50] ex malo Punico acido atque arido malicorii pars interior cum pari portione & gallæ & pinei corticis conteritur, miſceturque his minium; eaque contrita aqua pluviatili coguntur [51]: aut panacis, papaveris lacrimæ, peucedani, uvæ taminiæ ſine ſeminibus pares portiones conteruntur: aut galbani partes tres, papaveris lacrimæ pars quarta. Quidquid dentibus admotum eſt, nihilominus ſupra maxillam ceratum, quale ſupra poſui, eſſe debet, lana obtectum. Quidam etiam myrrhæ, cardamomi, ſingulorum p. ӿ. I. croci, pyrethri, ficorum partes [52], ſingulorum p. ӿ. IV. ſinapis p. ӿ. VIII. contrita linteolo illinunt, imponuntque in humero partis ejus, qua dens dolet; ſi is ſuperior eſt, a ſcapulis; ſi inferior, a pectore: idque dolorem levat; &, cum levavit, protinus ſubmovendum eſt. Si vero exeſus eſt dens, feſtinare ad eximendum eum, niſi res coegit, non eſt neceſſe: ſed tum [53] omnibus fomentis, quæ ſupra poſita ſunt, adjiciendæ quædam valentiores compo-

47. *decocta*) Lindenius leg. *diſcocta*. Ita ſane habent Codices plerique Mſs. Mediceus tamen vetuſtior *decocta*, ut alii vulgo legunt.

48. *ipſe*) Al. *ipſo*.

49. *in dentem ipſum illinuntur*) Conſtructio verbi *illinere* cum quarto caſu & præpoſitione *in* non eſt Celſo inuſitata: ſiquidem 6. quoque hujus libri capite, ſectione 1. ita habetur: *idque in linteolum illinere*. Lindenius leg. *induntur*. Sed Mſs. mei omnes habent *inlinuntur*, vel *inliniuntur*.

50. *ad quem uſum*) Codex Mediceus I. habet, *ut quem uſum*; reliqui ſex, *ad quem uſum*. Ita cap. 19. hujus lib. *Quidam ad eumdem uſum decoquere ſimul malunt* &c. Pro *ad*, in Cod. Mediceo IV. alia manu repoſitum eſt *in*: atque ita in omnibus libris editis legitur.

51. *coguntur*) Al. *coquuntur*. Lindenius recte *coguntur*; ut habet Cod. Mediceus I.

52. *ficorum partes*) Infra quoque legitur *ficorum partes*: ſed corruptus eſt uterque locus, ut alii ante nos animadverterunt. Quod ad vocem *ficorum* attinet, quamquam Celſus genitivum ſingularem *ficus*, vel *fici* adhibere ſoleat; nihil tamen obſtat, niſi fortaſſe aurium faſtidium, quominus hic genitivo plurali uti potuerit. At vox *partes* prorſus aliena eſt, ut mihi quidem videtur. Fortaſſe orta eſt ex prava interpretatione proximæ notæ, *p*. Præter exemplum erroris hujus in adnotat. 99. lib. 5. cap. 18. ſect. 2. propoſitum, multa alia Mſs. Codices ſuppeditant: inter quæ illud luculentiſſimum, quod paulo infra occurrit: *Quidam autem miſcent pyrethri, piperis, elateris, ſingulorum partes p. p. I.*, vel, ut alii Codices habent, *p. ӿ. I.* Cæſarius legendum putat, *ficorum pinguium*, vel *parvarum*: alii, *fermenti putris*: Conſtantinus, *caprificorum pulveris*. Idem Conſtantinus adnotavit, in Codice quodam ſcriptum eſſe, *ficorum*, *piperis*: quod Lindenio placuit.

53. *ſed tum*) Vulgo ante Lindenium legebatur, *ſed cum*: nec aliter eſt in Mſs. Sed quis mendum non videat?

poſitiones ſunt, quæ dolorem levant; qualis fere eſt. Habet autem [54] papaveris lacrimæ p. ӿ. I. piperis p. ӿ. II. ſoreos p. ӿ. X. quæ contrita galbano excipiuntur, idque circumdatur. Aut Menemachi, maxime ad maxillares dentes; in qua ſunt, croci p. ӿ. I. [55] cardamomi, thuris fuliginis, ficorum partes, pyrethri, ſingulorum p. ӿ. IV. ſinapis p. ӿ. VIII. Quidam autem miſcent [56] pyrethri, piperis, elaterii, ſingulorum p. ӿ. I. aluminis ſciſſilis, papaveris lacrimæ, uvæ taminiæ, ſulphuris ignem non experti, bituminis, lauri baccarum, ſinapis, ſingulorum p. ӿ. II. Quod ſi dolor eximi eum cogit, & piperis [57] ſemen cortice liberatum, & eodem modo bacca hederæ conjecta in ejus foramen, dentem findit, iſque per teſtas [58] excidet: & plani piſcis [59], quam paſtinacam noſtri, τρυγῶνα Græci vocant, aculeus torretur, deinde conteritur, reſinaque excipitur, quæ denti circumdata hunc ſolvit: & alumen ſciſſile in id foramen [60] conjectum dentem citat. Sed id tamen involutum lanula demitti commodius eſt [61], quia ſic, den-

54. *qualis fere eſt. Habet autem* &c.) Locus hic in omnibus antiquis libris corruptus eſt; ſed aliter in aliis. Ita legitur in pleriſque; & quidem, ut ego opinor, proxime ad verum. Fortaſſe enim a Celſo ſcriptum fuit *Heræ;* cujus alia compoſitio deſcribitur in lib. 5. cap. 22. ſect. 3. Codex Mediceus I. habet, *qualis bεae ſ̄. habent autem*. Nam qui *Heræ* auctoris nomen eſſe haud intellexerunt, alii in *eæ*, vel *hæ* mutarunt; (quibus illud quoque neceſſe fuit, *ſunt. habent* reponere pro *eſt. habet*) alii vero in *fere*. Quamquam tres voces *qualis bεae ſunt* in Medic. I. ſunt expunctæ. Jam ſi legatur, *qualis Heræ eſt. Habet autem;* ea quoque, quæ ſequuntur, *Aut Menemachi* &c. recte cohærebunt. Expoſita divinatione noſtra, aliorum conjecturæ exponendæ ſunt, ut eam quiſque ſequi poſſit, quam maxime probabit. Conſtantinus igitur, pro *quales hæ ſunt. Habet autem*, quod in antiquis Editionibus legitur, Codicem Ms. ut videtur, nactus iis ſimilem, quos ego ſecutus ſum, ita reponendum exiſtimabat: *qualis fere eſt, quæ habet* &c. Lindenius vero ita edidit: *quales hæ ſunt, quæ habent* &c. Veteris autem lectionis, *quales hæ ſunt*, Palavicinus eſt auctor.

55. *croci p. ӿ. I.*) Codex Mediceus I. *croci p. p.* =. Sed ea croci portio, pro ceterarum rerum portione, videtur nimis parva.

56. *miſcent*) Ita ex Codice Mediceo I. & Editione Lindeniana. Alii leg. *immiſcent*.

57. *& piperis*) Lindenius omittit particulam *&*.

58. *per teſtas*) Cum ita ex veteri Codice legendum, Conſtantinus adnotaverit; itaque jam ſit a Lindenio editum; reliquum eſt, ut explicem, unde ortum ſit, *forte ſtans*, quod in antiquis Editionibus habetur. In Codice Mediceo I. cum ſcriptum eſſet *forteſtas*, ſupra ultimas ejus vocis litteras poſita fuit *n*, ut legeretur *forte ſtans*; atque ita in Codice IV. margini eſt adſcriptum. Is & Medicei ceteri habent *per teſtas*, vel *textas*. Deinde, pro *excidet*, IV. V. VII. *exciditur*. Legendum videtur *excidit*.

59. *& plani piſcis* &c.) Lindenius leg. *Plani quoque piſcis (quam nos paſtinacam, Græci τρυγῶνα vocant) aculeus* &c. & infra, *ſolvit. Alumen quoque ſciſſile* &c.

60. *in id foramen*) Lindenius tollit *id*. In Cod. Mediceo I. legitur, *& id foramen*.

61. *conjectum dentem citat. Sed id tamen involutum lanula demitti commodius eſt*) Ita

dente ſervato, dolorem levat [62]. Hæc a medicis [63] accepta ſunt. Sed agreſtium experimento cognitum eſt, cum dens dolet [64], herbam mentaſtrum cum ſuis radicibus evelli [65] debere, & in pelvem mitti, ſupraque aquam infundi, collocarique juxta ſedentem hominem undique veſte contectum; tum in pelvem candentes ſilices demitti, ſic, ut aqua tegantur, hominemque eum hiante ore vaporem excipere, ut ſupra dictum eſt, undique incluſum. Nam & ſudor plurimus ſequitur, & per os continens pituita defluit; idque ſæpe longiorem, ſemper annuam [66] valetudinem bonam præſtat [67].

X. Si vero tonſillæ ſine exulceratione per inflammationem intumuerunt; caput velandum eſt; extrinſecus is [68] locus vapore calido fovendus; multa ambulatione utendum; caput in lecto ſublime habendum; gargarizandumque reprimentibus [69]. Radix quoque ea, quam dulcem appellant, contuſa & in paſſo mulſove decocta, idem præſtat. Leniterque [70] quibuſdam medicamentis eas illini non alienum eſt; quæ hoc modo fiunt. Ex malo Punico dul-

Ita in Codicibus Mſs. & Editionibus antiquioribus: niſi quod Editiones & Codex Mediceus I. habent, *involutum in lanula*; Codices alii, quos ego ſecutus ſum, rectius, *involutum lanula*. In Editione an. 1538. deſunt voces multæ: ita enim legitur: *contectum demitti commodius eſt*. Editio iſta & Gryphium, & Pantinum, & Conſtantinum, & Ronſſeum in errorem impulit; qui omnes locum hunc eodem modo mendoſe ſcripſerunt. Conſtantinus tamen margini adſcripſit, *conjectum: ſed id tum in canna involutum demitti commodius eſt*. Ronſſeus autem, *conjectum: ſed id tum canna involutum demitti commodius eſt*.

62. *dente ſervato, dolorem levat*) Lindenius leg. *& dentem ſervat, & dolorem levat*.

63. *a medicis*) In Codice Mediceo I. omiſſa præpoſitione legitur *medicis*.

64. *dolet*) Lindenius leg. *doluerit*.

65. *evelli*) Al. *velli*.

66. *idque ſæpe longiorem, ſemper annuam &c.*) Adverbium *ſemper*, quod habent Mſs. Codices, Editoribus difficultatem peperit, quia plus huic remedio tribui videbatur, quam omnino ab eodem, aut ab ullo alio ſperari poſſit. Itaque locum hunc omnes ad Lindenium uſque ita ediderunt: *idque ſæpe longiorem, ſæpe annuam &c.* Lindenius vero: *idque longiorem, ſæpe annuam &c.* Scilicet non animadverterunt, Celſum ſimiliter ſcripſiſſe lib. 4. cap. 4. ſect. 1. *Vulgo audio, ſi quis pullum hirundinis ederit, angina toto anno non periclitari*. Apud Columellam quoque locus eſt, qui hunc mire confirmat. Ita enim ille habet lib. 7. cap. 4. *hoc modo curatum pecus anno ſcabrum fieri non poſſe Celſus affirmat*.

67. *valetudinem bonam præſtat*) Ita in Codice Mediceo I. & omnibus editis libris. Alii Mſs. Codices habent, *valetudinem repræſentat*.

68. *intumuerunt, caput velandum eſt; extrinſecus is &c.*) Alii verba ſic dividunt: *intumuerunt, caput velandum eſt extrinſecus, is &c.* ſed perperam. Lindenius leg. *intumeſcunt, caput quoque velandum eſt, & extrinſecus is &c.*

69. *gargarizandumque reprimentibus*) Ita in Cod. Mediceo I. Lindenius addit *medicamentis*, quam ego vocem in veteribus libris non video. Alii leg. *gargarizandumque eſt ex reprimentibus*. Verbum *gargarizare* Celſus cum ſexto caſu conſtruit, modo addita præpoſitione *ex*, modo dempta. Paulo infra, *gargarizandum ex fico & mulſo*: deinde, *furfurum cremore, vel lacte gargarizandum*.

70. *Leniterque*) In margine Editionis Conſtantinianæ *Lenibuſque*.

dulci ſuccus exprimitur, & ejus ſextarius in leni igne coquitur [71], donec ei mellis craſſitudo ſit; tum croci, myrrhæ, aluminis ſciſſilis, ſingulorum p. ж. II. per ſe conteruntur, paulatimque his adjiciuntur vini lenis cyathi duo, mellis unus; deinde priori ſucco iſta miſcentur, & rurſus leniter incoquuntur: aut ejuſdem ſucci ſextarius eodem modo coquitur, atque eadem ratione trita hæc adjiciuntur; nardi p. ж. —. [72] omphacii p. ж. I. cinnamomi, myrrhæ, caſiæ, ſingulorum p. ж. I. [73] Eadem autem hæc & auribus & naribus purulentis accommodata ſunt. Cibus in hac quoque valetudine lenis eſſe debet, ne exaſperet. Quod ſi tanta inflammatio eſt, ut ſpiritum impediat, in lecto conquieſcendum; cibo abſtinendum, neque aſſumendum quidquam præter aquam calidam eſt; alvus quoque ducenda eſt; gargarizandum [74] ex fico & mulſo; illinendum mel cum omphacio; extrinſecus admovendus [75], ſed aliquanto diutius, vapor calidus [76], donec ea ſuppurent, & per ſe aperiantur. Si pure ſubſtante non rumpuntur hi tumores, incidendi ſunt: deinde ex mulſo calido gargarizandum [77]. At ſi modicus quidem tumor, ſed exulceratio eſt, furfurum cremori ad gargarizandum [78] paulum mellis adjiciendum eſt, illinendaque ulcera hoc medicamento: paſſi quam dulciſſimi tres hemi-

næ

71. *in leni igne coquitur*) Ita in vetuſtis libris, tum Mſs. tum impreſſis. Conſtantinus præpoſitionem *in* tollendam cenſet: quo ſane modo apud Plinium lib. 21. cap. 19. habetur, *lenique igni ſuccus coquitur;* apud Varronem lib. 1. R. R. cap. 64. *decoquunt in ahenis levi* (al. *leni*) *igni;* apud Catonem R. R. cap. 95. *poſtea igni leni coquito*. Lindenius leg. *ad lenem ignem decoquitur*.

72. *p. ж. —*. In Editione Aldina, *p. ж. v.* In aliis, *p. ж.* ut habent Codices Medicei III. & VI. Ego ſic repoſui ex Codicibus ceteris.

73. *ſingulorum p. ж. I.*) Cod. Mediceus I. *ſing. p. p. —*.

74. *gargarizandum*) Lindenius, *gargarizandumque;* & poſtea, *illinendumque*.

75. *extrinſecus admovendus*) Alii leg. *intrinſecus;* nec aliter habent Codices Medicei. Ego Lindenium ſequor, qui repoſuit *extrinſecus*. Nam etiam ſub capitis initium legitur, *extrinſecus is locus vapore calido fovendus;* quo ſpectant verba proxima, *ſed aliquanto diutius*.

76. *vapor calidus*) Ita Codex Mediceus I. & Lindenii Editio. Alii leg. *vapor aquæ calidæ*.

77. *ex mulſo calido gargarizandum*) Olim, cum legeretur, *ex mulſo calido gargarizandum ex fico*, Conſtantinus præpoſitionem *ex*, quæ eſt ante *mulſo*, ejiciendam exiſtimavit. Lindenius & hanc ſuſtulit, & duas voces, *ex fico;* quas quidem Codex Mediceus I. non habet. Particula *ex*, & in hoc, & in ceteris eſt Codicibus.

78. *ad gargarizandum*) Hic quoque in multis Mſs. additur, *ex fico*, quod in impreſſis libris recte omittitur, nec habetur in Cod. Mediceo I. Supra, pro *ſed exulceratio*, ut Lindenius edidit, Codices Mſs. & Editiones antiquæ habent, *& exulceratio*.

næ ad unam coquuntur; tum adjicitur thuris p. ✱. I. croci, myrrhæ, ſingulorum p. ✱. ⊤. [79] leniterque omnia rurſus ferveſcunt [80]. Vbi pura [81] ulcera ſunt, eodem furfurum cremore, vel lacte gargarizandum eſt. Atque hic quoque cibis lenibus opus eſt; quibus adjici dulce vinum poteſt.

XI. Vlcera autem oris, ſi cum inflammatione ſunt, & parum pura ac rubicunda ſunt, optime iis medicamentis curantur, quæ ſupra poſita ex malis Punicis fiunt: continenduſque ſæpe ore reprimens cremor eſt, cui paulum mellis ſit adjectum. Vtendum [82] ambulationibus, & non acri cibo. Simul atque vero [83] pura ulcera eſſe cœperunt, lenis humor, interdum etiam quam optima aqua ore continenda eſt: prodeſtque aſſumptum purum vinum [84], pleniorque cibus, dum acribus vacet [85]: inſpergique ulcera debent alumine ſciſſili, cui dimidio plus gallæ immaturæ ſit adjectum. Si jam cruſtas habent, quales in aduſtis eſſe conſuerunt, adhibendæ ſunt eæ compoſitiones [86], quas Græci ἀνθηρὰς nominant. Junci [87] quadrati, myrrhæ, ſandarachæ, aluminis, pares portiones [88]: aut croci, myrrhæ, ſingulorum p. ✱. II. iridis [89], aluminis ſciſſilis, ſandarachæ, ſingulorum p. ✱. IV. junci quadrati p. ✱. VIII.

79. *p.* ✱. ⊤.) Hæc nota ⊤. quam repoſui ex Codice Mediceo I. idem videtur ſignificare atque illa =. quæ tam ſæpe occurrit in eodem Codice; id eſt ſextantem. Sic triens, cujus hæc fere nota eſt = =. per hanc ſſ. ſcribitur in veteri Catonis Codice R. R. cap. 139. ut a Victorio eſt adnotatum.

80. *leniterque omnia rurſus ferveſcunt*) In Cod. Mediceo I. & in margine Edit. Conſtant. *leviterque &c.* Lindenius leg. *iterumque omnia ferveſcunt*.

81. *Vbi pura*) Aliqui leg. *Vbi plurima;* ſed perperam.

82. *adjectum. Vtendum &c.*) Lindenius leg. *adjectum: utendumque &c.*

83. *Simul atque vero*) Idem Lindenius, *Cum vero*.

84. *purum vinum*) In Codice Mediceo I. & in aliis multis, *pirum mitium*. Palavicinus correxit, *purum vinum:* & ita eſt in Cod. Vaticano VI. & in Editionibus omnibus, præter Aldinam, in qua, *pyrum mitium*. Aliqui Codices habent, *purum mitium*.

85. *dum acribus vacet*) Cod. Mediceus I. *cum acri vacet*.

86. *eæ compoſitiones*) Lindenius omittit *eæ*.

87. *Junci*) Idem Lindenius leg. *Habent hæ junci*.

88. *ſandarachæ, aluminis, pares portiones*) Alii leg. *ſandarachæ, ſingulorum p.* ✱. *IIII. aluminis pares portiones*. Deceptus librarius eſt ab illis vocibus, *ſandarachæ, ſingulorum p.* ✱. *IIII.* quæ infra ſunt. In Codice Mediceo I. & in Editione Lindenii non eſt, *ſingulorum p.* ✱. *IIII.*

89. *myrrhæ, ſingulorum p.* ✱. *II. iridis*) Ita communiter legitur, & ita legendum eſt ex fide Cod. Medicei vetuſtioris. Alii Codices habent, *murræ, iunci quadrati p.* ✱. *VIII. iridis*. Scilicet hic quoque voces illæ, *iunci quadrati p.* ✱. *VIII.* quæ infra poſitæ ſunt, librarios aliquos deceperunt.

VIII. aut gallæ, myrrhæ, ſingulorum p. X. I. aluminis ſciſſilis [90] p. X. II. roſæ foliorum p. X. IV. Quidam autem croci p. X. ¬. [91] aluminis ſciſſilis, myrrhæ, ſingulorum p. X. I. ſandarachæ p. X. II. junci quadrati p. X. IV. miſcent. Priora arida inſperguntur; hoc cum melle illinitur; neque ulceribus tantum, ſed etiam tonſillis.

Verum ea longe periculoſiſſima ſunt ulcera, quas ἄφθας Græci appellant; ſed in pueris: hos enim ſæpe conſumunt. In viris & mulieribus idem periculum non eſt. Hæc ulcera a gingivis incipiunt: deinde palatum, totumque os occupant: tum ad uvam fauceſque deſcendunt; quibus obſeſſis, non facile fit, ut puer convaleſcat. Ac miſerius etiam eſt, ſi lactens [92] adhuc infans eſt; quo minus imperari remedium aliquod poteſt. Sed in primis nutrix cogenda eſt exerceri & ambulationibus [93], & iis operibus, quæ ſuperiores partes movent: mittenda in balneum, jubendaque ibi calida aqua mammas perfundere: tum alenda cibis lenibus, & iis qui non facile corrumpuntur; potione, ſi febricitat puer, aquæ; ſi ſine febre eſt, vini diluti: ac ſi alvus nutrici ſubſtitit, ducenda eſt. Si pituita in os ejus coit, vomere debet. Tum ipſa ulcera perungenda ſunt melle, cui rhus, quem Syriacum vocant, aut amaræ nuces adjectæ ſunt: vel miſtis inter ſe roſæ foliis aridis [94], pineis nucleis [95], menthæ coliculo, melle [96]: vel eo medicamento, quod ex moris fit; quorum ſuccus eodem modo, quo Punici mali, ad mellis craſſitudinem coquitur, eademque ratio-

90. *p. X. I. aluminis ſciſſilis*) Totum hoc deeſt in Codice Mediceo I. in quo proximæ notæ, *p. X. II.* additæ ſunt poſt ſuperiorem vocem, *ſingulorum*: Palavicinus vero hæc adſcripſit; *aluminis ſciſſilis p. X. II.* Hinc vulgaris lectio, *ſingulorum p. X. II. aluminis ſciſſilis p. X. II.* Ego ſecutus ſum Codices ceteros Mediceos.

91. *croci p. X. ¬.*) In libris vulgatis legitur, *croci p. X.* in multis Mſs. *croci p. X. I.* in Mediceo I. quem ſequor, *croci p. p. ¬.*

92. *lactens*) Olim legebatur, *lactans*; & ita eſt in Mediceo I. & Mſs. aliis. *Lactens*, ut nunc legitur, primus repoſuit Ruellius.

93. *& ambulationibus*) Particulam *&* omnes vulgo omittunt; infra vero alii legunt, *hiſque operibus*, ut eſt in Codicibus aliis; Lindenius, *& his operibus*, ut in Mediceo I. Sed & Codex hic, & alii omnes habent *et* ante *ambulationibus*.

94. *aridis*) Hæc vox deeſt in Cod. Mediceo I.

95. *pineis nucleis*) Lindenius leg. *nucleis pini*.

96. *menthæ coliculo, melle*) Veterem lectionem reſtitui, ut habent etiam Mſs. Codices; niſi quod in Medic. I. pro *menthæ*, eſt *menta*. Lindenius ſic mutaverat: *mentha, collectis cum melle*: quod ſi certum eſſet, illum loquendi modum confirmaret, *infuſo* (aceto) *æruginem colligere*, a Criticis exploſum. Vide adnot. 44. lib. 5. cap. 28. ſect. 12.

tione ei crocum, myrrha, alumen, vinum, mel [97] miſcetur. Neque quidquam dandum, a quo [98] humor evocari poſſit. Si vero jam firmior puer eſt, gargarizare debet iis fere, quæ ſupra comprehenſa ſunt. Ac, ſi lenia [99] medicamenta in eo parum proficiunt, adhibenda ſunt ea, quæ adurendo cruſtas ulceribus inducant, quale eſt [1] ſciſſile alumen, vel chalcitis, vel atramentum ſutorium. Prodeſt etiam fames & abſtinentia, quanta maxima imperari poteſt. Cibus eſſe debet lenis: ad purganda tamen ulcera, interdum caſeus ex melle recte datur.

XII. Linguæ [2] quoque ulcera non aliis medicamentis egent, quam quæ prima parte ſuperioris capitis expoſita ſunt. Sed quæ in latere ejus naſcuntur, diutiſſime durant. Videndumque eſt, num contra dens aliquis acutior ſit, qui ſaneſcere ſæpe ulcus eo loco non ſinit; ideoque limandus [3] eſt.

XIII. Solent etiam interdum juxta dentes in gingivis tubercula quædam oriri dolentia: παρουλίδας [4] Græci appellant. Hæc initio leniter ſale contrito perfricare oportet; aut inter ſe miſtis ſale foſſili combuſto, cupreſſo [5], nepeta; deinde eluere os cremore

97. *mel*) Lindenius, *& mel*.

98. *a quo*) Ita in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ. In Codice Mediceo I. *a quod*. Alii leg. *ad quod*.

99. *Ac, ſi lenia*) Lindenius leg. *leniora*; & ita eſt in multis Codicibus; in aliis, *leviora*; in Mediceo I. & in Editionibus antiquis, *lenia*. Pro *Ac*, quod habent Cod. Mediceus I. & Lindenii Editio, alii leg. *At*.

1. *quale eſt*) Lindenius leg. *Valens quoque eſt*; quod minus probandum. Nam ſciſſile alumen, chalcitis, atramentum ſutorium habentur & ipſa inter ea, quæ adurendo cruſtas ulceribus inducunt.

2. *Linguæ*) Aldina Editio, & multi Mſs. habent *Gingivæ*; ſed perperam. Mediceus I. *Linguæ*, ut alii legunt.

3. *limandus*) In Codicibus Mediceis eſt, *levandus*, id eſt lævigandus. In primo tamen veteri manu correctum eſt, *limandus*; quam lectionem omnes vulgo ſecuti ſunt. Lib. 8. cap. 10. *ſi quod parvulum fragmentum oſſis eminet, id, ſi retuſum eſt, in ſuam ſedem dandum: ſi acutum, ante acumen ejus, ſi longius eſt, præcidendum; ſi brevius, limandum; & utrumque ſcalpro lævandum*.

4. παρουλίδας) Quidam legerunt, *parotidas*, ut eſt in Codice Mediceo I. Alii cum Egnatio παροδόντιδας: quam lectionem Ronſſeus, & Severinus de noviſs. obſervat. abſceſſ. cap. 16. tueri conati ſunt contra Manardum, Pantinum, & Conſtantinum, qui παρουλίδας reponendum contenderant. Sed novum illud vocabulum, ex corrupta lectione, *parotidas*, formatum ab aliquo videtur ex ingenio; nec ullo, quod ſciam, Mſs. Codicum teſtimonio comprobatur. Ego in multis inveni *parulidas*. Quin etiam Mediceus I. qui hoc loco cauſam attulit variandi, infra habet, non *parotis*, nec *parodontis*, ſed *parvulis*. Probandus igitur Lindenius, qui παρουλίδας græcis litteris repoſuit. Sic autem legendum ante alios Cæſarius divinando conjecerat.

5. *ſale foſſili combuſto, cupreſſo*) Hæc verba plerique ita dividunt: *ſale foſſili, combuſto cupreſſo*; ſed perperam.

re lenticulæ, & inter hæc [6] hiare, donec pituitæ ſatis profluat. In majore vero inflammatione iiſdem medicamentis utendum eſt, quæ ad ulcera oris ſupra poſita ſunt: & mollis linamenti paulum involvendum aliqua compoſitione ex iis, quas ἀνθηρὰς vocari dixi; demittendumque id inter dentem & gingivam. Quod ſi durior erit, & id prohibebit, extrinſecus admovendus erit ſpongia [7] vapor calidus, imponendumque ceratum. Si ſuppuratio ſe oſtendet, diutius eo vapore utendum erit; & continendum ore calidum mulſum, in quo ficus decocta ſit: idque [8] ſubcrudum incidendum, ne, ſi diutius ibi pus permanſerit, os lædat. Quod ſi major is tumor eſt, commodius totus exciditur, ſic, ut ex utraque parte dens liberetur. Pure exempto, ſi levis plaga eſt, ſatis eſt ore calidam aquam continere, & extrinſecus fovere eodem vapore; ſi major eſt, lenticulæ cremore uti, iiſdemque medicamentis, quibus cetera ulcera oris curantur. Alia quoque ulcera in gingivis plerumque oriuntur; quibus eadem, quæ in reliquo ore, ſuccurrunt: maxime tamen mandere liguſtrum oportet, ſuccumque eum ore continere. Fit etiam interdum, ut ex gingivæ ulcere, ſive παρυλὶς fuit [9], ſive non fuit, diutius pus feratur: quod aut corrupto dente [10], aut fracto, vel aliter vitiato oſſe, maximeque id per fiſtulam evenire [11] conſuevit. Vbi incidit, locus aperiendus; dens eximendus; teſta oſſis, ſi qua abſceſſit, re-

6. *& inter hæc*) In Cod. Mediceo I. omittitur *&*.

7. *ſpongia*) Ita ex Mſs. Antea legebatur, *ſpongiæ*, ut Palavicinus correxit in Mediceo I.

8. *idque*) Olim legebatur, *Itemque*. Lindenius habet, *Idemque*. Ego repoſui *idque* ex Cod. Mediceo I.

9. παρυλὶς *fuit*) Alii leg. *parotides fuit*, ut eſt in Codice Mediceo I. ex emendatione Palavicini. Nam Codex habet *parvulis fuit*. Quidam, Aldinam Editionem ſecuti, παροδόντις *fuit;* Cæſarius, *parodontides ſint*, & deinde, *ſive non ſint;* aliqui, ut habetur in Editione ejuſdem Cæſarii an. 1538. *parotides ſint*, *ſive non ſint*. Omnino legendum, παρυλὶς (vel *parulis*) *fuit &c.* quemadmodum Lindenius edidit. In Codice Mediceo II. & in VII. eſt, *parulides fuit*; in III. V. & VI. *parulides fiunt*.

10. *quod aut corrupto dente &c.*) Antiquam lectionem Lindenius ita mutavit, Conſtantini conjecturam fere ſecutus: *dente aut* (Conſtant. *aut dente*) *corrupto*, *aut fracto*, *vel aliter vitiato oſſe: maximeque id . . . . . Quod ubi incidit*. Ego pronomen *id* tollendum; ad reliqua verba quod attinet, veteribus Codicibus ſtandum puto.

11. *evenire*) Ita ex Lindenio, qui & lib. 7. cap. 6. ita legit: *Hæc evenire in qualibet parte corporis poſſunt*. Veteres Codices utrobique habent, *venire;* quod nonnulli idem ſignificare exiſtimant. Vix tamen aliquid certi ſtatui poteſt; quia Mſs. Codices in hoc verbo frequenter variant. Nam & lib. 2. cap. 2. *qui in plurimis evenit &c.* Cod. Mediceus I. habet *venit*, & lib. 7. cap. 27. *Solet vero ſub ejuſmodi victu evenire &c.* Codices multi, *venire*.

cipienda [12] eſt; ſi quid vitioſi eſt, radendum. Poſt quæ, quid fieri debeat, ſupra in aliorum ulcerum curatione comprehenſum eſt. Si vero a dentibus gingivæ recedunt, eædem antheræ ſuccurrunt. Vtile eſt etiam pira aut mala non permatura mandere, & ore eum humorem continere. Idemque præſtare non acre acetum in ore retentum poteſt.

XIV. Vvæ vehemens inflammatio terrere quoque debet. Itaque in hac & abſtinentia [13] neceſſaria eſt; & ſanguis recte mittitur; &, ſi id aliqua res prohibet, alvus utiliter ducitur: caputque ſuper hæc velandum, & ſublimius habendum eſt: tum aqua gargarizandum, in qua ſimul rubus & lenticula decocta ſit. Illinenda autem [14] ipſa uva vel omphacio, vel galla, vel alumine ſciſſili, ſic, ut cuilibet eorum mel adjiciatur. Eſt etiam medicamentum huic aptum, quod Andronium appellatur. Conſtat ex his; alumine ſciſſili, ſquama æris rubri, atramento ſutorio, galla, myrrha, miſy: quæ per ſe contrita, miſtaque, rurſus, paulatim adjecto vino auſtero, teruntur, donec his mellis craſſitudo ſit. Chelidoniæ quoque ſucco per cochlear illita uva maxime prodeſt [15]. Vbi horum aliquo illita uva eſt, fere multa pituita decurrit: cumque ea quievit, ex vino calido gargarizandum. Quod ſi minor inflammatio

12. *ſi qua abſceſſit, recipienda*) Eodem fere modo loquitur l. 7. cap. 12. ſect. 1. de oſſe gingivarum fracto: *ſpecillo conquirenda eſt teſta, quæ receſſit, & vulſella protrahenda eſt: ſi non ſequitur, incidi gingiva debet, donec labans oſſis teſta recipiatur*. Alii legunt, ut eſt in Cod. Mediceo I. *ſi qua exceſſit, recidenda*. Sed *recidenda* ferendum non eſt; *exceſſit* retineri poteſt. Ego tamen ſecutus ſum Codices alios, qui habent *abſceſſit*, & *recipienda*. Porro verbum *abſcedo* hac ſignificatione adhibetur etiam lib. 8. cap. 3. Conſtantinus quoque in libri margine habet *abſceſſit*; ſed retinet *recidenda*. Lindenius leg. *ſi qua deceſſit, recipienda*.

13. *& abſtinentia*) Quidam omittunt *&*, ſecuti Editionem an. 1538.

14. *autem*) Cod. Mediceus I. *quoque*.

15. *Chelidoniæ quoque ſucco per cochlear illita uva maxime prodeſt*) Hoc membrum in Editionibus antiquis & in Mſs. poſitum eſt poſt verba illa, *Vbi horum aliquo illita uva eſt*, quæ ſtatim ſequuntur; legiturque in Mſs. pro *maxime*, *maximeque*. Lindenius huc tranſtulit, ut omnia recte cohærerent: atque ita in ſuo quodam Codice haberi Conſtantinus teſtatus eſt; legique in illo, non *ſucco*, ſed *ſuccus*, quod, ut Morgagnus animadvertit, conſtructio poſtulat. Habes, lector, Codicem, unde hæc verba, ſi tibi videntur retinenda, reſtituas. Nam ego ex adnotatione aliqua inſerta a librariis puto. Argumenta hujus rei plura ſunt, nec levia; ſed illud graviſſimum, quod Codex Vaticanus VI. atque adeo Mediceus I. ea non habet; Codices ceteri eo loco habent, ut temere illuc conjecta fuiſſe appareat. Itaque in Vaticano IV. tamquam aliena expuncta ſunt.

tio eſt [16], laſer terere, eique adjicere frigidam aquam ſatis eſt, eamque aquam cochleari exceptam ipſi uvæ ſubjicere. Ac mediocriter eam tumentem aqua quoque frigida, eodem modo ſubjecta, reprimit. Ex eadem autem aqua gargarizandum quoque eſt, quæ vel cum laſere [17], vel ſine eo hac ratione uvæ ſubjecta eſt.

XV. Si quando autem ulcera oris cancer invaſit, primum [18] conſiderandum eſt, num malus corporis habitus ſit, eique occurrendum: deinde ipſa ulcera curanda. Quod ſi in ſumma parte id vitium eſt, ſatis proficit anthera, humido ulceri arida inſperſa; ſicciori, cum exigua parte mellis illita: ſi paulo altius, chartæ combuſtæ partes duæ, auripigmenti pars una: ſi penitus [19] malum deſcendit, chartæ combuſtæ partes tres, auripigmenti pars quarta; aut pares portiones ſalis fricti, & iridis frictæ; aut item pares portiones chalcitidis, calcis, auripigmenti. Neceſſarium autem eſt linamentum in roſa tingere, & ſuper adurentia medicamenta imponere; ne vicinum & ſanum locum lædant. Quidam etiam in acris aceti heminam frictum ſalem conjiciunt, donec tabeſcere deſinat; deinde id acetum coquunt, donec exſiccetur; eumque ſalem contritum inſpergunt. Quoties autem medicamentum injicitur, & ante & poſt os diluendum eſt vel cremore lenticulæ, vel aqua, in qua aut ervum, aut oleæ, aut verbenæ decoctæ ſint, ſic, ut cuilibet eorum paulum mellis miſceatur. Acetum quoque ex ſcilla, retentum ore, ſatis adverſus hæc ulcera proficit: & ex aceto [20] cocto ſali, ſicut ſupra demonſtratum eſt, rur-

16. *ſi minor inflammatio eſt*) Sic repoſui ex multis Codicibus. Antea legebatur, *ſi minor in ea inflammatio*; & in Editione Conſtantini, *ſi minor in ea inflammatio eſt*. Codex Mediceus I. habet; *ſi minor ea inflammatio eſt*: ex emendatione vero Palavicini, *in ea*.

17. *quæ vel cum laſere*) Hæc & reliqua hujus capitis verba immigrarunt, ut opinor, in contextum, cum margini appoſita fuiſſent ad explicandum. In Codice porro Mediceo I. ita legitur: *quæ vel cum laſere, vel ſine eo. Ac ratione uvæ ſubiecta eſt*. In Codicibus aliis, & in Editionibus priſcis: *quæ vel cum laſere vel ſine eo hac curatione uvæ ſubiecta eſt*. Gryphius, Pantinus, Conſtantinus, & alii quidam, ſecuti Editionem an. 1538. omittunt *quæ*. Lindenius quoque eam vocem omittit; ſed alias addit, itaque legit: *vel cum laſere, vel ſine eo. At curationis uvæ productæ per manum, ratio ſubjecta eſt*. Hæc autem ſumpſit ex margine Editionis Conſtantinianæ, ubi tamen habetur, non *At curationis*, ſed *Ac de curatione*.

18. *primum*) Quidam leg. *primo*; ut eſt in Editione an. 1538.

19. *penitus*) Lindenius, *penitius*; & infra, pro *item*, *etiam*.

20. *& ex aceto*) In Mſs. & in multis vulgatis libris omittitur particula *&*.

rurſus miſtum acetum. Sed & diu continere utrumlibet, & id bis aut ter die facere, prout vehemens malum eſt, neceſſarium eſt. Quod ſi puer eſt, cui id incidit, ſpecillum lana involutum in medicamentum demittendum eſt, & ſuper ulcus tenendum; ne per imprudentiam adurentia devoret. Si dolor in gingivis eſt [21], moventurque aliqui dentes, refigi [22] eos oportet: nam curationem [23] vehementer impediunt. Si nihil medicamenta proficient, ulcera erunt adurenda. Quod tamen in labris ideo non eſt neceſſarium, quoniam excidere commodius eſt. Et id quidem, æque aduſtum, atque exciſum, ſine ea curatione, quæ corpori manu adhibetur, impleri non poteſt. Gingivarum vero oſſa, quæ hebetia ſunt, in perpetuum uſtione nudantur: neque enim poſtea caro increſcit. Imponenda tamen aduſtis lenticula eſt, donec ſanitatem, qualis eſſe poteſt, recipiant.

XVI. Hæc in capite fere medicamentis egent. Sub ipſis vero auribus oriri παρωτίδες ſolent; modo in ſecunda valetudine, ibi inflammatione orta; modo poſt longas febres, illuc impetu morbi converſo. Id abſceſſus genus eſt: itaque nullam novam curationem deſiderat. Animadverſionem tantummodo hanc habet neceſſariam; quia [24] ſi ſine morbo id intumuit, primum reprimentium experimentum eſt [25]; ſi ex adverſa valetudine, illud inimicum eſt, maturarique & quam primum aperiri commodius eſt.

XVII. Ad umbilicos vero prominentes, ne manu ferroque utendum ſit, ante tentandum eſt, ut abſtineant; alvus his ducatur [26];

21. *Si dolor in gingivis eſt*) Alii leg. *Et ſi dolor &c.* Lindenius, *At ſi dolor &c.* Sed *&* ortum videtur ex geminatione ſyllabæ præcedentis, neque eſt in Cod. Mediceo I. Vox quoque *dolor* mendi ſuſpicione laborat; cum præſertim Codices plerique eam non habeant. Dentes certe, qui moventur, curationem non videntur impedire, niſi cancer in ipſis ſit gingivis. In allato Mediceo Codice vox *dolor* ſimul cum proxima particula *in*, ſuffecta eſt in eraſæ neſcio cujus vocis locum. Fortaſſe legendum: *Si id in gingivis eſt*; ſcilicet ulcus.

22. *refigi*) evelli. Ita in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ. Alii leg. *refici*; ut eſt in Mſs. ſed mendoſe.

23. *curationem*) Al. *curationes*; & ita habent Mſs. Ego ſecutus ſum Editionem Lindenii.

24. *quia*) Lindenius leg. *ut*.

25. *primum reprimentium experimentum eſt*) Idem Lindenius leg. *primum reprimentibus experimentum fiat*: fortaſſe quod in multis Mſs. ſit, *primum reprimendum experimentibus eſt*: unde nonnulli, ut Conſtantinus ſcribit, ita legendum putarunt: *primum reprimentibus experiendum eſt*. Ego veterem lectionem retinui, quæ confirmatur a Cod. Mediceo I.

tur[26]; imponatur ſuper umbilicum id, quod ex his conſtat; cicutæ & fuliginis, ſingulorum p. ж. I. ceruſſæ elotæ p. ж. IV.[27] plumbi eloti p. ж. VIII. ovis duobus; quibus etiam ſolani ſuccus adjicitur. Hoc diutius[28] impoſitum eſſe oportet; & interim[29] conquieſcere hominem; cibo modico uti, ſic, ut vitentur omnia inflantia.

XVIII. 1. Proxima ſunt ea, quæ ad partes obſcœnas pertinent; quarum apud Græcos vocabula & tolerabilius ſe habent, & accepta jam uſu ſunt; cum in omni fere medicorum volumine atque ſermone jactentur: apud nos fœdiora verba, ne conſuetudine quidem aliqua verecundius loquentium commendata[30] ſunt: ut difficilis[31] hæc explanatio ſit, ſimul & pudorem, & artis præcepta ſervantibus. Neque tamen ea res a ſcribendo deterrere me debuit: primum, ut omnia, quæ ſalutaria accepi, comprehenderem: dein, quia in vulgus eorum curatio etiam præcipue cognoſcenda eſt, quæ invitiſſimus quiſque alteri oſtendit.

2. Igitur ſi ex inflammatione coles intumuit, reducique ſumma cutis, aut rurſus induci non poteſt, multa calida aqua fovendus locus eſt: ubi vero glans[32] contecta eſt, oriculario quoque clyſtere inter eam cutemque aqua calida inſerenda eſt. Si mollita ſic & extenuata cutis ducenti[33] paruit, expeditior reliqua curatio eſt: ſi tumor vicit, imponenda eſt vel lenticula, vel marrubium, vel oleæ folia ex vino cocta, ſic, ut cuilibet eorum,

dum

26. *ut abſtineant; alvus his ducatur*) Ita Cæſarius, & alii eum ſecuti. Lindenius, *ut abſtineant. alvus his ducetur*. In Editionibus vetuſtioribus & in Codicibus Mſs. habetur: *ut abſtineat, alvus his* (in aliquibus Mſs. *is*) *ducatur*. Fortaſſe legendum, *ut abſtineat; alvus ducatur*, vel *ei ducatur*. Palavicinus, pro *his*, repoſuit *etiam*.

27. *p. ж. IV.*) Cod. Mediceus I. *p. p. VI.*

28. *diutius*) Plerique leg. *dilutius*, ex Editione I. ſed perperam. In Codice Mediceo I. habetur, *etiam diutius*.

29. *& interim*) Cod. Mediceus modo allatus, *ſed interim*; & poſtea, *cibo modico ut vitentur*, omiſſis duabus vocibus, *uti ſic*.

30. *commendata*) Quidam leg. *accomodata*, ut adnotat Almeloveenius: quod minus probandum, quamvis ſit in Codice Mediceo I. Codd. Medicei reliqui habent, *commendata*.

31. *difficilis*) Cod. Mediceus I. *difficilior*.

32. *fovendus locus eſt: ubi vero glans*) Ita Palavicinus & vulgati libri. Codex Mediceus primus, *fovendus eſt locus, et ubi glans*; ceteri ſex, *fovendus locus, et ubi vero glans*.

33. *ducenti*) Lindenius leg. *reducenti*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ: ſed perperam; quia Celſus loquitur, tum de reducenda cute, tum etiam de inducenda. Itaque infra quoque dicit, *cutis ducetur*.

dum teritur, mellis paulum adjiciatur: ſurſumque coles ad ventrem deligandus eſt, quod in omni curatione ejus neceſſarium eſt: iſque homo continere ſe, & abſtinere a cibo debet, & potione aquæ tantum a ſiti vindicari. Poſtero die rurſus adhibendum iiſdem rationibus aquæ fomentum eſt, & cum vi [34] quoque experiundum [35], an cutis ſequatur: eaque, ſi non parebit, leviter ſumma ſcalpello concidenda [36] erit: nam, cum ſanies profluxerit, extenuabitur is locus, & facilius cutis ducetur. Sive autem hoc modo victa erit, ſive numquam repugnaverit [37]; ulcera vel in cutis ulteriore parte, vel in glande, ultrave eam in cole reperientur: quæ neceſſe eſt, aut pura ſiccaque ſint, aut humida & purulenta. Si ſicca ſunt, primum aqua calida fovenda ſunt: deinde imponendum lycium ex vino eſt [38], aut amurca cocta cum eodem, aut cum roſa butyrum. Si levis iis humor ineſt [39], vino eluenda ſunt: tum butyro & roſæ mellis paulum [40], & reſinæ terebinthinæ pars quarta adjicienda eſt, eoque utendum. At ſi pus ex iis profluit, ante omnia elui mulſo calido debent: tum imponi piperis p. ✕. I. myrrhæ p. ✕. ‾. [41] croci, miſy cocti, ſingulorum p. ✕. II. quæ ex vino auſtero coquuntur, donec mellis craſſitudinem habeant. Eadem autem compoſitio tonſillis, uvæ madenti, oris nariumque ulceribus accommodata eſt. Aliud ad

ea-

34. *& cum vi*) Lindenius leg. *& tum vi*. Ita ſane aliqui Codices habent, ſed quis illos ſequatur? In Mediceo I. legitur, *& cum vi*; in III. *& tum vi*; in VI. *& tum in*; in II. IV. V. & VII. *ercum vi*; ſed in IV. & VII. corrigitur, *& cum vi*.

35. *experiundum*) Cod. Mediceus I. *experiendum*.

36. *ſumma ſcalpello concidenda*) Quidam cum Cæſario leg. *ſummo ſcalpello concidenda*.

37. *ſive numquam repugnaverit*) Codices Mſs. & Editiones multæ habent *numquam*. Fortaſſe tamen legendum *umquam*, ut eſt in Edit. an. 1493. & in aliis quibuſdam. Vide Morgagn. Epiſt. V.

38. *ex vino eſt*) In Codice Mediceo I. omittitur *eſt*.

39. *Si levis iis humor ineſt*) In Codice modo allato, *is*, pro *iis*, vel *his*. In Mediceis ceteris, *Si levis humor eſt*. Lindenius leg. *Si tenuis iis humor ineſt*; alii, ut eſt in Editione I. *Si levis is humor eſt*.

40. *butyro & roſæ mellis paulum*) Ita in Mſs. niſi quod in pleriſque *mollis*, pro *mellis*. In Mediceo I. recte, *mellis*; ſed, pro *butyro*, videtur fuiſſe *buturi*, quod Palavicinus vertit in *buturo*, deinde rurſus in *buturi*. Vulgo alii leg. *butyri & roſæ mollis paulum*: Conſtantinus ex conjectura, *butyri, roſæ, & mellis paulum*: Lindenius, *butyro roſæ & mellis paululum*.

41. *p. ✕. ‾.*) Sic ego repoſui, cum in Cod. Mediceo I. ſit, *p. p. ‾*. Alii omnes leg. *p. ✕. II.*

eadem [42]; piperis p. ж. ⊤. [43] myrrhæ p. ж. ⊤. croci p. ж. ⊤ ⊤. miſy coᵭi [44] p. ж. I. æris combuſti p. ж. II. quæ primum ex vino auſtero conteruntur; deinde, ubi inaruerunt, iterum teruntur ex paſſi tribus cyathis, & incoquuntur, donec viſci craſſitudinem habeant. Ærugo quoque cum coᵭo melle, & ea, quæ ad oris ulcera ſupra comprehenſa ſunt, curant. Aut [45] Eraſiſtrati compoſitio, aut Cratonis, recte ſuper purulenta naturalia imponitur. Folia quoque oleæ [46] ex novem cyathis vini [47] coquuntur; his adjicitur aluminis ſciſſilis p. ж. IV. lycii p. ж. VIII. mellis ſeſquicyathus: ac, ſi plus puris eſt, id medicamentum ex melle; ſi minus, ex vino diluitur. Illud perpetuum eſt; poſt curationem, dum inflammatio manet, quale ſupra poſitum eſt, cataplaſma ſuper dare, & quotidie ulcera eadem ratione curare. Quod ſi pus & multum, & cum malo odore cœpit profluere, elui cremore lenticulæ debet, ſic, ut ei mellis paulum adjiciatur: aut oleæ, vel lentiſci [48] folia, vel marrubium decoquendum eſt, eoque humore eodem modo cum melle utendum: imponendaque eadem; aut etiam omphacium cum melle; aut id, quod ex ærugine & melle ad aures fit; aut compoſitio Andronis; aut anthera, ſic, ut ei paulum mellis adjiciatur. Quidam ulcera omnia, de quibus adhuc dictum eſt, lycio ex vino curant. Si vero ulcus latius atque altius ſerpit, eodem modo elui debet: imponi vero, aut ærugo aut omphacium cum melle; aut Andronis compoſitio; aut marrubii, myrrhæ, croci [49], aluminis

42. *ad eadem*) Alii, *ad eam*; Lindenius, *ad idem*. Ego ſecutus ſum Codicem Mediceum modo allatum.

43. *p. ж. ⊤. &c.*) In eodem Mediceo Codice, *p. p̶. ⊤. murræ p. p̶. ⊤. croci p. p̶. ⊤ ⊤*. In aliis, *p. ж. I. murræ p. ж. I. croci p. ж. II.* ut vulgo legitur.

44. *miſy coᵭi*) Aliqui omittunt *coᵭi*; quæ vox non extat in Editione Cæſarii; habetur tamen in Editionibus vetuſtioribus & in Codicibus Mſs.

45. *comprehenſa ſunt, curant. Aut &c.*) Verbum *curant* fortaſſe in contextum irrepſit; legendumque eſt; *comprehenſa ſunt; aut &c.* Pro *Aut* Conſtantinus mallet *Ac*; Lindenius leg. *At*.

46. *oleæ*) Perperam in Cod. Mediceo I. *oleæ p.* Quod tamen adnotandum fuit; quia ex ſimili mendo orta videtur lectio illa, *ficorum partes* cap. 19. hujus libri.

47. *ex novem cyathis vini*) Vox *vini* deeſt in Editione an. 1538. & in Lindeniana: ſed, ut Morgagnus animadvertit, omnino eſt neceſſaria.

48. *vel lentiſci*) Alii leg. *aut lentiſci*, ut eſt in Editione an. 1493.

49. *croci*. Olim legebatur, *aut croci*, ut & in Mediceo I. & in aliis Codicibus habetur. Lindenius ejecit particulam *aut*, quam pridem Conſtantinus vacare animadverterat.

ſciſſilis coſti, roſæ foliorum aridorum, gallæ, ſingulorum p. ҂. I. minii Sinopici p. ҂. II. quæ per ſe ſingula primum teruntur; deinde juncta iterum, melle adjecto; donec liquidi cerati craſſitudinem habeant; tum in æneo vaſe leniter coquuntur, ne ſuperfluant; cum jam guttæ indureſcunt, vas ab igne removetur: idque medicamentum [50], prout opus eſt, aut ex melle aut ex vino liquatur. Idem autem per ſe etiam ad fiſtulas utile eſt. Solet etiam interdum ad nervos ulcus deſcendere; profluitque pituita multa, ſanies tenuis malique odoris, non coacta, at aquæ [51] ſimilis, in qua caro recens lota eſt; doloreſque is locus, & punctiones habet. Id genus quamvis inter purulenta eſt, tamen lenibus medicamentis curandum eſt; quale eſt emplaſtrum τετραφάρμακον ex roſa liquatum, ſic, ut thuris quoque paulum ei miſceatur; aut id, quod ex butyro, roſa, reſina, melle fit; ſupra vero a me poſitum eſt. Præcipueque id ulcus multa calida aqua fovendum eſt, velandumque, neque frigori committendum. Interdum autem per ipſa ulcera coles ſub cute exeſus eſt, ſic, ut glans excidat. Sub quo caſu cutis ipſa circumcidenda eſt. Perpetuumque eſt, quoties glans, aut ex cole aliquid, vel excidit, vel abſcinditur, hanc non eſſe ſervandam [52], ne conſidat, ulcerique agglutinetur, ac neque reduci poſſit poſtea, & fortaſſe fiſtulam quoque urinæ claudat [53].

Tubercula etiam, quæ φύματα Græci vocant [54], circa glandem oriuntur: quæ vel medicamentis, vel ferro aduruntur; & cum cruſtæ exciderunt, ſquama æris inſpergitur, ne quid ibi rurſus increſcat.

3. Hæc

50. *idque medicamentum*) Et in Editione I. & in aliis multis legitur, *idque medicamentum tum*. Sed *tum* non eſt in Mſs. niſi forte in aliquo deterioris notæ, ex præcedentis ſyllabæ geminatione.

51. *non coacta, at aquæ &c.*) Ita in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ. In Editionibus aliis & in Mſs. *non cocta, aut aquæ &c. Cocta* alibi quoque mendoſe habent antiqui Codices, pro *coacta*, velut lib. 5. cap. 26. ſect. 36. itemque *aut*, pro *at*.

52. *hanc non eſſe ſervandam*) Lindenius leg. *illam eſſe ſervandam:* ſed invitis veteribus libris, & Celſo ipſo, qui, ut obſervat Morgagnus, continuo docet, cur non ſit ſervanda cutis; ſcilicet *ne conſidat, ulcerique agglutinetur*.

53. *claudat*) Aliqui, Gryphii Editionem ſecuti, leg. *includat*; Lindenius, *intercludat*; alii rectius ex Mſs. *cludat*, vetuſto more. In Mediceo I. eſt *claudat*, ſicut ego repoſui. Sect. 4. hujus cap. *Si id in ſumma glande circa fiſtulam urinæ eſt, prius in eam tenue ſpecillum demittendum eſt, ne claudatur*.

54. *quæ φύματα Græci vocant*) Hæc verba mihi ſuſpecta ſunt. Vide quæ adnotavi ad lib. 2. cap. 8. & ad lib. 5. cap. 18. ſect. 16. & ſect. 19.

3. Hæc citra cancrum ſunt; qui cum in reliquis partibus, tum in his quoque vel præcipue ulcera infeſtat. Incipit a nigritie: quæ ſi cutem occupavit, protinus ſpecillum ſubjiciendum, eaque incidenda eſt; deinde oræ vulſella prehendendæ, tum, quidquid corruptum eſt, excidendum, ſic, ut ex integro quoque paulum dematur, idque adurendum. Quoties quid uſtum eſt, id quoque ſequitur, ut imponenda lenticula ſit; deinde, ubi cruſtæ exciderunt, ulcera ſicut alia curentur. At ſi cancer ipſum colem occupavit, inſpergenda aliqua ſunt ex adurentibus, maximeque id, quod ex calce, chalcitide, auripigmento componitur. Si medicamenta vincuntur, hic quoque ſcalpello, quidquid corruptum eſt, ſic, ut aliquid etiam integri trahat [55], præcidi debet. Illud quoque æque perpetuum eſt; exciſo cancro, vulnus eſſe adurendum. Sed ſive ex medicamentis, ſive ex ferro cruſtæ occalluerunt [56], magnum periculum eſt, ne his decidentibus [57], ex cole profuſio ſanguinis inſequatur. Ergo longa quiete & immobili pene corpore opus eſt, donec ex ipſo cruſtæ puræ leniter reſolvantur [58]. At ſi vel volens aliquis, vel imprudens, dum ingreditur immature, cruſtas diduxit, & fluit ſanguis, frigida aqua adhibenda eſt: ſi hæc parum valet, decurrendum eſt ad medicamenta, quæ ſanguinem ſupprimunt: ſi ne hæc quidem ſuccurrunt, aduri diligenter & timide debet: neque ullo poſtea motu dandus eidem periculo locus eſt.

4. Nonnumquam etiam id genus ibi cancri, quod φαγέδαινα a Græcis nominatur, oriri ſolet [59]. In quo minime differendum, ſed protinus iiſdem medicamentis [60], &, ſi parum valent, ferro adurendum. Quædam etiam nigrities eſt, quæ non ſentitur, ſed ſerpit, ac, ſi ſuſtinuimus, uſque ad veſicam tendit; neque ſuccurri poſtea

55. *aliquid etiam integri trahat*) Lindenius leg. *aliquid ſecum integri trahat*.

56. *occalluerunt*) Idem, *occalluerint*.

57. *decidentibus*) Cod. Medic. I. habet *decedentibus*.

58. *cruſtæ puræ leniter reſolvantur*) Lindenius leg. *cruſtæ maturæ &c.* Cum in Cod. Mediceo I. pro *cruſtæ pure*, quod eſt in Mediceis ceteris, ſit *pure eæ*, ſuſpicor vocem *pure* ex illo Codice ad alios permanaſſe, legendumque eſſe, *cruſtæ leniter reſolvantur*.

59. *oriri ſolet*) Conſtantinus particulam *ibi* huc transferendam cenſet, & legendum, *ibi oriri ſolet*.

60. *iiſdem medicamentis*) Scilicet adurentibus, de quibus paulo ſupra. Verbum *adurendum*, quod ſtatim ſequitur, tum ad ferrum refertur, tum ad medicamenta. Antea legebatur, *iiſdem medicamentis occurrendum eſt*. Ego ſuſtuli duo illa verba *occurrendum eſt*, quod abſint a Codicibus Mediceis. Habentur ſane in I. & in IV. ſed addita ex Palavicini correctione.

poteſt. Si id [61] in ſumma glande circa fiſtulam urinæ eſt, prius in eam tenue [62] ſpecillum demittendum eſt, ne claudatur; deinde id ferro adurendum: ſi vero alte penetravit, quidquid occupatum eſt, præcidendum eſt. Cetera eadem, quæ in aliis cancris, facienda ſunt.

5. Occalleſcit etiam in cole interdum aliquid; idque omni pene ſenſu caret: quod ipſum quoque excidi debet. Carbunculus autem ibi natus, ut primum apparet, per oricularium clyſterem [63] eluendus eſt: deinde ipſe quoque medicamentis urendus, maximeque chalcitide cum melle, aut ærugine cum cocto melle, aut ovillo ſtercore fricto & contrito cum eodem melle [64]. Ubi is excidit, liquidis medicamentis utendum eſt, quæ ad oris ulcera [65] componuntur.

6. In teſticulis vero, ſi qua inflammatio ſine ictu orta eſt, ſanguis ex talo mittendus [66] eſt: a cibo abſtinendum: imponenda ex faba farina [67] ex mulſo cocta cum cumino contrito [68] & ex melle cocto [69]; aut contritum cuminum cum cerato ex roſa facto; aut

61. *Si id*) Lindenius leg. *Sed, ſi id*.

62. *tenue*) Codex Mediceus I. non habet vocem hanc.

63. *ibi natus, ut primum apparet, per oricularium clyſterem &c.*) Communiter legebatur, *ibi natus, ut primum apparet, oriculario clyſtere &c.* Ego repoſui *per oricularium clyſterem*, ex Codicibus Mediceis, nullo diſcrepante, præter primum, in quo hæc verba corrupta ſunt. Ita enim in illo habetur: *ibi natus primum ac pauper oriculario clyſtere &c.* ex Palavicini vero emendatione: *ubi primum natus apparet, per oricularium clyſterem &c.* In III. & VI. legitur: *ubi natus primum apparet per oricularium cliſterem &c.* In II. IV. V. & VII. *ibi natus primum ac paret per oricularium cliſterem*, vel *clyſterem*; ſed in IV. alia manu correctum eſt, *apparet oriculario clyſtere*.

64. *aut ovillo ſtercore fricto & contrito cum eodem melle*) Ad colis carbunculos idem medicamentum habet Paulus Ægin. lib. 4. cap. 25. Porro ovillum ſtercus a Celſo adurentibus annumeratur in lib. 5. cap. 8. Egnatius & Stephanus vocem *fricto* dumtaxat; alii quidam omnia hæc verba omittunt, decepti ab Editione an. 1493. in qua ea deſunt. Habentur tamen in Editione I. & in Codicibus Mſs.

65. *ad oris ulcera*) Cum omnes vulgo legerent, *ad ora ulceris* (nec vero aliter ego reperi in Mſs.) Lindenius repoſuit, *oras*; quod Conſtantinus Editionis ſuæ margini adſcripſerat ex veteris Codicis fide. Sed facile apparet legendum eſſe, *ad oris ulcera*.

66. *ex talo mittendus*) Cod. Mediceus I. *a talo dimittendus*.

67. *imponenda ex faba farina*) i. e. fabæ farina; atque ita fortaſſe reponendum eſt. In Cod. Medic. I. habetur, *imponenda ex faba farinæ*; ex quo ego ſumpſi *imponenda*. Alii leg. *imponendum ex faba farina*, ut eſt in aliis Codicibus: Conſtantinus ex conjectura, *imponendum cataplaſma ex fabæ farina*: Lindenius, *imponendum, quod eſt ex fabæ farina*.

68. *cum cumino contrito*) Lindenius præmittit particulam *&*. Pro *contrito*, Cod. Mediceus I. habet *contrita*.

69. *& ex melle cocto*) Lindenius leg. *ex melle coacta*, ſcilicet farina; idemque, ſicut Editores quoque ceteri, omittit particulam *&*; quam ego reſtitui ex fide Codi-

aut lini ſemen frictum, contritum, & in mulſo coctum; aut tritici farina ex mulſo [70] cocta cum cupreſſo; aut lilii radix contrita. At ſi iidem induruerunt [71], imponi debet lini vel fœni Græci ſemen ex mulſo coctum; aut ex cyprino ceratum; aut ſimila ex vino contrita, cui paulum croci ſit adjectum. Si vetuſtior jam durities eſt, maxime proficit cucumeris agreſtis radix ex mulſo [72] cocta, deinde contrita. Si ex ictu tument, ſanguinem mitti neceſſarium eſt; magiſque, ſi etiam livent. Imponendum vero utrumlibet ex iis, quæ cum cumino componuntur, ſupraque poſita ſunt; aut ea compoſitio, quæ habet nitri cocti p. ж. I. reſinæ pineæ, cumini, ſingulorum p. ж. II. uvæ taminiæ ſine ſeminibus p. ж. IV. mellis quantum ſatis ſit ad ea cogenda. Quod ſi ex ictu teſticulis aliquid deſit [73], fere pus quoque increſcit [74]; neque aliter ſuccurri poteſt, quam ſi, inciſo ſcroto, & pus emiſſum, & ipſe teſticulus exciſus eſt.

7. Anus quoque multa tædiique plena mala recipit, nec inter ſe [75] multum abhorrentes curationes habet. Ac primum in eo ſæpe, & quidem pluribus locis, cutis ſcinditur [76]: ῥαγάδια Græci vocant. Id ſi recens eſt, quieſcere homo debet, & in aqua cali-

dicum multorum, & Conſtantini conjectura. Videtur etiam, pro *coctо*, legendum *coacto*, quemadmodum eidem Conſtantino placebat.

70. *coctum; aut tritici farina ex mulſo*) Hoc totum deeſt in Cod. Mediceo I. In III. atque in VI. deſunt duæ tantum voces *ex mulſo* cum proxima voce *cocta*.

71. *At ſi iidem induruerunt*) Alii plerique leg. *Aut ſi &c.* Codex Mediceus I. ita habet: *At ſi idem induruit*.

72. *ex mulſo*) Codex modo allatus, *in mulſo*.

73. *teſticulis aliquid deſit*) Ita in Editionibus vetuſtis. Mſs. Codices variant modis multis. Alii cum Mediceo I. habent, *teſticulus*; alii, *teſticulis*: in Vaticanis II. & VII. hæc vox deeſt; in VI. legitur, *teſticuli*, ut Palavicinus correxit in Mediceo I. Deinde in multis eſt, *aliquid*; in Vaticanis II. & VII. *alii*; in I. *aliquis*; in V. *aliquod*; in VI. *ſalus*, ex Mediceo I. in quo ſic repoſuit Palavicinus pro voce alia a ſe obliterata, cujus primæ litteræ videntur fuiſſe *ali* . . . . Poſtea in pleriſque, *deſiit*; in Mediceo I. & aliquo alio, *deſit*. Conſtantinus ita legit ex conjectura: *teſticulis aliquid hæſit*; Lindenius, *teſticulus aliquidem deſiit*. Morgagnus de hoc loco nihil ſtatuit; nec vero ſtatui poteſt.

74. *fere pus quoque increſcit*) In Editione an. 1538. deeſt vox *pus*; eaque Editio multos in errorem traxit, qui itidem hanc vocem omiſerunt. Lindenius eam ponit poſt *quoque*.

75. *nec inter ſe &c.*) Ita Morgagnus ex conjectura, & ex veteri Codice, cum quo & Mediceus I. conſentit, & Vaticani II. IV. VI. VII. Recte. Alii leg. *nec in ſe &c.* Conſtantinus corrigit, *necnon in ſe multum abhorrendas &c.*

76. *cutis ſcinditur*) Alii leg. *cutis exciditur*. In Cod. Mediceo I. eſt, *ſaccus exciditur*; in ceteris, *cutis ſcinditur*, ut edidit Lindenius.

lida [77] deſidere. Columbina quoque ova coquenda ſunt, &, ubi induruerunt, purganda: deinde alterum jacere [78] in aqua bene calida debet, altero calido foveri locus, ſic, ut invicem utroque aliquis utatur [79]. Tum tetrapharmacum, aut rhypodes roſa diluendum eſt; aut œſypum [80] recens miſcendum cum cerato liquido ex roſa facto; aut eidem cerato liquido [81] plumbum elotum adjiciendum; aut reſinæ terebinthinæ myrrha; aut ſpumæ argenti vetus oleum; & quolibet ex his id perungendum. Si quidquid læſum eſt, extra eſt, neque intus reconditum, eodem medicamento tinctum linamentum ſuperdandum eſt, & quidquid ante adhibuimus, cerato contegendum. In hoc autem caſu [82], neque acribus cibis utendum, neque aſperis, nec alvum comprimentibus: ne aridum quidem quidquam ſatis utile eſt, niſi admodum paulum. Liquida, lenia, pinguia, glutinoſa, meliora ſunt. Vino leni uti nihil prohibet.

8. Condyloma [83] autem eſt tuberculum, quod ex quadam inflammatione naſci ſolet. Id ubi ortum eſt, quod ad quietem, cibos, potioneſque pertinet [84], eadem ſervari debent, quæ proxime ſcripta ſunt. Iiſdem etiam ovis recte tuberculum id fovetur: ſed deſidere ante homo in aqua debet, in qua verbenæ decoctæ ſunt ex reprimentibus. Tum recte imponitur & lenticula cum exigua mellis parte; & ſertula Campana ex vino cocta; & rubi folia contrita cum cerato ex roſa facto; & cum eodem cerato contritum vel cotoneum malum, vel malicorii ex vino cocti pars interior; & chalcitis cocta atque contrita, deinde œſypo ac roſa excepta; & ex ea compoſitione, quæ habet thuris p. x. I. alumi-

77. *& in aqua calida &c.*) Egnatius reſtituit particulam &, quæ in antiquis Codicibus videtur cum præcedenti ſyllaba coaluiſſe.

78. *jacere*) Codex Mediceus I. *deponeſacere*: deinde, *alterum calidum loco ſubicere*, pro *altero calido foveri locus*.

79. *aliquis utatur*) Lindenius leg. *aliquandiu utatur*.

80. *œſypum*) In aliquibus Mſs. eſt *eſopum*, & ſect. proxima *eſopo*: quod confirmat Conſtantini Lindeniique lectionem, *œſypum*, & *œſypo*. Antea legebatur, *byſſopum*, & *byſſopo*. Codex Mediceus I. hic habet, *yſophum*; infra, *hyſopo*. Vide lib. 5. cap. 19. ſect. 10. & ibi adnotata.

81. *aut eidem cerato liquido*) Cod. Mediceus I. non habet vocem *liquido*.

82. *In hoc autem caſu*) Hæc quoque verba deſunt in allato Mediceo Codice.

83. *Condyloma*) Stephanus Κονδύλωμα græcis litteris habet.

84. *naſci ſolet. Id ubi ortum eſt, quod ad quietem, cibos, potioneſque pertinet*) In Codice Mediceo I. non eſt, niſi, *naſcibos pertinet*.

minis ſciſſilis p. ✱. II. ceruſſæ p. ✱. III. ſpumæ argenti p. ✱. V. quibus, dum teruntur, invicem roſa & vinum inſtillatur. Vinculum autem ei loco linteolum aut panniculus quadratus eſt, qui ad duo capita duas anſas, ad altera duo [85] totidem faſcias habet; cumque ſubjectus eſt, anſis ad ventrem datis, a poſteriore [86] parte in eas adductæ faſciæ conjiciuntur, atque, ubi arctatæ ſunt, dexterior ſiniſtra, ſiniſterior dextra procedit [87], circumdatæque circa alvum inter ſe noviſſime deligantur [88]. Sed ſi vetus condyloma jam induruit, neque ſub his curationibus deſidit [89], aduri medicamento poteſt, quod ex his conſtat; æruginis p. ✱. II. [90] myrrhæ p. ✱. IV. gummi p. ✱. VIII. thuris p. ✱. XII. ſtibis, papaveris lacrimæ, acaciæ, ſingulorum p. ✱. XVI. Quo medicamento quidam etiam ulcera, de quibus proxime dixi, renovant. Si hoc parum [91] in condylomate proficit, adhiberi poſſunt etiam vehementius adurentia. Vbi conſumptus eſt tumor [92], ad medicamenta lenia tranſeundum eſt.

9. Tertium vitium eſt [93], ora [94] venarum tamquam capitulis quibuſdam ſurgentia [95], quæ ſæpe ſanguinem fundunt: αἱμοῤῥοΐδας Græ-

85. *ad altera duo*) Sic legendum eſſe, collatis Mſs. apparet. Mediceus I. habet, *ad latera duo*; ceteri, *ab altera duo*. Antea legebatur, *ab altera vero parte*; quemadmodum alia manu correctum eſt in Codice IV.

86. *a poſteriore*) Codex Mediceus I. non habet præpoſitionem *a*. In ceteris legitur, *a ſuperiore*.

87. *dexterior ſiniſtra, ſiniſterior dextra procedit*) quæ dextra eſt, procedendo fit ſiniſtra; quæ ſiniſtra, dextra. Sic autem legendum ex Editione Lindeniana & Codice Mediceo I. Alii leg. *dexteriori ſiniſtra, ſiniſteriori dextra procedit*.

88. *inter ſe noviſſime deligantur*) Antea legebatur, *inter ſe noviſſime nodo deligantur*. Ego ex fide Codicis Medicei vetuſtioris expuli vocem *nodo*; quæ fuerat ex gloſſemate, ut videtur, inſerta. *Ejuſque fili capita inter ſe deligantur*, dixit in lib. 7. cap. 25. ſect. 2. nec addidit *nodo*.

89. *deſidit*) Lindenius leg. *deſiit*. Sed nihil mutandum. Nam hoc verbum eadem ſignificatione Celſus uſurpat lib. 7. cap. 14. *delapſo inteſtino, ipſe* (tumor) *deſidit*; & cap. 18. *tumor is ſine inflammatione modo minuitur, modo increſcit &c. interdum ex toto deſidit*. Idem valet *ſubſidere* in lib. 2. cap. 7. *Si quid etiam abſceſſit, & antequam ſuppuraret, manente adhuc febre, ſubſedit &c.*

90. *æruginis p. ✱. II.*) Cod. Mediceus I. *æruginis p. ✱. I.*

91. *Si hoc parum &c.*) In pleriſque Codicibus legitur, *Si id nondum &c.* atque ita Lindenius edidit. Vetus lectio, *Si hoc parum &c.* quam ego ſervavi, comprobatur teſtimonio Codicis Medicei I.

92. *conſumptus eſt tumor*) In Codice Mediceo modo allato legitur, *conſumptus eſt humor*; ſed perperam.

93. *Tertium vitium eſt*) Ita in pleriſque Mſs. In Mediceo I. *Tertium autem vitium*; quam lectionem omnes vulgo ſecuti ſunt, addito verbo *eſt*. Lindenius *ani* præterea addidit poſt *autem*.

94. *ora*) Codex Mediceus III. & VI. habent, *circa ora*.

95. *capitulis quibuſdam ſurgentia*) Alii leg. *ex capitulis quibuſdam ſurgentia*. Extat

Græci vocant. Idque etiam in ore vulvæ fœminarum incidere conſuevit. Atque in quibuſdam parum tuto ſupprimitur; qui ſanguinis profluvio imbecilliores non fiunt: habent enim purgationem hanc, non morbum. Ideoque curati quidam, cum ſanguis exitum non haberet [96], inclinata in præcordia ac viſcera materia [97], ſubitis & graviſſimis morbis correpti ſunt. Si cui vero id nocet, is deſidere in aqua ex verbenis debet: imponere maxime malicorium, cum aridis roſæ foliis contritum; aut ex iis aliqua, quæ ſanguinem ſupprimunt. Solet autem oriri inflammatio, maxime ubi dura alvus [98] eum locum læſit. Tum in aqua dulci deſidendum eſt, & id fovendum [99] ovis: imponendi vitelli cum roſæ foliis ex paſſo ſubactis; idque, ſi intus eſt, digito illinendum; ſi extra, ſuperillitum panniculo imponendum [1] eſt. Ea quoque medicamenta, quæ recentibus ſciſſuris poſita ſunt, hic idonea [2] ſunt. Cibis vero in hoc caſu iiſdem, quibus in prioribus, utendum eſt. Si iſta parum juvant, ſolent impoſita medicamenta adurentia ea capitula abſumere. Ac [3] ſi jam vetuſtiora ſunt, ſub auctore Dionyſio inſpergenda ſandaracha eſt: deinde imponendum, quod [4] ex his conſtat: ſquamæ æris, auripigmenti, ſingulorum p. ж. v. ſaxi calcis p. ж. VIII. poſtero die acu compungendum. Aduſtis capitulis fit cicatrix, quæ ſanguinem fundi prohibet. Sed quoties is ſuppreſſus eſt, ne quid periculi afferat, multa exercitatione digerenda materia eſt: prætereaque & viris, & fœminis, quibus menſtrua non proveniunt, interdum ex brachio ſanguis mittendus eſt.

10. At

tat ſane præpoſitio in Mſs. recte tamen a Conſtantino & Lindenio videtur expulſa; ſive legatur *turgentia* cum eodem Lindenio, ſive, ut eſt in Cod. Mediceo I. *ſurgentia*. Codices alii habent *urgentia*, vel *urguentia*.

96. *cum ſanguis exitum non haberet*) Alii leg. *cum ſanguinis exitum non haberent*.

97. *inclinata in præcordia ac viſcera materia*) Codex Mediceus I. ita habet, *inclinata ad præcordia & ad viſcera matie*.

98. *dura alvus*) Idem Codex, *maior dura alvus*.

99. *& id fovendum*) A Codice Mediceo I. abeſt &; ab aliis, *id*.

1. *ſuperillitum panniculo imponendum*) Ita ex Lindenio. Alii leg. *ſuper illitum panniculum imponendum*. In Codice Mediceo I. habetur, *ſuperinlitum panniculum ponendum*; in aliis, *ſuper inlito panniculo imponendum*.

2. *hic idonea*) Cod. Mediceus I. *huic idonea*.

3. *Ac*) Lindenius, *At*.

4. *imponendum, quod*) In aliquibus Codicibus legitur, *ponendum quod*; in Mediceo I. *imponendum id quod*.

10. At ſi anus ipſe, vel os vulvæ procidit (nam id quoque interdum fit) conſiderari debet, purum ne id ſit, quod provolutum eſt, an humore mucoſo circumdatum [5]. Si purum eſt, in aqua deſidere homo debet, aut ſalſa, aut cum verbenis vel malicorio incocta: ſi humidum [6], vino auſtero ſubluendum eſt, illinendumque fæce vini combuſta. Vbi utrolibet modo curatum eſt, intus reponendum eſt; imponendaque plantago contrita, vel folia ſalicis in aceto cocta; tum linteolum & ſuper lana; eaque deliganda ſunt [7], cruribus inter ſe devinctis.

11. Fungo quoque ſimile ulcus in eadem ſede naſci ſolet. Id, ſi hiems eſt, egelida; ſi aliud tempus, frigida aqua fovendum eſt: dein ſquama æris inſpergenda, ſupraque ceratum ex myrteo factum, cui paulum ſquamæ, fuliginis [8], calcis ſit adjectum. Si hac ratione non tollitur, vel medicamentis vehementioribus [9], vel ferro adurendum eſt.

XIX. Digitorum autem vetera ulcera commodiſſime curantur, aut lycio, aut amurca [10] cocta, cum utrilibet vinum adjectum eſt. In iiſdem recedere ab ungue carucuncula [11] cum magno dolore conſuevit: πτερύγιον Græci appellant. Oportet alumen Melinum [12] rotundum in aqua liquare, donec mellis craſſitudinem habeat: tum, quantum ejus aridi fuit, tantumdem mellis infundere, & rudicula [13] miſcere, donec ſimilis croco color fiat, eoque illinere. Quidam ad eumdem uſum decoquere ſimul ma-

 lunt [14]

5. *circumdatum*) Aliqui Codices, *circundetur*.

6. *ſi humidum*) Lindenius leg. *Si autem humidum*: deinde, *ſublavandum*, pro *ſubluendum*.

7. *& ſuper lana; eaque deliganda ſunt*) & ſuper linteolum imponenda lana; eaque &c. Sic repoſui ex Codice Mediceo I. Alii leg. *& ſuper lana æque deliganda*; Lindenius, *& lana, eaque ſuper deliganda ſunt*.

8. *ſquamæ, fuliginis*) Suſpectæ mihi hæ duæ voces ſunt. Conſtantinus ita legendum putat: *æris ſquamæ, thuris fuliginis, & calcis &c.*

9. *vel medicamentis vehementioribus &c.*) quæ ſcilicet vehementius adurant, quam æris ſquama. Lindenius leg. *vel aliis medicamentis ſimilibus, vel vehementioribus, ferro adurendum eſt*. Inepte. Vide Morgagn. Epiſt. VI. in Celſum.

10. *amurca*) Olim legebatur, *myrrha*. In multis ſane Codicibus eſt, *murra*: ſed Mediceus I. habet, *amurca*, ut Lindenius edidit: nec aliter legendum videtur.

11. *ab ungue caruncula*) Lindenius leg. *caruncula ab unguibus*.

12. *Melinum*) Ita habent veteres Codices. Lindenius leg. *Melium*. Sed ut *Epheſium* & *Epheſinum* dicitur; ſic *Melium* & *Melinum*. Etiam *Melinum*, pigmenti genus, a Melo inſula, ubi optimum naſcitur, dictum videtur.

13. *rudicula*) Quidam cum Egnatio leg. *radiculam*. Deceptus porro Egnatius fuit a depravatis Codicibus, in quibus eſt, *radicula*.

lunt [14], cum paria pondera aluminis aridi & mellis miſcuerunt. Si hac ratione ea non exciderunt; excidenda ſunt: deinde digiti fovendi aqua ex verbenis, imponendumque ſuper medicamentum ita factum: chalcitis, malicorium, ſquama æris excipiuntur fico pingui leniter cocta [15] ex melle; aut chartæ combuſtæ, auripigmenti, ſulphuris ignem non experti par modus cerato miſcetur ex myrteo facto: aut æruginis raſæ p. ⨯. I. ſquamæ æris [16] p. ⨯. II. mellis cyatho coguntur: aut pares portiones miſcentur, ſaxi calcis, chalcitidis, auripigmenti. Quidquid horum impoſitum eſt, tegendum linteolo aqua madefacto eſt. Tertio die digitus reſolvendus, &, ſi quid aridi eſt, iterum excidendum, ſimiliſque adhibenda curatio eſt. Si non vincitur, purgandum eſt [17] ſcalpello; tenuibuſque ferramentis adurendum, &, ſicut [18] reliqua uſta, curandum eſt [19]. At ubi ſcabri ungues ſunt, circum aperiri debent, qua corpus contingunt: tum ſuper eos ex hac compoſitione æque imponi [20]: ſandarachæ, ſulphuris, ſingulorum p. ⨯. II. nitri, auripigmenti, ſingulorum p. ⨯. IV. [21] reſinæ liquidæ p. ⨯. VIII. tertioque id die reſolvendum eſt. Sub quo medicamento vitioſi ungues cadunt, & in eorum locum meliores renaſcuntur.

14. *decoquere ſimul malunt*) Hic quoque corrupti quidam Codices Egnatio impoſuerunt; in quibus, pro *malunt*, legitur *malvam*. Ita enim edidit: *decoquere ſimul malvam ſolent*: nec defuerunt, qui eum ſequerentur. In Codice Mediceo I. in quo recte legebatur, ut habent ceteri ſex, *decoquere ſimul malunt*, verſum fuit *malunt* in *malvam* a veteri Emendatore, *decoquere* in *decoctam* a Palavicino, qui etiam *paria pondera* in *pari pondere* mutavit.

15. *leniter cocta*) Ita Codex Mediceus I. Lindenius, *leviter cocta*; Al. *leniter cocto*. Deinde, pro *ex melle*, Lindenii Editio habet, *& melle*: quod quamvis ſit etiam in allato Mediceo Codice, haud tamen probandum videtur; cum præſertim hæ duæ particulæ facile inter ſe commutentur. Vide Morgagn. Epiſt. VI.

16. *ſquamæ æris*) Ita legitur in Editione Lindenii; & in margine Conſtantinianæ; nec ſane aliter legendum videtur. Vox tamen *æris* abeſt ab omnibus antiquis Codicibus.

17. *purgandum eſt*) Alii leg. *purgandus*, ſcilicet digitus; iidemque omittunt verbum *eſt*. In Cod. Mediceo I. legitur, ſicut edidit Lindenius, *purgandum eſt*; quod refertur ad verba præcedentia, *Si non vincitur*; ubi ulcus vel vitium intelligitur.

18. *adurendum, &, ſicut &c.*) Secutus ſum Editionem Lindenii. In Codice Mediceo I. habetur, *adurendum eſt ſicut*; ſed *eſt* ex *&* corruptum videtur. Alii leg. *adurendus eſt, & ſicut &c.*

19. *curandum eſt*) Lindenius tollit *eſt*; quod ego in omnibus Mſs. inveni; ſed alii habent, ut eſt in Editionibus antiquis, *curandus*; Mediceus I. *curandum*, ut in Lindeniana.

20. *æque imponi*) Lindenius leg. *aliquid imponi*; quemadmodum in pleriſque Codicibus habetur. In Mediceo I. & in Editionibus antiquis, *æque imponi*. *Æque* hic ſignificat *ſimiliter*, & refertur ad id quod ſupra eſt: *imponendumque ſupra medicamentum ita factum &c.* Hunc dicendi modum, *imponere ex compoſitione*, uſurpavit etiam in cap. ſuperiore ſect. 8. *Tum recte imponitur . . . . . ex ea compoſitione, quæ habet &c.*

21. *p. ⨯. IV.*) Cæſarius & alii quidam, *p. ⨯. II.*

LIBER SEPTIMVS.

Tertiam eſſe medicinæ partem, quæ manu curet, & vulgo notum, & a me propoſitum eſt. Ea non quidem medicamenta atque victus rationem omittit; ſed manu tamen plurimum præſtat: eſtque ejus effectus inter omnes medicinæ partes evidentiſſimus. Siquidem in morbis cum multum fortuna conferat, eademque ſæpe ſalutaria, ſæpe vana ſint; poteſt dubitari, ſecunda valetudo medicinæ, an corporis beneficio contigerit. In iis quoque, in quibus medicamentis maxime nitimur [22], quamvis profectus evidentior eſt, tamen ſanitatem & per hæc fruſtra quæri, & ſine his reddi ſæpe, manifeſtum eſt: ſicut in oculis quoque deprehendi poteſt; qui a medicis diu vexati, ſine his interdum ſaneſcunt. At in ea parte, quæ manu curat, evidens eſt, omnem profectum, ut aliquid ab aliis adjuvetur, hinc tamen plurimum trahere. Hæc autem pars, cum ſit vetuſtiſſima, magis tamen ab illo parente omnis medicinæ Hippocrate, quam a prioribus exculta eſt: deinde, poſteaquam diducta ab aliis habere profeſſores ſuos cœpit, in Ægypto quoque increvit, Philoxeno maxime auctore, qui pluribus voluminibus hanc partem diligentiſſime comprehendit. Gorgias quoque & Soſtratus, & Heron [23], & Apollonii duo, & Ammonius Alexandrinus, multique alii celebres viri, ſinguli quædam repererunt. Ac [24] Romæ quoque non mediocres profeſſores, maximeque nuper Tryphon pater, & Euelpiſtus [25], &, ut ex ſcriptis ejus intelligi poteſt, horum eruditiſſimus Meges, quibuſdam in melius mutatis, aliquantum ei diſciplinæ adjecerunt. Eſſe autem Chirurgus debet adoleſcens,

22. *nitimur*) Egnatius, Ruellius, Stephanus, & Almeloveenius leg. *utimur*. Mſs. Codices facile variant in his verbis: hic tamen omnes habent *nitimur*. *utimur* fortaſſe ortum eſt ex *uitimur*, quod mendoſe eſt in Edit. an. 1493.

23. *Heron*) Alii leg. *Hieron*, ut eſt in Cod. Medic. I. qui tamen cap. 14. hujus lib. habet *Heron*. Lindenius, *Herones*, ut in Codice Conſtantini. Ego quoque ita ſcriptum reperi in multis Codicibus; ſed mendoſe: nam in iiſdem deeſt proxima particula &. Itaque *Herones* nihil eſt aliud, quàm *Heron &*.

24. *Ac*) Hæc particula abeſt a Cod. Mediceo I. In III. & VI. eſt *At*.

25. *Euelpiſtus*) Lindenius addit *Phlegetis filius*; ut eſt in Codice Conſtantini; ſed, ut opinor, ex adnotatione aliqua inſertum. Duo illa verba noſtri Codices non habent.

aut certe adoleſcentiæ propior; manu ſtrenua, ſtabili, nec umquam intremiſcente, eaque non minus ſiniſtra, quam dextra promptus; acie oculorum acri, claraque; animo intrepidus, miſericors ſic, ut [26] ſanari velit eum, quem accepit [27], non ut clamore ejus motus, vel magis, quam res deſiderat, properet, vel minus, quam neceſſe eſt, ſecet; ſed perinde faciat [28] omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur. Poteſt autem requiri, quid [29] huic parti proprie vindicandum ſit: quia vulnerum quoque ulcerumque multorum curationes, quas alibi exſecutus ſum, Chirurgi ſibi vindicant. Ego eumdum quidem hominem poſſe omnia iſta præſtare concipio: atque, ubi ſe diviſerunt, eum laudo, qui quamplurimum percipit. Ipſe autem huic parti ea reliqui, in quibus vulnus facit medicus, non accipit; & in quibus vulneribus ulceribuſve [30] plus profici [31] manu, quam medicamento, credo: tum, quidquid ad oſſa pertinet. Quæ deinceps exſequi aggrediar; dilatiſque in aliud volumen oſſibus, in hoc cetera explicabo; præpoſitiſque iis, quæ in qualibet parte corporis fiunt, ad ea, quæ proprias ſedes habent, tranſibo.

I. Luxata [32] igitur in quacumque parte corporis ſunt [33]

26. *miſericors ſic, ut &c.*) eatenus miſericors, ut &c. Ita repoſui ex Cod. Mediceo I. Alii leg. *immiſericors ſic, ut &c.*

27. *accepit*) Al. *accipit*.

28. *faciat*) Quidam cum Cæſario leg. *faciet*; quos inter Lindenius, qui infra habet *oriretur*, pro *oriatur*.

29. *quid*) Linden. *quod*.

30. *ulceribuſve*) In Cod. Mediceo I. *ulceribuſque*.

31. *profici*) Alii leg. *perfici*.

32. *Luxata*) Omnes Interpretes contendunt, loqui Celſum de colliſis, ſeu contuſis; ideoque quidam vocem *luxata*, quæ oſſa ſuis ſedibus mota ſignificat, hoc loco non ferunt. Conſtantinus *contuſa*, aut *vexata* ſcriptum reperit in aliquibus libris: quarum emendationum poſterior Lindenio placuit. Ego retineo *luxata* ex veterum Editionum, & Mediceorum Vaticanorumque Codicum fide: ſed interpretationem aliam adhibeo. Nam de colliſis egit Celſus lib. 5. cap. 26. ſect. 35. Puto igitur hic ſignificare στρέμματα Græce dicta; id eſt, ut explicat Galenus in Comment. 3. ad Hippocr. lib. de Medic. Officin. *cum articulo illæſo, quæ circa ipſum ſunt nervoſæ partes diſtorquentur*. Etruſci vocant *ſtracollati*. Porro non eſt credibile, hanc partem χειρουργικῆς a Celſo fuiſſe prætermiſſam; cum propter frequentes caſus ſit in primis neceſſaria, ideoque & a Paulo Ægineta in lib. 4. cap. 29. & ab aliis antiquis Medicis explicata. Hujuſmodi autem ſignificationem non Celſus modo, ſed etiam Plinius voci *luxata* tribuiſſe videtur. Nam, ut animadvertit Foeſius, cum Plinius & Dioſcorides de quorumdam medicamentorum facultate eadem utrique memoriæ proderent, vitiaque nominarent, in quibus illa prodeſſent, quæ Dioſcorides στρέμματα, ea Plinius *luxata* appellavit. Plinius lib. 22. cap. 13. *Luxata ſanat* urtica; lib. 24. cap. 11. *Medetur & luxatis & ſpinæ doloribus radix* (arundinis) *in aceto illita*; lib. 31. cap. 9. *Luxatis imponitur* (ſal) *cum farina & melle*. Confer cum his ea, quæ habet Dioſcorides in lib. 4. cap. 94. lib. 1. cap. 114. lib. 5. cap. 126. ſtatim intelliges *luxata* & στρέμματα ſibi reſpondere. Sed eſt apud eumdem Plinium quod interpretationem

ſunt [33], quamprimum ſic curari debent, ut, qua dolor eſt, ea ſcalpello cutis crebro incidatur, detergeaturque eodem averſo [34] profluens ſanguis. Quod ſi paulo tardius ſubvenitur, jamque etiam rubor eſt, qua rubet corpus; ſi tumor quoque acceſſit, quacumque is eſt, idem [35] optimum auxilium eſt. Tum ſuperdanda reprimentia ſunt; maximeque lana ſuccida ex aceto & oleo. Quod ſi levior is caſus eſt, poſſunt, etiam ſine ſcalpello, impoſita eadem mederi: &, ſi nihil aliud eſt, cinis quoque, maxime ex ſarmentis; ſi is non eſt, quilibet alius ex aceto, vel etiam ex aqua coactus.

II. Verum hoc quidem promptum eſt. In iis autem negotium majus eſt, quæ per ſe, vitio intus orto, intumeſcunt, & ad ſuppurationem ſpectant. Ea omnia genera abſceſſuum eſſe alias propoſui, medicamentaque his idonea exſecutus ſum: nunc ſupereſt, ut dicam, in iiſdem quæ manu fieri debeant [36]. Ergo, priuſquam indureſcant, cutem incidere, & cucurbitulam accommodare oportet, quæ quidquid illuc [37] malæ corruptæque materiæ coiit, extrahat: idque iterum, tertioque recte fit, donec omne indicium inflammationis excedat. Neque tamen fas non eſt, nihil cucurbitulam agere [38]. Interdum enim [39] fit, ſed raro, ut [40] quidquid abſcedit, velamento ſuo includatur. Id antiqui tunicam nominabant. Meges, quia tunica omnis nervoſa eſt, dixit, non naſci ſub eo vi-

nem Celſi noſtram magis confirmet. Cum enim Celſus hæc habeat infra: *poſſunt, etiam ſine ſcalpello, impoſita eadem mederi: &, ſi nihil aliud eſt, cinis quoque, maxime ex ſarmentis; ſi is non eſt, quilibet alius ex aceto, vel etiam ex aqua coactus*: Plinius itidem in Proem. lib. 23. *Cinis*, inquit, *ſarmentorum vitiumque & vinaceorum, condylomatis & ſedis vitiis medetur ex aceto: item luxatis & ambuſtis*. Similia ſcribit Dioſcorides in lib. 5. cap. 1. & ibi quoque στρέμματα uſurpat.

33. *ſunt*) Linden. *ſint*.

34. *averſo*) Ita repoſui ex quinque Mediceis Codicibus. In IV. & VI. eſt *adverſo*, ut in vulgatis libris.

35. *idem*) Codex Conſtantini & Lindenii Editio, *id idem*. Ego nullo in Codice ita ſcriptum inveni; ſed in multis *idem*; in Mediceo I. *id*, ut in Editionibus antiquis: ex qua varietate conflatum fortaſſe fuit *id idem*.

36. *in iiſdem quæ manu fieri debeant*) Linden. *quæ in iiſdem &c.*

37. *quæ quidquid illuc &c.*) Pro *illuc*, in multis Mſs. mendoſe eſt *illud*. Lindenius leg. *quod quicquid illud &c.* ſed perperam.

38. *Neque tamen fas non eſt, nihil cucurbitulam agere*) Fieri tamen poteſt, ut cucurbitula nihil proficiat. Alii habent *cucurbitula*. Ego repoſui *cucurbitulam*, ut eſt in Cod. Mediceo I. & in margine Editionis Conſtantinianæ. Lindenius leg. *Neque tamen fas eſt, nihil a cucurbitula agere*; quam lectionem jure damnat Morgagnus.

39. *Interdum enim*) Linden. *Interdum etiam*.

40. *fit, ſed raro, ut &c.*) Alii leg. *ſed raro, quidquid abſcedit velamento ſuo includitur*. Ego Lindenium ſequor, & Cod. Mediceum I.

vitio nervum, quo caro conſumeretur, ſed, ſubjecto jam vetuſtiore pure, callum circumdari. Quod ad curationis rationem nullo loco [41] pertinet; quia quidquid [42], ſi tunica eſt, idem, ſi callus eſt, fieri debet. Neque ulla res prohibet, etiamſi callus eſt, tamen, quia cingit, tunicam nominari. Tum pure quoque maturius [43] hæc interdum eſſe conſuevit: ideoque, quod ſub ea eſt, extrahi per cucurbitulam non poteſt. Sed facile id intelligitur, ubi nihil admota illa mutavit. Ergo, ſive id incidit, ſive jam durities eſt, in hac auxilii nihil eſt; ſed, ut [44] alias ſcripſi, vel avertenda concurrens eo materia, vel digerenda, vel ad maturitatem perducenda eſt. Si priora contigerunt, nihil præterea neceſſarium eſt. Si pus maturuit, in alis quidem & inguinibus raro ſecandum eſt; item ubicumque mediocris abſceſſus eſt; item quoties in ſumma cute, vel etiam carne vitium eſt: niſi feſtinare cubantis [45] imbecillitas cogit: ſatiſque eſt cataplaſmatibus [46] efficere, ut per ſe pus aperiatur. Nam fere ſine cicatrice poteſt eſſe is locus, qui expertus ferrum non eſt. Si autem altius malum eſt, conſiderari debet, nervoſuſne is locus ſit, an non ſit. Nam, ſi ſine nervis eſt, candenti ferramento aperiri debet: cujus hæc gratia [47] eſt, quod exigua plaga diutius ad pus evocandum patet, parvaque poſtea cicatrix fit [48]. At ſi nervi juxta ſunt, ignis alienus eſt [49]; ne vel

41. *nullo loco*) Ita habent veteres Codices; ſed fortaſſe mendoſi ſunt; legendumque eſt cum Lindenio, *nullo modo*.

42. *quidquid*) Vulgo omnes, præter unum Lindenium, leg. *quidquid dixi*. Sed manifeſtum gloſſema eſt; neque reperitur in Codice Mediceo I. Pro *quidquid*, Codex is habet *quid*.

43. *pure quoque maturius &c.*) Interdum tunica prius eſt, quam pus. Pro *maturius*, quod ego repoſui ex multis Mſs. alii leg. *maturiore*, ut eſt in Mediceo I. ſed mendoſe; alii, *maturior*, ut in Editione I.

44. *nihil eſt; ſed, ut &c.*) Olim legebatur, *nihil eſt: & ut &c.* nec aliter habet Codex Mediceus primus. Codices alii, *nihil eſſe ut*: unde Lindenius videtur formaſſe, *nihil eſt: ſed ut &c.* quod ſane mihi probatur.

45. *cubantis*) In Mſs. & Editionibus antiquis, *curantis*. Conſtantinus reponit, *cubantis*. Lindenius leg. *curandi*. Ego Conſtantino aſſentior. Nam & lib. 3. cap. 4. legitur, *cubantis etiam luxuriæ ſubſcripſit*; ubi aliqui mendoſi Codices habent *curantis*.

46. *cataplaſmatibus*) Al. *cataplaſmatis*. Editio 1493. & aliæ multæ, *cataplaſmata*: mendoſe.

47. *gratia*) beneficium. Lindenius leg. *ratio*; quod eſt contra meos Codices.

48. *fit*) Lindenius & alii nonnulli, *ſit*: ſed paulo ſupra, omnes, *patet*, præter Lindenium, qui leg. *pateat*.

49. *ignis alienus eſt*) Cum legeretur, *ignis alienum eſt*, ut habent multi Codices, Cæſarius repoſuit, *in his periculum eſt*. Hunc omnes ſecuti ſunt ad Lindenium uſque: niſi quod Conſtantinus legere malebat, *in hoc periculum eſt*. Omnino, *ignis alienus eſt*, cum Lindenio legendum ex fide Cod. Medicei I.

vel diſtendantur, vel membrum debilitent [50]: neceſſaria vero opera ſcalpelli eſt. Sed cetera etiam ſubcruda aperiri poſſunt: inter nervos [51] ultima exſpectanda maturitas eſt, quæ cutem extenuet, eique pus jungat, quo propius reperiatur. Jamque [52] alia rectam plagam deſiderant: in pane [53], quia fere vehementer cutem extenuat, tota [54] ea ſuper pus excidenda eſt. Semper autem, ubi ſcalpellus admovetur, id agendum eſt, ut & quam minimæ [55] & quam pauciſſimæ [56] plagæ ſint: cum eo tamen, ut neceſſitati ſuccurramus, & in modo, & in numero. Nam majores ſinus, latius; interdum

etiam

50. *ne vel diſtendantur, vel membrum debilitent*) Lindenius leg. *ne diſtendantur, & membrum debilitent*. Sed minus recte; quia, ut egregie animadvertit Morgagnus, *poteſt horum alterutrum ita fieri, ut alterum non ſequatur*. Ante Lindenium ita legebatur: *ne vel diſtendantur hi, vel membrum debilitent*. Ego veterem lectionem retinui; ſed cum Lindenio omiſi vocem *hi*, quam neque Cod. Mediceus I. habet.

51. *inter nervos*) Plerique addunt particulam *vero:* Lindenius omittit; cui ſuffragatur Codex Mediceus vetuſtior.

52. *Jamque*) Ita Lindenius edidit: eodemque modo eſt in Cod. Mediceo I. Alii leg. *Itemque*; quemadmodum multi alii Codices habent. In aliquibus Codicibus legitur, *Item*.

53. *in pane &c.*) Tumorem intelligit, de quo in lib. 5. cap. 28. ſect. 10. Hic locus, cum ita legeretur: *deſiderant in carne, quia fere &c.* multis Criticorum conjecturis jactatus eſt: ſed mendum erat hujuſmodi, ut id quale eſſet, nemo divinando aſſequi poſſet. Nec ſine gravi ratione Morgagnus putabat, alia hic a Celſo poſita fuiſſe, quæ ad ſubcrudos abſceſſus, in quibus non cutis modo, verum etiam caro incidenda eſſet, pertinerent; pro his vero repetita ab indiligenti librario ea fuiſſe, quæ ſupra de extenuata cute haberentur. Ego ſic reſtitui ex Cod. Mediceo I. atque hanc lectionem Conſtantini & Lindenii conjecturis anteferendam judico. Attamen illas quoque meo more adſcribam, ut ſtatuere quivis pro ingenio poſſit. Conſtantinus igitur locum hunc ita legendum putat: *Itemque alia rectam ſolum plagam deſiderant in cute: alia quia fere vehementer cutem extenuant, tota &c.* Lindenius ita habet: *Jamque alia rectam plagam deſiderant, ut in carne: alia vero vehementer cutem extenuant, in quibus tota &c.* Ceterum, quod Celſus in pane faciendum docet, idem Galenus & Paulus Ægineta in omnibus abſceſſibus fieri volunt, in quibus cutis ſuper pus extenuata ſit, corruptaque. Neque illud omittunt, quod Celſus infra addit; *Eſt etiam in rerum natura, ut cutis latius excidenda ſit &c.* Ita Paulus ſcribit in lib. 6. cap. 34. *Illos ſane abſceſſus, qui plurimum faſtigiantur, crudi, tenues, & emortui ſunt, præcidimus trianguli, aut myrtacei folii, aut alterius anguli figura, cum circularis ad cicatricem recipiendam ſit inidonea. Qui vero non in faſtigium attolluntur, eos ſimplici dumtaxat linea diſſecamus. At ubi magnum ſinum invenimus, ſi cutis ſuperinjecta carnoſa ſit, & queat conglutinari, diviſione loci ea dumtaxat utemur, quæ humoris effluxui conveniat; ſin tenuis admodumque excarnis, totam in longitudinem ſimpliciter diſſecabimus, & poſt ſimplicem diviſionem, ſi corpora utrimque ſita gracilia valde, & non carnoſa videantur, ipſa tollemus.*

54. *tota*) Morgagnus *tuto* reperit in ſuo quodam Ms. quod & ego in aliquibus inveni. Videtur lectio iſta manaſſe a Mediceo I. in quo ſcriptum eſt *tuta*, & antiqua manu correctum, *tuto*. In ceteris Mediceis habetur *tota*, quemadmodum eſt in vulgatis libris.

55. *ut & quam minimæ*) Aldina Editio habet, *ut quam minimæ*.

56. *quam pauciſſimæ*) In Cod. Mediceo I. omittitur *quam*.

etiam duabus, aut tribus [57] lineis incidendi ſunt. Dandaque opera, ut imus ſinus exitum habeat; ne quis humor intus ſubſidat, qui proxima & adhuc ſana rodendo ſinuet. Eſt etiam in rerum natura, ut cutis latius excidenda ſit. Nam, ubi poſt longos morbos totius [58] corporis habitus vitiatus eſt, lateque ſe ſinus ſuffudit [59], & in eo jam cutis [60] pallet; ſcire licet, eam jam emortuam eſſe, & inutilem futuram: ideoque excidere commodius eſt; maxime, ſi circa articulos majores id evenit, cubantemque ægrum [61] fluens alvus exhaurit [62], neque per alimenta [63] quidquam corpori accedit. Sed excidi ita debet, ut plaga ad ſimilitudinem myrtei folii fiat, quo facilius ſaneſcat: idque perpetuum eſt, ubicumque medicus & quacumque de cauſa [64] cutem excidit. Pure effuſo, in alis vel inguinibus linamento opus non eſt: ſpongia [65] ex vino imponenda eſt. In ceteris partibus, ſi æque linamenta [66] ſupervacua ſunt, purgationis cauſa paulum mellis infundendum; dein [67] glutinantia ſuperdanda: ſi illa neceſſaria ſunt, ſuper ea quoque ſimiliter dari ſpongia eodem modo ex vino expreſſa debet. Quando autem linamentis opus ſit, quando non ſit, alias dictum eſt.

57. *tribus*) Al. *pluribus*. In Cod. Mediceo I. legitur, *tribus*, ut edidit Lindenius. Lib. 8. cap. 9. ſect. 1. *Si latius aliquid abſcedet, duobus aut tribus locis erit perforandum*.

58. *totius*) Codex Mediceus I. habet *totus*.

59. *ſuffudit*) Al. *diffudit*.

60. *jam cutis*) Ita legit Lindenius, cum quo Cod. Mediceus I. conſentit. Al. *pars cutis*.

61. *cubantemque ægrum*) Vox *ægrum* fortaſſe in contextum irrepſit ex gloſſemate. Nam *cubantem* pro *ægro* Celſus ſæpe poſuit. Vide quæ paulo ſupra adnotavi ad hoc ipſum caput. Adde etiam lib. 3. cap. 6. lib. 8. cap. ultim.

62. *exhaurit*) inanem reddit; quemadmodum, *medicamentis purgatum & adhuc inanem*, dixit in lib. 2. cap. 8. & *exhaurire hominem profuſione ſanguinis*, in lib. 5. cap. 26. ſect. 3. Legendum igitur, *exhaurit*, ex Mſs. & Edit. Aldina. Alii cum Ruellio leg. *exhauſit*. Al. cum Cæſario, *exercuit*; quod minus probandum eſt.

63. *per alimenta*) In Cod. Mediceo I. *per adiumenta*.

64. *& quacumque de cauſa*) Olim legebatur, *ex quacumque cauſa*; quemadmodum Palavicinus correxit, cum *& quacumque cauſa* reperiſſet in Cod. Mediceo I. Lindenius repoſuit, *& quacumque de cauſa*, ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ, & in multis Mſs.

65. *opus non eſt: ſpongia &c.*) Lindenius leg. *opus non eſt; ſed ſpongia &c.* Particulam *ſed* veteres Editiones & Mſs. non habent: Codex tamen Mediceus I. pro *eſt*, habet *eſſet*, unde *eſt ſet* facile oriri potuit.

66. *ſi æque linamenta*) Antea legebatur, *ſi æque ea linamenta*. Ego ſuſtuli vocem *ea*, ſecutus Mſs. fidem. In Mediceo quidem I. legitur, *ſi ea linamenta*: ſed *ea* videtur mendoſe eſſe pro *æq.* id eſt *æque*.

67. *dein*) Cod. Mediceus I. *deinde*. Eamdem varietatem exhibet cap. proximo.

eſt. Cetera eadem, inciſa ſuppuratione, facienda ſunt, quæ, ubi per medicamenta rupta eſt, facienda eſſe propoſui.

III. Protinus autem, quantum curatio efficiat, quantumque aut ſperari aut timeri debeat, ex quibuſdam ſignis intelligi poteſt; fereque iiſdem, quæ in vulneribus expoſita ſunt [68]. Nam bona ſigna ſunt, ſomnum capere; facile ſpirare; ſiti non confici; cibum non faſtidire; ſi febricula fuit, ea vacare: itemque habere pus album, læve, non fœdi odoris. Mala ſunt, vigilia, ſpiritus gravitas, ſitis, cibi faſtidium, febris, pus nigrum, aut fœculentum, & fœdi odoris; item procedente curatione eruptio ſanguinis; aut ſi, antequam ſinus carne impleatur, oræ carnoſæ [69] fiunt, illa quoque ipſa carne hebete, nec firma. Deficere tamen animam, vel in ipſa curatione [70], vel poſtea, peſſimum omnium eſt. Quin etiam morbus ipſe, ſive ſubito ſolutus eſt, dein ſuppuratio exorta eſt; ſive effuſo pure permanet, non injuſte terret. Eſtque inter cauſas timoris, ſi ſenſus in vulnere rodentium non eſt. Sed ut hæc ipſa fortuna huc illucve diſcernit [71]; ſic medici partium eſt, eniti ad reperiendam ſanitatem. Ergo, quoties ulcus reſolverit, eluere id, ſi reprimendus humor videbitur, vino ex aqua [72] pluviatili miſto, vel aqua, in qua lenticula cocta ſit, debebit: ſi purgandum erit, mulſo; rurſuſque imponere eadem. Vbi jam repreſſus videbitur humor, ulcuſque purum erit, produci carnem conveniet, & foveri vulnus [73] pari portione vini ac mellis, ſuperque imponi ſpongiam ex vino & roſa tinctam. Per quæ cum caro producatur, plus [74] tamen, ut alias quoque dixi, victus ratio eo confert; id eſt, ſolutis jam fe-

 bri-

68. *quæ in vulneribus expoſita ſunt*) Particula *in*, & duæ voces *expoſita ſunt*, in Codice modo allato deſunt.

69. *carnoſæ*) Sic legendum eſſe, verba oſtendunt, quæ continuo ſequuntur, *illa ipſa carne*; ut recte animadvertit Morgagnus. Hinc apparet, quanti faciendus ſit Codex a Conſtantino allatus, in quo eſt *calloſæ*: quam tamen lectionem probavit Lindenius. In Mſs. Mediceis & in Vaticanis habetur, *carnoſæ*.

70. *in ipſa curatione*) Codices Mſs. & Editiones veteres non habent particulam *in*. Habet Lindenius, & in libri margine Conſtantinus.

71. *diſcernit*) Conſtantinus & Caſaubonus leg. *decernit*; ſed contra veterum Codicum fidem.

72. *vino ex aqua*) Ita in Mſs. & Editionibus antiquis. Particula tamen *ex* videtur redundare. Lindenius reponit, *vino & aqua*. Recte, ſi deinde, pro *miſto*, eſſet *miſtis*.

73. *vulnus*) Linden. *ulcus*.

74. *Per quæ cum caro producatur, plus &c.*) Idem Lindenius leg. *per quæ caro producitur. Plus &c.* & infra; *victus ratio eo confert. Ea eſt, ſolutis &c.*

bribus & cibi cupiditate reddita, balneum rarum; quotidiana, ſed lenis geſtatio; cibi potioneſque corpori faciendo [75] aptæ. Quæ omnia, per medicamenta quoque ſuppuratione rupta, ſequuntur: ſed, quia magno malo vix ſine ferro mederi licet, in hunc locum reſervata ſunt.

IV. 1. Adverſus fiſtulas quoque, ſi altius penetrant, ut ad ultimas demitti collyrium non poſſit, ſi tortuoſæ ſunt, ſi multiplices, majus in manu, quam in medicamentis præſidium eſt: minuſque operæ eſt, ſi ſub cute tranſverſæ feruntur, quam ſi rectæ [76] intus tendunt. Igitur, ſi ſub cute tranſverſa fiſtula eſt, demitti ſpecillum debet, ſupraque id ea incidi. Si flexus reperiuntur, hi quoque ſimul ſpecillo & ferro perſequendi ſunt [77]: idemque faciendum, ſi plures ſe quaſi ramuli [78] oſtendunt. Vbi ad fines fiſtulæ ventum eſt, excidendus ex ea totus callus [79] eſt, ſuperque fibulæ dandæ, & medicamentum, quo glutinetur. At ſi recta ſubter tendit, ubi, quo maxime ferat, ſpecillo exploratum eſt, excidi is ſinus [80] debet: dein fibula oris cutis injicienda eſt, & æque [81] glutinantia medicamenta ſuperdanda ſunt; aut, ſi corruptius ulcus [82] eſt (quod interdum oſſe vitiato fit) ubi id quoque curatum eſt, pus moventia.

2. Solent autem inter coſtas fiſtulæ ſubter exire [83]. Quod ubi incidit, eo loco coſta ab utraque parte præcidenda & eximenda eſt, ne quid intus corruptum relinquatur. Solent [84], ubi coſtas tran-

75. *corpori faciendo*) carni producendæ. Ita ex Editione Lindenii, & Codicibus Mediceis. In I. eſt *faciundo*: manu vero Palavicini, *reficiundo*; quod & in IV. adſcribitur. Hinc in Editione I. & in antiquis omnibus, *reficiendo*.

76. *rectæ*) Alii leg. *recte*, ut eſt in Cod. Mediceo I. Lindenius, *recta*.

77. *perſequendi ſunt*) Verbum *ſunt* omittitur in Cod. Mediceo I.

78. *ramuli*) Lindenius habet, *rivuli*. Ego in Mſs. inveni *ramuli*, ut alii legunt.

79. *excidendus ex ea totus callus*) Ita in Cod. Mediceo I. & Lindenii Editione. Alii leg. *excidendum* (vel *excidendus*) *ex toto callus*.

80. *is ſinus*) Cod. Mediceus I. non habet vocem *is*.

81. *& æque*) & ſimiliter &c. Nam ſupra quoque dixerat; *ſuperque fibulæ dandæ, & medicamentum, quo glutinetur*. In Cod. Mediceo I. legitur, *& eaque*; in Edit. Lindenii, *eique*.

82. *corruptius ulcus*) Fortaſſe legendum, *corruptum ulcus*, ut eſt in Mediceo I. & aliis Mſs.

83. *ſubter exire*) id eſt tendere, ut eſt paulo ſupra. Ita in veteribus libris. Sed, pro *exire*, fortaſſe legendum *ire*, quemadmodum olim placuerat Conſtantino, & a Lindenio editum eſt.

84. *Solent*) Lindenius leg. *Solent quoque*; ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. Mſs. Codices non habent *quoque*. Mediceus I. habet *etiam*, ſed additum a Palavicino.

tranſierunt, ſeptum id, quod tranſverſum a ſuperioribus viſceribus inteſtina diſcernit, violare. Quod intelligi & ex loco, & ex magnitudine doloris, poteſt; & quia nonnumquam ſpiritus ea [85] cum humore quaſi bullante prorumpit, maximeque, ſi hunc ore ille continuit. In eo medicinæ [86] locus nullus eſt. In ceteris vero, quæ circa coſtas ſanabilia ſunt, pinguia medicamenta inimica ſunt; ceteris, quæ ad vulnera accommodantur, uti licet: optime tamen ſicca linamenta, vel, ſi purgandum aliquid videtur, in melle tincta imponuntur.

3. Ventri nullum os ſubeſt; ſed ibi pernicioſæ admodum fiſtulæ fiunt: adeo ut Soſtratus inſanabiles eſſe crediderit. Id non ex toto ita ſe habere uſus oſtendit. Et quidem, quod maxime mirum videri poteſt, tutior fiſtula eſt contra jecur, & lienem, & ventriculum, quam contra inteſtina: non quo pernicioſior ibi ſit [87], ſed quo alteri periculo locum faciat. Cujus experimento moti quidam auctores parum modum rei cognoverunt. Nam venter ſæpe etiam telo perforatur, prolapſaque inteſtina conduntur, & oras vulneris ſuturæ comprehendunt: quod quemadmodum fiat, mox indicabo. Itaque, etiam ubi tenuis fiſtula abdomen perrupit [88], excidere eam licet, ſuturaque oras conjungere. Si vero ea fiſtula intus patuit, exciſa neceſſe eſt latius foramen relinquat: quod niſi permagna vi, utique ab interiore parte, ſui non poteſt [89], qua quaſi [90] membrana quædam finit abdomen, quam περιτόναιον Græci vocant. Ergo, ubi aliquis ingredi ac moveri cœpit, rumpitur illa ſutura, atque inteſtina evolvuntur [91]: quo fit, ut pe-

 reun-

85. *ea*) Alii leg. *eo*. Ego *ea* repoſui ex Codice Mediceo I. & ratione; quia non irrumpit ſpiritus, ſed erumpit. In allato Codice ſupra *ea* poſita eſt particula *ex*, manu quidem antiqua, ſed, ut videtur, ex gloſſemate.

86. *medicinæ*) In pleriſque Mſs. legitur, *medicamine*; in Edd. antiquis, *medicamini*. Melius in Editione Lindeniana, & in Cod. Mediceo I. *medicinæ*.

87. *pernicioſior ibi ſit*) Al. *pernicioſior res ibi ſit*; Lindenius, *pernicioſior ibi res ſit*. Ego omiſi vocem *res* ex fide Cod. Medicei vetuſtioris.

88. *perrupit*) Ita in multis Mſs. & in Editione Lindenii. Alii leg. *perrumpit*, ut habet Cod. Mediceus I.

89. *ſui non poteſt*) Hæc verba a Lindenio transferuntur ante *utique*: credo, quod ſenſum turbare viderentur ſequentium verborum, quæ ad illa, *ab interiore parte*, referuntur. Mihi hic ſtare poſſe videntur, ut habentur in antiquis Codicibus.

90. *qua quaſi*) In aliquibus Codicibus, *quia quaſi*; in Mediceo I. *quaq. ſi*.

91. *evolvuntur*) Vulgaris lectio, *ſolvuntur*, mihi placere non poteſt; etſi Codicis vetuſtioris auctoritas accedit. Cum in aliis Co-

reundum homini ſit. Sed non omni modo res ea deſperationem habet: ideoque tenuioribus fiſtulis adhibenda curatio eſt.

4. Propriam etiamnum [92] animadverſionem deſiderant eæ [93], quæ in ano ſunt. In has demiſſo ſpecillo, ad ultimum ejus caput incidi cutis debet: dein novo foramine ſpecillum educi lino ſequente, quod in aliam ejus partem, ob id ipſum perforatam, conjectum ſit. Ibi linum prehendendum vinciendumque [94] cum altero capite eſt, ut laxe cutem, quæ ſuper fiſtulam eſt, teneat: idque linum debet eſſe crudum, & duplex triplexve, ſic tortum, ut unitas facta ſit [95]. Interim autem licet negotia agere [96], ambulare, lavari [97], cibum capere, perinde atque ſaniſſimo. Tantummodo id linum bis die [98], ſalvo nodo [99], ducendum eſt, ſic, ut ſubeat fiſtulam pars, quæ ſuperior fuit. Neque committendum eſt, ut id linum putreſcat: ſed tertio quoque die nodus reſolvendus eſt, & ad caput alterum recens linum alligandum, eductoque vetere, id in fiſtula cum ſimili nodo relinquendum. Sic enim id paulatim cutem, quæ ſupra fiſtulam eſt, incidit: ſimulque & id ſaneſcit, quod a lino relictum eſt; & id, quod ab eo mordetur, inciditur. Hæc ratio curationis longa, ſed ſine dolore eſt. Qui feſtinant [1], adſtringere cutem lino debent, quo celerius ſecent; noctuque ex penicillo [2] tenuia quædam intus demittere, ut cutis

hoe

Codicibus ſit *volvuntur*, repoſui *evolvuntur*. Nam & cap. 14. habetur, *venter ictu aliquo perforatur; ſequiturque, ut inteſtina evolvantur*.

92. *etiamnum*) Cod. Mediceus I. *etiam*.

93. *eæ*) In Mſs. & in Editionibus vetuſtis *ea*. Ego ſecutus ſum Lindenium, qui repoſuit *eæ*; quemadmodum legendum Conſtantino viſum fuerat.

94. *prehendendum vinciendumque*) Lindenius leg. *apprehendendum ligandumque*.

95. *facta ſit*) Idem Lindenius præmittit *in eo*: quas ego duas voces non inveni in Mſs.

96. *agere*) In Cod. Mediceo I. *gerere*.

97. *lavari*) Ita in Mſs. & in Edd. antiquis. Lindenius leg. *lavare*.

98. *bis die*) Idem Lindenius leg. *bis in die*.

99. *ſalvo nodo*) Recte animadvertit Morgagnus, utique ſalvo nodo linum duci poſſe, quod *laxe cutem, quæ ſupra fiſtulam eſt, teneat*; ut ſupra poſitum eſt. Porro ex eo, quod poſtea conſequitur, *tertio quoque die nodus reſolvendus eſt*, idem Morgagnus evincit, *ſalvo*, quod eſt in Editionibus antiquis; cum quibus Codices Medicei & Vaticani conſentiunt; perperam a Lindenio mutatum eſſe in *ſoluto*. In Editionibus 1493. 1497. & in Juntina, pro *nodo*, eſt *modo*; mendoſe, ſicut infra in Codicibus Mediceis I. III. & VI. *cum ſimili modo*, pro *cum ſimili nodo*.

1. *feſtinant*) Alii leg. *feſtinat*; deinde, *debet*, & *ſecet*. Ego ſecutus ſum Cod. Mediceum I. Lindenius quoque habet *feſtinant*, & *debent*; ſed, pro *ſecent*, *ſecetur*.

2. *ex penicillo*) Plerique omittunt *ex*; ſed perperam.

hoc ipſo [3] extenuetur, quo [4] extenditur. Sed hæc dolorem movent. Adjicitur celeritati, ſicut tormento quoque, ſi & linum, & id, quod ex penicillo eſt, aliquo medicamento illinitur ex iis, quibus callum exedi poſui [5]. Poteſt tamen fieri, ut ad ſcalpelli curationem etiam illo loco veniendum ſit [6], ſi intus fiſtula fert, ſi multiplex eſt. Igitur in hæc genera demiſſo ſpecillo, duabus lineis incidenda cutis eſt; ut media inter eas habenula tenuis admodum ejiciatur [7], ne protinus oræ [8] coeant; ſitque locus aliquis linamentis, quæ quam pauciſſima ſuperinjicienda ſunt: omniaque eodem modo facienda, quæ in abſceſſibus poſita ſunt [9]. Si vero ab uno ore plures ſinus erunt, recta fiſtula ſcalpello erit incidenda: ab eo ceteræ, quæ jam patebunt, lino excipiendæ. Si intus aliqua procedet, quo ferrum tuto pervenire non poterit, collyrium demittendum erit. Cibus autem in omnibus ejuſmodi caſibus, ſive manu, ſive medicamentis agetur [10], dari debet humidus; potio liberalis, diuque aqua. Vbi jam caro increſcit, tum demum & balneis raris utendum erit, & cibis corpus implentibus.

V. 1. Tela quoque, quæ illata corporibus intus hæſerunt, magno negotio ſæpe ejiciuntur. Suntque quædam [11] difficultates ex generibus eorum; quædam ex iis ſedibus, in quas illa penetrarunt. Omne

3. *hoc ipſo*) In Cod. Mediceo I. deeſt vox *ipſo*.

4. *quo*) In Codice modo allato, aliiſque, & in Edit. Aldina legitur *quod*.

5. *poſui*) Linden. *propoſui*.

6. *illo loco veniendum ſit*) Pro *loco*, ut edidit Lindenius, & multi Codices habent, alii leg. *loci*. In Cod. Mediceo I. ita habetur: *illo loci inveniendum ſit*.

7. *ut media inter eas habenula tenuis admodum ejiciatur*) Ita omnes fere vulgo legunt; & ita eſt in multis Mſs. Pro *ejiciatur*, in Mediceo I. & in Vaticanis II. VI. & VII. legitur, *adiiciatur*. In Vaticano I. gloſſemate inſerto, *ut media inter eas habenula cutis tenuis &c.* Lindenius reponit *injiciatur*; ſed horum verborum ſenſum aſſecutus non videtur. Fortaſſe legendum *excidatur*. Vult enim Celſus, *quod inter duas lineas eſt*, *excidendum* eſſe, ut loquitur cap. 7. ſect. 8. hujus libri. Et cap. 17. ſect. 1. *immittendæ ſcalpello duæ lineæ ſunt, ut, exciſo medio, interior membrana utrimque recentem plagam habeat;* cap. 24. *ſi tumor modicus eſt, ſemel incidi; ſi major, duabus lineis debet, ut medium excidatur*. Tenue & oblongum cutis ſegmentum *habenam*, vel *habenulam* a ſimilitudine appellat. Cap. 7. ſect. 8. *tenuis habenula ab ulteriore ora excidenda;* cap. 17. ſect. 1. *tenuis excidenda habena eſt;* cap. 20. *ab ora quoque ejus vulneris, quod in inguine eſt, demenda habenula paulo latior eſt;* cap. 28. *ab ora .... tamquam habenulam excidere*.

8. *oræ*) Al. *ora*. Lindenius *oræ*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. Recte. In Cod. Mediceo I. *ore*.

9. *quæ in abſceſſibus poſita ſunt*) Ita Lindenius & Cod. Mediceus I. Al. *qui in abſceſſibus poſitus eſt*.

10. *agetur*) Cod. Mediceus I. *agitur*.

11. *Suntque quædam*) Codex modo allatus, *ſunt quædam*: Lindenii Edit. *Sunt enim quædam*.

Omne autem telum extrahitur, aut ab ea parte, qua venit, aut ab ea, in quam tetendit [12]: illic viam, qua redeat, ipſum ſibi fecit; hic, a ſcalpello accipit. Nam contra mucronem caro inciditur. Sed ſi non alte telum inſedit, & in ſumma carne eſt, aut certe magnas venas & loca nervoſa non tranſiit; nihil melius eſt, quam, qua venit, id evellere [13]. Si vero plus eſt, per quod telo revertendum, quam quod perrumpendum eſt; jamque venas nervoſque id tranſiit, commodius eſt aperire quod ſupereſt, eaque [14] extrahere. Nam & propius petitur, & tutius evellitur [15]: & in majore membro, ſi medium mucro tranſiit, facilius ſaneſcit, quod pervium eſt; quia utrimque medicamento fovetur. Sed, ſi retro telum recipiendum, amplianda ſcalpello [16] plaga eſt; quo facilius id ſequatur, quoque minor oriatur inflammatio: quæ major fit, ſi ab illo ipſo telo, dum redit, corpus laniatur. Item, ſi ex alia parte vulnus aperitur, laxius eſſe debet, quam ut telo poſtea tranſeunte amplietur. Summa autem utraque parte habenda cura eſt [17], ne nervus, ne vena major, ne arteria incidatur. Quorum ubi aliquid detectum eſt, excipiendum hamo retuſo eſt, abducendumque a ſcalpello [18]. Vbi autem ſatis inciſum eſt, telum eximendum eſt: tunc quoque eodem modo, & eadem cura habita, ne ſub eo, quod eximitur, aliquid eorum lædatur, quæ tuenda eſſe propoſui.

2. Hæc communia. Sunt propria quædam [19] in ſingulis telorum ge-

12. *tetendit*) Cod. Mediceus I. habet *tendit*.

13. *evellere*) Lindenius leg. *revellere*. Ego veterem lectionem ex Mſs. fide retineo; cum præſertim etiam ſect. proxima habeatur, *ubi ab ea parte, qua venit, evelli magis placuit*.

14. *eaque*) Quidam cum Cæſario leg. *itaque*.

15. *& tutius evellitur*) Hæc tria verba deſunt in Cod. Mediceo I.

16. *ſcalpello*) Lindenius omittit vocem hanc, quam Codd. Mſs. habent ad unum omnes.

17. *Summa autem utraque parte habenda cura eſt*) Ita ex Cod. Mediceo I. Olim legebatur, ut eſt in aliis Codd. *Summa autem utraque parte ita habenda cura eſt*. Conſtantinus tamen particulam *ita* tollendam, vel in *iſta* mutandam cenſebat. Lindenius ita leg. *In ſumma autem utraque parte iſta habenda cura eſt*.

18. *abducendumque a ſcalpello*) Al. *abducendumque ſcalpello*.

19. *Hæc communia. Sunt propria quædam &c.*) Secutus fere ſum Cod. Mediceum I. in quo ita habetur: *Hæc communia ſunt; propria quædam in ſingulis telorum generibuſque protinus ſubiciam*. Neque enim quidquam addere ex conjectura volui. Fortaſſe tamen Celſus ſcripſit, *Hæc communia: ſed ſunt propria quædam &c.* Niſi quis malit alios Codices ſequi; ſed dempta voce *ſubjicienda*. Ita in illis legitur, itemque in Edd. antiquis: *Hæc communia ſunt. Propria quædam in ſingulis telorum generibus ſubiicienda ſunt, quæ protinus ſubiiciam*. Lindenius & vocem *ſubjicienda* ſuſtulit, & alias

generibus, quæ protinus ſubjiciam. Nihil tam facile in corpus, quam ſagitta, conditur, eademque altiſſime inſidit [20]. Hæc autem eveniunt, & quia magna vi fertur illa, & quia ipſa in anguſto eſt [21]. Sæpius itaque ab altera parte, quam ex qua venit, recipienda eſt; præcipueque [22], quia fere ſpiculis cingitur; quæ magis laniant, ſi retro, quam ſi contra trahuntur. Sed inde aperta via, caro diduci debet ferramento facto ad ſimilitudinem Græcæ litteræ [23]: deinde, ubi apparuit mucro, ſi arundo inhæret [24], propellenda eſt, donec ab altera parte apprehendi & extrahi poſſit: ſi jam illa decidit, ſolumque intus ferrum eſt, mucro vel digitis apprehendi, vel forfice [25], atque ita educi debet. Neque alia ratio extrahendi eſt, ubi ab ea parte, qua venit, evelli magis placuit: Nam, ampliato magis vulnere [26], aut arundo, ſi ineſt, evellenda eſt; aut, ſi ea non eſt, ferrum ipſum. Quod ſi ſpicula apparuerunt, eaque brevia & tenuia ſunt, forfice [27] ibi comminui debent, vacuumque ab his telum educi: ſi ea majora valentioraque ſunt,

alias de ſuo inſeruit, itaque edidit: *Hæc communia ſunt: præter quæ propria quædam in ſingulis telorum generibus ſunt, quæ protinus ſubjiciam.*

20. *inſidit*) Alii leg. *inſedit*. Ita ſane eſt in Mſs. ſed mendoſe. Legendum igitur *inſidit*, ut Ruellius, Stephanus, Lindenius habent. Conſtantinus in libri margine; *incedit*, vel *inſidit*.

21. *ipſa in anguſto eſt*) Lindenius leg. *ipſa anguſta eſt*; quæ fuit olim Conſtantini conjectura. Ego, invitis Mſs. nihil mutandum puto. Nam etiam in lib. 8. cap. 3. eodem ſenſu legitur, *Si vitium in anguſto eſt*. Advertendum porro, ut ibi iis verbis illa opponuntur, *ſi latius vitium eſt*; ſic his verbis hoc loco ea, quæ infra ſunt, *latum vero telum*, opponi.

22. *præcipueque*) In Cod. Mediceo I. *præcipue*; deinde, *retrorſus* pro *retro*, & *eximatur* pro *trahuntur*.

23. *Græcæ litteræ*) In Editionibus antiquis, *Græcæ litteræ* Ψ. Scilicet in Cod. Mediceo IV. alia manu adſcripta fuit Ψ, quemadmodum in I. a Palavicino; cum Græca littera deeſſet, quæ in ceteris item Mediceis Codicibus deeſt. Lindenius repoſuit *γ*, qua ejus litteræ figura veteres Græcos uſos fuiſſe non conſtat. Ego malim Λ.

24. *ubi apparuit mucro, ſi arundo inhæret*) Lindenius leg. *ubi apparuit mucro, ſi ei arundo inhæret*. Hunc ego ſecutus ſum; niſi quod vocem *ei* omiſi, quod illam Mſs. non habeant, nec neceſſariam exiſtimem. Alii leg. *ubi apparuit, ſi mucro, ſi arundo* (vel *harundo*) *inhæret*; Ruellius & Stephanus, *ubi apparuit, ſi mucroni harundo inhæret*.

25. *forfice*) *Forceps*, non *forfex*, ubicumque de re aliqua capienda agitur, legendum eſſe contendunt Conſtantinus, Cajus, referente Rhodio, Rhodiuſque ipſe in adnotationibus ad Scribonii Compoſit. 51. Sed invitis Mſs. nihil efficiunt. Tanta porro conſtantia *forficem* hac ſignificatione habent Codices Medicei Vaticanique, ut ab iis diſcedendum non putarim, quamvis Lindenius *forcipem* ubique repoſuerit.

26. *Nam, ampliato magis vulnere*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Editione Lindenii. Alii omittunt *magis*. In Cod. Vaticano II. & in VII. deeſt etiam particula *Nam*.

27. *forfice*) Conſtantinus & Lindenius ſine cauſa hic reponunt *forcipe*: nam ſpicula *comminui debent*, h. e. præcidi; quo ſenſu *forficem* uſurpari nemo dubitat.

ſunt, fiſſis ſcriptoriis calamis contegenda, ac, ne quid lacerent [28], ſic evellenda ſunt. Et in ſagittis quidem hæc obſervatio eſt.

3. Latum vero telum, ſi conditum eſt [29], ab altera parte educi non expedit; ne ingenti vulneri ipſi quoque ingens vulnus adjiciamus. Evellendum eſt ergo genere quodam ferramenti, quod Διοκλεῖον κυαθίσκον Græci vocant [30]; quoniam auctorem Dioclem habet: quem inter priſcos maximoſque medicos fuiſſe, jam poſui. Lamina vel ferrea [31], vel etiam ænea, ab altero capite duos utrimque deorſum converſos uncos habet; ab altero duplicata lateribus, leviterque extrema in eam partem inclinata, quæ ſinuata eſt, inſuper ibi etiam perforata eſt [32]. Hæc juxta telum tranſverſa demittitur: deinde, ubi ad imum mucronem [33] ventum eſt, paulum torquetur, ut telum foramine ſuo excipiat: cum in cavo mucro eſt [34], duo digiti [35], ſubjecti partis alterius uncis, ſimul & ferramentum [36] id extrahunt, & telum.

4. Tertium genus telorum eſt [37], quod interdum evelli debet, plumbea glans, aut lapis, aut ſimile aliquid, quod, perrupta cute, integrum intus inſedit. In omnibus his latius vulnus aperiendum,

28. *lacerent*) Lindenius, *dilacerent*.

29. *ſi conditum eſt*) Idem Lindenius leg. *ſi aliquis intus in carne habuerit*. Scilicet ex gloſſemate aliquo, ut recte cenſet Morgagnus.

30. *Διοκλεῖον κυαθίσκον Græci vocant*) Sic repoſui ex Cod. Mediceo I. in quo eſt, *Diocleum cyathiſcum &c.* Ex ſequenti porro deſcriptione apparet, ferramentum hoc formam cyathi cujuſdam referre. Alii Codices habent, *Diocleum eraphiſcum &c.* unde quidam vulgo leg. *Diocleum graphiſcum*; Lindenius, Διοκλέυς γραφίσφαν. Editio an. 1538. *Dioclis Græci vocant*. Editio I. & aliæ pervetuſtæ, *Diocris* (al. *Dioclis*) *græci belulcum vocant*. Βελελκὸν ſane Paulus Ægineta ferramentum nominat, quo tela extrahuntur: ſed vox iſta nimis recedit a *cyathiſcum*, vel *eraphiſcum*, quod eſt in Mſs.

31. *vel ferrea*) Lindenius leg. *eſt ferrea*: infra vero, *habens*.

32. *inſuper ibi etiam perforata eſt*) Ita ex Cod. Mediceo I. In Codicibus ceteris & in Editionibus antiquis habetur; *inſuper ibi etiam parte inclinata, quæ perforata eſt*; iteratis a librario per incuriam tribus vocibus, quæ ſupra ſunt. Huic vitio ſic medetur Lindenius: *inſuper etiam ea parte inclinata, quæ &c.* Sed remedium minime idoneum videtur.

33. *ad imum mucronem*) In Cod. Mediceo I. omittitur vox *imum*: pro qua III. & VI. habent *unum*.

34. *cum in cavo mucro eſt*) Codex Mediceus I. ita habet: *cum cavum vero eſt*.

35. *duo digiti*) Codices Medicei, primo excepto, habent, *illico digiti*; mendoſe, ut videtur, pro *duo digiti*, quod eſt in primo, cujus ego auctoritatem ſecutus ſum. Vulgo ex Cod. IV. in quo alia manu appoſita eſt vox *duo*, legitur; *illico duo digiti*. Palavicinus, qui *illico* addidit in Cod. I. ex *illico* fecit *illic*.

36. *& ferramentum*) Lindenius omittit particulam &.

37. *telorum eſt &c.*) Lindenius transfert verbum *eſt* poſt *debet*, atque ita legit: *telorum, quod interdum evelli debet, eſt plumbea glans*.

dum, idque, quod ineſt, ea, qua venit, forfice extrahendum eſt. Accedit vero aliquid difficultati [38] ſub omni ictu, ſi telum vel oſſi inhæſit, vel in articulo ſe inter duo oſſa demerſit. In oſſe uſque eo movendum eſt, donec laxetur is locus, qui mucronem momordit; & tunc vel manu vel forfice telum extrahendum eſt: quæ ratio in dentibus quoque ejiciendis eſt. Vix [39] umquam ita telum non ſequitur: ſed, ſi morabitur, excuti quoque, ictum aliquo ferramento [40], poterit. Vltimum eſt, ubi non evellitur, terebra juxta forare, ab eoque [41] foramine, ad ſpeciem litteræ V [42], contra telum os excidere, ſic, ut lineæ, quæ diducuntur, ad telum ſpectent: eo facto, id neceſſe eſt labet, & facile auferatur. Inter duo vero oſſa ſi per ipſum articulum perruperit, circa vulnus duo membra faſciis habeniſve deliganda, & per has in diverſas partes diducenda ſunt, ut nervos diſtendant: quibus extentis, laxius [43] inter oſſa ſpatium eſt, ut ſine difficultate telum recipiatur. Illud videndum eſt, ſicut in aliis locis poſui, ne quis nervus, aut vena, aut arteria a telo lædatur, dum id extrahitur: eadem ſcilicet ratione, quæ ſupra poſita eſt.

5. At ſi venenato quoque telo quis ictus eſt, iiſdem omnibus, ſi fieri poteſt, etiam feſtinantius actis, adjicienda curatio eſt, quæ vel epoto veneno, vel a ſerpente ictis adhibetur. Vulneris autem ipſius, extracto telo, medicina non alia eſt, quam quæ eſſet, ſi corpore icto nihil inhæſiſſet: de qua ſatis alio loco dictum eſt.

VI. Hæc evenire in qualibet parte corporis poſſunt: reliqua cer-

38. *Accedit vero aliquid difficultati*) Sic repoſui ex aliis Mſs. Antea legebatur *difficultatis*, ut eſt in Mediceo I.

39. *ejiciendis eſt. Vix &c.*) Alii omnes leg. *ejiciendis eſt. Et vix &c.* Ego ex fide Cod. Medicei I. ſuſtuli particulam *&*; quæ a mendoſis quibuſdam Codicibus fluxiſſe videtur, in quibus, pro *ejiciendis eſt. Vix*, legitur, *eiciendis & vix*. Palavicinus ita mutavit: *eiciendis eſt. Et vix unquam ita fieri poteſt, quin telum non ſequatur.*

40. *ictum aliquo ferramento*) ferramento aliquo percuſſum, quaſſatum. Pro *ictum*, Codex Mediceus II. habet *icto*; Conſtantinus margini adſcripſit *victum*; Lindenius leg. *cum*.

41. *ab eoque*) Ita ex Cod. Mediceo I. Alii leg. *ab eo quoque*; Lindenius, *& ab eo*.

42. *litteræ V*) In Mſs. deeſt littera *V*; quam ego repoſui ex conjectura, cum in Mediceo I. *vel* reperiſſem. Nam *vel* ex *V* ab imperito aliquo factum puto. Palavicinus, expuncto *vel*, repoſuit Ψ; quæ littera etiam in Codice IV. habetur, addita alia manu. Hinc in Edd. antiquis, *litteræ* Ψ. At Lindenius habet, *litteræ* ν. Cum tamen *Græcæ litteræ* Celſus non dixerit, & Romana *V* huic rei ſit aptiſſima, non video, cur neceſſe ſit Græcam reponere. De ν vide quæ adnotavi ad ſect. 2. hujus cap.

43. *laxius*) Duo ex Vaticanis Mſs. III. ſcilicet & V. habent *latius*.

tas ſedes habent. De quibus dicam, orſus a capite. In hoc multa variaque tubercula oriuntur; γάγγλια, μελικηρίδας [44], ἀθερώματα [45] nominant; aliiſque etiamnum vocabulis quædam alii diſcernunt: quibus ego στεατώματα quoque adjiciam. Quæ quamvis & in cervice, & in alis, & in lateribus oriri ſolent; per ſe tamen non poſui; cum omnia iſta mediocres differentias habeant, ac neque periculo terreant, neque diverſo genere curentur. Omnia autem [46] iſta & ex parvulo incipiunt, & diu paulatimque increſcunt, & tunica ſua includuntur. Quædam ex his dura ac renitentia, quædam mollia cedentiaque ſunt: quædam ſpatio nudantur, quædam tecta capillo ſuo permanent: fereque ſine dolore ſunt. Quid intus habeant, ut conjectura præſagiri poteſt; ſic ex toto cognoſci, niſi cum ejecta ſunt, non poteſt. Maxime tamen in iis, quæ renituntur, aut lapillis [47] quædam ſimilia, aut concreti confertique [48] pili reperiuntur: in iis vero, quæ cedunt, aut melli ſimile aliquid, aut tenui pulticulæ, aut quaſi raſæ cartilagini [49], aut carni hebeti & cruentæ; quibus alii aliique [50] colores eſſe conſuerunt [51]. Fereque ganglia renituntur: atheromati ſubeſt quaſi tenuis pulticula: meliceridi liquidior humor; ideoque preſſus circumfluit [52]: ſteatomati pingue quiddam; idque latiſſime patere conſuevit, reſolvitque totam cutem ſuperpoſitam, ſic, ut ea labet; cum in ceteris ſit adſtrictior. Omnia, deraſa ante, ſi capillis conteguntur, per medium oportet incidere [53]. Sed ſteatomatis tunica quoque ſecanda eſt, ut effunda-

44. γάγγλια, μελικηρίδας) Quidam duas has voces, itemque proximam latinis litteris ſcribunt. In Cod. Mediceo I. legitur, *glangian meliceridas*; in aliis, *gangilia*, *meliceridas*.

45. ἀθερώματα) Alii præmittunt particulam &; quam a Mſs. abeſſe video. Ortam ex eo puto, quod in Cod. Mediceo I. pro *atheromata*, quod alii habent, eſt *etheromata*; unde alia manu in IV. itemque in Editionibus 1478. 1493. 1497. 1524. & *heromata*. Alii igitur correxerunt, & *atheromata*.

46. *autem*) Cod. Mediceus I. *vero*.

47. *lapillis*) Stephani Edit. *lapidis*; quod minus probandum.

48. *confertique*) Cod. Mediceus I. habet *conferſique*.

49. *raſæ cartilagini*) In Cod. Mediceo I: *maſſas cartilaginis*: mendoſe.

50. *alii aliique*) Ita ex Lindenio. In Mſs. deeſt vox *alii*. Pro *aliique*, quod eſt in Mediceis ceteris, primus habet *aliquæ*; ex emendatione vero Palavicini, *aliqui*, ut eſt in Editionibus antiquis.

51. *conſuerunt*) Linden. *conſueverunt*.

52. *preſſus circumfluit*) Cap. 14. hujus lib. *Humor autem, ſi premitur, circumfluit*. In Mſs. & in Editionibus vetuſtis eſt *preſſum*; Lindenius leg. *preſſu*; ego cum Cæſario, Ruellio, Pantino, aliiſque nonnullis, *preſſus*.

53. *incidere*) Cod. Mediceus I. *incidi*.

datur quidquid intus coiit [54]; quia non facile a cute & ſubjecta carne [55] ea ſeparatur: in ceteris [56] ipſa tunica inviolata ſervanda eſt. Protinus autem alba & intenta ſe oſtendit. Tum ſcalpelli manubriolo diducenda a cute & carne eſt, ejiciendaque cum eo, quod intus tenet. Si quando tamen ab inferiore parte tunicæ muſculus inhæſit, ne is lædatur, ſuperior pars illius decidenda, alia ibidem [57] relinquenda eſt. Vbi tota exempta eſt, committendæ oræ; fibulaque his injicienda, & ſuper medicamentum glutinans dandum eſt. Vbi vel tota tunica, vel aliquid ex ea relictum eſt, pus moventia adhibenda ſunt.

VII. 1. Sed ut hæc neque genere vitii, neque ratione curationis inter ſe multum diſtant; ſic in oculis, quæ manum poſtulant, & ipſa diverſa ſunt, & aliter aliterque curantur. Igitur in ſuperioribus palpebris veſicæ naſci ſolent, pingues graveſque; quæ vix attollere oculos ſinunt, leveſque pituitæ curſus, ſed aſſiduos, in oculis movent [58]. Fere vero in pueris naſcuntur. Oportet, compreſſo digitis duobus oculo, atque ita cute intenta, ſcalpello tranſverſam lineam incidere [59], ſuſpenſa leviter manu, ne veſica ipſa vulneretur: &, ut locus ei patefactus eſt, ipſa prorumpit. Tum [60] di-

54. *ut effundatur quidquid intus coiit*) Lindenius transfert hæc verba ante illa, *Sed ſteatomatis*, & ſententiam totumque locum corrumpit. Numquam enim, niſi ubi tunica difficulter a cute & ſubjecta carne ſeparatur, ut in ſteatomate, id, quod intus coiit, effundendum eſt; ſed, quemadmodum infra dicitur, *ipſa tunica inviolata ſervanda eſt, ... ejiciendaque cum eo, quod intus tenet*.

55. *& ſubjecta carne*) In omnibus fere impreſſis libris, & in multis Mſs. omittitur particula *&*; ſed perperam.

56. *in ceteris*) Lindenius leg. *At in ceteris:* deinde, *Protinus autem cum iſta alba & intenta ſe oſtendit, tum &c.*

57. *alia ibidem*) Ita communiter legitur; itaque Palavicinus ſcripſit in Cod. Mediceo I. veteri ſcriptura obliterata, quæ fortaſſe ab aliorum Codicum ſcriptura diverſa non erat. Ita autem in aliis habetur: *ad iam ibi*. Videtur igitur legendum, *alia inibi:* nam *ad ia* eſt pro *alia*, *m ibi* pro *inibi*.

58. *in oculis movent*) Quidam Mſs. Codices habent, *in oculos movent*.

59. *tranſverſam lineam incidere*) In Editione Conſtantini ita habetur: *tranſverſam linea incidere:* in margine vero, *tranſverſa:* quod placuit Lindenio. Sed retinenda vetus lectio, *tranſverſam lineam incidere*, ex veterum Mſs. atque Editionum fide; cum hanc dicendi formam aliis in locis Celſus uſurparit. Vid. cap. 13. & ibi adnotata.

60. *&, ut locus ei patefactus eſt, ipſa prorumpit. Tum &c.*) Olim legebatur *prorumpat*; ſed, cum laboraret conſtructio, ad eam ſanandam Conſtantinus addebat *quæ* poſt *ut*. Lindenius autem ita mutavit: *& ut, loco ei patefacto, ipſa prorumpat; tum &c.* Putabant nimirum, *ut* eſſe conjunctionem, quæ conjunctivum poſtularet. Sed eſt adverbium temporis, & ſignificat *poſtquam*. Recte igitur Codex Mediceus I. habet *prorumpit*; quod ego repoſui.

digitis eam apprehendere [61], & evellere. Facile autem [62] ſequitur. Dein ſuperinungi [63] collyrio debet ex iis aliquo, quo lippientes oculi ſuperinunguntur: pauciſſimiſque [64] diebus cicatricula inducitur. Moleſtius eſt, ubi inciſa veſica eſt: effundit enim humorem; neque poſtea, quia tenuis admodum eſt, poteſt colligi. Si forte id incidit, eorum aliquid imponendum eſt, quæ puri movendo ſunt.

2. In eadem palpebra ſuper [65] pilorum locum tuberculum parvulum naſcitur, quod a ſimilitudine hordei, a Græcis κριθὴ nominatur. Tunica quiddam [66], quod difficulter matureſcit, comprehenſum eſt. Id vel calido pane, vel cera ſubinde calefacta foveri oportet, ſic, ne nimius is calor ſit, ſed facile ea parte [67] ſuſtineatur: hac enim ratione ſæpe diſcutitur, interdum concoquitur. Si pus ſe oſtendit, ſcalpello dividi debet, &, quidquid intus humoris eſt, exprimi: eodem deinde vapore poſtea quoque foveri, & ſuperinungi, donec ad ſanitatem perveniat.

3. Alia quoque quædam in palpebris huic [68] non diſſimilia naſcuntur; ſed neque utique figuræ ejuſdem, & mobilia, ſimul atque digito huc vel illuc impelluntur: ideoque ea χαλάζια Græci vocant [69]. Hæc incidi debent, ſi ſub cute ſunt, ab exteriore parte; ſi ſub cartilagine, ab interiore: dein [70] ſcalpelli manubriolo diducenda [71] ab integris partibus ſunt. Ac, ſi intus plaga eſt, in-

un-

61. *apprehendere*) Plerique addunt *oportet*; ſed, cum id verbum ſupra habeatur, non eſt neceſſe.

62. *Facile autem*) Lindenius leg. *facile enim*.

63. *ſuperinungi*) Ita Lindenius. Et ſane in Cod. Mediceo I. habetur *ſuperinungui*. Alii leg. *ſuperungi*; al. *ſuper ungi*. Vide Animadv. VII. Facciolati, & ad eam Morgagni additamentum, in III. ejuſdem Morgagn. Epiſt.

64. *pauciſſimiſque*) Lindenius leg. *quo pauciſſimis*.

65. *ſuper*) In Cod. Mediceo I. *ſupra*.

66. *quiddam*) In Codice modo allato deeſt vox hæc. Palavicinus adſcripſit, *quadam*.

67. *ea parte*) i. e. in ea parte. Lindenius leg. *a parte*. In Cod. Mediceo vetuſtiore habetur, *ex parte*.

68. *huic*) Codex Mediceus I. hanc vocem non habet; &, pro *naſcuntur*, habet *ponuntur*.

69. *ideoque ea χαλάζια Græci vocant*) Quia mobilia ſunt, χαλάζια nominant, i. e. cuti ſubjectiſque partibus non adhærentia, ſed laxa & ſoluta. Conſtantinus ita margini adſcripſit: *Grandini ſimilia ſunt, ideoque ea &c.* ejuſque conjectura uſus Lindenius videtur, qui edidit, *Quæ quia grandini ſimilia ſunt χαλάζια &c.* Pro χαλάζια, in Cod. Mediceo I. mendoſe *clazia*.

70. *dein*) Cod. Mediceus I. *deinde*.

71. *diducenda*) Et in Codice modo allato, & in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ legitur, *deducenda*. Sed in illo quidem Codice ſæpe eſt *deducere* pro *diducere*: ut ſect. proxima, *Alteram autem palpebram a miniſtro deduci oportet*: & cap. ſuperiori, *deducenda a cute & carne eſt*.

ungendum primo [72] lenibus, deinde acrioribus: ſi extra, ſuperdandum emplaſtrum, quo id glutinetur.

4. Vnguis vero, quod πτερύγιον Græci vocant, eſt membranula nervoſa oriens ab angulo, quæ [73] nonnumquam ad pupillam quoque pervenit, eique officit. Sæpius a narium, interdum etiam a temporum parte naſcitur. Hunc recentem non difficile eſt diſcutere medicamentis, quibus cicatrices in oculis extenuantur: ſi inveteravit [74], jamque ei craſſitudo quoque acceſſit, excidi debet. Poſt abſtinentiam vero unius diei, vel adverſus in ſedili contra medicum is homo collocandus eſt, vel ſic averſus, ut in gremium ejus caput reſupinus effundat. Quidam, ſi in ſiniſtro oculo vitium eſt, adverſum: ſi in dextro, reſupinum collocari volunt. Alteram autem palpebram a miniſtro diduci oportet, alteram a medico: ſed ab hoc, ſi ille adverſus eſt, inferiorem; ſi ſupinus, ſuperiorem. Tum idem medicus hamulum acutum, paulum mucrone intus recurvato, ſubjicere extremo ungui debet, eumque infigere; atque eam quoque palpebram tradere alteri: ipſe, hamulo apprehenſo, levare unguem, eumque acu trajicere linum trahente: deinde acum ponere, lini duo capita apprehendere, & per ea erecto ungue, ſi qua parte oculo inhæret, manubriolo ſcalpelli diducere, donec ad angulum veniat: deinde invicem modo remittere, modo attrahere, ut ſic & initium ejus, & finis anguli reperiatur. Duplex enim periculum eſt; ne vel ex ungue aliquid relinquatur, quod exulceratum vix ullam recipiat curationem; vel ex angulo quoque caruncula abſcindatur [75], quæ, ſi vehementius unguis ducitur, ſequitur; ideoque decipit [76]. Abſciſſa, patefit foramen [77], per quod poſtea ſemper humor deſcendit: ῥυά-

δα [78]

72. *inungendum primo*) Ita in libris vulgatis omnibus & in Mſs. pleriſque. In Mediceo I. *inunguenda primum*.

73. *oriens ab angulo, quæ &c.*) Lindenius leg. *quæ oriens ab angulo &c.*

74. *ſi inveteravit*) Stephanus leg. *ſi inveteraverit*.

75. *abſcindatur*) Codd. Medicei, *abſcidatur*; quæ ſcribendi ratio in illis fere perpetua eſt.

76. *ſequitur; ideoque decipit*) Facile ſeſquendo medicum decipit, qui eam unguis partem eſſe credit. Lindenius leg. *ſequitur quoque ac decipit:* Almeloveenius, *ſequitur quoque ac decidit*; quod a Morgagno merito improbatur. Sed *decidit* fortaſſe mendum librarium eſt.

77. *Abſciſſa, patefit foramen*) Ita in Cod. Mediceo I. niſi quod in illo ſcribitur *abſciſa* per ſimplex *ſ*. Codices ceteri Medicei ita habent: *Ac ſi abſciſa eſt, patefecit foramen*. Vulgo alii leg. *ac ſi abſciſſa eſt, pateſcit foramen*; Lindenius, *Si abſciſſa eſt, patefit foramen*.

δα[78] Græci vocant. Verus ergo anguli finis utique noſcendus eſt; qui ubi ſatis conſtitit, non nimium adducto ungue, ſcalpellus adhibendus eſt; deinde ſic excidenda ea membranula, ne quid[79] ex angulo lædatur. Eo[80] deinde ex melle linamentum ſuperdandum eſt, ſupraque linteolum, & aut ſpongia aut lana ſuccida: proximiſque diebus diducendus quotidie oculus eſt, ne cicatrice inter ſe palpebræ glutinentur; ſiquidem id quoque tertium periculum accedit: eodemque modo linamentum imponendum, ac noviſſime inungendum collyrio, quo ulcera ad cicatricem perducuntur. Sed ea curatio vere[81] eſſe debet, aut certe ante hiemem: de qua re, ad plura loca pertinente, ſemel dixiſſe ſatis erit. Nam duo genera curationum ſunt: alia, in quibus eligere tempus non licet, ſed utendum eſt eo, quod incidit; ſicut in vulneribus, & in fiſtulis[82]: alia, in quibus nullus dies urget, & exſpectare tutiſſimum & facile eſt; ſicut evenit in iis, quæ & tarde increſcunt[83], & dolore non cruciant. In his ver exſpectandum eſt: aut, ſi quid magis preſſit, melior tamen autumnus eſt, quam æſtas, vel hiems[84]; atque is ipſe medius, jam fractis æſtibus, nondum[85] ortis frigoribus. Quo magis autem neceſſaria pars erit, quæ tractabitur, hoc quoque majori periculo ſubjecta eſt: & ſæpe, quo major plaga facienda, eo magis hæc temporis ratio ſervabitur.

5. Ex curatione vero unguis, ut dixi, vitia naſcuntur, quæ ipſa aliis quoque de cauſis oriri ſolent. Interdum enim fit in angu-

78. ῥυάδα) Ita plerique legunt ex Caeſario; nec aliter legendum videtur. In Mſs. habetur *rhyſada*, vel *rhyphada*. In Mediceo IV. *rhyphada*, ſed alterum *h* expunctum eſt. Hinc in Editione I. & aliis pervetuſtis, *rhypada*; in Aldina, ῥυπάδα, græcis litteris.

79. *ſic excidenda ea membranula, ne quid &c.*) In Mſs. & in Edd. antiquis deeſt particula *ſic*. Hanc ego ſumpſi ex Editione Lindenii, in qua legitur, *ſic excidenda membranula, ne quid &c.* Vix enim abeſſe poteſt.

80. *Eo*) Lindenius leg. *Ei*. Vide quæ adnotavi ad lib. 5. cap. 18. ſect. 3.

81. *vere*) Egnatius & Stephanus leg. *verna*.

82. *& in fiſtulis*) In multis Mſs. omittitur particula *&*. Lindenius omittit *in*.

83. *tarde increſcunt*) In Cod. Mediceo I. legitur, *tarde decreſcunt*; fortaſſe pro *tarde creſcunt*. Alii tamen Codices habent *increſcunt*, ut eſt in vulgatis, non *creſcunt*.

84. *quam æſtas, vel hiems*) Sic legendum; non, ut eſt in Editionibus antiquis, *vel æſtas, quam hiems*. Et ſane in Cod. Mediceo I. habetur, *quam æſtas aut hiemps*. Vel reponendum cum Lindenio, *quam hiems, vel æſtas*. In aliquibus Codicibus legitur, *vel æſtas, vel hiems*.

85. *æſtibus, nondum*) Lindenius interjicit particulam *&*; quæ in Mſs. non invenitur. Porro *æſtibus* idem Lindenius legit; & ita eſt in Cod. Mediceo I. Al. *æſtatibus*; ſed non recte.

gulo, parum ungue exciſo, vel aliter, tuberculum, quod palpebras parum diduci patitur: ἐγκανθὶς Græce nominatur. Excipi [86] hamulo, & circumcidi debet; hic quoque diligenter temperata manu, ne quid ex ipſo angulo [87] abſcindatur [88]. Tum exiguum linamentum reſpergendum eſt vel cadmia, vel atramento ſutorio; inque eum angulum, diductis palpebris, inſerendum, ſupraque eodem modo deligandum: proximiſque diebus ſimiliter nutriendum; tantum ut primis [89] aqua egelida, vel etiam frigida foveatur.

6. Interdum inter ſe palpebræ coaleſcunt, aperirique non poteſt oculus. Cui malo ſolet etiam illud accedere, ut palpebra [90] cum albo oculi cohæreſcat; ſcilicet, cum in utrovis [91] fuit ulcus negligenter curatum. Saneſcendo enim, quod diduci potuit & debuit, glutinavit [92]. Α'γκυλοβλεφάρυς ſub utroque vitio Græci vocant [93]. Palpebræ tantum inter ſe cohærentes, non difficulter diducuntur; ſed interdum fruſtra: nam rurſus glutinantur. Experiri tamen oportet; quia bene res ſæpius cedit. Igitur averſum [94] ſpecillum inſeren-

86. *Excipi*) Ita ex Conſtantino & Lindenio. Alii leg. *excidi*; ut eſt, ſed mendoſe, in antiquis Codicibus.

87. *ex ipſo angulo*) Vox *angulo* deeſt in libris fere omnibus vetuſtis. Habetur in Mediceo I. & in Editione Lindenii; eſtque prorſus neceſſaria.

88. *abſcindatur*) Ita Lindenius; nec aliter legendum Conſtantinus putavit. Attamen vetus lectio *abſcindat* (in Mſs. *abſcidat*) ſuſtineri poteſt.

89. *ſimiliter nutriendum; tantum ut primis &c.*) *tantum ut*, quemadmodum *tantum ne* lib. 8. cap. ultimo, *membrum .... ſic jacere convenit, ut maxime cubantem juvat; tantum ne moveatur, neve dependeat.* Lindenius leg. *ſimiliter nutriendum, ut primo; tantum &c.* Ego veterem lectionem ex Mſs. fide retinui.

90. *palpebra*) Sic repoſui ex Cod. Mediceo I. Nam & infra habetur, *ubi albo ipſius oculi palpebra inhæſit:* & lib. 6. cap. 6. ſect. 1. *nonnumquam ex eo caſu fit, ut palpebra cum oculo glutinetur.* Alii leg. *palpebræ*; poſtea vero, *cohæreſcant*.

91. *ſcilicet, cum in utrovis*) Hic Lindenium ſecutus ſum, qui *utrovis* repoſuit. Alii habent *utroque*. In Cod. Mediceo I. legitur, *licet cum utroque*.

92. *glutinavit*) Vlcus ſaneſcendo glutinavit id, quod diduci &c. Porro *glutinavit* habetur in Cod. Mediceo I. & in margine Editionis Conſtantinianæ. Alii leg. *glutinabit*; Lindenius, *glutinabitur*.

93. Α'γκυλοβλεφάρυς *ſub utroque vitio Græci vocant*) h. e. in utroque vitio; ut recte explicat Conſtantinus. In Cod. Mediceo I. *ancyloblepharus Græcis utroque vitio vocant*; ſed littera *s* in *Græcis* expuncta eſt, & *utroque* in *utrumque* mutatum; a Palavicino vero correctum, *ſub utroque*. In ceteris Codicibus; *angyn blepharus ſub utroque vitio Græci vocant*. In VII. margini adſcriptum eſt ανκυλοβλεφαρος. In IV. quoque correctum eſt, *ancyloblepharos*; atque ita habent Editiones antiquiores. Aldina, ἀγκυλοβλέφαρος. Alii cum Cæſario repoſuerunt ἀγκυλοβλέφαρον; ego Α'γκυλοβλεφάρυς. Lindenius leg. ἀγκυλοβλέφαρον *ſub utroque vitium Græci vocant*.

94. *averſum*) Ita in Editione Conſtantini, & in Codicibus Mediceis II. III. V. VII. & ita legendum contendit Fabricius ab Aquapendente, non *adverſum*, ut eſt in aliis & Mſs. & impreſſis libris. Confirmatur hæc lectio ſimili loco hujus libri cap. 27.

rendum, diducendæque eo [95] palpebræ ſunt: deinde exigua penicilla interponenda, donec exulceratio ejus loci finiatur. At ubi albo ipſius oculi palpebra inhæſit, Heraclides Tarentinus auctor eſt, adverſo ſcalpello [96] ſubſecare, magna cum moderatione, ut neque ex oculo, neque ex palpebra quidquam abſcindatur; ac, ſi neceſſe eſt, ex palpebra potius. Poſt hæc, inungatur oculus medicamentis, quibus aſpritudo curatur: quotidieque palpebra vertatur, non ſolum ut ulceri medicamentum inducatur, ſed etiam ne rurſus inhæreat [97]: ipſique etiam [98] præcipiatur, ut ſæpe eam duobus digitis attollat. Ego ſic reſtitutum eſſe neminem memini. Meges ſe quoque multa tentaſſe, neque umquam profuiſſe, quia ſemper iterum oculo palpebra inhæſerit [99], memoriæ prodidit.

7. Etiamnum in angulo, qui naribus propior eſt, ex aliquo vitio quaſi parva fiſtula aperitur, per quam pituita aſſidue deſtillat: αἰγίλωπα Græci vocant. Idque aſſidue male habet oculum: nonnumquam etiam exeſo oſſe, uſque ad nares [1] penetrat. Atque [2] interdum naturam carcinomatis habet; ubi intentæ venæ & recurvatæ ſunt, color pallet, cutis dura eſt, & levi tactu irritatur, inflammationemque in eas partes, quæ conjunctæ ſunt, evocat. Ex his eos, qui quaſi carcinoma habent, curare periculoſum eſt: nam mortem quoque ea res maturat. Eos vero, quibus ad nares tendit, ſupervacuum: neque enim ſaneſcunt. At, quibus id in angulo eſt, poteſt adhiberi curatio; cum eo, ne ignotum ſit [3], eſſe diffi-

a7. *ſi, antequam veſica purgata eſt, oræ ſe glutinarunt, dolorque & inflammatio redierunt, vulnus digitis vel averſo ſpecillo diducendum eſt:* ubi tamen, pro *ſpecillo*, quidam Codices habent *ſcalpello*. Nec deſunt qui ibi quoque habeant *adverſo*.

95. *eo*) Hanc vocem Cod. Mediceus I. non habet.

96. *adverſo ſcalpello*) Quatuor Codices Medicei ſupra allati, *averſo ſcalpello*. Hic tamen legendum videtur, *adverſo*, ut alii habent.

97. *ne rurſus inhæreat*) Lindenius omittit *rurſus*, deceptus, ut opinor, ab Editione an. 1538. in qua hoc adverbium deeſt. In Codice Mediceo I. deſunt hæc verba omnia.

98. *ipſique etiam*) Neque hæc verba habet Codex modo allatus. Lindenius leg. *ipſique etiam ægro*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. Sed vox *ægro* abeſt ab omnibus Mſs.

99. *palpebra inhæſerit*) Cod. Mediceus I. *palpebræ inhæſerint*.

1. *uſque ad nares*) Idem Codex, *uſque nares*.

2. *Atque*) Ita in allato Mediceo Codice. Alii leg. *Idque*.

3. *cum eo, ne ignotum ſit*) Alii leg. *cum eam non ignotum ſit*. Ego ſecutus ſum Egnatium & Lindenium, cum quibus conſentit Codex Mediceus vetuſtior. Nam licet *cum eam ne* in illo legatur; attamen ex litura apparet, *eo* ſcriptum fuiſſe, idque in *eam* mutatum a veteri Emendatore.

difficilem: quantoque angulo propius id foramen eſt, tanto difficilior eſt [4]; quoniam peranguſtum eſt, in quo verſari manus poſſit. Recenti tamen re mederi facilius eſt. Sed hamulo ſummum ejus foraminis [5] excipiendum; deinde totum id cavum, ſicut in fiſtulis dixi, uſque ad os excidendum; oculoque & ceteris junctis partibus bene obtectis, os ferramento adurendum eſt; vehementiuſque [6], ſi jam carie vexatum eſt, quo craſſior ſquama abſcedat. Quidam adurentia imponunt, ut atramentum ſutorium, vel chalcitidem, vel æruginem raſam: quod & tardius & non idem facit. Oſſe aduſto, curatio ſequitur eadem, quæ in ceteris uſtis.

8. Pili vero, qui in palpebris ſunt, duabus de cauſis oculum irritare conſuerunt [7]. Nam modo palpebræ [8] ſumma cutis relaxatur, & procidit; quo fit, ut ejus pili ad ipſum oculum convertantur, quia non ſimul cartilago quoque ſe remiſit: modo ſub ordine naturali pilorum alius ordo ſubcreſcit, qui protinus intus ad oculum tendit. Curationes [9] hæ ſunt. Si pili nati ſunt, qui non debuerunt, tenuis acus ferrea ad ſimilitudinem ſpathæ lata [10], in ignem conjicienda eſt: deinde candens, ſublata palpebra, ſic, ut ejus pernicioſi pili in conſpectum curantis veniant, ſub ipſis pilorum radicibus ab angulo [11] immittenda eſt, ut ea tertiam partem

 pal-

4. *tanto difficilior eſt*) Cod. Mediceus I. *tanto difficiliorem*. Vtraque lectio recte ſe habet. Varietas videtur ex eo orta, quod ita ſcriptum fuiſſet, *difficilior ē*. Per *ē* autem, tum *em*, tum *eſt* ſignificatur.

5. *Sed hamulo ſummum ejus foraminis*) Ita in Editionibus antiquis, & fere omnibus Mſs. In Mediceo I. *Eo hamulo ſummam ejus formam*. Lindenius leg. *Hamulo autem ſummum &c.* Vide adnotata ad lib. 8. cap. 9. ſect. 2.

6. *adurendum eſt; vehementiuſque &c.*) Hic locus olim ita legebatur: *adurendum eſt vehementius. Quod ſi jam carie vexatum eſt, quo craſſior his ſquama accedat, quidam adurentia &c.* Lindenius, poſt Conſtantini conjecturam, repoſuit, *huic ſquama abſcedat*: hac tamen ratione vitium omne hinc ſublatum non fuit. Ego, pro *vehementius. Quod*, ut eſt in Cod. Mediceo I. repoſui ex Codicibus ceteris, *vehementiuſque*; & poſt *abſcedat* (ita enim legendum videtur, etſi in omnibus Mſs. ſit *accedat*) ſententiam abſolvi. Porro, cum vox *his* ferri nequeat, nec ſit in Mediceo I. ex ipſius fide ſuſtuli. Ita enim habet: *graſſior quam accedat*.

7. *conſuerunt*) Lindenius, *conſueverunt*.

8. *palpebræ*) Codices omnes Mſs. & Editiones pleræque addunt *ſuperioris*; quod Celſi non eſſe manifeſtum eſt ex iis, quæ infra habentur: *oportet oculo contecto mediam palpebræ cutem, ſive ea ſuperior, ſive inferior eſt, apprehendere*. Recte igitur Cæſarius, Ruellius, & Lindenius, quos ego ſecutus ſum, vocem illam omiſerunt.

9. *Curationes*) Alii leg. *Curationes vero*, ut eſt in Editione an. 1538.

10. *ad ſimilitudinem ſpathæ lata*) Alii leg. *haſtæ*; Lindenius, *ſpathæ*; & quidem rectius, ut mihi videtur. In Cod. Mediceo I. ita habetur: *ad ſimilitudinem adſtællata*.

11. *ab angulo*) Lindenius leg. *angulo*.

palpebræ tranſuat [12]; deinde iterum, tertioque uſque ad alterum angulum [13]: quo fit, ut omnes pilorum radices aduſtæ emoriantur. Tum ſuperimponendum medicamentum eſt, quod inflammationem prohibeat: atque ubi cruſtæ exciderunt, ad cicatricem perducendum. Facillime autem id genus ſaneſcit. Quidam ajunt, acu tranſui [14] juxta pilos exteriorem partem [15] palpebræ oportere, eamque tranſmitti duplicem capillum muliebrem ducentem; atque ubi acus tranſiit, in ipſius capilli ſinum, qua duplicatur, pilum eſſe conjiciendum [16], & per eum in ſuperiorem palpebræ partem attrahendum, ibique corpori adglutinandum, & imponendum medicamentum, quo foramen glutinetur [17]: ſic enim fore, ut is pilus in exteriorem partem poſtea ſpectet. Id primum fieri non poteſt, niſi in pilo longiore; cum fere breves eo loco [18] naſcantur. Deinde, ſi plures pili ſunt, neceſſe eſt longum tormentum, toties acu trajecta, magnam inflammationem moveat [19]. Noviſſime, cum humor ali-

quis

12. *tranſuat*) Ita in Editionibus Gryphii, Pantini, Conſtantini, & Ronſſei. Alii leg. *tranſueat*, ut eſt in Mſs. pleriſque: quod ex *tranſuat* ortum videtur, cum *e* ſupra *u*, quemadmodum ſæpe factum videmus, poſitum fuiſſet, quod in alio Codice eſſet, ut in Mediceo I. *tranſeat*. Ex *tranſueat* porro *tranſvehat* factum eſt, quod habent Codices Vaticani II. & VII. Mediceus VI. & Lindenii Editio. Vide quæ ad hunc locum ſcripſerunt Facciolatus & Morgagnus in Epiſtola III. & quæ ego adnotavi ad lib. 5. cap. 26. ſect. 23.

13. *uſque ad alterum angulum*) Pantinus & Lindenius omittunt *uſque*; quod deeſt etiam in Editione an. 1538.

14. *tranſui*) In Cod. Mediceo I. *tranſiri*: in ceteris, *tranſui*; ut ab omnibus vulgo legitur. Aldina tamen Editio non habet, niſi partem hujus vocis, quæ cum proxima coaluit, & formavit *tranſiuxta*. Sect. II. hujus cap. *ad ipſas radices per medium tranſuere acu, duo lina ducente*; cap. 25. ſect. 3. *cutis acu filum ducente tranſuitur*.

15. *exteriorem partem*) Olim legebatur, *in exteriorem partem*: & ita in Mſs. inveni. Lindenium tamen ſequor, qui ſuſtulit particulam *in*.

16. *conjiciendum*) Lindenius aliique cum Cæſario leg. *injiciendum*.

17. *quo foramen glutinetur*) Alii leg. *quo foramen quoque glutinetur*. Sed *quoque* additum videtur ab aliquo, qui *glutinetur* eadem ſententia adhibitum exiſtimavit, ac ſupra *adglutinandum*. Et ſane a Cod. Mediceo I. & a Vaticanis I. & VI. abeſſe adverti. Itaque Lindenio acceſſi, qui illud omiſit.

18. *eo loco*) Lindenius leg. *eo loci*.

19. *longum tormentum, toties acu trajecta, magnam inflammationem moveat*) Locus variis lectionibus jactatus. Editiones antiquæ ita habent: *longum tormentum, cum toties acus tranſuet, magnam inflammationem moveat*: Conſtantinus leg. *longum tormentum, cum quoties acus tranſuet, magnam inflammationem moveat*: Lindenius, *longum tormentum ſit, & toties acus tranſiens magnam &c.* Ego *magnam* retinui, cetera caſtigavi ad fidem Cod. Medicei I. in quo legitur; *longum tormentum; totiens acu traiecta magnamque &c.* ex Palavicini vero emendatione; *longum tormentum; cum totiens acus traiecta magnam &c.* In aliis Mſs. *longum tormentum, cum totiens acus tranſuet* (in Mediceis III. & VI. & Vaticanis II. & VII. *tranſiet*; in Vaticano I. *tranſiit*; in III. & V. & Mediceo II. *tranſui*) *magnamq. &c.* ſed in Mediceo IV. *q.* expunctum eſt, & factum *magnam*.

quis ibi ſubſit, oculo & ante per pilos & tum per palpebræ foramina affecto, vix fieri poteſt, ut gluten, quo vinctus eſt pilus, non reſolvatur: eoque fit, ut is eo, unde vi abductus eſt, redeat. Ea vero curatio, quæ palpebræ laxioris ab omnibus frequentatur, nihil habet dubii. Siquidem oportet contecto oculo mediam palpebræ cutem, ſive ea ſuperior, ſive inferior eſt, apprehendere digitis, ac levare [20]: tum conſiderare, quantulo detracto futurum ſit, ut naturaliter ſe habeat. Siquidem hic quoque duo pericula circumſtant: ſi nimium fuerit exciſum, ne contegi oculus non poſſit; ſi parum, ne nihil actum ſit, & fruſtra ſectus aliquis ſit. Qua [21] deinde incidendum videbitur, per duas lineas atramento notandum eſt, ſic, ut inter oram, quæ pilos continet, & propiorem ei lineam [22], aliquid relinquatur, quod apprehendere acus poſtea poſſit. His conſtitutis, ſcalpellus adhibendus eſt: &, ſi ſuperior palpebra eſt, ante; ſi inferior, poſtea propius ipſis pilis incidendum: initiumque faciendum in ſiniſtro oculo, ab eo angulo, qui tempori; in dextro, ab eo, qui naribus propior eſt: idque, quod inter duas lineas eſt, excidendum. Deinde oræ vulneris inter ſe ſimplici ſutura committendæ, operiendusque oculus eſt; &, ſi [23] parum palpebra deſcendet, laxanda ſutura [24]; ſi nimium, aut adſtringenda, aut etiam rurſus tenuis habenula ab ulteriore ora excidenda: ubi ſecta eſt, aliæ ſuturæ adjiciendæ, quæ ſupra tres eſſe non debent. Præter hæc, in ſuperiore palpebra ſub pilis ipſis incidenda linea eſt, ut ab inferiore parte diducti pili ſurſum ſpectent: idque, ſi levis inclinatio eſt, etiam ſolum ſatis tuetur. Inferior palpebra eo non eget. His factis, ſpongia, ex aqua frigida expreſſa, ſuper deliganda eſt; poſtero die glutinans

 em-

20. *ac levare*) Cod. Mediceus I. habet *ac ſic levare*.

21. *Qua*) Lindenius leg. *Quod*, ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ: ſed minus recte.

22. *inter oram, quæ pilos continet, & propiorem ei lineam*) Ita legendum cum Lindenio, conſentiente Codice Mediceo vetuſtiore; niſi quod Lindenius *propiorem*, Codex perperam habet *propriorem*. Al. *de interiore, quæ pilos continet, & propiore ei linea*.

23. *oculus eſt; &, ſi &c.*) Ita in vulgatis omnibus. In Codice I. omittitur &; additur autem a Palavicino: in Mediceis ceteris omittitur *eſt*; ſed in IV. alia manu apponitur.

24. *laxanda ſutura*) Antea legebatur, *laxanda utique*; quod eſt a Palavicino. Ego ſic repoſui ex conjectura, cum in Cod. Mediceo I. ſit, *laxandas utraque*; in aliis, *laxandos utroque*. Capite quoque 16. mendoſi quidam Codices habent *utraque*, pro *ſutura*. Vide ibi adnotat. 7.

emplaſtrum injiciendum: quarto ſuturæ tollendæ, & collyrio [25], quod inflammationes reprimit, ſuperinungendum.

9. Nonnumquam autem, nimium ſub hac curatione exciſa cute, evenit, ut oculus non contegatur [26]: idque interdum etiam alia de cauſa fit. Λαγωφθάλμους [27] Græci appellant. In quo ſi nimium palpebræ deeſt, nulla id reſtituere curatio poteſt: ſi exiguum, mederi licet. Paulum infra ſupercilium cutis incidenda eſt lunata figura, cornibus ejus deorſum ſpectantibus. Altitudo eſſe plagæ uſque ad cartilaginem debet, ipſa illa nihil læſa: nam, ſi ea inciſa eſt, palpebra concidit, neque attolli poſtea poteſt. Cute igitur tantum diducta fit, ut paulum in ima oculi ora deſcendat [28]; hiante ſcilicet ſuper plaga; in quam linamentum conjiciendum [29] eſt, quod & conjungi diductam cutem prohibeat, & in medio carunculam citet [30]: quæ ubi eum locum implevit, poſtea recte oculus operitur.

10. Vt ſuperioris autem palpebræ vitium eſt, quo parum deſcendit [31], ideoque oculum non contegit; ſic inferioris, quo parum ſurſum attollitur, ſed pendet & hiat, neque poteſt cum ſuperiore committi. Atque id quoque evenit interdum ex ſimili vitio curationis, interdum etiam ſenectute. Ἐκτρόπιον Græci vocant [32]. Si ex mala curatione eſt, eadem ratio medicinæ eſt, quæ ſupra poſita eſt: plagæ tantum cornua ad maxillas, non ad ocu-

lum

25. *ſuturæ tollendæ, & collyrio &c.*) Alii omnes leg. *ſutura tollenda eſt, & collyrio &c.* Ego ſecutus ſum Codicem Mediceum I.

26. *contegatur*) Cod. Mediceus I. *tegatur*.

27. Λαγωφθάλμους) Quemadmodum ſupra, ſect. 6. hujus cap. ex *ancyloblepharus*, vel *angyn blepharus*, quod eſt in Mſs. Mediceis, feci Ἀγκυλοβλεφάρους; ita hic Λαγωφθάλμους ex *lagoptalmus*, quod habent iidem Mſs. excepto primo, in quo *lagopalmos*. In IV. alia manu correctum eſt, *glaucopthalmos*; & ita legitur in Editionibus antiquioribus. Alii legunt ex Cæſario, λαγώφθαλμον.

28. *in ima oculi ora deſcendat*) In hac conſtructione *ima* videtur eſſe quartus caſus pluralis; ut ſenſus ſit; ora palpebræ deſcendat ad imam oculi partem. In Cod. Mediceo I. non eſt particula *in*. Fortaſſe igitur Celſus ſcripſit, *ima ora deſcendat*; quæ loquendi ratio magis naturalis eſt: voxque *oculi* inſerta fuit ex gloſſemate aliquo. Conſtantinus leg. *in imam oculi oram deſcendat*.

29. *conjiciendum*) Cæſarius aliique quidam, *injiciendum*.

30. *citet*) Lindenius leg. *creet*; ſed, ut opinor, ex interpretatione aliqua. Nam in Editionibus antiquis, meiſque omnibus Mſs. legitur *citet*.

31. *quo parum deſcendit*) Olim legebatur, *quod parum deſcendit*; & infra, *quod parum ſurſum attollitur*. Lindenius utrobique repoſuit *quo*; & ita eſt in Cod. Mediceo I.

32. *vocant*) Cod. Mediceus I. *nominant*.

lum convertenda ſunt. Si ex ſenectute eſt, tenui ferramento id totum [33] extrinſecus adurendum eſt, deinde melle inungendum: a quarto die [34] vapore aquæ calidæ fovendum, inungendumque medicamentis ad cicatricem perducentibus.

11. Hæc fere circa oculum in angulis palpebriſque incidere conſuerunt [35]. In ipſo autem oculo nonnumquam ſumma attollitur tunica, ſive ruptis intus membranis aliquibus, ſive laxatis; & ſimilis figura acino fit: unde id σαφύλωμα Græci vocant. Curatio duplex eſt: altera, ad ipſas radices per medium tranſuere acu, duo lina ducente; deinde alterius lini duo capita ex ſuperiore parte, alterius ex inferiore adſtringere inter ſe; quæ paulatim ſecando id excidunt [36]: altera, in ſumma parte ejus ad lenticulæ magnitudinem excidere; deinde ſpodium aut cadmiam infriare [37]. Vtrolibet autem facto, album ovi lana excipiendum & imponendum; poſteaque vapore aquæ calidæ fovendus oculus, & lenibus medicamentis inungendus [38] eſt.

12. Clavi autem vocantur calloſa in albo oculi [39] tubercula; quibus nomen a figuræ ſimilitudine eſt. Hos ad imam radicem perforare acu commodiſſimum eſt, infraque eam excidere, deinde lenibus medicamentis inungere.

13. Suffuſionis jam alias feci mentionem; quia cum recens incidit, medicamentis quoque ſæpe diſcutitur: ſed, ubi vetuſtior facta eſt, manus curationem deſiderat: quæ inter ſubtiliſſimas haberi

33. *ferramento id totum*) Idem Codex, *ferramento ipſo tum*.

34. *a quarto die*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Editione Lindenii: ſed Lindenius ad *inungendum* refert verba hæc, & ſic interpungit: *inungendum a quarto die, vapore &c.* Alii leg. *inungendum: at quarto die vapore &c.* Quidam pro *at* habent *&*, ut eſt in Edit. an. 1538. Ceterum hanc formam Celſus ſæpe adhibet. Lib. 8. cap. 4. *A ſexto die etiam vapore aquæ calidæ per ſpongiam fovere*; & cap. 7. *a tertio die fovendum id aqua calida eſt*; & cap. 8. *a tertio die vapore, ut in naribus poſui, fovenda*. Vide etiam adnotat. 78. ad cap. 6. ſect. 1. libri ſuperioris.

35. *conſuerunt*) Conſtant. & Linden. *conſueverunt*.

36. *excidunt*) Linden. *excidant*.

37. *infriare*) Alii omnes leg. *infricare*; quod improbare non auſim. Mihi tamen magis placet *infriare*, quod repoſui ex fide Cod. Medicei I. In Codice illo ex *infriare* vetus Emendator fecit *infria* ' Palavicinus vero ſupra eam vocem poſuit *care*. Porro *infriare* cum *infricare* commutari ſæpe adverti in Mſs. velut lib. 4. cap. 4. *in aquam mulſam, quæ potui detur, infriari*, aliqui Codices habent *infricari*; & lib. 6. cap. 6. ſect. 3. *fricentur*, pro *frientur*, quod eſt in Mediceo I. & in Editione Lindenii.

38. *inungendus*) Secutus ſum Cod. Mediceum I. Alii leg. *ungendus*.

39. *in albo oculi*) In Codice modo allato legitur, *in oculis*.

ri poteſt. De qua antequam dico, paucis ipſius oculi natura indicanda eſt: cujus cognitio, cum ad plura loca pertineat, tum vel præcipue ad hunc pertinet. Is igitur ſummas habet duas tunicas: ex quibus ſuperior a Græcis κερατοειδὴς vocatur. Ea [40], qua parte alba eſt, ſatis craſſa, pupillæ loco extenuatur. Huic interior [41] adjuncta eſt, media parte, qua pupilla eſt, modico foramine concava, circa tenuis, ulterioribus partibus ipſa quoque plenior: quæ χοροειδὴς [42] a Græcis nominatur. Hæ duæ tunicæ, cum interiora oculi cingant, rurſus ſub his coeunt [43]; extenuatæque & in unum coactæ per foramen [44], quod inter oſſa eſt, ad membranam cerebri perveniunt, eique inhæreſcunt. Sub his autem, qua parte pupilla eſt, locus vacuus eſt: deinde infra rurſus tenuiſſima tunica, quam Herophilus ἀραχνοειδῆ [45] nominavit. Ea media ſubſidit; eoque cavo continet quiddam, quod a vitri ſimilitudine ὑαλοειδὲς Græci vocant. Id neque liquidum, neque aridum eſt, ſed quaſi concretus humor: ex cujus colore pupillæ color vel niger eſt, vel cæſius; cum ſumma tunica tota alba ſit. Id autem ſuperveniens ab interiore parte membranula includit. Sub his gutta humoris eſt, ovi albo ſimilis; a qua videndi facultas proficiſcitur: κρυσταλλοειδὴς a Græcis nominatur.

14. Igitur vel ex morbo, vel ex ictu concreſcit humor ſub duabus tunicis, qua locum vacuum eſſe propoſui; iſque paulatim indureſcens, interiori potentiæ ſe opponit. Vitiique [46] ejus plures ſpecies ſunt; quædam ſanabiles, quædam quæ curationem non admittunt. Nam ſi exigua ſuffuſio eſt, ſi immobilis, colorem vero ha-

40. *Ea*) Lindenius leg. *Eaque*, ut habet Conſtantini Codex.

41. *interior*) Al. *inferior*.

42. χοροειδὴς) Ita ex Lindenio. In Cod. Mediceo VII. eſt *chorioides*, ſed primum *i* expunctum eſt, illius manu, ut opinor, qui Codicem hunc multis in locis ad Medicei vetuſtioris fidem exegit. Porro in Codice vetuſtiore, ut in Editionibus 1478. 1493. 1497. & in Juntina, habetur *choroides*. In Editione vero Aldina χοροειδὲς. Alii Codices habent, *choriodes*. Vulgo quidam leg. ῥαγοειδὴς, ex Cæſario.

43. *cingant, rurſus ſub his coeunt*) In Cod. Mediceo I. ita legitur: *cingantur, rurſus ubi coeunt*.

44. *per foramen*) In eodem Codice deeſt particula *per*; & infra duæ illæ voces, *neque liquidum*.

45. ἀραχνοειδῆ) Ita legunt Egnatius, Conſtantinus, Stephanus, Ronſſeus, Lindenius; & quidem recte. Al. *aracnoiden*, vel ἀραχνοειδῆν græcis litteris ſcribunr. Codex Mediceus I. habet *arachnoidem*; Codices alii *araconide*.

46. *Vitiique*) Lindenius leg. *Vitii*, ut habet in libri margine Conſtantinus.

habet marinæ aquæ, vel ferri nitentis, & a latere ſenſum aliquem fulgoris relinquit, ſpes ſupereſt. Si magna eſt, ſi nigra pars oculi, amiſſa naturali figura, in aliam vertit [47], ſi ſuffuſioni color cœruleus eſt, aut auro ſimilis [48], ſi labat, & hac atque illac movetur, vix umquam ſuccurritur. Fere vero pejor eſt, quo ex graviore morbo, majoribusve capitis doloribus, vel ictu vehementiore orta eſt. Neque idonea curationi ſenilis ætas [49] eſt; quæ ſine novo vitio, tamen aciem hebetem habet [50]: ac ne [51] puerilis quidem; ſed inter has media [52]. Oculus quoque curationi neque exiguus, neque concavus, ſatis opportunus eſt. Atque ipſius [53] ſuffuſionis quædam maturitas eſt. Exſpectandum igitur eſt, donec jam non fluere, ſed duritie quadam [54] concreviſſe videatur. Ante curationem autem modico cibo uti, bibere aquam triduo debet; pridie, ab omnibus abſtinere. Poſt hæc in adverſo ſedili [55] collocandus eſt loco lucido, lumine adverſo, ſic, ut contra medicus paulo altius ſedeat: a poſteriore autem parte caput ejus, qui curabitur, miniſter contineat, ut immobile id præſtet [56]: nam levi motu eripi acies in perpetuum poteſt. Quin etiam ipſe oculus, qui curabitur [57], immobilior faciendus eſt, ſuper alterum lana impoſita & deligata. Curari vero ſiniſter oculus dextra manu, dex-

ter

47. *in aliam vertit*) Ita in omnibus antiquis libris, tum impreſſis, tum Mſs. Vide lib. 5. cap. 28. ſect. 8. adnotat. 90. Hic tamen *vertitur*, ut Conſtantinus legere malebat, mihi non arridet; quia tempus præſens minus convenit. Lindenius leg. *ſe vertit*.

48. *auro ſimilis*) In Cod. Mediceo I. *auri*; ſed manu antiqua correctum eſt, *auro*, quod Palavicinus rurſus in *auri* mutavit. Ruellius quoque & Conſtantinus leg. *auri*. Sed *ſimilis* a Celſo fere cum tertio caſu conſtruitur.

49. *Neque idonea curationi ſenilis ætas*) Alii leg. *Neque idonea curatio, ſi ſenilis ætas*. In Cod. Mediceo I. ita habetur: *Nequis idonea curatio ſenilis ætas*. Ego ſecutus ſum lectionem Lindenii, ſeu Conſtantini potius, qui ante illum legendum cenſuerat, *curationi*.

50. *hebetem habet*) In Cod. Mediceo I. deeſt vox *hebetem*, & legitur *habeat*.

51. *ac ne*) Ita ex Lindenio. Alii leg. *at ne*. In Cod. Mediceo I. eſt *ad ne*.

52. *ſed inter has media*) Alii addunt *ætas*; ſcilicet ex gloſſemate; quod ego ſuſtuli ex fide Cod. Medicei I.

53. *Atque ipſius*) Lindenius leg. *Atque ipſius quoque*; quod minus probandum; præſertim cum particula *quoque* abſit a Mſs.

54. *duritie quadam*) Ita in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ: & quidem recte. Alii leg. *durities quædam*. In Cod. Mediceo I. habetur, *duritiæ quædam*: poſtea vero, *videantur*.

55. *ſedili*) Hæc vox, itemque verbum *ſedeat*, & particula *autem* quæ infra ſunt, deſunt in Cod. Mediceo I.

56. *ut immobile id præſtet*) In vulgatis, *& immobile &c.* Ego *ut* repoſui, quia ſic reperi in Mediceo I. aliiſque Mſs.

57. *oculus, qui curabitur*) Duo verba, *qui curabitur*, mihi ſuſpecta ſunt, quod neceſſaria non ſint, & paulo ſupra habeantur.

ter ſiniſtra debet. Tum acus admovenda eſt, aut acuta, aut forte non nimium tenuis [58], eaque demittenda, ſed recta, eſt per ſummas duas tunicas medio loco inter oculi nigrum & angulum tempori propiorem, e regione mediæ ſuffuſionis, ſic, ne qua vena lædatur. Neque tamen timide demittenda eſt, quia inani loco excipitur. Ad quem cum ventum eſt, ne mediocriter quidem peritus falli poteſt; quia prementi nihil renititur. Vbi eo ventum eſt, inclinanda acus ad ipſam ſuffuſionem eſt, leniterque [59] ibi verti, & paulatim eam deducere infra regionem pupillæ debet; ubi deinde eam tranſiit, vehementius imprimi, ut inferiori parti inſidat [60]. Si hæſit, curatio expleta eſt: ſi ſubinde redit, eadem acu concidenda [61], & in plures partes diſſipanda eſt; quæ ſingulæ & facilius conduntur, & minus late officiunt. Poſt hæc [62] educenda acus recta eſt, imponendumque [63] lana molli exceptum ovi album, & ſupra, quod inflammationem coerceat, atque ita devinciendum. Poſt hæc opus eſt quiete, abſtinentia, lenium medicamentorum inunctionibus, cibo (qui poſtero die ſatis mature datur) primum liquido, ne maxillæ laborent; deinde, inflammatione

58. *aut acuta, aut forte non nimium tenuis*) Locus depravatæ lectionis; quem neque Conſtantinus conjectura ſua, neque ego veterum Mſs. ope omnino ſanare potui. Ita legitur in Editionibus antiquis: in margine autem Conſtantinianæ, *acuta, aut certe non nimium tenuis*; in Lindeniana, *aut acuta, aut certe &c.* in Mſs. Mediceis, excepto primo, *aut acuta aut forte nimium tenuis*; ſed in IV. alia manu addita eſt particula *non*, & ſupra *aut acuta aut forte*, poſitum eſt, *al. ſic ut quæ foret non*. In I. ita habetur: *ſic ut aut foret non nimium tenuis:* ſed *aut* ſcriptum eſt manu Palavicini, priori ſcriptura obliterata. Idem Palavicinus expunxit *ſic ut*, & repoſuit *acuta*, mutavitque *foret* in *forte*. Videtur legendum, *acuta, ut foret, non nimium tenuis*; neque aliam Celſi ſententiam eſſe exiſtimo. Morgagno tamen aſſentior, qui, Patavii cum eſſem anno ſuperiore, atque hujus loci rationem a me popoſciſſet, eique ego hæc expoſuiſſem, mihi dixit, ſuſpicari ſe, duas voces, *ut foret*, ex gloſſemate inſertas eſſe. Quem cum interrogaſſem, annon particula *ſed*, quæ infra eſt, ante *non nimium* transferenda videretur? reſpondit, ſibi videri. Hunc igitur locum vir ille doctiſſimus atque ego ita libenter legeremus: *Tum acus admovenda eſt acuta, ſed non nimium tenuis; eaque demittenda recta eſt &c.*

59. *leniterque*) Al. *leviterque*; & ita eſt in Cod. Mediceo I.

60. *inſidat*) In eodem Mediceo Codice, *inſideat*.

61. *eadem acu concidenda*) In vulgatis omnibus, *eadem acu magis concidenda*. Sed *magis* vacat. Itaque id ejeci ex fide ſex Mſs. Mediceorum. Primus ita habet: *eadem magis concidenda*; ubi *magis* videtur mendoſe eſſe pro *acu*. In eo Codice a Palavicino addita fuit vox *acu*; in IV. vero, *magis*, alia manu. Hinc vulgaris lectio.

62. *Poſt hæc*) Cod. Mediceus I. *Poſtea*.

63. *imponendumque*) Alii addunt *eſt*, quod ego omiſi ex fide Cod. Medicei I. Sed in illo legitur, *& imponendumque*: in Codicibus aliis, *imponendum eſt*.

ne finita, tali, qualis in vulneribus propoſitus eſt [64]. Quibus, ut aqua quoque [65] diutius bibatur, neceſſario accedit.

15. De pituitæ quoque tenuis curſu, qui oculos infeſtat, quatenus medicamentis agendum eſt, jam explicui. Nunc ad ea veniam, quæ curationem manus poſtulant [66]. Animadvertimus autem quibuſdam numquam ſicceſcere oculos, ſed ſemper humore tenui madere: quæ res aſpritudinem continuat, & ex levibus momentis inflammationes & lippitudines excitat, totam denique vitam hominis infeſtat. Idque in quibuſdam nulla ope adjuvari poteſt, in quibuſdam ſanabile eſt. Quod primum diſcrimen noſſe oportet, ut alteris ſuccurratur, alteris manus non injiciatur. Ac primum ſupervacua curatio eſt in iis, qui ab infantibus id vitium habent; quia neceſſario manſurum eſt uſque mortis diem [67]. Deinde non neceſſaria [68] etiam in iis, quibus non multa, ſed acris pituita eſt: ſiquidem manu nihil adjuvantur; medicamentis, & victus ratione, quæ craſſiorem pituitam reddit, ad ſanitatem perveniunt. Lata etiam capita vix medicinæ patent. Tum intereſt, venæ pituitam emittant [69], quæ inter calvariam & cutem ſunt, an quæ inter membranam cerebri & calvariam. Superiores fere [70] per tempora oculos rigant; inferiores, per eas membranas, quæ ab oculis ad cerebrum tendunt. Poteſt autem adhiberi remedium iis, quæ ſupra os fluunt; non poteſt iis, quæ ſub oſſe [71]. Ac ne iis quidem ſuccurritur, quibus pituita utrimque deſcendit: quia levata altera parte, nihilominus altera infeſtat. Quid ſit autem, hac ratione cognoſcitur. Raſo capite ea medicamenta, quibus in lippitudine pituita ſuſpenditur, a ſuperciliis uſque ad verticem il-

64. *propoſitus eſt*) Lindenius tollit *eſt*.

65. *quoque*) Hæc particula abeſt a Cod. Mediceo vetuſtiore.

66. *curationem manus poſtulant*) Antea legebatur *ex manu*. Ego ſic repoſui, cum in Cod. Mediceo I. ſit *manu*. Nam ſimili modo Celſus dixit, *oculi multiplicem curationem, etiam manus exigunt*, initio cap. proximi: &, *ubi vetuſtior facta* (ſuffuſio) *eſt, manus curationem deſiderat*, ſect. 13. hujus cap.

67. *uſque mortis diem*) Egnatius & Stephanus leg. *uſque ad mortis diem*.

68. *non neceſſaria*) Plerique leg. *non neceſſario*: ſed perperam.

69. *venæ pituitam emittant*) Cod. Mediceus I. habet, *venæ pituitam mittant*; Lindenius, *pituitam emittant venæ*.

70. *fere*) Aliqui Codices habent *vero*; Lindenius *enim*.

71. *ſub oſſe*) Lindenius leg. *ab oſſe*. Sed legendum, *ſub oſſe*; ut habent omnes mei Codices. Nam infra quoque, quemadmodum animadvertit Morgagnus, habetur, *ſub oſſe deſcendere*; id eſt per eas venas, *quæ ſunt inter membranam cerebri & calvariam*.

lini debent: ſi ſicci oculi eſſe cœperunt, apparet per eas venas, quæ ſub cute ſunt, irrigari: ſi nihilominus madent, manifeſtum eſt ſub oſſe deſcendere: ſi eſt humor [72], ſed levior, duplex vitium eſt. Plurimi tamen ex laborantibus reperiuntur, quos ſuperiores venæ exerceant; ideoque pluribus etiam opitulari licet. Idque non in Græcia tantummodo, ſed in aliis quoque gentibus celebre eſt: adeo ut nulla medicinæ pars magis per nationes quaſque [73] expoſita ſit. Reperti in Græcia ſunt, qui novem lineis cutem capitis inciderent: duabus in occipitio rectis, una ſuper eas traſverſa: dein duabus ſuper aures [74], una inter eas item tranſverſa: tribus [75] inter verticem & frontem rectis. Reperti ſunt, qui a vertice [76] rectas lineas [77] ad tempora deducerent; cognitiſque, ex motu maxillarum, muſculorum initiis, leviter ſuper eos cutem inciderent, diductiſque [78] per retuſos hamos oris, inſererent linamenta, ut [79] neque inter ſe cutis antiqui fines committerentur, & in medio caro increſceret, quæ venas, ex quibus humor [80] ad oculos tranſiret, adſtringeret. Quidam etiam atramento duas lineas duxerunt, a media aure ad mediam alteram aurem, deinde a naribus ad verticem: tum ubi lineæ committebantur, ſcalpello inciderunt; & poſt, ſanguine effuſo [81], os ibidem aduſſerunt. Nihilominus autem & in temporibus, & inter fron-

72. *humor*) pituita. Lindenius leg. *tumor*: ſed non recte; quamvis ita ſit in Cod. Mediceo I. Vide Morgagn. Epiſt. VI. in Celſum.

73. *quaſque*) Ita in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ. Alii leg. *quoque*; nec aliter ego reperi in Mſs.

74. *dein duabus ſuper aures*) Pro *dein*, Codices Medicei I. III. & VI. habent *deinde*: ſed in I. deeſt vox *duabus*.

75. *tribus*) Lindenius addit *denique*; quod mei Codices non habent.

76. *a vertice*) Ita ex Lindenio. Mſs. habent *a capite*, ut alii legunt: ſed mendoſi videntur.

77. *rectas lineas*) Sic repoſui ex multis Codicibus. Olim legebatur, *recte eas lineas*, ut eſt in Mediceo I. Conſtantinus malebat, *rectas eas lineas*, vel *recta eas lineas*; quod ultimum placuit Lindenio.

78. *diductiſque*) In Editionibus antiquis & in Mſs. Mediceis, *inductiſque*. Lindenius repoſuit *diductiſque*, ut habet vetus Conſtantini Codex; nec aliter legendum eſt.

79. *ut*) Linden. *ſic, ut*.

80. *humor*) Vox hæc deeſt in Editione Cæſarii an. 1538. typothetæ culpa: nam extat in Editione Cæſarii prima. Omittitur a Lindenio quoque: ſed prorſus neceſſaria eſt, ut Morgagnus oſtendit; atque habetur in ceteris Editionibus & in Mſs.

81. *poſt, ſanguine effuſo*) Lindenius leg. *poſt ſanguinem effuſum*, ut eſt in omnibus Codicibus Mediceis, præterquam in primo. Ego malui, *poſt, ſanguine effuſo*. Nam Codex primus, & antiquæ Editiones habent, *poſt ſanguine fuſo*. Idem Codex mendoſe, *tum ſibidem adſerunt*, pro *os ibidem aduſſerunt*.

frontem atque verticem [82] eminentibus venis idem candens ferrum admoverunt. Frequens curatio eſt, venas in temporibus adurere: quæ fere quidem in ejuſmodi malo tument; ſed tamen, ut inflentur magiſque ſe oſtendant, cervix ante modice deliganda eſt: tenuibuſque [83] ferramentis, & retuſis venæ adurendæ; donec in oculis [84] pituitæ curſus conquieſcat. Id enim ſignum eſt quaſi excæcatorum itinerum, per quæ humor ferebatur. Valentior tamen medicina eſt, ubi tenues conditæque venæ ſunt, ideoque legi non poſſunt, eodem modo cervice deligata, retentoque ab ipſo ſpiritu, quo magis venæ prodeant, atramento notare eas contra tempora, & inter verticem [85] ac frontem: deinde cervice reſoluta, qua notæ ſunt, venas incidere, & ſanguinem mittere: ubi ſatis fluxit, tenuibus ferramentis adurere: contra tempora quidem, timide; ne ſubjecti muſculi, qui maxillas tenent, ſentiant: inter frontem vero & verticem, vehementer, ut ſquama [86] ab oſſe ſecedat [87]. Efficacior tamen etiamnum eſt Afrorum curatio, qui verticem uſque ad os adurunt, ſic, ut ſquamam remittat. Sed nihil melius eſt, quam quod in Gallia quoque Comata fit, ubi venas in temporibus & in ſuperiore capitis parte legunt. Adusta quo modo curanda ſint, jam explicui. Nunc illud adjicio; neque ut cruſtæ decidant, neque ut ulcus impleatur, aduſtis venis, eſſe properandum; ne vel ſanguis erumpat, vel cito pus ſupprimatur: cum per hoc ſicceſcere eas partes opus ſit; per illud exhauriri opus non ſit. Si quando tamen ſanguis eruperit, infrianda [88]

82. *inter frontem atque verticem*) Alii leg. *inter frontem atque calvariam*, ut eſt in Mſs. Sed quomodo frontem a calvaria diſtinguunt, cum frons ſit calvariæ pars? Lindenius repoſuit *verticem*; atque ita prorſus legendum videtur. Nam & paulo infra, *inter verticem ac frontem*; itemque, *inter frontem vero & verticem*.

83. *tenuibuſque*) Lindenius leg. *Tenuibus autem*.

84. *in oculis*) Lindenius leg. *in oculos*. Sed idem conſtructionem hanc ſervavit ſect. 1. hujus cap. ubi aliqui tamen Codices habent *in oculos*. Hic vero omnes *in oculis*.

85. *inter verticem*) Pro *verticem*, ut eſt in Mſs. & Editionibus antiquioribus, Editio an. 1538. habet *cervicem*; eaque multos, non tamen Lindenium decepit.

86. *ut ſquama*) Ita in multis Mſs. In Mediceo IV. & V. *uſquama*: ſed in IV. ſupra primam litteram, quæ expuncta fuit, poſitum eſt alia manu, *ut ſic*. Particula autem *ſic* manavit ex Codice I. in quo eſt, *ut ſic aqua*, mendoſe, pro *ut ſquama*. Palavicinus, pro *aqua*, repoſuit *ſquama*; ſed particulam *ſic* retinuit. Hinc in Editionibus antiquis, *ut ſic ſquama*. Lindenius leg. *ſic, ut ſquama*.

87. *ſecedat*) Ita in Cod. Mediceo I. Hoc verbo utitur Celſus in re ſimili in lib. 8. cap. 2. Alii leg. *recedat*.

da [88] medicamenta eſſe, quæ ſic ſanguinem ſupprimant, ne [89] adurant. Quemadmodum autem venæ deligendæ [90] ſint, quidque lectis his faciendum ſit, cum venero ad crurum varices, dicam.

VIII. Verum ut oculi multiplicem curationem, etiam manus exigunt; ſic in auribus admodum pauca ſunt, quæ in hac medicinæ parte tractentur. Solet tamen evenire vel a primo natali die [91] protinus, vel poſtea facta exulceratione, deinde [92] per cicatricem aure repleta, ut foramen in ea nullum ſit, ideoque audiendi uſu careat. Quod ubi incidit, ſpecillo tentandum eſt, alte ne id repletum, an in ſummo tantum glutinatum ſit. Nam ſi alte eſt, prementi non cedit: ſi in ſummo, ſpecillum protinus recipit. Illud attingi non oportet; ne ſine effectus ſpe diſtentio oriatur nervorum; & ex ea mortis periculum ſit: hoc facile curatur. Nam qua cavum eſſe debet, vel medicamentum aliquod imponendum eſt ex adurentibus, vel candente ferro aperiendum, vel etiam ſcalpello incidendum. Cumque id patefactum, & jam ulcus purum eſt, conjicienda [93] eo pinna eſt, illita medicamento cicatricem inducente; circaque idem [94] medicamentum dandum, ut cutis circa pinnam ſaneſcat: quo fit, ut ea remota, poſtea facultas audiendi ſit. At ubi aures, in viro puta, perforatæ ſunt, & offendunt [95], trajicere id cavum celeriter candente acu ſatis eſt,

88. *infrianda*) Alii leg. *infricanda*, ut eſt in Mſs. Ego ſecutus ſum Editionem Lindenii. Vide quæ adnotavi ad ſect. 11. hujus cap.

89. *ne*) Linden. *ut ne*.

90. *deligendæ*) In Codd. Mediceis I. II. III. VII. *delegendæ*; in IV. & V. *deligandæ*; ſed in IV. alia manu correctum eſt, *deligendæ*, ut eſt in VI. In I. deeſt vox præcedens, *venæ*.

91. *a primo natali die*) Aliqui habent, *a prima natali die*, genere fœminino. Ego retinere malui, *a primo*: nam ita habetur etiam cap. 12. ſect. 4. & Cicero quoque multis in locis *natalem diem* genere maſculino uſurpavit. In Cod. Mediceo I. deeſt vox *natali*.

92. *deinde*) Cod. Mediceus I. *dein*.

93. *conjicienda*) Alii, Cæſarium ſecuti, leg. *injicienda*.

94. *circaque idem &c.*) Cod. Mediceus I. & Lindenii Editio habent, *circaque id &c.*

95. *At ubi aures, in viro puta, perforatæ ſunt, & offendunt*) Plinius lib. 11. H. N. cap. 37. de auribus loquens: *In Oriente quidem & viris, aurum geſtare eo loci, decus exiſtimatur*. Mos iſte a Romanis receptus non fuit: itaque aures in viro perforatæ offendebant, quod advenam, & libertinum oſtenderent. Sic interpretandus cum veteri Scholiaſte locus ille Juvenalis Satyr. 1. v. 104.

Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint, licet ipſe negem.

Lindenius omittit hæc tria verba *in viro puta*, quæ Editiones antiquæ omnes, omneſque Medicei & Vaticani Codices habent; niſi quod unus atque alter, *in imo puta*, ut a Palavicino mutatum eſt in Mediceo I.

eſt, ut leviter [96] ejus oræ exulcerentur [97]; aut etiam adurente medicamento idem exulcerare: poſtea deinde imponere id quod purget; tum quod eum locum repleat, & cicatricem inducat [98]. Quod ſi magnum id foramen eſt, ſicut ſolet eſſe in iis, qui majora pondera auribus geſſerunt, incidere, quod ſupereſt, ad extremum oportet: ſupra deinde oras ſcalpello exulcerare, & poſtea ſuere, ac medicamentum, quo id glutinetur, imponere. Tertium eſt, ſi quid ibi curti eſt, ſarcire: quæ res cum in labris quoque & naribus fieri poſſit, eamdem etiam rationem habeat [99], ſimul explicanda eſt.

IX. Curta igitur in his tribus, ac ſi qua parva paria ſunt [1], curari poſſunt: ſi qua majora ſunt, aut non recipiunt [2] curationem, aut ita per hanc ipſam [3] deformantur, ut minus indecora ante fuerint. Atque in aure quidem & naribus deformitas ſola timeri poteſt: in labris vero, ſi nimium contracta ſunt, uſus quoque neceſſario jactura fit [4]; quia minus facile & cibus aſſumitur, & ſermo explicatur. Neque enim creatur ibi corpus, ſed ex vicino adducitur: quod [5] in levi mutatione [6], & nihil eripere, & fallere oculum poteſt; in magna, non poteſt. Neque ſenile autem corpus, neque quod mali habitus eſt, neque in quo difficulter ulcera ſa-

96. *leviter*) Al. *leniter*.

97. *oræ exulcerentur*) Ita ex Lindenio. In Cod. Mediceo I. *ore ulcerentur*. Alii leg. *ora exulcerentur*; ſed perperam.

98. *& cicatricem inducat*) Hic quoque Lindenium ſecutus ſum; cujus lectionem Cod. Mediceus I. confirmat. Alii leg. *& ſic cicatricem inducat*.

99. *eamdem etiam rationem habeat*) Simili loquendi forma uſus eſt in lib. 3. cap. 13. *rationem habent diſſimilem*. Codices Mſs. nihil variant. Aldina Editio habet, *autem*, pro *etiam*. Lindenius leg. *eandem autem curationem habeat*.

1. *ac ſi qua parva paria ſunt*) Si qua parva his ſimilia in aliis partibus exiſtunt. Lindenius locum corruptum putavit, itaque repoſuit: *ac ſi qua parte parva ſunt*. Mihi quoque videtur mendum ſubeſſe, ſed aliter tollendum. Ita legendum arbitror: *ſi qua parva ſunt*; extruſis duabus vocibus *ac*, & *paria*. Et ſane *paria* non eſt in Cod. Mediceo vetuſtiore. Manifeſtum autem eſt ex iis, quæ ſequuntur, de illis curtis dumtaxat, quæ ſunt in auribus, naribus, & labris, Celſum loqui.

2. *recipiunt*) Cæſarius, Ruellius, & Lindenius leg. *accipiunt*. Sed *recipere curationem* Celſus dixit etiam lib. 3. cap. 9. *curationem, ubi id, quod eſt, non recipit, poteſt recipere id, quod futurum eſt*.

3. *ipſam*) Cod. Mediceus I. non habet hanc vocem.

4. *uſus quoque neceſſario jactura fit*) Alii leg. *neceſſarii*. Cod. Mediceus I. habet *neceſſario*; ſed, pro *uſus*, *uſui*. Ego ſecutus ſum Lindenii lectionem.

5. *quod*) Lindenius leg. *quod etſi*.

6. *mutatione*) Ita in Mſs. & Editionibus antiquis. In margine Conſtantinianæ eſt *mutilatione*; quod Lindenius in contextum induxit. Sed vide Facciolatum apud Morgagnum, & Morgagnum ipſum Epiſt. III. in Celſum.

ſaneſcunt, huic medicinæ idoneum eſt; quia nuſquam celerius [7] cancer occupat, aut difficilius tollitur. Ratio curationis ejuſmodi eſt: id quod curtum [8] eſt, in quadratum redigere [9]; ab interioribus ejus angulis lineas tranſverſas incidere, quæ citeriorem partem ab ulteriore ex toto diducant; deinde ea, quæ ſic reſolvimus [10], in unum adducere. Si non ſatis junguntur, ultra lineas, quas ante fecimus, alias duas lunatas, & ad plagam converſas immittere, quibus ſumma tantum cutis diducatur: ſic enim fit, ut facilius quod adducitur, ſequi poſſit. Quod non vi cogendum eſt [11]; ſed ita adducendum, ut ex facili ſubſequatur, & dimiſſum non multum recedat. Interdum tamen [12] ab altera parte cutis haud omnino adducta deformem, quem reliquit locum, reddit. Hujuſmodi [13] loci altera pars incidenda, altera intacta habenda eſt. Ergo neque ex imis auribus, neque ex medio naſo imiſve narium partibus [14], neque ex angulis labrorum quidquam attrahere tentabimus. Vtrimque autem petemus, ſi quid ſummis auribus, ſi quid imis, ſi quid aut medio naſo [15], aut mediis naribus, aut mediis labris deerit. Quæ tamen interdum etiam duobus locis curta eſſe conſuerunt: ſed eadem ratio curandi eſt. Si cartilago in eo, quod inciſum eſt, eminet, excidenda eſt: neque enim aut glu-

7. *nuſquam celerius*) Lindenius leg. *nuſquam aut celerius*. Sed particula *aut* abeſt a veteribus libris.

8. *curtum*) In Mſs. Mediceis & in Editionibus antiquis eſt *curtatum*. Conſtantinus hæc margini adſcripſit: *curtum, curatum reperi: curandum Alii*. Lindenius repoſuit *curtatum*: ego *curtum*. Nam & initio capitis habetur *curta*; & ſub finem cap. ſuperioris, *curti*. Adde, *curta* legi in melioribus Codicibus lib. 5. cap. 26. ſect. 1. ubi alii habent *curata*. Itaque infra quoque correxi, *duobus locis curta*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ; cum veteres Codices habeant *curata*. Lindenius leg. *curtata*.

9. *redigere*) In Cod. Mediceo I. *dirigere*.

10. *reſolvimus*) Cæſarius aliique nonnulli leg. *repoſuimus*: atque ita eſt in Codice vetuſtiore. Ceteri omnes Medicei Codices habent *reſolvimus*.

11. *non vi cogendum eſt*) In Cod. Mediceo I. *non eſt cogendum*; & infra, *ut facilius ſubſequatur*.

12. *tamen*) Al. *autem*.

13. *Hujuſmodi*) Cod. Mediceus I. habet *eiuſmodi*.

14. *imiſve narium*) In antiquis libris, tum Mſs. tum impreſſis legitur, *imis venarum*. Mediceus tamen I. habet *imiſve narum*; quod magis accedit ad ſinceram lectionem, *imiſve narium*; quam, veteri Codice apud Conſtantinum confirmatam, Lindenius reſtituit.

15. *ſi quid aut medio naſo*) Lindenius tollit verba hæc, quæ Conſtantino quoque inſititia viſa ſunt: fortaſſe quia, cum ſequatur *aut mediis naribus*, idem bis dici exiſtimaverint. Sed ea extant in omnibus meis Codicibus: atque aliud his verbis, aliud illis ſignificari videtur. Niſi forte, pro *mediis naribus*, legendum eſt *imis naribus*: quo fere modo paulo ſupra habetur, *ex medio naſo imiſve narium partibus*.

glutinatur, aut acu tuto trajicitur. Neque longe tamen excidi debet, ne inter duas oras liberæ cutis utrimque coitus puris fieri poſſit. Tum junctæ oræ inter ſe ſuendæ ſunt, utrimque cute apprehenſa; & qua priores lineæ ſunt, ea quoque ſuturæ injiciendæ ſunt. Siccis locis, uti naribus, illita ſpuma argenti, ſatis proficit. In ulteriores vero [16], lunataſque plagas, linamentum dandum eſt; ut caro increſcens vulnus impleat. Summaque cura, quod ita ſutum eſt, tuendum eſſe, apparere ex eo poteſt, quod de cancro ſupra poſui. Ergo etiam [17] tertio quoque die fovendum erit vapore aquæ calidæ; rurſuſque idem medicamentum injiciendum: fereque [18] ſeptimo die glutinatum eſt. Tum ſuturæ eximi, & ulcus ad ſanitatem perduci debet.

X. Polypum vero, qui in naribus naſcitur, ferro præcipue curari jam alias poſui. Ergo etiam hunc ferramento acuto, in modum ſpathæ facto, reſolvere ab oſſe oportet: adhibita diligentia, ne infra cartilago lædatur; in qua difficilis curatio eſt. Vbi abſciſſus eſt, unco ferramento extrahendus eſt. Tum implicitum linamentum, vel aliquid ex penicillo reſpergendum eſt medicamento, quo ſanguis ſupprimitur, eoque naris leviter implenda [19]. Sanguine ſuppreſſo, linamento ulcus [20] purgandum eſt. Vbi purum eſt, eo pinna, eodem modo, quo in aure ſupra poſitum eſt, medicamento illita, quo cicatrix inducitur, intus demittenda, donec ex toto id ſaneſcat.

XI. Id autem vitium, quod ὄζαινα a Græcis vocatur, ſi medicamentis non cederet, quemadmodum manu curandum eſſet, apud magnos Chirurgos non reperi: credo, quia res raro ad ſanitatem ſatis proficit, cum aliquod in ipſa curatione tormentum habeat.

Apud

16. *In ulteriores vero*) eas ſcilicet, de quibus ſupra; *ultra lineas, quas ante fecimus, alias duas lunatas, & ad plagam converſas immittere &c.* Lindenius non recte leg. *In interiores &c.* In Editionibus antiquis omnibus, omnibuſque Mſs. habetur, *In ulteriores*: ſed in Mediceo II. & in Vaticanis III. V. & VII. deeſt particula *vero*.

17. *Ergo etiam*) Ita cap. proximo; *Ergo etiam hunc ferramento acuto &c.* Cod. Mediceus I. neutro loco habet *etiam*. Hæc tamen forma a Celſo ſæpe adhibetur. In Præfat. lib. 1. *Ergo etiam poſt eos, de quibus retuli, nulli clari viri medicinam exercuerunt*: deinde, *Ergo etiam ingenioſiſſimus ſæculi noſtri medicus &c.*

18. *fereque*) Lindenius leg. *quo fere*.

19. *naris leviter implenda*) Ita in Mediceo I. In aliis Mſs. *nares leniter implendæ*, ut in vulgatis libris. Verum non utraque naris linamento implenda eſt, ſed ea tantum, ex qua abſciſſus polypus eſt.

20. *ulcus*) Al. *vulnus*.

Apud quoſdam tamen poſitum eſt, vel ſutilem [21] fiſtulam, vel enodem ſcriptorium calamum in narem eſſe conjiciendum, donec ſurſum ad os perveniat: tum per id tenue ferramentum candens dandum eſſe ad ipſum os: deinde aduſtum locum purgandum eſſe ærugine & melle: ubi purus eſt, lycio ad ſanitatem perducendum. Vel narem incidendam eſſe ab ima [22] parte ad os, ut & conſpici locus poſſit, & facilius candens ferramentum admoveri. Tum ſui narem debere; & aduſtum quidem ulcus eadem ratione curari: ſuturam vero illini vel ſpuma argenti, vel alio glutinante [23].

XII. 1. In ore quoque quædam manu curantur. Vbi in primis dentes nonnumquam moventur, modo propter radicum imbecillitatem, modo propter gingivarum areſcentium [24] vitium. Oportet in utrolibet candens ferramentum gingivis admovere, ut attingat leviter, non inſidat [25]. Aduſtæ gingivæ melle illinendæ, & mulſo eluendæ [26] ſunt. Vt pura ulcera eſſe cœperunt, arida medicamenta infrianda [27] ſunt ex iis, quæ reprimunt. Si vero dens dolores movet, eximique eum, quia medicamenta nihil adjuvant, placuit [28], circumradi debet, ut gingiva ab eo reſolvatur [29]; tum is concutiendus eſt: eaque facienda [30], donec bene moveatur: nam dens hærens cum ſummo periculo evellitur, ac nonnumquam maxil-

21. *ſutilem*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Editionibus vetuſtis. In Codicibus Mediceis ceteris, *facilem*. Lindenius leg. *ſubtilem*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. H. F. ab Aquapendente, ut notat Almeloveenius, legendum contendit, *fictilem*: cui potius aſſentior.

22. *ab ima*) In Editione I. & in duabus pervetuſtis 1493. 1497. & in Juntina, *ab una*: mendoſe.

23. *glutinante*) Cod. Mediceus I. *glutinamento*.

24. *areſcentium*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus. Gingivæ, ſi ali deſinant, extenuantur, ac veluti areſcunt; quod fit maxime in ſenibus. Galenus, non gingivas, ſed dentes ipſos aridos & macros dixit in lib. 5. de c. m. s. l. cap. 4. Et cap. 5. *ob ſenilem*, inquit, *ætatem aliqui dentes reſiccati, mobiles fiunt*. Alii, ut Conſtantinus ſcribit, exponunt, ulcere putri corroſarum. Ipſe Conſtantinus legendum putat, *madeſcentium*; id eſt humore nimio diſtentarum, quas Scribonius Largus cap. 12. *prægnantes* vocari ait. Lindenius leg. *marceſcentium*.

25. *ut attingat leviter, non inſidat*) Ita in Cod. Mediceo I. Alii leg. *ut leviter attingat, non ut inſidat*: quidam perperam *incidat*, pro *inſidat*.

26. *& mulſo eluendæ*) Tria hæc verba deſunt in Cod. Mediceo I.

27. *infrianda*) Ita Lindenius. Alii leg. *infricanda*. In Cod. Mediceo I. eſt *inferenda*.

28. *placuit*) Cod. Mediceus I. habet *placuerit*.

29. *gingiva ab eo reſolvatur*) Codex modo allatus, *gingivæ ab eo reſolvantur*.

30. *eaque facienda*) Palavicinus leg. *idque faciendum*; Lindenius, *eademque facienda*.

xilla loco movetur. Idque etiam majore periculo in ſuperioribus dentibus fit; quia poteſt tempora oculoſve [31] concutere. Tum, ſi fieri poteſt, manu; ſi minus, forfice dens excipiendus eſt: ac [32], ſi exeſus eſt, ante id foramen vel linamento, vel bene accommodato plumbo replendum eſt, ne ſub forfice confringatur. Recta vero forfex ducenda [33] eſt, ne inflexis radicibus os rarum [34], cui dens inhæret, parte aliqua frangatur. Neque ideo nullum ejus rei periculum eſt; utique in dentibus brevibus, qui fere longiores radices habent: ſæpe enim forfex, cum dentem comprehendere non poſſit, aut fruſtra comprehendat, os gingivæ prehendit & frangit. Protinus autem, ubi plus ſanguinis profluit, ſcire licet, aliquid ex oſſe fractum eſſe. Ergo ſpecillo conquirenda eſt teſta, quæ receſſit, & vulſella protrahenda eſt [35]: ſi non ſequitur, incidi gingiva debet, donec labans oſſis teſta recipiatur. Quod ſi factum ſtatim non eſt [36], indureſcit extrinſecus maxilla, ut is hiare non poſſit. Sed imponendum [37] calidum [38] ex farina & fico cataplaſma eſt, donec ibi pus moveatur: tum incidi gingiva debet. Pus quoque multum profluens, oſſis fracti nota eſt. Itaque etiam tum id extrahi convenit. Nonnumquam etiam, eo læſo, fiſtula [39] fit: quæ eradi debet. Dens autem ſcaber, qua parte niger eſt, radendus eſt, illinenduſque roſæ flore contrito, cui gallæ quarta pars & altera myrrhæ ſit adjecta: continendumque ore crebro vinum meracum. Atque in eo caſu velandum caput, ambulatione multa, frictione capitis, cibo non acri utendum eſt. At ſi ex ictu vel alio ca-

31. *oculoſve*) Cod. Mediceus I. habet *oculoſque*.

32. *ac*) Linden. *At*.

33. *Recta vero forfex ducenda*) Lindenius leg. *Recta vero forceps ducendus*.

34. *os rarum*) Ita in Mſs. & in Editione Lindenii & in margine Conſtantinianæ; nec aliter legendum. Olim legebatur *os earum*, quo modo Palavicinus mutavit in Cod. Mediceo I.

35. *conquirenda eſt teſta, quæ receſſit, & vulſella protrahenda eſt*) Fortaſſe legendum, *conquirenda teſta, quæ receſſit &c.* detracto verbo *eſt*. Nam in Cod. Mediceo I. ita habetur: *conquirenda eſt aqua receſſit & bolſella protrahenda eſt*.

36. *ſi factum ſtatim non eſt*) h. e. ſi fracti oſſis particula ſtatim educta non eſt; ut explicat Morgagnus. Aliqui leg. *fractum*; quemadmodum eſt in Editione Aldina: ſed perperam. Mſs. noſtri omnes habent *factum*.

37. *indureſcit extrinſecus maxilla, ut is hiare non poſſit. Sed imponendum &c.*) Particula *Sed* non extat in Cod. Mediceo I. Pro *indureſcit*, Conſtantinus margini adſcripſit, *intumeſcit*. Lindenius totum hunc locum ita legit: *Quod ſi fractum ſtatim non eſt, ſed intumeſcit extrinſecus maxilla, ut os hiare non poſſit, foris imponendum &c.*

38. *calidum*) In Cod. Mediceo I. deeſt vox hæc.

39. *fiſtula*) Ita in Mſs. & in Editionibus antiquis. Lindenius leg. *fiſſura*.

caſu aliqui labant dentes, auro cum iis, qui bene hærent, vinciendi ſunt; continendaque ore reprimentia; ut vinum, in quo malicorium decoctum, aut in quod galla candens conjecta ſit. Si quando etiam in pueris ante alter dens naſcitur [40], quam prior excidat, is, qui cadere debuit, circumpurgandus [41] & evellendus eſt; is, qui natus eſt, in locum prioris quotidie digito adurgendus, donec ad juſtam magnitudinem perveniat. Quotieſcumque dente exempto radix relicta eſt, protinus ea quoque ad id facta forfice [42], quam ῥιζάγραν [43] Græci vocant, eximenda eſt.

2. Tonſillas autem, quæ poſt inflammationes induruerunt, ἀντιάδες [44] autem a Græcis appellantur, cum ſub levi tunica ſint, oportet digito circumradere & evellere: ſi ne ſic quidem reſolvuntur, hamulo excipere, & ſcalpello excidere: tum ulcus [45] aceto eluere, & illinere vulnus medicamento, quo ſanguis ſupprimitur [46].

3. Vva, ſi cum inflammatione deſcendit, dolorique eſt, & ſubrubicundi coloris, præcidi ſine periculo [47] non poteſt: ſolet enim multum ſanguinem effundere: itaque [48] melius eſt iis uti, quæ alias propoſita ſunt. Si vero inflammatio quidem nulla eſt, nihilominus autem ea ultra juſtum modum a pituita deducta eſt, & tenuis, acuta, alba eſt [49], præcidi debet: itemque, ſi ima, livida

40. *ante alter dens naſcitur*) Ita ex Mſs. Mediceis I. II. III. VI. VII. & Conſtantini Editione. Alii omittunt *ante*, quod deeſt etiam in Mſs. Mediceis IV. & V. Lindenius leg. *ante dens naſcitur*.

41. *circumpurgandus*) Lindenius leg. *circumradendus*. Ego veterem lectionem ex Mſs. fide retineo. Nam etiam in lib. 5. cap. 18. ſect. 14. ita eſt: *Tollitur* (clavus) *etiam, ſi quis eum circumpurgat*.

42. *facta forfice*) Lindenius leg. *facto forcipe*. Cod. Mediceus I. habet *facto forfice*.

43. ῥιζάγραν) Editiones antiquæ *rhizan*; aliquæ ῥίζαν, per græcas litteras; Cod. Mediceus I. *ria*; ceteri *riza*. Lindenius repoſuit ῥιζάγραν, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ: nec aliter legendum eſt. Syllaba *gran* deeſt in Mſs. quia coaluit cum proxima voce *Græci*. Vide X. Facciolati Animad. apud Morgagnum Epiſt. III.

44. ἀντιάδες) *antydiades*, quod mendum in Editionibus 1478. 1493. 1497. 1524. inſedit, a Cod. Mediceo I. manavit. In aliis Codicibus eſt, *antiadas*.

45. *tum ulcus*) In Cod. Mediceo I. *tumulos*. Vix dubito, quin ſit legendum, *tum os*.

46. *ſupprimitur*) Al. *ſupprimatur*.

47. *ſine periculo*) In Cod. Mediceo I. ſupra duas haſce voces poſita eſt vox *doloris*; ſcilicet ex interpretatione, & quidem prava.

48. *itaque*) In eodem Codice legitur *ita*; infraque, *nihilominus autem ultra juſtum modum*, omiſſo pronomine *ea*.

49. *deducta eſt, & tenuis . . . . . alba eſt*) Alii leg. *deducta* (quidam *diducta*) *eſt, & eſt tenuis . . . . . . alba*; Lindenius, *diducta eſt, & tenuis . . . . . . alba eſt*. Cod. Mediceus I. ita habet: *deducta ſit & eſt tenuis . . . . . alba*.

da [50] & craſſa; ſumma, tenuis eſt. Neque quidquam commodius eſt, quam vulſella prehendere [51], ſub eaque, quod volumus, excidere. Neque enim ullum [52] periculum eſt, ne plus minuſve præcidatur: cum liceat tantum infra vulſellam relinquere, quantum inutile eſſe manifeſtum eſt; idque præcidere, quo longior uva eſt, quam eſſe naturaliter debet. Poſt curationem eadem facienda ſunt, quæ in tonſillis proxime poſui.

4. Lingua vero quibuſdam cum ſubjecta parte a primo natali die juncta eſt; qui ob id ne loqui quidem poſſunt. Horum extrema lingua vulſella prehendenda [53] eſt; ſub eaque membrana incidenda: magna cura habita, ne venæ, quæ juxta ſunt, violentur, & profuſione ſanguinis noceant. Reliqua curatio vulneris in prioribus poſita eſt. Et plerique quidem, ubi conſanuerunt, loquuntur. Ego autem cognovi, qui, ſuccisa lingua, cum abunde ſuper dentes eam promeret, non tamen loquendi facultatem conſecutus eſt. Adeo in medicina, etiam ubi perpetuum eſt, quod fieri debet, non tamen perpetuum eſt id, quod ſequi [54] convenit.

5. Sub lingua quoque interdum aliquid abſcedit; quod fere conſiſtit in tunica, doloreſque magnos movet. Quod, ſi exiguum eſt, incidi ſemel ſatis eſt: ſi majus, ſumma cutis uſque ad tunicam excidenda eſt, deinde utrimque oræ hamulis excipiendæ, & tunica, undique circumdata, liberanda eſt: magna diligentia per hanc curationem [55] habita, ne qua major vena incidatur.

6. Labra autem ſæpe finduntur; eaque res habet cum dolore etiam hanc moleſtiam, quod ſermo prohibetur; qui ſubinde eas rimas cum dolore diducendo ſanguinem citat. Sed has, ſi in ſummo ſunt, medicamentis curare commodius eſt, quæ ad ulcera oris fiunt: ſi vero altius deſcenderunt, neceſſarium eſt tenui ferramento adurere, quod ſpathæ ſimile, quaſi tranſcurrere, non impri-

50. *ſi ima, livida*) In Cod. Mediceo I. *ſi iam livida*; ſed perperam.

51. *prehendere*) Lindenius leg. *apprehendere*.

52. *ullum*) In Cod. Mediceo I. *multum*; in III. & in VI. *nullum*: mendoſe.

53. *prehendenda*) Linden. *apprehendenda*; Cod. Mediceus I. *comprehendenda*.

54. *ſequi*) Linden. *conſequi*.

55. *per omnem curationem*) Idem, *per hanc curationem*. In Cod. Mediceo I. habetur, *epero curationem*: in ceteris, *per omnem curationem*, ut in Editionibus antiquis.

mi debet. Poſtea facienda eadem ſunt, quæ in auribus aduſtis expoſita ſunt [56].

XIII. At in cervice, inter cutem & aſperam arteriam, tumor increſcit (βρογχοκήλην Græci vocant) quo, modo caro hebes, modo humor aliquis, melli aquæve ſimilis, includitur; interdum etiam minutis oſſibus pili immiſti. Ex quibus quidquid eſt, tunica continetur. Poteſt autem [57] adurentibus medicamentis curari: quibus ſumma cutis cum ſubjecta tunica exeditur [58]. Quo facto, ſive humor eſt, profluit; ſive quid denſius, digitis educitur: tum ulcus ſub linamentis ſaneſcit. Sed ſcalpelli curatio brevior eſt. Medio tumore una linea inciditur [59] uſque ad tunicam: deinde vitioſus ſinus ab integro corpore digito ſeparatur, totuſque cum velamento ſuo eximitur: tum aceto, cui vel ſalem vel nitrum aliquis adjecit, eluitur; oræque una ſutura junguntur; ceteraque eadem, quæ in aliis ſuturis, ſuperinjiciuntur: leniter deinde, ne fauces urgeat, deligatur. Si quando autem tunica eximi non potuerit [60], intus inſpergenda adurentia, linamentiſque id curandum eſt, & ceteris [61] pus moventibus.

XIV. Sunt etiam circa umbilicum plura vitia; de quibus, propter raritatem, inter auctores parum conſtat. Veriſimile eſt au-

56. *in auribus aduſtis expoſita ſunt*) Capite ſcilicet 8. hujus libri. Lindenius leg. *naribus*, ut ſignificetur cap. 11. Sed in vetuſtis libris, tum impreſſis, tum Mſs. eſt *auribus*.

57. *Ex quibus quidquid eſt, tunica continetur. Poteſt autem &c.*) Hæc addit ad ſignificandum, id tumoris genus ex iis eſſe, quæ tunica ſua includuntur; de quibus dixit cap. 6. Ego ſic repoſui ex Cod. Mediceo I. Antea legebatur; *Ex quibus quidquid eſt, quod tunica continetur, poteſt adurentibus medicamentis curari*.

58. *exeditur*) Lindenius leg. *exuritur*; ut Conſtantino placuerat, vel quod in Editionibus pleriſque eſſet *exeritur*, vel quod *exeditur*, quo modo Egnatius quoque & Stephanus ediderunt, de adurentibus minus proprie dici exiſtimarit. Itidem tamen locutus eſt Celſus lib. 5. cap. 28. ſect. 7. *Adurentibus quoque quidam utuntur, quæ exedant, cruſtaque eum locum adſtringant*. Porro in Mſs. fere omnibus eſt *exeditur*, vel *exæditur*. In Mediceo I. *exetur*; ſupraque id verbum poſita eſt littera *s*, ut legatur *exeſtur*. Palavicinus correxit, *exeritur*.

59. *Medio tumore una linea inciditur*) Hujus loci fidem tuetur Morgagnus, atque hunc dicendi modum Celſo adſerit ex ſimili loco cap. 9. hujus lib. *ab interioribus ejus angulis lineas tranſverſas incidere*. Adde cap. 7. ſect. 8. *in ſuperiore palpebra ſub pilis ipſis incidenda linea eſt*: & ſect. 1. ejuſdem cap. ubi vide adnotationem 82. Lindenius leg. *Medio tumor &c.* ut eſt in Editione an. 1497. Sed & in Edit. an. 1493. & in principe Florentina, & in Mſs. Mediceis habetur, *Medio tumore &c.* niſi quod in primo legitur, *Medio tum umore*, &, pro *inciditur*, *indetur*.

60. *potuerit*) Cod. Mediceus I. *potuit*.

61. *curandum eſt, & ceteris*) Ita ex Codice modo allato. Alii leg. *curandum eſt, ceteris*; Lindenius, *curandum & ceteris*.

autem, id a quoque prætermiſſum, quod ipſe non cognoverat: a nullo id, quod non viderat, fictum. Commune omnibus eſt, umbilicum indecore prominere: cauſæ requiruntur. Meges tres has poſuit: modo inteſtinum eo irrumpere, modo omentum, modo humorem. Soſtratus nihil de omento dixit: duobus iiſdem adjecit, carnem ibi interdum increſcere; eamque modo integram eſſe, modo carcinomati [62] ſimilem. Gorgias ipſe quoque omenti mentionem omiſit: ſed eadem tria cauſatus, ſpiritum quoque interdum eo dixit irrumpere. Heron [63] omnibus his quatuor poſitis, & omenti mentionem habuit, & ejus, quod ſimul & omentum & inteſtinum habuerit. Quid [64] autem horum ſit, his indiciis cognoſcitur. Vbi inteſtinum prolapſum eſt, tumor neque durus, neque mollis eſt; omni frigore minuitur [65]; non ſolum ſub omni calore, ſed etiam retento ſpiritu creſcit; ſonat interdum; atque, ubi reſupinatus eſt aliquis, delapſo [66] inteſtino, ipſe deſidit. Vbi vero omentum eſt, cetera ſimilia ſunt; tumor mollior, & ab ima parte latus, extenuatus in verticem eſt [67]; ſi quis apprehendit, elabitur. Vbi utrumque eſt, indicia quoque miſta ſunt, & inter utrumque mollities. At caro durior eſt, ſemperque etiam reſupinato corpore tumet, prementique non cedit, prioribus facile cedentibus. Si vitioſa eſt [68], eaſdem notas habet, quas in carcinomate expoſui. Humor autem, ſi premitur, circumfluit. At ſpiritus preſſus cedit, ſed protinus redit: reſupinato quoque corpore tumorem in eadem figura tenet. Ex his id, quod ex ſpiritu vitium eſt,

62. *carcinomati*) In Cod. Mediceo I. *carcinomatis*.

63. *Heron*) Plerique alii leg. *Hieron*.

64. *Quid*) Linden. *Quod*.

65. *minuitur*) Quia frigore contrahitur aer, qui eſt in inteſtino. In hernia quoque, ſi inteſtinum deſcendit, tumor *frigore omni contrahitur*, *calore diffunditur*; ut eſt in cap. 18. Tum ratione igitur, tum etiam ex fide Cod. Medicei I. *minuitur* legendum cum Lindenio. Alii leg. *comminuitur*, ut eſt in eodem Mediceo Codice a Palavicino. Codices ceteri Medicei habent *non minuitur*; Codex alius a Conſtantino citatus *non imminuitur*.

66. *delapſo*) Ita habent Editiones antiquæ & Mſs. Codices, quotquot ego vidi; infraque *delabatur*, & *delapſum*. Lindenius leg. *relapſo*; deinde, *relabatur*, & *relapſum*.

67. *mollior*, *& ab ima parte latus*, *extenuatus in verticem eſt*) Locus hic ita legitur in Editione Aldina: *mollior & ab una parte latus extenuatum in ventrem eſt*; in Gryphiana & aliis nonnullis: *mollior ab ima parte latus* (vel *parte*, *latus*) *extenuatum in ventrem eſt*. Sed perperam. Cæſarius quoque & Lindenius, cum reliqua verba recte ediderint, non item recte omiſerunt alter particulam *&*, alter vocem *latus*, quæ tamen in antiquis libris reperiuntur.

68. *Si vitioſa eſt*) In Cod. Mediceo I. *Si vitioſa caro eſt*.

eſt, medicinam non admittit. Caro quoque, carcinomati ſimilis, cum periculo tractatur: itaque omittenda eſt. Sana excidi debet; idque vulnus linamentis curari. Humorem quidam vel inciſo ſummo tumore effundunt, & vulnus iiſdem linamentis curant. In reliquis variæ ſententiæ ſunt. Ac reſupinandum quidem corpus eſſe, res ipſa teſtatur; ut in uterum, ſive inteſtinum, ſive omentum eſt, delabatur. Sinus vero umbilici, tum vacuus, a quibuſdam duabus regulis exceptus eſt [69], vehementerque earum capitibus deligatis, ibi emoritur [70]: a quibuſdam, ad imum [71] acu trajecta [72], duo lina ducente, deinde utriuſque lini duobus capitibus diverſæ partes adſtrictæ [73]; quod in uva quoque oculi fit: nam ſic id, quod ſupra vinculum eſt, moritur [74]. Adjecerunt quidam, ut, antequam vincirent, ſummum una linea inciderent [75]; quo facilius digito demiſſo, quod illuc irrupiſſet, depellerent: tum deinde vinxerunt [76]. Sed abunde eſt, jubere ſpiritum continere, ut tumor, quantus maximus eſſe poteſt, ſe oſtendat: tum imam baſim ejus atramento notare; reſupinatoque homine, digitis tumorem [77] eum premere, ut, ſi quid delapſum non eſt, manu cogatur: poſt hæc, umbilicum adtrahere, &, qua nota atramenti eſt, lino vehementer adſtringere: deinde partem ſuperiorem aut medicamentis, aut ferro adurere, donec emoriatur: atque, ut cetera uſta, ulcus nutrire. Idque non ſolum ubi inteſtinum, vel omentum, vel utrumque

69. *exceptus eſt*) Ita in Codicibus Mſs. & in Editionibus vetuſtis. Lindenius leg. *excipitur*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

70. *ibi emoritur*) In Cod. Mediceo I. *ibi emortuis*.

71. *ad imum*) In Editione Aldina legitur, *id vitium*; quod habetur in Cod. Mediceo I. poſitum a Palavicino ſupra *ad imum*.

72. *acu trajecta*) Antea communiter legebatur, *acu trajectatur*; quæ lectio Mſs. teſtimonio non caret. Hinc verbum *trajecto* in Latium receptum eſt. Mihi erit inter dubia, donec certiore auctoritate firmetur. Nam Codex Mediceus I. quem ſequi malui, habet, *acu traiecta*.

73. *adſtrictæ*) Continuatur eadem conſtructio, ut ſupra *exceptus eſt*. Ita porro habent Mſs. Codices, tum qui ſupra *traiectatur*, tum qui *traiecta*. Palavicinus correxit, *adſtringuntur*; & ita legitur in vulgatis libris.

74. *moritur*) Fortaſſe legendum, *emoritur*: nam hoc verbum Celſus adhibere ſolet.

75. *inciderent*) Alii addunt *exciderentque*, ut eſt in Mſs. Ego ſecutus ſum Lindenium, a quo verbum illud expulſum fuit. Nulla enim cauſa eſt ſcalpello excidendi; cum duo lina totum id ſecando excidant; atque, ut in ſinum dimitti digitus poſſit, ſatis ſit, ſummum tumorem incidere.

76. *vinxerunt*) Conſtantinus margini adſcripſerat, *vincirent*; & ita edidit Lindenius.

77. *tumorem*) In Cod. Mediceo I. *humorem*: infra vero, pro *humor*, *tumor*. Vtrobique mendum.

que eſt; ſed etiam, ubi humor eſt, optime proficit. Sed ante quædam viſenda ſunt, ne quod ex vinculo periculum ſit. Nam curationi neque infans, neque aut robuſtus annis, aut ſenex aptus eſt; ſed a ſeptimo fere anno ad quartumdecimum. Deinde ei corpus idoneum eſt id, quod integrum eſt: at quod mali habitus eſt, quodque papulas, impetigines, ſimiliaque habet, idoneum non eſt. Levibus quoque tumoribus facile ſubvenitur: at in eorum, qui nimis magni ſunt, curatione periculum eſt. Tempus autem anni [78] & autumnale, & hibernum vitandum eſt: ver idoneum maxime eſt: ac prima æſtas non aliena eſt. Præter hæc, abſtinere pridie debet. Neque id ſatis eſt: ſed alvus quoque ei ducenda eſt; quo facilius omnia quæ exceſſerunt, intra uterum [79] conſidant.

XV. Aquam iis, qui hydropici ſunt, emitti oportere, alias dixi. Nunc, quemadmodum id [80] fiat, dicendum eſt [81]. Quidam autem ſub umbilico, fere quatuor interpoſitis digitis a ſiniſtra parte [82]: quidam, ipſo umbilico perforato, id facere conſuerunt [83]: quidam, cute primum aduſta, deinde interiore abdomine inciſo; quia, quod per ignem diviſum eſt, minus celeriter coit. Ferramentum autem demittitur magna cura habita, ne qua vena incidatur. Id tale eſſe debet, ut fere tertiam digiti partem latitudo mucronis impleat; demittendumque ita eſt, ut membranam quoque tranſeat, qua caro ab interiore parte finitur: eo tum plumbea aut ænea fiſtula conjicienda [84] eſt, vel recurvatis in exteriorem partem labris, vel in media circumſurgente quadam mora [85]; ne tota intus delabi poſſit. Hujus ea pars, quæ intra [86], paulo lon-

78. *Tempus autem anni &c.*) Locus hic ita legitur in Cod. Mediceo I. *Tempus autem anni autumnale & hibernum vitandum, ver eſt idoneum maxime.*

79. *intra uterum*) Al. *intra alvum.*

80. *id*) Vox hæc deeſt in Cod. Mediceo I.

81. *dicendum eſt*) Cæſarius, & aliqui alii omittunt *eſt.*

82. *a ſiniſtra parte*) Cod. Mediceus I. habet, *in ſiniſtra parte.*

83. *id facere conſuerunt*) In Editionibus omnibus, præter Lindenianam, deeſt *id*. In Lindeniana, pro *conſuerunt*, eſt *conſueverunt.*

84. *conjicienda*) Al. *injicienda.*

85. *vel in media circumſurgente quadam mora*) h. e. impedimento quodam mediæ fiſtulæ circumpoſito. Codex Mediceus I. perperam habet *circumſurgentem*; quod ad cetera verba attinet, nihil variat ab aliis Codicibus. Pantinus aliique, Cæſario duce, pro *mora* leg. *nodo*. Lindenius ita edidit: *vel eadem circumcingente quadam remora.*

86. *intra*) In Cod. Mediceo I. legitur *intrat*; & infra omittuntur duæ voces, *quæ extra.*

longior eſſe debet, quam quæ extra; ut ultra interiorem [87] membranam procedat. Per hanc effundendus humor eſt: atque ubi major pars ejus evocata eſt, claudenda [88] demiſſo linteolo fiſtula eſt; & in vulnere, ſi id uſtum non eſt [89], relinquenda. Deinde per inſequentes dies circa ſingulas heminas emittendum, donec nullum aquæ veſtigium appareat. Quidam tamen etiam non uſta cute, protinus fiſtulam recipiunt, & ſuper vulnus ſpongiam expreſſam [90] deligant: deinde poſtero die rurſus fiſtulam demittunt (quod recens vulnus paulum diductum patitur) ut, ſi quid humoris ſupereſt, emittatur: idque bis ita feciſſe contenti ſunt.

XVI. Nonnumquam autem venter ictu aliquo perforatur; ſequiturque, ut inteſtina evolvantur. Quod ubi [91] incidit, protinus conſiderandum eſt, an integra ea ſint; deinde, an iis color ſuus maneat. Si tenuius inteſtinum perforatum eſt, nihil profici poſſe, jam retuli. Latius inteſtinum ſui poteſt: non quod [92] certa fiducia ſit; ſed quod dubia ſpes, certa deſperatione ſit potior: interdum enim glutinatur. Tum, ſi utrumlibet inteſtinum lividum, aut pallidum, aut nigrum eſt, quibus illud quoque neceſſario accedit, ut ſenſu careat, medicina omnis inanis eſt. Si vero adhuc ea ſui coloris ſunt, cum magna feſtinatione ſuccurrendum eſt: momento enim alienantur externo & inſueto ſpiritu circumdata. Reſupinandus autem homo eſt, coxis erectioribus; &, ſi anguſtius vulnus eſt, quam ut inteſtina commode refundantur, incidendum eſt, donec ſatis pateat: ac, ſi jam ſicciora inteſtina ſunt, perluenda aqua ſunt, cui paulum admodum olei ſit adjectum. Tum miniſter oras vulneris leniter diducere [93] manibus

ſuis,

87. *interiorem*) Ita in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ. Alii leg. *ulteriorem*, ut eſt in Mſs.

88. *claudenda*) Al. *cludenda*; & ita eſt in Mſs.

89. *in vulnere, ſi id uſtum non eſt*) In Cod. Mediceo I. deeſt *id*. Nam ita habetur: *in vulneres iuſtum non eſt*.

90. *ſpongiam expreſſam*) ex aqua frigida: quas tres voces, poſt *ſpongiam* poſitas, librarius fortaſſe omiſit, deceptus a prima ſyllaba conſequentis vocis *expreſſam*. Lindenius poſt *expreſſam* addit *ex aqua frigida vel ex aceto*. Ego tamen, invitis Mſs. nihil in textum intrudere auſus ſum. *Spongia expreſſa* abſolute poſita reperitur in lib. 6. cap. 8. ſect. 1. ſed ibi facile intelligitur *ex aqua calida*; quia hæc verba præcedunt, *fovere oportet vapore aquæ calidæ*.

91. *ubi*) In Codice Mediceo I. *ut*.

92. *non quod*) In eodem Codice, *non quo*; & infra, *inſueto ſpiritu circumdato*.

93. *oras vulneris leniter diducere*) Pro *vulneris*, in Cod. Mediceo I. eſt *ulceris*; pro *leniter*, *leviter*, ut omnes vulgo legunt, præter Lindenium.

ſuis, vel etiam duobus hamis, interiori membranæ injectis, debet: medicus priora ſemper inteſtina, quæ poſteriora prolapſa ſunt, condere, ſic, ut orbium ſingulorum locum ſervet. Repoſitis omnibus, leniter [94] homo concutiendus eſt: quo fit, ut per ſe ſingula inteſtina in ſuas ſedes diducantur [95], & in his [96] conſidant. His conditis, omentum quoque conſiderandum eſt: ex quo, ſi quid jam nigri & emortui eſt, forfice excidi debet: ſi quid integrum eſt, leniter ſuper inteſtina deduci [97]. Sutura autem, neque ſummæ cutis, neque interioris membranæ per ſe, ſatis proficit; ſed utriuſque: & quidem duobus linis [98] injicienda [99] eſt, ſpiſſior [1] quam alibi; quia & rumpi facilius motu ventris poteſt; & non æque magnis inflammationibus pars ea [2] expoſita eſt. Igitur in duas acus fila conjicienda [3], eæque duabus manibus tenendæ [4]; & prius interiori membranæ ſutura injicienda eſt, ſic, ut ſiniſtra manus in dexteriore ora, dextra in ſiniſteriore a principio vulneris orſa, ab interiore parte in exteriorem acum immittat [5]: quo fit, ut ab inteſtinis ea pars ſemper acuum ſit, quæ retuſa eſt [6]. Semel utraque parte trajecta, permutandæ acus inter manus ſunt, ut ea ſit in dextra, quæ fuit in ſiniſtra, ea veniat in ſiniſtram, quam dextra continuit: iterumque eodem modo

 per

94. *leniter*) Hic quoque in Cod. Mediceo I. eſt *leviter*: in aliis vero, ut in vulgatis libris, *leniter*. Eamdem varietatem & paulo infra animadverti, & in fine capitis.

95. *diducantur*) diſtribuantur. Cod. Mediceus I. habet *deducantur*; Lindenius *reducantur*.

96. *in his*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Edit. Lindenii. Alii leg. *inibi*.

97. *deduci*) explicari. Ita repoſui ex Cod. Mediceo I. Alii leg. *diduci*; Lindenius *reduci*.

98. *duobus linis*) Lindenius, *e duobus linis*.

99. *injicienda*) Olim, cum legeretur *vincienda*, Conſtantinus Editionis ſuæ margini appoſuerat, *facienda*, *vel injicienda*. Lindenius *facienda* probavit: ego *injicienda*, quod eſt in Mſs. Palavicinus autem in *vincienda* mutavit.

1. *ſpiſſior*) Lindenius leg. *& ſpiſſior*.

2. *pars ea*) Voces hæ duæ deſunt in Cod. Mediceo I.

3. *in duas acus fila conjicienda*) In Editionibus 1478. 1493. 1497. & Juntina, *in duabus acus &c.* mendoſe. Aliqui cum Cæſario leg. *in duabus acubus fila trajicienda*.

4. *eæque duabus manibus tenendæ*) acus ſcilicet. Alii leg. *eaque duabus manibus tenenda*. Ego ſecutus ſum Lindenium. Nec variant hæc verba in Cod. Mediceo I. niſi quod legitur *æque* pro *eæque*.

5. *immittat*) Cod. Mediceus I. *mittat*.

6. *ut ab inteſtinis ea pars ſemper acuum ſit, quæ retuſa eſt*) Ita ex Mſs. In Mediceo I. cum verbum *ſit* deeſſet, Palavicinus appoſuit *longe ſit*. Hinc olim vulgo legebatur; *ut ab inteſtinis ea pars ſemper acuum longe ſit, quæ retuſa eſt*. Sed perperam: nam Celſus vult prorſus contrarium. Itaque Conſtantinus ita legit ex conjectura: *ut ab inteſtinis ea pars ſemper acuum longe ſit, quæ acuta; propinqua, quæ retuſa eſt*. Quam mutationem Lindenius in textum induxit.

per oras immittendæ ſunt: atque ita tertio & quarto, deincepſque permutatis inter manus acubus plaga includenda. Poſt hæc, eadem fila, eædemque acus ad cutem transferendæ, ſimilique ratione ei quoque parti ſutura [7] injicienda; ſemper ab interiore parte acubus venientibus, ſemper inter manus trajectis: dein glutinantia injicienda. Quibus aut ſpongiam, aut ſuccidam lanam ex aceto expreſſam [8] accedere debere, manifeſtius eſt, quam ut ſemper dicendum ſit. Impoſitis his leniter deligari venter debet.

XVII. 1. Interdum tamen vel ex ictu aliquo, vel retento diutius ſpiritu, vel ſub gravi faſce, interior abdominis membrana, ſuperiore cute integra, rumpitur. Quod fœminis quoque ex utero ſæpe evenire conſuevit: fitque præcipue circa ilia. Sequitur autem, cum ſuperior caro mollis ſit, ut non ſatis inteſtina contineat, hiſque intenta cutis indecore [9] intumeſcat. Atque id quoque aliter ab aliis [10] curatur. Quidam enim per acum duobus linis ad imam baſim immiſſis ſic utrimque devinciunt, quemadmodum & in umbilico, & in uva poſitum eſt, ut, quidquid ſuper vinculum eſt, emoriatur. Quidam medium tumorem excidunt, ad ſimilitudinem myrtacei folii; quod ſemper eodem modo ſervandum eſſe jam poſui; & tum oras ſutura jungunt. Commodiſſimum eſt autem, reſupinato corpore, experiri manu, qua parte is tumor [11] maxime cedat, quia neceſſe eſt, ea parte rupta membrana ſit; quaque integra eſt [12], ea magis obnitatur: tum, qua rupta videbitur, immittendæ ſcalpello duæ lineæ ſunt [13], ut, excifo

7. *ſutura*) Antea legebatur, *utraque ſutura*; quæ lectio unde orta ſit, mihi explicandum eſt; ut omnes intelligant, cur vocem *utraque* ſuſtulerim. In Cod. Mediceo I. eſt *ſutura*; in ceteris, hujus vocis loco, *utraque*. Quia vero Palavicinus *utraque* addidit in Codice illo, & *ſutura* adſcriptum eſt alia manu in quarto, vulgati libri habent *utraque ſutura*.

8. *expreſſam*) Al. *impreſſam:* male omnino.

9. *indecore*) Ita in Aldina, nonnulliſque aliis Editionibus. Alii leg. *indecora*, ut eſt in Mſs.

10. *aliter ab aliis*) Lindenius leg. *aliter atque aliter*.

11. *is tumor*) Codex Mediceus primus non habet *is*.

12. *integra eſt*) Codex modo allatus habet *integra ſit*.

13. *immittendæ ſcalpello duæ lineæ ſunt*) Eodem modo locutus eſt cap. 9. *ultra lineas, quas ante fecimus, alias duas lunatas & ad plagam converſas immittere*. Senſus vero idem eſt atque cap. 24. *incidi* (tumor) . . . . . . *duabus lineis debet, ut medium excidatur*. Pro *lineæ*, Editiones 1494. 1497. 1524. habent *tunicæ*: atque ita legunt, ſed perperam, Cæſarius, Gryphius, Pantinus, Ronſſeus, Lindenius; horumque ultimus, pro *immittendæ*, *incidendæ*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ ad interpretationem, an emendationem? In Cod. Mediceo I. *admittendæ*; in ceteris, *immittendæ*: in omnibus vero, *lineæ*, vel *liniæ*.

ciſo medio, interior membrana utrimque recentem plagam habeat; quia, quod vetus eſt, ſutura non coit. Loco patefacto, ſi qua parte membrana non novam plagam, ſed veterem habet, tenuis excidenda habena eſt, quæ tantum oras ejus exulceret. Cetera, quæ ad ſuturam, reliquamque curationem pertinent [14], ſupra comprehenſa ſunt.

2. Præter hæc evenit, ut in quorumdam ventribus varices ſint, quarum [15] quia nulla alia curatio eſt, quam quæ in cruribus eſſe conſuevit, tum eam partem explanaturus, hanc quoque eo differo.

XVIII. Venio autem ad ea, quæ in naturalibus partibus circa teſticulos oriri ſolent: quæ quo facilius explicem, prius ipſius loci natura paucis proponenda eſt. Igitur teſticuli ſimile quiddam medullis habent [16]: nam ſanguinem non emittunt, & omni ſenſu carent: dolent autem in ictibus & inflammationibus tunicæ [17], quibus ii continentur. Dependent vero ab inguinibus per ſingulos nervos, quos κρεμαστῆρας Græci nominant [18]: cum quorum utroque binæ deſcendunt & venæ & arteriæ. Hæc [19] autem tunica conteguntur tenui, nervoſa, ſine ſanguine, alba, quæ ἐλυτροειδὴς [20] a Græcis nominatur. Super eam valentior tunica eſt, quæ interiori vehementer ima parte inhæret: δαρτὸν Græci vocant.

14. *ad ſuturam, reliquamque curationem pertinent*) Cod. Mediceus I. hoc loco non diſcrepat ab Editione Lindenii, niſi quod habet *pertineant*. Alii leg. *ad ſuturæ reliquam curationem pertinent*.

15. *varices ſint, quarum &c.*) In cap. 31. hujus lib. vox *varices* eſt genere maſculino. Hic eamdem habes fœminino; niſi, ut ſuſpicor, corrupti ſunt Mſs.

16. *ſimile quiddam medullis habent*) Conſtantinus hæc adnotavit: *a Galeno 3. Alimentorum glandulis teſtes accenſentur*. Ex quo intelligi poteſt, quid eum moverit, ut, pro *medullis*, legere mallet, *glandulis*; quod Lindenius in contextum induxit. Sed probandum illi eſt, non potuiſſe Celſum ſcribere *medullis*, ut habent omnes Codices: quod facile non erit. Vide Morgagn. Epiſt. V.

17. *dolent autem in ictibus & inflammationibus tunicæ*) Lindenius leg. *tunicarum*, ut *dolent* referatur ad teſticulos. Sed præterquamquod veteres Codices, tum Morgagni, tum noſtri magno conſenſu habent *tunicæ*, ratio quoque mutationi iſti repugnat. Nam, ut obſervat Morgagnus, teſticulos Celſus omni ſenſu carere dixit. Nunc docet, unde in eorum ictibus & inflammationibus dolor oriatur.

18. *nominant*) Cod. Mediceus I. & VI. *vocant*.

19. *Hæc*) Alii leg. *Hæ*, ut eſt in Edit. I. Conſtantinus in libri margine habet *Hii*; ſcilicet teſticuli. Recte Lindenius *Hæc*: atque ita eſt in Mſs. niſi quod *Hæc* in *Hæ* mutatum fuit a Palavicino in Mediceo I.

20. ἐλυτροειδὴς) Ita edidit Lindenius: & quidem optime. Cod. Mediceus I. habet *elyphroides*; Codices III. IV. V. VI. *egytroides*; II. & VII. *aegytroides*, ut Editiones 1478. 1493. 1497. 1524. Egnatius leg. ἐλαφροειδὴς; al. ἐρυτροειδὴς; al. ἐρυθροειδὴς.

Multæ deinde membranulæ venas & arterias, eoſque nervos comprehendunt; atque inter duas quoque tunicas ſuperioribus partibus leves parvulæque [21] ſunt. Hactenus propria utrique teſticulo & velamenta & auxilia ſunt. Communis deinde utrique, omnibuſque interioribus ſinus eſt, qui etiam [22] conſpicitur a nobis: ὄσχεὸν Græci, ſcrotum [23] noſtri vocant. Iſque ab ima parte [24] mediis tunicis leviter innexus, a ſuperiore tantum circumdatus eſt. Sub hoc igitur plura vitia eſſe conſuerunt: quæ modo ruptis tunicis, quas ab inguinibus incipere propoſui, modo his integris fiunt. Siquidem interdum vel ex morbo primum inflammatur, deinde poſtea pondere abrumpitur; vel ex ictu aliquo protinus rumpitur tunica, quæ diducere ab inferioribus partibus inteſtina debuit: tum pondere eo devolvitur, aut omentum, aut etiam inteſtinum: idque [25] ibi reperta via, paulatim ab inguinibus in inferiores quoque partes niſum [26], ſubinde nervoſas tunicas, & ob id ejus rei patientes [27], diducit. Ἐντεροκήλην & ἐπιπλοκήλην Græci vocant: apud nos indecorum, ſed commune his, herniæ nomen eſt. Deinde ſi deſcendit omentum, numquam in ſcroto tumor tollitur, ſive inedia fuit, ſive corpus huc illucve converſum, aut aliquo modo [28] collocatum: itemque, ſi retentus eſt ſpiritus, non magnopere increſcit, tactu vero inæqualis eſt, & mollis, & lubricus. At ſi inteſtinum quoque deſcendit, tumor is ſine inflammatione modo minuitur, modo increſcit; eſtque fere ſine

21. *leves parvulæque*) Lindenius leg. *tenues patulæque*. Contra eum ſtant veteres libri, & quos Morgagnus, & quos ego vidi. Nam in his omnibus legitur, *leves parvulæque*.

22. *qui etiam*) Cod. Mediceus I. *qui iam*.

23. *ſcrotum*) Idem Codex hic habet *ſtrotum*: alibi vero *ſcrotum*, vel *ſchrotum*: alicubi *ſcortum*, vel *ſchortum*.

24. *ab ima parte*) Cod. Mediceus I. habet *ad imam partem*.

25. *idque*) Alii leg. *atque*; Ruellius, *at*. Ego *idque* repoſui ex Cod. Mediceo I.

26. *niſum*) Ita in Editionibus Aldina & Lindeniana, & in Codd. Mediceis, excepto primo, qui habet *miſſum*, quod & in Edit. I. & in duabus pervetuſtis an. 1493. 1497. & in Juntina habetur. Cæſarius leg. *demiſſum*: quem multi ſecuti ſunt.

27. *& ob id ejus rei patientes*) Duæ voces *ob id* referuntur ad *nervoſas*. Et ſane nervoſæ tunicæ diduci patiuntur, nec valde reſiſtunt. Conſtantinus vim harum vocum non intellexit; ideoque eas poſt *diducit* transferre malebat, ut legeretur; *& ejus rei patientes diducit, ob id ἐντεροκήλην &c.* Lindenius ita edidit: *& ob id, quod dixi, patentes*. Sed ſi reſpexit ad ſuperiorem vocem *patulæque*, ipſe *patulæque* ſcripſit, non Celſus. Vide Morgagn. Epiſt. V.

28. *aliquo modo*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus. Lindenius leg. *alio quovis modo*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. Ego malim, *alio quo modo*.

ſine dolore, &, cum conquieſcit [29] aliquis aut jacet, interdum ex toto deſidit [30], interdum ſic dividitur, ut in ſcroto exiguæ reliquiæ maneant [31]: at clamore [32], & ſatietate, & ſi ſub aliquo pondere is homo niſus [33] eſt, creſcit: frigore omni contrahitur, calore diffunditur; eſtque tum ſcrotum & rotundum, & tactu læve: idque, quod ſubeſt, lubricum eſt; ſi preſſum eſt, ad inguen [34] revertitur; dimiſſumque, iterum cum quodam quaſi murmure devolvitur. Et id quidem in levioribus malis evenit. Nonnumquam autem ſtercore accepto vaſtius tumet, retroque compelli non poteſt: adfertque tum dolorem & ſcroto, & inguinibus, & abdomini: nonnumquam ſtomachus quoque affectus primum ruſam bilem per os reddit, deinde viridem, quibuſdam etiam nigram. Integris vero membranis interdum eam partem humor diſtringit [35]. Atque ejus quoque ſpecies duæ ſunt. Nam vel inter tunicas is increſcit [36], vel in membranis, quæ ibi circa venas & arterias ſunt, ubi eæ gravatæ occalluerunt. Ac ne ei quidem humori, qui inter tunicas eſt, una ſedes eſt. Nam modo inter ſummam & mediam, modo inter mediam & imam conſiſtit. Græci communi nomine, quidquid eſt, ὑδροκήλην appellant: noſtri, ut ſcilicet [37] nullis diſcriminibus ſatis cognitis, hæc [38] quoque ſub eodem nomine, quo priora, habent. Signa autem quædam communia ſunt, quædam propria: communia, quibus humor deprehenditur; propria, quibus locus. Humorem ſubeſſe diſcimus [39], ſi tu-

29. *cum conquieſcit*) In Cod. Mediceo I. habetur, *cum mollitie conquieſcit*: ex Palavicini vero emendatione, *cum mollitum eſt conquieſcit*.

30. *deſidit*) In eodem Codice, *deſidet*. In margine Edit. Conſtantinianæ, *deſinit*.

31. *ſic dividitur, ut in ſcroto exiguæ reliquiæ maneant*) Partim in ventrem ſe recipit, partim in ſcroto manet. Pro *dividitur*, quod eſt in Mſs. & Editionibus antiquis, Conſtantinus mallet, *diſcutitur*; Lindenius habet, *minuitur*. Sed fortaſſe hoc verbum adſcriptitium eſt, & ſubauditur *deſidit*.

32. *at clamore*) Ita ex Conſtantini conjectura, & ex Mſs. niſi quod Mediceus I. habet, *& clamore*. Alii leg. *At ſi clamore*; Lindenius, *at ſub clamore*.

33. *niſus*) Ita in Cod. Mediceo I. Alii leg. *nixus*.

34. *ad inguen*) Codex modo allatus habet, *at inguina*: Palavicinus corrigit, *ad inguina*.

35. *diſtringit*) diſtrahit, diſtendit. Lindenius leg. *diſtendit*, ut olim Conſtantino placuerat. Conſtantinus tamen non prorſus rejecit *diſtringit*.

36. *is increſcit*) Pronomen *is* abeſt a Cod. Mediceo I.

37. *noſtri, ut ſcilicet &c.*) Lindenius leg. *noſtri vero, ſcilicet &c.*

38. *hæc*) Linden. *hoc*.

39. *quibus locus. Humorem ſubeſſe diſcimus &c.*) Ita Lindenius; & quidem recte. Alii leg. *quibus locis humorem ſubeſſe dicimus*; ut eſt in Mſs. Mediceus tamen pri-

tumor eſt, numquam ex toto ſe remittens, ſed interdum levior, aut propter famem, aut propter febriculam, maximeque in pueris: iſque mollis eſt, ſi non nimius humor ſubeſt; at ſi is vehementer increvit, renititur ſicut uter repletus & arcte adſtrictus: venæ quoque in ſcroto inflantur; &, ſi digito preſſimus [40], cedit humor, circumfluenſque id, quod non premitur, attollit, & tamquam in vitro cornuve per ſcrotum apparet; iſque, quantum in ipſo eſt, ſine dolore eſt. Sedes autem ejus ſic deprehenditur. Si inter ſummam mediamque tunicam eſt, cum digitis duobus preſſimus, paulatim humor inter eos revertens ſubit: ſcrotum ipſius albidius eſt [41]; ſi ducitur, aut nihil, aut parvulum [42] intenditur: teſticulus ea parte neque viſu, neque tactu ſentitur. At ſi ſub media tunica eſt, intentum ſcrotum magis ſe attollit, adeo ut ſuperior coles ſub tumore eo deliteſcat. Præter hæc æque integris tunicis ramex innaſcitur: κιρσοκήλην Græci appellant. Venæ intumeſcunt; eæque [43] intortæ, conglomeratæque a ſuperiore parte [44], vel ipſum ſcrotum implent, vel mediam tunicam, vel imam: interdum etiam ſub ima tunica, circa ipſum teſticulum nervumque ejus, increſcunt. Ex his eæ, quæ in ipſo ſcroto ſunt, oculis patent: eæ vero, quæ mediæ imæve tunicæ inſident, ut magis conditæ non æque quidem cernuntur, ſed tamen etiam viſui ſubjectæ ſunt: præterquamquod & tumoris aliquid eſt, pro venarum magnitudine & modo [45], & id prementi magis renititur,

primus habet, non *dicimus*, ſed *diſcimus*. Codex vero quidam apud Conſtantinum; *quibus locis humorem ſubeſſe dicimus; humor ſic deprehenditur &c.*

40. *preſſimus*) Pro *preſſimus*, Lindenius tum hic, tum infra leg. *premimus*; Ruellius, *preſſus*.

41. *ſcrotum ipſius albidius eſt*) Ita in antiquis libris & impreſſis, & Mſs. niſi quod in Editione Aldina additur *&* poſt *ipſius*. Mihi vox *ipſius* ſuſpecta eſt. Lindenius variare conatus eſt: nam ita edidit: *ſcrotum remiſſius & albidius eſt*. Fortaſſe legendum, *ſcrotum ipſum albidius eſt*; vel, quandoquidem verbum *eſt* Cod. Mediceus I. non habet, *ſcrotum ipſum albidius, ſi intenditur &c.*

42. *parvulum*) Ita in iiſdem antiquis libris. Lindenius reponit *paululum*; quod idem nonnulli, contempta optimorum Codicum auctoritate, tentarunt in Plinio minore, qui ter habet adverbium hoc; ſcilicet epiſt. 14. lib. 8. epiſt. 17. ejuſdem lib. & epiſt. ultima lib. 9.

43. *κιρσοκήλην Græci appellant. Venæ intumeſcunt; eæque &c.*) Ita ex Codicibus Mſs. In Editionibus priſcis, pro *eæque*, habetur *hæ quoque*. Alii cum Cæſario leg. *κιρσοκήλην Græci appellant, cum venæ intumeſcunt. Hæ quoque &c.* Lindenius, quod ad cetera attinet, Cæſarium ſecutus, pro *quoque*, repoſuit *quandoque*.

44. *a ſuperiore parte*) Ita in Cod. Mediceo I. Alii leg. *ad ſuperiorem partem*.

45. *& modo*) Codex modo allatus habet *ac modo*.

tur, ac per ipſos venarum toros inæquale eſt; &, qua parte id eſt, teſticulus magis juſto dependet. Cum vero etiam ſuper ipſum teſticulum nervumque ejus id malum increvit, aliquanto longius teſticulus ipſe deſcendit, minorque altero fit, utpote alimento amiſſo. Raro, ſed aliquando caro quoque inter tunicas increſcit: σαρκοκήλω Græci vocant. Interdum etiam ex inflammatione tumet ipſe teſticulus, ac febres quoque affert; &, niſi celeriter ea inflammatio conquievit, dolor ad inguina atque ilia pervenit, parteſque eæ intumeſcunt; nervus [46], ex quo teſticulus dependet, plenior fit, ſimulque indureſcit. Super hæc, inguen quoque [47] nonnumquam ramices implent [48]: βυβωνοκήλω appellant.

XIX. His cognitis, de curatione dicendum eſt: in qua quædam communia omnium ſunt, quædam propria ſingulorum. Prius de communibus dicam. Loquar autem nunc de iis, quæ ſcalpellum deſiderant: nam quæ vel ſanari non poſſint, vel aliter nutriri debeant, dicendum erit, ſimul [49] ad ſpecies ſingulas venero. Inciditur autem interdum inguen [50], interdum ſcrotum. In utraque curatione homo ante triduum [51] bibere aquam; pridie abſtinere etiam a cibo debet: ipſo autem die collocari ſupinus; deinde, ſi inguen incidendum eſt, idque jam pube contegitur, ante radendum eſt; & tum [52], extento ſcroto, ut cutis inguinis intenta ſit, id incidendum ſub imo ventre, qua cum abdomine tunicæ inferiores committuntur. Aperiendum autem audacter eſt, donec ſumma tunica, quæ ipſius ſcroti eſt, incidatur, perveniaturque ad eam, quæ media eſt. Plaga facta, foramen deorſum verſus ſub-

eſt.

46. *nervus*) Lindenius leg. *& nervus*.

47. *Super hæc*, *inguen quoque &c.*) Cod. Mediceus I. ita habet: *Super inguen quoq.* Sed cum *q.* ſuperinductum ſit a Palaviciño, videtur aliter ſcriptum fuiſſe. In aliis Codicibus additur *eum* poſt *inguen*.

48. *ramices implent*) Ita Conſtantinus ex conjectura, & Lindenius. Olim legebatur, *varices implent*. In Mſs. tamen eſt, non *varices*, ſed *varice*, in aliis *varicæ*, in aliis *variæ*, in aliis *varieæ*. Mediceus I. habet, *varice implicetur*. Fortaſſe igitur legendum, *ramice impletur*.

49. *ſimul*) Egnatius leg. *ſimul cum*; & ita eſt in multis Mſs. Ego ſecutus ſum Mediceum I. & Editiones priſcas. Alii cum Ruellio leg. *ſimul ac*.

50. *interdum inguen*) In Cod. Mediceo I. deeſt utraque harum vocum: in III. & VI. prior tantum.

51. *ante triduum*) *Ante* non eſt præpoſitio, ſed adverbium: *triduum* autem valet *triduo*, quod ipſum habent Codices plerique Mſs. ſed Mediceus vetuſtior *triduum*, ut eſt in antiquis Editionibus. Lindenius leg. *ante per triduum*.

52. *& tum*) In Editione an. 1538. & in Lindeniana omittitur *&*. Cod. Mediceus I. habet *& tunc*.

eſt. In id demittendus eſt ſiniſtræ manus digitus index, ut diductis intervenientibus membranulis, ſinum laxet [53]. Miniſter autem, ſiniſtra manu comprehenſo ſcroto, ſurſum verſus [54] eum debet extendere [55], & quam maxime ab inguinibus abducere; primum cum ipſo teſticulo, dum medicus omnes membranulas, quæ ſuper mediam tunicam ſunt, ſi digito diducere non poteſt, ſcalpello abſcindat: deinde ſine eo, ut is delapſus ipſi plagæ jungatur, digitoque inde promatur, & ſuper [56] ventrem cum duabus ſuis tunicis collocetur. Inde, ſi qua vitioſa ſunt, circumcidenda ſunt. In quibus cum multæ venæ diſcurrant, tenuiores quidem præcidi protinus poſſunt: majores vero ante longiore lino deligandæ ſunt; ne periculoſe ſanguinem fundant. Sin media tunica vexata erit, aut ſub ea malum increverit, excidenda erit, ſic, ut alte ad ipſum inguen præcidatur. Infra tamen non tota demenda eſt: nam quod ad baſim teſticuli vehementer cum ima tunica connexum eſt, excidi ſine ſummo periculo non poteſt: itaque ibi relinquendum eſt. Idem in ima quoque tunica, ſi læſa eſt, faciendum eſt. Sed non a ſumma inguinis plaga, verum infra paulum ea abſcindenda; ne læſa abdominis membrana inflammationes moveat. Neque tamen nimium ex ea rurſum [57] relinquendum eſt; ne poſtea ſinuetur, & ſedem eidem malo præſtet. Purgatus ita teſticulus per ipſam plagam cum venis, & arteriis, & nervo ſuo leniter demittendus eſt; videndumque, ne ſanguis in ſcrotum deſcendat, neve concretus aliquo loco maneat. Quæ ita fient, ſi venis vinciendo medicus proſpexerit. Lina, quibus capita earum continebuntur, extra plagam dependere debebunt: quæ, pure orto, ſine ullo dolore excident. Ipſi autem plagæ injiciendæ duæ fibulæ ſunt; & inſuper medicamentum, quo glutinetur [58]. Solet au-

53. *ſinum laxet*) Ita in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ; nec aliter legi poteſt. In Cod. Mediceo I. *ſinulaxet*. Alii leg. *ſimul laxet*.

54. *ſurſum verſus*) Codices Medicei vetuſtiores duo, id eſt I. & III. habent *ſuſum verſum*; al. *ſuſum verſus*; al. *ſurſum verſum*.

55. *eum debet extendere*) Pro *eum*, videtur legendum *id*, ſcilicet ſcrotum; ut Conſtantinus & Morgagnus adnotarunt. Niſi quis malit tollere vocem hanc, quæ omnino non eſt neceſſaria.

56. *ſuper*) Cod. Mediceus I. *ſupra*.

57. *rurſum*) Ita in Editione Lindenii. Alii leg. *ſurſum*; & ita habent Codices Mſs. vel *ſuſum*.

58. *glutinetur*) ſcilicet plaga. Alii leg. *glutinentur*; ſed perperam.

autem [59] interdum ab altera ora neceſſarium eſſe aliquid excidi, ut cicatrix major & latior fiat. Quod ubi incidit, linamenta ſuper, non fulcienda [60], ſed leviter [61] tantum ponenda [62] ſunt; ſupraque ea, quæ inflammationem repellant, id eſt, ex aceto vel lana ſuccida, vel ſpongia: cetera eadem, quæ, ubi pus moveri debet, adhibenda ſunt. At cum infra incidi oportet, reſupinato homine, ſubjicienda ſub ſcroto ſiniſtra manus eſt; deinde id vehementer apprehendendum, & incidendum; ſi parvulum eſt, quod nocet, modice, ut tertia pars integra, ad ſuſtinendum teſticulum, infra relinquatur: ſi majus eſt, etiam amplius, ut paulum tantummodo ad imum, cui teſticulus inſidere poſſit, integrum maneat. Sed primo rectus ſcalpellus quam leviſſima manu teneri debet, donec ſcrotum ipſum diducat: tum inclinandus mucro eſt, ut tranſverſas membranas ſecet, quæ inter ſummam mediamque tunicam ſunt. Ac [63], ſi vitium in proximo eſt, mediam tunicam attingi non oportet: ſi ſub illa quoque conditur, etiam illa incidenda eſt; ſicut tertia quoque, ſi illa vitium tegit. Vbicumque autem [64] repertum malum eſt, miniſtrum ab inferiore parte exprimere moderate ſcrotum oportet: medicum, digito manubriolove ſcalpelli [65] diductam inferiore parte tunicam [66] extra collocare; deinde eam ferramento, quod a ſimilitudine corvum [67] vocant, incidere, ſic, ut intrare [68] duo digiti, index & medius poſ-

 ſint:

59. *Solet autem*) Sic repoſui ex Cod. Mediceo I. Alii omittunt *autem*.

60. *non fulcienda*) In Cod. Mediceo I. *fulcienda*: mendoſe.

61. *leviter*) Aliqui Codices, *leniter*.

62. *ponenda*) *imponenda* Rhodius invenit in Codice quodam Ms. Codices Medicei habent *ponenda*, ſicut vulgati. Celſus porro & *ſuper ponere* uſurpat, & *ſuper imponere*.

63. *Ac*) Antea legebatur *At*. Ego repoſui *Ac* ex Cod. Mediceo I.

64. *Vbicumque autem*) Particula *autem* a pleriſque omittitur.

65. *manubriolove ſcalpelli*) Alii leg. *manubriolo vel ſcalpello*. In Cod. Mediceo I. habetur, *manubriolo vel ſcalpelli*: Palavicinus vero corrigit, *manubriolove ſcalpelli*; atque ita Conſtantinus & Lindenius recte legunt.

66. *diductam inferiore parte tunicam*) Olim legebatur; *diductam inferiorem partem tunicæ*; ut eſt in Mſs. pleriſque omnibus; ſed profecto mendoſe. Conſtantinus *tunicæ* reponendum cenſuit. Lindenius plura mutavit. Ita enim edidit: *diducta inferiore parte tunicam*. Ego, quod attinet ad verba illa, *inferiore parte tunicam*, Lindenium ſecutus ſum: ſed malui *diductam* retinere, ut ad tunicam referatur. Cod. Mediceus I. habet, *deducta inferiorem tunicam*: Palavicinus vero addidit *partem*, &, pro *tunicam*, *tunicæ* repoſuit.

67. *corvum*) Ita Conſtantinus legendum conjecit; ita edidit Lindenius. Alii leg. *curvum*; quemadmodum ego inveni in Mſs.

68. *ut intrare*) Aliqui cum Egnatio leg. *ut in eamdem intrare*; al. *ut in eadem intrare*: nimirum ex gloſſemate.

ſint: his deinde conjectis [69], excipienda [70] reliqua pars tunicæ; & inter digitos ſcalpellus immittendus eſt, eximendumque aut effundendum quidquid eſt noxium. Quamcumque autem tunicam quis violavit, illam quoque debet excidere; ac mediam quidem, ut ſupra dixi, quam altiſſime ad inguen [71]; imam autem, paulo infra. Ceterum antequam excidantur, hæ quoque vinciri lino ſummæ debent [72]; & ejus lini capita extra plagam relinquenda ſunt, ſicut in aliis quoque venis, quæ id requiſierint. Eo facto, teſticulus intus reponendus eſt: oræque ſcroti ſuturis inter ſe committendæ; neque paucis, ne parum glutinentur, & longior fiat curatio; neque multis, ne inflammationem augeant. Atque hic quoque videndum eſt, ne quid in ſcroto ſanguinis maneat: tum imponenda glutinantia ſunt. Si quando autem in ſcrotum ſanguis defluxit, aliquidve concretum ex eo decidit, incidi ſubter [73] id debet; purgatoque eo, ſpongia, acri aceto madens, circumdari. Deligatum [74] autem vulnus omne, quod ex his cauſis factum eſt, ſi dolor nullus eſt, quinque primis diebus non eſt reſolvendum, ſed bis die tantum aceto irroranda lana vel ſpongia [75]; ſi do-

69. *conjectis*) Et Codex a Conſtantino allatus, in quo eſt *confectis*, & ſi quis alius ita habet, corruptus eſt; nec debuit lectionem iſtam probare Lindenius. In Codicibus Vaticanis Mediceiſque eſt, *coniectis*. Conjiciendi autem intus digiti ſunt, ut ſcalpellus inter eos immitti poſſit. Vide Morgagn. Epiſt. VI.

70. *excipienda*) Ita in omnibus antiquis Editionibus & Mſs. Lindenius leg. *incidenda*.

71. *ut ſupra dixi, quam altiſſime ad inguen*) Ex verbis illis, quæ ſupra ſunt; *excidenda erit, ſic, ut alte ad inguen ipſum præcidatur*; quem locum deſignat Celſus ipſe per ea verba, *ut ſupra dixi*; Conſtantinus hic quoque reponit *ad inguen*, pro *ab inguine*, ut alii legunt, & omnes habent Mſs. Codices. Lindenius Conſtantinum ſequitur; ego utrumque.

72. *vinciri lino ſummæ debent*) Alii leg. *ſumme*, ut eſt in Mſs. Mediceis I. II. IV. V. VII. (in III. enim & VI. deeſt vox hæc); Palavicinus, *in ſummo*; Lindenius, *ſumma cura*. Ego *ſummæ* repoſui ex Conſtantino; id eſt ſumma parte, ad inguen. *Summum* autem eodem modo uſurpatur in lib. 8. cap. 9. ſect. 1. *linamentum, aut aliquid ex penicillo, quod ſummum lino ſit devinctum*.

73. *ſubter*) Cod. Mediceus I. *ſuper*.

74. *Deligatum*) Ita in Mſs. & in Editione Lindenii. Alii leg. *Deligatur*; iidemque verbis illis, *factum eſt*, ſententiam concludunt.

75. *aceto irroranda lana vel ſpongia*) Deligantur omnia hujuſmodi vulnera, ſpongia aut ſuccida lana ex aceto expreſſa prius impoſita; ut colligitur ex cap. 16. Lana igitur vel ſpongia, quæ impoſita eſt, quibus diebus vulnus non reſolvitur, bis die aceto irroranda. Nam ea *dum madet, prodeſt*, inquit lib. 5. cap. 26. ſect. 23. *itaque, ut inareſcat, non eſt committendum*. Conſtantinus Codicem attulit, qui, pro *irroranda*, habet *irrorandum*. Lindenius leg. *aceto irroranda, lana vel ſpongia impoſita*. Ego contra meos Codices nihil addo, nihilque muto.

ſi dolor eſt, tertio die [76] reſolvendum; &, ubi fibulæ ſunt, hæ incidendæ; ubi linamentum, id immutandum [77] eſt; roſaque & vino madefaciendum id, quod imponitur. Si inflammatio increſcit, adjiciendum prioribus cataplaſma ex lenticula & melle; vel ex malicorio, quod in auſtero vino coctum ſit; vel ex his miſtis. Si ſub his inflammatio non conquierit [78], poſt diem quintum multa calida aqua vulnus fovendum, donec ſcrotum ipſum & extenuetur, & rugoſius fiat: tum imponendum cataplaſma ex triticea farina, cui reſina pinea adjecta ſit: quæ ipſa, ſi robuſtus curatur, ex aceto; ſi tener, ex melle coquenda ſunt. Neque dubium eſt, quodcumque vitium fuit [79], ſi magna inflammatio eſt, quin ea, quæ pus movent, imponenda ſint. Quod ſi pus in ipſo ſcroto ortum eſt, paulum id incidi debet, ut exitus detur; linamentumque eatenus imponendum eſt, ut foramen tegat. Inflammatione finita, propter nervos propiore [80] cataplaſmate, dein cerato utendum eſt [81]. Hæc proprie ad ejuſmodi vulnera pertinent: cetera, & in curatione, & in victu, ſimilia iis eſſe debent, quæ in alio quoque vulnerum genere præcepimus.

XX. His propoſitis ad ſingulas ſpecies veniendum eſt. Ac ſi cui parvulo puero inteſtinum deſcendit, ante ſcalpellum experienda vinctura [82] eſt. Faſcia ejus rei cauſa fit, cui imo [83] loco pila aſſuta eſt ex panniculis facta, quæ ad repellendum inteſtinum ipſi illi ſubjicitur: deinde reliqua faſciæ pars arcte circumdatur. Sub quo ſæpe & intus compellitur inteſtinum, & inter ſe tunicæ glutinantur. Rurſus, ſi ætas proceſſit, multumque inteſtini deſcendiſſe ex tumore magno patet, adjiciunturque dolor & vo-

 mi-

76. *tertio die*) Al. *tertia die*. Ego repoſui *tertio die*, ut eſt in Cod. Mediceo I. Nam *dies* fere maſculino genere apud Celſum reperitur.

77. *immutandum*) Ita in Mſs. & in Edit. I. Alii leg. *mutandum*.

78. *conquierit*) Cod. Mediceus I. *conquieverit*.

79. *vitium fuit*) Olim legebatur, *initium fuit*, ut habet Codex Mediceus I. Lindenius repoſuit *vitium fuit*. In multis Codicibus legitur, *vitium eſt*.

80. *propiore*) Alii leg. *priore*; & ita eſt in Cod. Mediceo I. Codex VI. habet *propriore*; ceteri, *propiore*, ut edidit Lindenius. Poſterius certe cataplaſma emollit, ideoque nervis idoneum eſt: primum vero reprimit. Vide Morgagn. Epiſt. V.

81. *utendum eſt*) Verbum *eſt* omittitur in Cod. Mediceo I.

82. *vinctura*) Alii leg. *junctura*, ex frequenti illa ſyllabarum *iu* & *ui* commutatione.

83. *imo*) Al. *uno*.

mitus [84]; quæ ex ſtercore, ex cruditate [85] eo delapſo, fere accidunt; ſcalpellum adhiberi ſine pernicie non poſſe, manifeſtum eſt: levandum tantummodo malum, & per alias curationes extrahendum eſt. Sanguis mitti ex brachio debet: deinde, ſi vires patiuntur, imperanda tridui abſtinentia eſt; ſi minus, certe pro vi corporis quam longiſſima. Eodem [86] vero tempore ſuperhabendum cataplaſma ex lini ſemine, quod ante aliquis ex mulſo decoxerit. Poſt hæc, & farina hordeacea cum reſina injicienda; & is demittendus [87] in ſolium aquæ calidæ, cui oleum quoque adjectum ſit; dandumque aliquid cibi levis, calidi [88]. Quidam etiam alvum ducunt. Id deducere [89] aliquid in ſcrotum poteſt, educere ex eo non poteſt. Per ea vero, quæ ſupra ſcripta ſunt, levato malo, ſi quando alias dolor reverterit, eadem erunt facienda [90]. Sine dolore quoque ſi multa inteſtina prolapſa ſunt, ſecari ſupervacuum eſt: non quo non excludi a ſcroto poſſint [91]; niſi tamen id inflammatio prohibuit; ſed quo repulſa inguinibus immorentur, ibique tumorem excitent, atque ita fiat mali non finis, ſed mutatio. At in eo [92], quem ſcalpello curari oportebit, ſimul atque ad mediam tunicam, vulnus in inguine factum pervenerit, duobus hamulis ea juxta ipſas oras apprehendi debebit, dum di-

du-

84. *dolor & vomitus*) Lindenius leg. *dolores & vomitus*. In Codicibus ſane multis habetur *dolores*; cum tamen particula *&* deſit in iiſdem, *dolores* videtur mendoſe ſcriptum eſſe pro *dolor &*, ut eſt in Mediceo I. & in Editionibus antiquis.

85. *ex cruditate*) Alii leg. *& ex cruditate*, ut habet Codex Mediceus I. Alii cum Cæſario, *per cruditatem*. Ego ſic repoſui ex Codicibus II. IV. V. VII. In III. & VI. legitur, *& cruditate*.

86. *Eodem*) Cod. Mediceus vetuſtior habet *Eo*.

87. *is demittendus*) Lindenius leg. *ipſe demittendus*.

88. *levis, calidi*) In Editionibus antiquis, & in Mediceo I. aliiſque Mſs. legitur, *lenis calidi*. Conſtantinus malebat *levis*; quod & ego probavi. Lindenius vero ita edidit: *levis & calidi*.

89. *deducere*) Plerique Egnatium ſequuntur, qui edidit, *ducere*. Ego *deducere* retinui, quod ſit in Mſs. Hanc autem vim hoc loco habere videtur, ut motum ex ſuperioribus ad inferiora ſignificet. Ceterum etiam pro ſimplici *ducere* ſumi poteſt.

90. *eadem erunt facienda*) In Cod. Mediceo I. ita habetur: *eadē modum valere*, *qm erunt facienda*: ubi videtur aliquid ex margine in contextum irrepſiſſe. Pro *modum valere qm*, Palavicinus repoſuit *omnia*.

91. *non excludi a ſcroto poſſint*) Cæſarius habet, *non cludi ſcroto poſſint*; Egnatius aliique multi, *excludi a ſcroto non poſſint*.

92. *At in eo*) In Cod. Mediceo I. deeſt *At*; infraque, pro *dum*, eſt *cum*.

ductis [93] omnibus membranulis medicus eam liberet [94]. Neque enim cum periculo læditur [95], quæ excidenda [96] eſt; cum inteſtinum eſſe, niſi ſub ea, non poſſit. Vbi diducta autem erit, ab inguine uſque ad teſticulum incidi debebit, ſic, ne is ipſe [97] lædatur; tum excidi. Fere tamen hanc curationem puerilis ætas, & modicum malum recipit. Si [98] vir robuſtus eſt, majuſque id vitium eſt, extrahi teſticulus non debet, ſed in ſua ſede permanere. Id hoc modo fit. Inguen eadem ratione uſque ad mediam tunicam ſcalpello aperitur; eaque tunica eodem modo duobus hamis excipitur, ſic, ut a miniſtro [99] teſticulus eatenus contineatur, ne per vulnus exeat: tum ea tunica deorſum verſus ſcalpello inciditur; ſub eaque index digitus ſiniſtræ manus ad imum teſticulum demittitur, eumque ad plagam compellit: deinde dextræ manus duo digiti, pollex atque index, venam & arteriam & nervum tunicamque eorum a ſuperiore tunica diducunt. Quod ſi aliquæ membranulæ prohibent, ſcalpello reſolvuntur, donec ante oculos tota jam tunica ſit. Exciſis, quæ excidenda ſunt, repoſitoque teſticulo, ab ora quoque ejus vulneris, quod in inguine eſt, demenda habenula paulo latior eſt; quo major plaga ſit, & plus creare carnis poſſit.

XXI. 1. At ſi omentum deſcendit, eodem quidem modo, quo ſupra ſcriptum eſt, aperiendum inguen, diducendæque tunicæ ſunt: conſiderandum autem eſt, majorne is modus [1], an exiguus ſit. Nam

93. *diductis*) In vulgatis legitur *eductis*; in Mſs. *deductis*. Ego repoſui *diductis*.

94. *liberet*) Al. *liberat*.

95. *Neque enim cum periculo læditur*) Ab hamis tunicam lædentibus nullum periculum eſt, quia tunica illa excidenda eſt. Lindenius leg. *Neque enim niſi cum periculo læditur*: & ante eum Conſtantinus *non niſi* inſerendum putaverat. Quibus nullo modo aſſentiendum eſt.

96. *excidenda*) Aliqui variare conati ſunt, ut Conſtantinus ſcribit, legentes *incidenda*; ſed ſine cauſa. Nam ſi incidenda tunica eſt, illud quoque ſequitur, ut excidenda ſit, ex cap. præcedenti. *Quamcumque autem tunicam quis violavit, illam quoque debet excidere*. Itaque hic quoque *incidi debebit*; *tum excidi*, ut eſt paulo infra. Lindenius tamen *incidenda* recipere non dubitavit; quod ullone in Codice invenerit, neſcio. Mei quidem omnes habent *excidenda*.

97. *is ipſe*) Alii cum Cæſario omittunt vocem *is*; alii leg. *his ipſe*, ut eſt in Cod. Mediceo I. Sed legendum *is ipſe*; & ita Editio I. multique Codices habent.

98. *Si*) Linden. *Sin*.

99. *a miniſtro*) Lindenius leg. *a ſiniſtro*; ſcilicet hamo. Sed perperam. Tunica hamis excipienda, non teſticulus, qui nullo modo lædi debet. Vide Morgagn. Epiſt. VI.

1. *is modus*) Lindenius leg. *ejus modus*.

Nam quod parvulum eſt, ſuper inguen in alvum [2] vel digito vel averſo ſpecillo [3] repellendum eſt: ſi plus eſt, ſinere oportet dependere, quantum ex utero prolapſum eſt; idque adurentibus medicamentis illinere, donec emoriatur & excidat. Quidam hic quoque duo lina acu trajiciunt, biniſque ſingulorum capitibus diverſas partes adſtringunt; ſub quo æque, ſed tardius emoriatur [4]. Adjicitur tamen hic quoque celeritati, ſi omentum ſuper vinculum illinitur medicamentis, quæ ſic exedunt, ne erodant [5]: σηπτὰ Græci vocant [6]. Fuerunt etiam, qui omentum forfice præciderent: quod in parvulo non eſt neceſſarium: ſi majus eſt, poteſt profuſionem ſanguinis facere; ſiquidem omentum quoque venis quibuſdam, etiam majoribus illigatum eſt. Neque vero, ſi diſciſſo [7] ventre id prolapſum [8] forfice præciditur, cum & emortuum fit, & aliter tutius avelli non poſſit, inde huc exemplum transferendum eſt. Vulnus autem curari, ſi relictum [9] omentum eſt, ſutura debet: ſi id amplius fuit, & extra emortuum eſt [10], excifis oris, ſicut ſupra propoſitum [11] eſt.

2. Si vero humor intus eſt, incidendum eſt, in pueris quidem, in-

2. *in alvum*) Idem leg. *in uterum*. Sane & paulo infra, & ſæpe alibi *uterum* Celſus pro *alvo* uſurpavit. Alicubi Mſs. variant, ut cap. 14. ubi vide adnotat. 79. Hic vero ad unum omnes habent *in alvum*.

3. *averſo ſpecillo*) Pro *averſo*, Stephanus & Lindenius leg. *adverſo*: quæ duæ voces, ut alias dixi, ſæpe inter ſe commutantur in Mſs. Mediceus I. aliique melioris notæ Codd. hoc loco habent *averſo*; nec aliter legendum eſt. Etiam cap. proximo Stephanus *averſo ſpecillo* habet cum pleriſque, ubi *averſo* recte edidit Lindenius, Mediceo I. aliiſque Mſs. multis ſuffragantibus.

4. *emoriatur*) Ita in omnibus antiquis libris. Lindenius leg. *emoritur*.

5. *quæ ſic exedunt, ne erodant*) In Cod. Mediceo I. *quæ ſic excedent, ne erodant*: mendoſe. Lindenius leg. *quæ exedunt, nec erodunt*.

6. σηπτὰ *Græci vocant*) Cod. Mediceus I. & Editiones antiquiores, *ſepſa*; Codices ceteri Medicei, *ſepta*; Editio Aldina σηπτὰ, græcis litteris. Lindenius aliique, præeunte Cæſario, leg. σηπτικὰ. Vide lib. 5. cap. 19. ſect. 18. & quæ ibi adnotavi. Fortaſſe tamen tres hæ voces additæ ſunt ex interpretatione, olim margini adſcripta.

7. *diſciſſo*) Codices Mſs. & Editiones veteres habent *diſcuſſo*. Lindenius, Conſtantinum ſecutus, correxit, *diſciſſo*. Sed fortaſſe legendum, *percuſſo*. Vide adnotat. 69. lib. 5. cap. 26. ſect. 17.

8. *id prolapſum*) ſcilicet omentum. Lindenius leg. *id, quod prolapſum eſt*.

9. *relictum*) Capite itidem 19. *Neque tamen nimium ex ea* (membrana) *rurſum relinquendum eſt*. Alii, referente Conſtantino, leg. *reductum*: atque ita edidit Lindenius. Sed in antiquis Editionibus legitur, ut in Cod. Mediceo I. *relictum*. Aliqui Codices habent *reiectum*.

10. *ſi id amplius fuit, & extra emortuum eſt*) Pro *fuit*, multi Mſs. habent *fluit*. In Mediceo I. ita legitur: *ſi amplius fuit, & extra ortum eſt*.

11. *propoſitum*) Cod. Mediceus I. *poſitum*.

inguen; niſi in his quoque id [12] liquoris ejus major modus prohibet: in viris vero, & ubicumque multus humor ſubeſt, ſcrotum. Deinde, ſi inguen inciſum eſt, eo [13] protractis tunicis, humor effundi debet: ſi ſcrotum, & ſub hoc protinus vitium eſt, nihil aliud quam humor effundendus [14], abſcindendæque membranæ [15] ſunt, ſi quæ eum continuerunt; deinde eluendum id ex aqua, quæ vel ſalem adjectum, vel nitrum habeat: ſi ſub media, imave tunica, totæ eæ extra ſcrotum collocandæ, excidendæque ſunt.

XXII. Ramex autem, ſi ſuper ipſum ſcrotum eſt, adurendus eſt tenuibus & acutis ferramentis, quæ ipſis venis inſigantur; cum eo, ne amplius quam has urant; maximeque, ubi inter ſe implicatæ glomerantur, eo ferrum id admovendum eſt; tum ſuper farina ex aqua frigida ſubacta injicienda eſt; utendumque [16] eo vinculo, quod idoneum eſſe ani curationibus poſui: tertio die lenticula cum melle imponenda eſt: poſt, ejectis cruſtis, ulcera melle purganda, roſa implenda, ad cicatricem [17] aridis linamentis perducenda ſunt. Quibus vero ſuper mediam tunicam venæ tument, incidendum inguen eſt, atque tunica promenda [18], ab eaque venæ digito vel manubriolo ſcalpelli ſeparandæ. Qua parte vero inhærebunt, & ab ſuperiore & ab inferiore parte lino vinciendæ, tum ſub ipſis vinculis præcidendæ, reponenduſque teſticulus eſt. At ubi ſupra tertiam tunicam ramex inſedit, mediam excidi neceſſe eſt. Deinde, ſi duæ treſve venæ tument, & ita pars aliqua obſidetur, ut major eo vitio vacet [19], idem faciendum, quod ſupra ſcriptum eſt; ut & ab inguine [20], & a teſticulo

12. *id*) Hanc vocem, quam alii omittunt, ſed Conſtantinus repetit in ſuo Codice, ego ex omnium fere Mſs. fide reſtitui. Mediceus I. pro *id* habet *&*.

13. *eo*) In multis Mſs. *ea*.

14. *effundendus*) Ita ex Cod. Mediceo I. Codices alii habent *eſt fundendus*; ex quorum aliquo verbum *eſt* Palavicinus addidit in I. Hinc in vulgatis libris, *eſt effundendus*.

15. *membranæ*) Stephani Editio habet *membranulæ*.

16. *injicienda eſt; utendumque &c.*) Cod. Mediceus I. *incidenda, utendumque*.

17. *ad cicatricem*) Linden. *& ad cicatricem*.

18. *promenda*) Alii ex depravatis Codicibus leg. *promovenda*. Sub fine quoque hujus capitis habetur, *media tunica promenda*.

19. *ut major eo vitio vacet*) Hæc Lindenii lectio confirmatur teſtimonio Codicis Medicei I. Alii leg. *ut majore vitio vacet*; ſed nonnulli, ut teſtatur Conſtantinus, reponunt *major*.

20. *ut & ab inguine*) Ita legitur in Cod. Mediceo I. In aliis Mſs. & in omnibus vulgatis libris omittitur particula *&*.

lo deligatæ venæ præcidantur, iſque condatur. Sin totum id ramex obſederit, per plagam demittendus digitus index erit, ſubjiciendusque venis, ſic, ut paulatim eas protrahat [21]; eæque adducendæ [22], donec is teſticulus par alteri fiat: tum fibulæ oris ſic injiciendæ [23], ut ſimul eas quoque venas comprehendant. Id hoc modo fit. Acus ab exteriore parte oram vulneris perforat: tum non per ipſam venam, ſed per membranam ejus immittitur, perque eamque in alteram oram compellitur. Venæ vulnerari non debent [24], ne ſanguinem fundant. Membrana ſemper inter has venas eſt, ac neque periculum affert, & filo comprehenſa [25] illas abunde tenet. Itaque etiam ſatis eſt, duas fibulas eſſe. Tum venæ, quæcumque protractæ ſunt, in ipſum inguen averſo ſpecillo compelli debent [26]. Solvendi fibulas tempus, inflammatione finita, & purgato vulnere, eſt; ut una ſimul & oras & venas cicatrix devinciat. Vbi vero inter imam tunicam & ipſum teſticulum nervumque ejus ramex ortus eſt, una curatio eſt, quæ totum teſticulum abſcindit. Nam neque ad generationem quidquam is confert, & omnibus indecore, quibuſdam etiam cum dolore dependet. Sed tum quoque inguen incidendum; media tunica promenda, atque excidenda [27] eſt; idem in ima faciendum; nervuſque, ex quo teſticulus dependet, præcidendus [28]: poſt id venæ & arteriæ ad inguen lino deligandæ, & infra vinculum abſcindendæ ſunt.

XXIII.

21. *eas protrahat*) Alii omittunt vocem *eas*, quæ eſt in Mſs. & in Editione I.

22. *eæque adducendæ*) Antea legebatur, *æque adducendo*; quod eſt a Palavicino. Ego ſic repoſui. Nam in Cod. Mediceo I. habetur, *eæque adducendæque*: in ceteris, *æque adducendæ*.

23. *injiciendæ*) Alii leg. *incidendæ*; alii *vinciendæ*: ſed perperam.

24. *Venæ vulnerari non debent*) Codex Mediceus I. *vena vulnerari non debet*: deinde vero, *fundat*.

25. *comprehenſa*) membrana videlicet. In Cod. Mediceo I. eſt *comprehenſo*: Palavicinus vero corrigit, *comprehenſas*; & ita legitur in vulgatis libris. Ego *comprehenſa* repoſui ex aliis Mſs.

26. *averſo ſpecillo compelli debent*) *averſo*, legendum eſſe, non, ut veteres Editiones habent, *adverſo*, ſupra a nobis propoſitum eſt. Nunc addo, *comprehendi* mendoſe item eſſe in iiſdem Editionibus; & *compelli* legi debere ex Mſs. & Lindenii Editione. Neque tamen hic locus omnino recte ſe habet in Editione illa; ſed, ſicut in Cæſariana quoque & in aliis pluribus, prava interpunctione laborat. Nam verba ita dividuntur: *quæcumque protractæ ſunt in ipſum inguen, averſo ſpecillo &c.*

27. *excidenda*) Codex Mediceus I. habet *incidenda*.

28. *præcidendus*) Idem Codex addit *eſt*.

XXIII. Caro quoque, ſi quando inter tunicas increvit [29], nihil dubii eſt, quin eximenda ſit: ſed id, ipſo ſcroto inciſo, fieri commodius eſt. At ſi nervus induruit, curari res neque manu [30], neque medicamento poteſt. Vrgent enim febres ardentes, & aut virides, aut nigri vomitus; præter hæc, ingens ſitis, & linguæ aſpritudo; fereque a die tertio ſpumans bilis alvo cum roſione redditur: ac neque [31] aſſumi facile cibus, neque contineri poteſt: neque multo poſt extremæ partes frigeſcunt, tremor oritur, manus ſine ratione extenduntur; deinde in fronte frigidus ſudor, eumque mors ſequitur.

XXIV. Vbi vero in ipſo inguine ramex eſt, ſi tumor modicus eſt, ſemel incidi; ſi major, duabus lineis debet, ut medium excidatur: deinde, non extracto teſticulo, ſicut inteſtinis quoque prolapſis interdum fieri docui, colligendæ venæ, vinciendæque, ubi tunicis inhærebunt, & ſub his nodis præcidendæ [32] ſunt. Neque quidquam novi curatio vulneris ejus requirit.

XXV. 1. Ab his ad ea tranſeundum eſt, quæ in cole ipſo fiunt. In quo ſi glans nuda eſt, vultque aliquis eam decoris cauſa tegere, fieri poteſt: ſed expeditius in puero, quam in viro; in eo, cui id naturale eſt, quam in eo, qui quarumdam gentium more circumciſus eſt; in eo, cui glans parva juxtaque eam cutis ſpatioſior, brevis ipſe coles eſt [33], quam in quo contraria his ſunt. Curatio autem eorum, quibus id naturale eſt, ejuſmodi eſt. Cutis circa glandem prehenditur & extenditur, donec illam ipſam condat; ibique deligatur: deinde, juxta pubem, in orbem tergus inciditur, donec coles nudetur; magnaque cura cavetur, ne vel urinæ iter, vel venæ, quæ ibi ſunt, incidantur. Eo fa-

 cto,

29. *increvit*) Ita Lindenius. Alii leg. *concrevit*, ut eſt in Cod. Mediceo I. Codices alii habent *creſcit*. Cap. 18. ſine ulla Codicum varietate legitur; *aliquando caro quoque inter tunicas increſcit*.

30. *neque manu*) Hæ duæ voces deſunt in Cod. Mediceo I.

31. *ac neque*) Sic repoſui, cum in aliis Mſs. ſit, *at neque*; in aliis, *ad neque*. Vulgati habent, *Atque neque*.

32. *ſub his nodis præcidendæ*) Cod. Mediceus I. non habet vocem *nodis*.

33. *juxtaque eam cutis ſpatioſior, brevis ipſe coles eſt*) Ita Lindenius reſtituit locum hunc, qui in prioribus Editionibus & in Mſs. corruptus eſt. Nam legebatur; *juxtaque eam cutis, ſpatioſior vero ipſe coles eſt*. Lindenii lectio probabilis videri poteſt: fortaſſe tamen particulam *vero* aliquis retinendam cenſebit, hoc modo, *brevis vero &c.* vel *brevior* ex ea faciendum, non *brevis*.

ĉto, cutis ad vinculum inclinatur, nudaturque circa pubem velut circulus; eoque linamenta dantur [34], ut caro increſcat, & id impleat: ſatiſque velamenti ſupra latitudo plagæ præſtat [35]. Sed, donec cicatrix ſit, vinĉtum eſſe id debet; in medio tantum reliĉto exiguo urinæ itinere. At in eo, qui circumciſus eſt, ſub circulo glandis ſcalpello diducenda cutis ab interiore cole eſt. Non ita dolet, quia, ſummo ſoluto, diduci deorſum uſque ad pubem manu poteſt; neque ideo ſanguis profluit. Reſoluta autem cutis rurſus extenditur ultra glandem: tum multa frigida aqua fovetur; emplaſtrumque circa datur [36], quod valenter inflammationem reprimat; proximiſque diebus, & prope a fame viĉtus eſt [37], ne forte eam partem ſatietas excitet. Vbi jam ſine inflammatione eſt, deligari debet a pube uſque circulum: ſuper glandem autem, adverſo [38] emplaſtro impoſito, induci. Sic enim fit, ut inferior pars glutinetur; ſuperior ita ſaneſcat, ne inhæreat.

2. Contra, ſi glans ita conteĉta eſt, ut nudari non poſſit (quod vitium Græci φίμωσιν appellant) aperienda eſt: quod hoc modo fit. Subter a ſumma ora, cutis inciditur reĉta linea uſque ad frenum; atque ita ſuperius tergus relaxatum, cedere retro poteſt. Quod ſi parum ſic profeĉtum eſt, aut propter anguſtias, aut propter duritiem tergoris, protinus triangula forma cutis ab inferiore parte excidenda eſt, ſic, ut vertex ejus ad frenum, baſis in tergo extremo ſit. Tum ſuperdanda linamenta ſunt, aliaque medicamenta quæ ad ſanitatem perducant. Neceſſarium autem

eſt,

34. *eoque linamenta dantur*) Ita magno conſenſu libri veteres habent, tum vulgati, tum etiam Mſs. neque video quid ſit in hac leĉtione, cur eam non probemus. Attamen Conſtantinus legere malebat, *ſuper eoque linamenta dantur*. Lindenius vero ita edidit: *tum ſuper eo linamenta dantur*.

35. *præſtat*) Conſtantinus & Lindenius ita legunt hunc locum: *& id impleat, ſatiſque velamenti ſupra latitudo plagæ præſtet*. Ego, mutata interpunĉtione, *præſtat*, quod eſt in Mſs. & in Editionibus antiquis, retineri poſſe exiſtimavi.

36. *emplaſtrumque circa datur*) Lindenius leg. *emplaſtroque circumdatur*, ut in Codice Conſtantini. Codices Medicei & Vaticani cum vetuſtis Editionibus habent, *emplaſtrumque circa datur*.

37. *proximiſque diebus, & prope a fame viĉtus eſt*) Ita in Mſs. in quibus verba aliqua deeſſe videntur poſt *diebus*. Lindenius ſic repoſuit: *proximiſque diebus abſtinere, donec prope a fame viĉtus ſit*. Hæc ſane videtur eſſe Celſi ſententia; ſed, quantum ex antiqua ſcriptura colligitur, aliis ille verbis eam expreſſit. In Cod. Mediceo I. Palavicinus *et* in *ut* mutavit (unde & veteres Editiones habent *ut prope*) atque *abſtineat* addidit poſt *viĉtus eſt*. Ego Celſi verba deſiderari malui, quam aliena ei tribuere.

38. *adverſo*) Codex Mediceus I. & alii multi habent *averſo*.

eſt, donec cicatrix ſit, conquieſcere: nam ambulatio, atterendo ulcus ſordidum reddit.

3. Infibulare quoque adoleſcentulos interdum vocis [39], interdum valetudinis cauſa quidam conſuerunt [40]: ejuſque hæc ratio eſt. Cutis, quæ ſuper glandem eſt, extenditur, notaturque utrimque a lateribus atramento, qua perforetur [41]; deinde remittitur. Si ſuper glandem notæ revertuntur, nimis apprehenſum eſt, & ultra notari debet: ſi glans ab his libera eſt, is locus idoneus fibulæ eſt. Tum, qua notæ ſunt, cutis acu filum ducente tranſuitur [42], ejuſque fili capita inter ſe deligantur, quotidieque id movetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant. Vbi eæ confirmatæ ſunt, exempto filo fibula additur [43], quæ, quo levior [44], eo melior eſt. Sed hoc quidem ſæpius inter ſupervacua, quam inter neceſſaria eſt.

XXVI. 1. Res vero interdum cogit emoliri manu urinam, cum illa non redditur, aut quia ſenectute iter ejus collapſum eſt, aut quia calculus, vel concretum aliquid ex ſanguine intus ſe oppoſuit: ac mediocris quoque inflammatio ſæpe eam reddi naturaliter prohibet. Idque [45] non in viris tantummodo, ſed in fœminis quoque interdum neceſſarium eſt. Ergo æneæ fiſtulæ fiunt [46]; quæ [47], ut omni corpori, ampliori minorique ſufficiant, ad mares, tres; ad fœminas, duæ medico habendæ ſunt: ex virilibus [48] maxima, decem & quinque digitorum; media, duodecim; mini-

39. *interdum vocis*) Aliqui has duas voces omittunt. Et ſane Mediceus I. nonnullique alii Codices eas non habent. Errandi librariis cauſa hoc loco eadem fuit, quæ ſæpe alibi: proximum ſcilicet inciſum, quod per eamdem vocem inchoatur.

40. *conſuerunt*) Codex Mediceus I. *conſueverunt*; deinde, *eius*, pro *ejuſque*.

41. *perforetur*) Al. *perforatur*.

42. *tranſuitur*) Cod. Mediceus I. *tranſitur*.

43. *additur*) Lindenius leg. *inditur*, ut habet Codex quidam apud Conſtantinum. Codices Medicei habent *additur*, itemque Vaticani: ſupra vero *exempto*, non, ut edidit Lindenius, *excepto*. Vide quæ adnotavi ad lib. 6. cap. 6. ſect. 31.

44. *levior*) Rhodius de Acia cap. 6. interpretatur, *lævigata*.

45. *Idque*) h. e. emoliri manu urinam. Scaliger refert ad ea, quæ proxime antecedunt, *eam reddi naturaliter prohibet*; & in fine periodi tollit duo illa verba *neceſſarium eſt*; quæ, ut ipſe putat, ex gloſſemate inſerta ſunt. Sed nihil movendum videtur.

46. *æneæ fiſtulæ fiunt*) Aliqui leg. *aheneæ &c.* In Codicibus Mediceis, excepto primo, ita habetur: *aheneæ* (in III. & VI. *enee*) *tenues fiſtulæ fiunt*.

47. *quæ*) Lindenius leg. *eæque*.

48. *ex virilibus*) Vulgo hinc alia ſententia inchoatur: infra vero legitur, *decem & quinque eſt digitorum*. In Codice ſane Mediceo I. ita habetur: *X. et V. ē digitorum*: ſed *eſt* melius omittitur in III. & aliis multis; ut hæc quoque pendeant a verbo *habendæ*.

ma, novem: ex muliebribus [49] major, novem; minor, ſex. Incurvas vero eſſe eas paulum, ſed magis viriles oportet, læveſque admodum; ac neque nimis plenas, neque nimis tenues. Homo tum reſupinus eo modo, quo in curatione ani figuratur [50], ſuper ſubſellium aut lectum collocandus eſt. Medicus autem a dextro latere, ſiniſtra quidem manu colem maſculi continere, dextra vero fiſtulam demittere in iter urinæ debet: atque ubi ad cervicem veſicæ ventum eſt, ſimul cum cole fiſtulam inclinatam in ipſam veſicam compellere, eamque, urina reddita, recipere. Fœmina brevius urinæ iter, ſimul & rectius habet [51]; quod mammulæ [52] ſimile, inter imas oras ſuper naturale poſitum, non minus ſæpe auxilio eget, aliquanto minus difficultatis exigit [53]. Nonnumquam etiam prolapſus in ipſam fiſtulam calculus, quia [54] ſubinde ea extenuatur, non longe ab exitu inhæreſcit. Eum, ſi fieri poteſt, oportet evellere [55], vel oriculario ſpecillo, vel eo ferramento, quo in ſectione calculus protrahitur. Si id fieri non potuit, cutis extrema quamplurimum attrahenda, &, condita glande, lino vincienda eſt: deinde a latere recta plaga coles incidendus, & calculus eximendus eſt: tum cutis remittenda. Sic enim fit, ut inci-

ſum

49. *ex muliebribus*) In aliquibus Codicibus & in Edit. an. 1493. aliiſque nonnullis, *ex mulieribus:* quod ego non adnotaſſem, niſi idem hoc mendum rurſus apparuiſſet in Editione Almeloveeniana, quamvis Lindenius recte ediderit, *ex muliebribus*.

50. *eo modo, quo in curatione ani figuratur*) Modus iſte neque propoſitus a Celſo uſquam eſt, neque huc aptus eſſet; ut egregie animadvertit Morgagnus. Atque ego quidem varietatem in Mſs. aliam non inveni, præterquam *curationem*, pro *curatione*, in Mediceo I. Quid in ſuis Mſs. habuerit Lindenius, mihi compertum non eſt: ſed ita edidit: *eo modo, quo in curatione calculi figuratur*. Verum Morgagno non videtur veriſimile, voluiſſe Celſum gravi illa, ac moleſta, minimeque hic neceſſaria ratione ægrum componi, quæ ſectione proxima deſcribitur. Itaque ſuſpicatur, vel alterius curationis nomen ab ipſo fuiſſe poſitum, vel hæc verba ex adnotatione aliqua in contextum irrepſiſſe.

51. *brevius urinæ iter, ſimul & rectius habet*) Sic emendavit Lindenius corruptam aliorum lectionem, *brevius urinæ ſimiliter, & rectius iter habet*; ejuſque emendationem Codex Mediceus I. non parum confirmat, in quo ita eſt: *brevius urinæ ſimiliter et rectius habet*. Codices Medicei ceteri habent; *brevius urinæ ſimiliter erectius* (III. & VI. *erectus*) *iter habet*.

52. *mammulæ*) Lindenius leg. *carunculæ*. Sed omnes mei Codices habent *mammulæ*, ut alii legunt. Vide Morgagn. Epiſt. V.

53. *aliquanto minus difficultatis exigit*) poſtulat. Ita in Editionibus antiquis, & in Vaticanis Mediceiſque Codicibus. Lindenius leg. *ſed aliquanto minus difficultatis exhibet*; ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

54. *quia*) Vulgo legitur, *qui*. Morgagnus ex conjectura malebat *quia*, vel *qua*; quorum primum a veteri Codice comprobatum invenit. Codex quoque Mediceus I. habet *quia*. Itaque ſic repoſui.

55. *evellere*) Al. *vellere*.

ſum colem integra pars cutis contegat, & urina naturaliter profluat.

2. Cum veſicæ vero, calculique facta mentio ſit; locus ipſe exigere videtur, ut ſubjiciam, quæ curatio calculoſis, cum aliter ſuccurri non poteſt, adhibeatur. Ad quam feſtinare, cum præceps ſit, nullo modo convenit. Ac neque omni tempore, neque in omni ætate, neque in omni vitio id experiendum eſt: ſed ſolo vere; in eo corpore, quod jam novem annos, nondum quatuordecim exceſſit; & ſi tantum mali ſubeſt [56], ut neque medicamentis vinci poſſit, neque etiam trahi poſſe videatur [57], quominus interpoſito aliquo ſpatio interimat. Non quo non interdum etiam temeraria medicina proficiat; ſed quo ſæpius utique in hoc fallat, in quo plura & genera & tempora periculi ſunt. Quæ ſimul cum ipſa curatione proponam. Igitur, ubi ultima experiri ſtatutum eſt, ante aliquot diebus victu corpus præparandum eſt: ut modicos, ut ſalubres cibos, ut minime glutinoſos aſſumat, ut aquam bibat. Ambulandi vero inter hæc exercitatione utatur [58], quo magis calculus ad veſicæ cervicem deſcendat. Quod an inciderit, digitis quoque, ſicut in curatione docebo, demiſſis cognoſcitur. Vbi ejus rei fides eſt, pridie is puer in jejunio continendus eſt; & tum loco calido curatio adhibenda, quæ hoc modo ordinatur. Homo prævalens & peritus in ſedili alto conſidit, ſupinumque eum & averſum [59], ſuper genua ſua coxis ejus collocatis, comprehendit; reductiſque ejus cruribus, ipſum quoque jubet, manibus ad ſuos poplites datis, eos, quam maxime poſſit, attrahere; ſimulque ipſe ſic eos continet. Quod ſi robuſtius corpus ejus eſt, qui curatur, duobus ſedilibus junctis, duo valentes inſidunt; quorum [60] & ſedilia & interiora crura inter ſe deligantur, ne diduci poſſint: tum is ſuper duorum genua eodem modo collocatur; atque alter, prout conſedit, ſiniſtrum crus ejus,

56. *tantum mali ſubeſt*) In Cod. Mediceo I. legitur, *tantum mali eſt*.

57. *neque etiam trahi poſſe videatur*) Ita in vulgatis libris. Codex Mediceus I. habet, *neque eam trahi &c.* reliqui ſex, *neque eam cum trahi &c.*

58. *Ambulandi vero inter hæc exercitatione utatur*) Eadem forma lib. 4. cap. 4. ſect. 3. dixit, *Exercitatio quoque ambulandi currendique neceſſaria:* ubi omnes veteres Codices conſentiunt. At hic Mediceus I. ita habet: *ambulatione utatur*.

59. *averſum*) Plerique leg. *adverſum:* ſed perperam; ut quivis intelligere poteſt.

60. *quorum*) Et in Cod. Mediceo I. & in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ legitur *quorum*. Alii leg. *quo;* ſed non recte.

ejus, alter dextrum, ſimulque ipſe poplites ſuos attrahit. Sive autem unus, ſive duo continent, ſuper humeros ejus ſuis pectoribus incumbunt. Ex quibus evenit, ut inter ilia ſinus ſuper pubem ſine ullis rugis ſit extentus, &, in anguſtum compulſa veſica, facilius calculus capi poſſit. Præter hæc, etiamnum a lateribus duo valentes objiciuntur, qui circumſtantes, labare [61] vel unum vel duos, qui puerum continent, non ſinunt. Medicus deinde, diligenter unguibus circumciſis, atque ſiniſtra manu, duos ejus digitos [62], indicem & medium, leniter prius unum, deinde alterum in anum ejus demittit; dextræque digitos ſuper imum abdomen leniter imponit; ne, ſi utrimque digiti circa calculum vehementer concurrerint, veſicam lædant [63]. Neque vero feſtinanter in hac re, ut in pleriſque, agendum eſt; ſed ita, ut quam maxime id tuto fiat: nam læſa veſica nervorum diſtentiones cum periculo mortis excitat. Ac primum circa cervicem quæritur calculus: ubi repertus [64], minore negotio expellitur. Et ideo dixi, ne curandum quidem, niſi cum hoc indiciis ſuis cognitum eſt. Si vero aut ibi non fuit, aut receſſit retro, digiti ad ultimam veſicam dantur; paulatimque dextra quoque manus ejus ultra translata ſubſequitur. Atque ubi repertus eſt calculus; qui neceſſe eſt

in

61. *labare*) Alii leg. *levari*; alii, *levare*, ut eſt in multis Mſs. Mediceus I. habet *labere*, quod proxime accedit ad *labare*, quod eſt in Editione Lindenii & in margine Conſtantinianæ.

62. *atque ſiniſtra manu, duos ejus digitos*) Loco huic manifeſte corrupto nondum medicina inventa eſt, ut mihi quidem videtur. Palavicinus tollit vocem *ejus*, & *ſiniſtra manu* in *ſiniſtræ manus* vertit. Sed remedium minus idoneum eſt, quia particula *atque* in conſtructione iſta redundat. Lindenius tollit etiam particulam hanc, & leg. *ſiniſtræ manus duos digitos*: quæ lectio nihil habet offenſionis; ſed fortaſſe nimia mutatio eſt, neque ullo Ms. Codice confirmatur. Remedium aliud Conſtantinus affert ex Codice neſcio quo, ut legatur; *ſedet, atque ſiniſtræ manus duos digitos*. Sed Codicis illius fides nobis ſuſpecta eſt, quod in Vaticanis Mediceiſque verbi *ſedet* veſtigium nullum appareat: contra vox *ejus* utique in iis habeatur. Quoniam igitur emendationes iſtæ videntur eſſe ex conjectura, juvat me quoque divinare. Fortaſſe legendum eſt; *unctaque* (vel *atque uncta*) *ſiniſtra manu, duos ejus digitos &c.* quemadmodum cap. 29. dixit; *Hac occaſione uſus Medicus, unctæ manus indicem digitum primum debet inſerere &c.* Porro digitos, qui in hac curatione in anum demittendi ſunt, oleo ungi debere, Paulus quoque Ægineta ſcribit in lib. 6. cap. 60. idque adeo neceſſarium viſum eſt Lindenio, ut, cum a Celſo prætermiſſum non crederet, verba quæ ſtatim ſequuntur, ita immutarit: *indicem & medium, leniter prius unctos oleo, in anum ejus demittere*. Sed illa quidem verba ſuæ fidei Morgagnus reſtituit ex multis antiquis libris, cum quibus omnes Medicei Vaticanique conſentiunt.

63. *lædant*) Lindenius, *lædat*.

64. *ubi repertus*) Al. *ibi repertus*.

in manus incidat; eo curioſius deducitur, quo minor læviorque eſt; ne effugiat, id eſt, ne ſæpius agitanda veſica ſit. Ergo ultra calculum dextra ſemper manus ejus opponitur [65]; ſiniſtræ digiti deorſum eum compellunt [66], donec ad cervicem pervenitur. In quam, ſi oblongus eſt, ſic compellendus eſt, ut pronus exeat [67]; ſi planus, ſic, ut tranſverſus ſit; ſi quadratus, ut duobus angulis ſedeat; ſi altera parte plenior, ſic, ut prius ea, qua tenuior ſit, evadat. In rotundo nihil intereſſe, ex ipſa figura patet; niſi, ſi lævior altera parte eſt, ut ea antecedat. Cum jam eo venit, incidi ſuper veſicæ cervicem juxta anum cutis plaga lunata uſque ad cervicem veſicæ debet [68], cornibus ad coxas ſpectantibus paulum: deinde ea parte, qua reſima plaga eſt [69], etiamnum ſub cute altera tranſverſa plaga facienda eſt, qua cervix aperiatur; donec uri-

næ

65. *ejus opponitur*) Ita in Cod. Mediceo I. & antiquis Editionibus. In aliis Codicibus, *eius opponit*. Lindenius leg. *ei ſe opponit*.

66. *ſiniſtræ digiti deorſum eum compellunt*) Pro *compellunt*, in Edit. I. eſt *compellnt*; unde in Editionibus 1493. 1497. 1524. & Aldina factum eſt, *compellit*. Lindenius leg. *ſiniſtra eum compellit deorſum digitis*; quod minus probandum. Vetus quidem Codex a Conſtantino allatus habet, *ſiniſtra digitis eum compellit*: at noſtri omnes, *ſiniſtræ digiti deorſum eum compellunt*.

67. *ut pronus exeat*) quia minorem plagam requirit, quam ſi erectus exiret. Male Conſtantinus, contra vetuſtos Codices, *ut ne pronus exeat*; quam lectionem Lindenius eſt ſecutus. Vide Morgagn. Epiſt. V. Verba quoque illa *ut duobus angulis ſedeat*, quæ ſequuntur, Conſtantinus recte explicuiſſe non videtur. Tota hæc res expoſita eſt in Epiſtola viri doctiſſimi mihique amiciſſimi Joſephi Torelli, quæ habetur in hujus Operis calce.

68. *incidi ſuper veſicæ cervicem juxta anum cutis plaga lunata uſque ad cervicem veſicæ debet*) Sic repoſui ex Conſtantini emendatione. Nam vetus lectio, *ut incidi . . . . . . debeat*, nullo modo ſuſtineri poteſt. Nec vero Mſs. Codices habent *debeat*, ſed *debet*; quamvis in iiſdem ſit, *ut incidi*. In Mediceo III. & in VI. deeſt verbum *debet*: in I. a Palavicino mutatum eſt in *debeat*; idque in Codice IV. poſtea receptum, ab eo ad primam, omneſque vetuſtas Editiones permanavit. Fortaſſe tamen neque Conſtantinus, particulam *ut* ejiciendo, ſuſtulit vitium omne. Nam, ut animadvertit Morgagnus, verba illa, *ſuper veſicæ cervicem*, ſupervacua videri poſſunt; quia, quo loco incidenda cutis ſit, apparet ex ſequentibus, *juxta anum . . . . uſque ad cervicem veſicæ*: aut, ſi tres illæ voces retineantur, vox certe *veſicæ* altero loco redundat. Hæc vox ut ferri poſſet, Palavicinus in Cod. Mediceo I. *ipſius* addidit de ſuo, itaque leg. *uſque ad cervicem ipſius veſicæ*. Lindenius vero ita edidit: *ut ſuper veſicæ cervicem ſit, juxta anum incidi cutis plaga lunata uſque ad cervicem veſicæ debet*. Sed hanc lectionem Morgagnus non probat, quod idem bis dicatur: *Cum jam eo venit*, & *ut ſuper veſicæ cervicem ſit*. Ego libenter legerim; *incidi juxta anum cutis plaga lunata uſque ad cervicem veſicæ debet*. Nam, *ſuper veſicæ cervicem*, aliud fortaſſe non eſt, quam explanatio voculæ præcedentis *eo*, ex margine adſcita.

69. *qua reſima plaga eſt*) qua lunatæ plagæ ſinus eſt. Ita hunc locum reſtitui ex Cod. Mediceo I. præeunte Cocchio in additamentis ad diſſertat. de Anatome. Vide etiam Morgagn. Epiſt. VII. In vulgatis libris legitur, *qua ſtrictior ima plaga eſt*; ut eſt in eodem Codice a Palavicino. Alii Codices habent, *qua ſtrageſima plaga eſt*.

næ iter pateat, ſic, ut plaga paulo major, quam calculus ſit. Nam, qui metu fiſtulæ [70] (quam illo loco κορυάδα Græci vocant [71]) parum patefaciunt, cum majore periculo eodem revolvuntur: quia calculus iter, cum vi promitur, facit, niſi accipit: idque etiam pernicioſius eſt, ſi figura quoque calculi, vel aſpritudo aliquid eo contulit. Ex quo & ſanguinis profuſio, & diſtentio nervorum fieri poteſt: quæ ſi quis evaſit, multo tamen patentiorem fiſtulam habiturus eſt rupta cervice, quam habuiſſet, inciſa. Cum vero ea patefacta eſt [72], in conſpectum calculus venit: in cujus colore nullum diſcrimen eſt [73]. Ipſe, ſi exiguus eſt, digitis ab altera parte propelli, ab altera protrahi poteſt: ſi major, injiciendus a ſuperiore ei parte uncus eſt [74], ejus rei cauſa factus. Is eſt ad extremum tenuis, in ſemicirculi ſpeciem retuſæ latitudinis; ab exteriore parte [75] lævis, qua corpori jungitur; ab interiore aſper,

qua

70. *metu fiſtulæ*) Vlcus intelligit, non, ut cum Cæſario multi opinati ſunt, urinæ iter. Quare perperam Pantinus & Conſtantinus *meatum fiſtulæ* ex eodem Cæſario repoſuerunt.

71. *quam illo loco κορυάδα Græci vocant*) Locus incertiſſimæ lectionis. Qui vocem *fiſtulæ* pro urinæ itinere acceperunt, ut ſupra dixi, οὐρήθραν legunt cum Cæſario; ὀυρυάδα, Ruellius; Lindenius, οὐρορυάδα. In Cod. Mediceo I. & Editionibus antiquioribus eſt *corbyada*; in Codd. II. III. IV. & VII. *eboriada*; in V. *coriada*; in VI. *cboryada*; in Editione Aldina χοϱλάδα, per græcas litteras. Ego ῥυάδα legendum ſuſpicor; vocemque *rbyada* librarios ſyllaba *co* auxiſſe, quod eadem ſyllaba proxime antecedat. Ita lib. 8. cap. 1. *Græci* CIZΥΓΩΔΕC habet Cod. Mediceus I. pro *Græci* ζυγῶδες. Ῥυάς autem nominatur, quia per eam humor, urina ſcilicet effluit. Itaque hoc vocabulum uſurpatur in quodam oculi vitio, cap. 7. ſect. 5. *patefit foramen, per quod poſtea ſemper humor deſcendit: ῥυάδα Græci vocant*. Quoniam vero humor, qui ex fiſtula effluit urinæ iter occupante, urina eſt, hinc vox οὐρορυάδα videtur a quibuſdam formata. Quid autem vox *corbyada* ſignificet, negat vir eruditus Cæſarius, ſe ab idoneis Scriptoribus diſcere potuiſſe.

72. *Cum vero ea patefacta eſt*) cervix ſcilicet. Ex Mſs. Mediceis nullus, præter primum, habet vocem *ea*, quæ item in vulgatis libris omittitur. Lindenius leg. *Cum via patefacta eſt*; Almeloveenius, *Cum via perfecta eſt*. Vide Morgagn. Epiſt. I. in Celſum.

73. *in cujus colore nullum diſcrimen eſt*) Omnes vulgati libri & plerique ex Mſs. habent, *in cujus corpore nullum diſcrimen eſt*. Sed ſententia falſa eſt. Itaque Lindenius ita mutavit: *in cujus corpore multum diſcrimen eſt*; &, quo magis conjecturam ſuam lectori probaret, aliam infra mutationem induxit, reſcripſitque *Ideo*, pro *Ipſe*. Ego ex Mediceis primo ac tertio, & ex nonnullis aliis Codicibus repoſui *colore*; quod Conſtantinus quoque in ſuo Codice reperit, nec improbavit. Non dicit Celſus, omnes calculos ejuſdem eſſe coloris; ſed nihil intereſſe, cujus coloris calculus ſit. Eadem loquendi forma uſus eſt in lib. 5. cap. 26. ſect. 28. *Si id dubium eſt, & ex acuto telo plaga eſt, ea tranſverſa commodior eſt: ſi ex retuſo & gravi, nullum in figura diſcrimen eſt*.

74. *injiciendus a ſuperiore ei parte uncus eſt*) Codex Mediceus I. ita habet: *iniciendus a ſuperiore parte uncus eſt*. Alii tamen Codices habent; *iniiciendus a ſuperiore ei parte &c.* ut vulgo legitur.

75. *ab exteriore parte*) Lindenius habet *interiori*. Sed legendum *exteriori*, ut Almeloveenius animadvertit; nec aliter eſt in

anti-

qua calculum attingit. Iſque longior potius eſſe debet: nam brevis extrahendi vim non habet [76]. Vbi injectus eſt, in utrumque latus inclinandus eſt, ut appareat, an calculus teneatur [77]; quia, ſi apprehenſus eſt, ille ſimul inclinatur. Idque eo nomine opus eſt [78], ne, cum adduci uncus cœperit, calculus intus effugiat, hic in oram vulneris incidat, eamque convulneret. In qua re, quod periculum eſſet, jam ſupra poſui [79]. Vbi ſatis teneri calculum patet, eodem pene momento triplex motus adhibendus eſt: in utrumque latus; deinde extra, ſic tamen, ut leniter id fiat [80], paulumque primo calculus attrahatur: quo facto, attollendus uncus extremus eſt, uti intus magis maneat, faciliuſque illum producat. Quod ſi quando [81] a ſuperiore parte calculus parum commode comprehendetur [82], a latere erit apprehendendus. Hæc eſt ſimpliciſſima curatio. Sed varietas rerum quaſdam etiamnum animadverſiones deſiderat. Sunt enim quidam non aſperi tantummodo, ſed ſpinoſi quoque calculi, qui per ſe quidem delapſi in cervicem, ſine ullo periculo eximuntur: in veſica vero, non tuto vel hi conquiruntur, vel attrahuntur; quoniam, ubi illam convulnerarunt, ex diſtentione nervorum mortem maturant; multoque magis, ſi ſpina aliqua veſicæ inhæret, eamque, cum duceretur [83], duplica-

M m m vit.

antiquis Editionibus, inque Mſs. niſi quod Mediceus I. habet *exteriore*; quod magis probavi, quia & in eodem Ms. Codice, & in aliis quoque infra habetur *interiore*, non, ut in vulgatis libris, *interiori*.

76. *brevis extrahendi vim non habet*) Ita in Mſs. Veteres Editiones non habent particulam *non*. Quibus deceptus Conſtantinus legendum putavit; *brevior extrahendi vim habet*. Duos enim uncos fuiſſe: majorem alterum, quo calculus attrahebatur; alterum minorem, quo extrahebatur. Lindenius leg. *brevior extrahendi vim non habet*.

77. *ut appareat, an calculus teneatur*) Antea legebatur, *ut appareat calculus, & teneatur*; ut eſt in Mſs. pleriſque omnibus. Sed, ut appareat calculus, quid opus eſt, uncum in utrumque latus inclinare? cum præſertim calculus jam in conſpectu ſit, ut ſupra dictum eſt. Quid porro facit inclinatio iſta ad eum tenendum? In Cod. Mediceo I. ita habetur: *ut appareat calculus teneatur*. Ego particulam *an* addidi ex conjectura; quæ particula coaluiſſe cum præcedenti ſyllaba videtur. Hanc autem eſſe Celſi ſententiam, manifeſtum eſt ex iis, quæ ſequuntur, maximeque ex verbis illis; *Vbi ſatis teneri calculum patet*.

78. *Idque eo nomine opus eſt*) Ita in Editione Lindenii, & in Mediceo I. aliiſque Mſs. Perperam alii leg. *Ideoque eo minimo opus eſt*.

79. *poſui*) Al. *propoſui*.

80. *ut leniter id fiat*) In Cod. Mediceo I. *id leniter ut fiat*.

81. *Quod ſi quando*) Ita ex Codice modo allato. In aliis Mſs. legitur, *Quod aliquando*: in vulgatis libris, *Quod ſi aliquando*, ex Palavicini emendatione.

82. *comprehendetur*) Al. *comprehendatur*; Lindenius, *comprehenditur*. Ego ſecutus ſum Codices Mſs. & priſcas Editiones.

83. *duceretur*) Lindenius, *deduceretur*.

vit. Colligitur autem eo, quod difficilius urina redditur, in cervice calculum eſſe; eo, quod cruenta deſtillat, illum [84] eſſe ſpinoſum: maximeque id ſub digitis [85] quoque experiundum [86] eſt, neque adhibenda manus, niſi id conſtitit [87]. Ac tum quoque leniter intus digiti objiciendi, ne violenter promovendo convulnerent [88]: tum incidendum. Multi hic quoque ſcalpello uſi ſunt. Meges (quoniam is infirmior eſt, poteſtque in aliqua prominentia incidere, inciſoque ſuper illam [89] corpore, qua cavum ſubeſt, non ſecare, ſed relinquere, quod iterum incidi neceſſe ſit) ferramentum fecit rectum, in ſumma parte labroſum, in ima ſemicirculatum acutumque. Id receptum inter duos digitos, indicem ac medium, ſuper pollice impoſito ſic deprimebat, ut ſimul cum carne, ſi quid ex calculo prominebat, incideret: quo conſequebatur, ut ſemel, quantum ſatis eſſet, aperiret. Quocumque autem modo cervix patefacta eſt [90], leniter extrahi, quod aſperum eſt, debet; nulla, propter feſtinationem, vi admota.

3. At calculus arenoſus, & ante manifeſtus eſt; quoniam urina quoque redditur arenoſa: & in ipſa [91] curatione; quoniam inter

84. *illum*) Cod. Mediceus I. habet *eum*.

85. *id ſub digitis*) Hæc eſt communis lectio: atque ita ſane legitur in Cod. Mediceo primo & in quarto; ſed ex Palavicini emendatione. Scriptum enim erat in primo quidem, *ſub bis digitis*; in quarto autem, ſicut in reliquis quinque, *ſubit digitis*. Corrigendum reor, *ſubjectis digitis*. Sic paulo infra, *inter ſubjectos digitos &c.* ſect. 4. *virgini ſubjici digiti tamquam maſculo, mulieri per naturale ejus debent*.

86. *experiundum*) Al. *experiendum*, ut eſt in Editione Cæſarii.

87. *conſtitit*) Lindenius leg. *conſiſtit*: ſed minus bene. Vide Morgagn. Epiſt. V.

88. *leniter intus digiti objiciendi, ne violenter promovendo convulnerent*) Cod. Mediceus I. ita habet: *leniter prove modo convulnerent*. Palavicinus, *leniter intus digiti obiiciendi, ne violenter promovendo convulnerent*. Quam lectionem omnes vulgo ſequuntur. Codices ceteri Medicei, *leniter* (VI. *leviter*) *intus* (III. & VI. *ictus*) *digiti obiciendi, ne valenter promovendum convolverent*.

89. *ſuper illam*) Conſtantinus leg. *ſuper illa*; ut *in aliqua prominentia* ſit caſus quartus pluralis: & quidem rectius, ut ego puto. Nam verbum *incido*, cum *incurrere* ſignificat, conſtruitur fere cum quartu caſu & præpoſitione *in*.

90. *cervix patefacta eſt*) Ita ex Morgagni conjectura; quam ego certiſſimam judico. Cod. Mediceus I. habet, *cervix a parte facta eſt*: ceteri, *cervix ea parte facta eſt*, ut plerique vulgo legunt. Pro *facta*, Ruellius edidit *fracta*: Conſtantinus *ſecta*, vel *patefacta* legendum cenſuit; quorum primum Lindenius probavit, ediditque, *cervix ea parte ſecta eſt*.

91. *quoniam urina quoque redditur arenoſa: & in ipſa &c.*) In vulgatis libris legitur, *quoniam &* (Lindenius omittit *&*) *urina, quæ redditur, arenoſa eſt: & in ipſa &c.* Aliter in Mſs. Nam Mediceus I. habet, *quoniam urina quoque redditur harenoſa ē in ipſa*; alii, *quoniam & urinam quoque redditus harenoſam, & in ipſa*. Satis apparet, cur ego ita mutarim.

ter ſubjectos digitos neque æque leniter renititur [92], & inſuper dilabitur [93]. Item molles calculos, & ex pluribus minutiſque, ſed inter ſe parum adſtrictis, compoſitos indicat urina, trahens [94] quaſdam quaſi ſquamulas. Hos omnes, leniter permutatis ſubinde digitorum vicibus, ſic opportet adducere [95], ne veſicam lædant, neve intus aliquæ diſſipatæ reliquiæ maneant, quæ poſtmodum curationi difficultatem faciant [96]. Quidquid autem ex his in conſpectum venit, vel digitis, vel unco eximendum eſt. At [97] ſi plures calculi ſunt, ſinguli protrahi debent; ſic tamen, ut, ſi quis exiguus ſupererit, potius relinquatur: ſiquidem in veſica difficulter invenitur, inventuſque celeriter effugit. Ita longa inquiſitione veſica læditur, excitatque inflammationes mortiferas; adeo ut quidam non ſecti [98], cum diu fruſtraque per digitos veſica eſſet agitata, deceſſerint. Quibus accedit etiam, quod exiguus calculus ad plagam urina poſtea promovetur, & excidit [99]. Si quando autem is

92. *neque æque leniter renititur*) Ejice *leniter*, & hunc locum ſanum habebis. Quomodo autem adverbium illud huc pervenerit, ex Cod. Mediceo I. intellexiſſe mihi videor. Nam verbum *renititur* non eſt in Codice illo: veriſimile autem eſt, *leniter* mendoſe eſſe pro *renititur*. In aliis Codd. habetur, *neque æque leniter renititur:* nimirum quod *leniter* vel ſupra *renititur* poſitum fuiſſet, vel margini adſcriptum; ut fit ubi Codices variant. Lindenius legit, ex Conſtantini emendatione, *neque æque, ſed leniter renititur*.

93. *dilabitur*) Omnes veteres libri, tum impreſſi, tum Mſs. habent *dilatatur:* ſed videntur mendoſi. Itaque ſecutus ſum Lindenii lectionem, quæ idoneam ſententiam reddit.

94. *incidat urina, trahens &c.*) Sic repoſui ex Cod. Mediceo I. cujus nullum hic vitium eſt, niſi in litteris non bene diviſis. Nam ita habet: *indicatur inatrahens*. Palavicinus locum non correxit, ſed corrupit: nam & *ſe* addidit, & ſupra, ex *molles calculos* fecit *mollis calculus ſcalpello*, & *compoſitus* ex *compoſitos*; ut legeretur, *Item mollis calculus ſcalpello, & ex pluribus minutiſque, ſed inter ſe parum adſtrictis compoſitus indicatur, in ſe attrahens &c.* nec aliter habent Editiones antiquæ, niſi quod *ſcalpello* omittunt. In aliis Codicibus ita habetur: *Item molles calculos ſcalpello, & ex pluribus ſed inter ſe parum adſtrictis indicatur in attrahens* (in aliquibus *adtrahens*) *&c.* Lindenius leg. *Item molles calculos, & ex pluribus minutiſque, ſed inter ſe parum adſtrictis, compoſitos indicat urina, ſecum trahens &c.*

95. *adducere*) Alii leg. *abducere*. Ego repoſui *adducere*, ut eſt in Cod. Mediceo I. & in margine Editionis Conſtantinianæ.

96. *faciant*) Cod. Mediceus I. *faciunt*.

97. *At*) Idem Codex, *Ac*.

98. *quidam non ſecti*) Olim legebatur, *quidam ſecti*, ut eſt in Cod. Mediceo I. Sed quid mirum, ſi ſecti aliqui, agitata diutius, dum calculus queritur, veſica, decedant, cum etiam non agitata multi eorum intereant? In aliis Codicibus habetur, *quidam non ſecuti*, vel *ſequuti*. Itaque Lindenio magis accedo, qui leg. *quidam non ſecti*. Id enim probat, quam perniciosa ſit longa iſta calculi inquiſitio, quod ipſa interdum, nulla alia cauſa accedente, mortem attulerit.

99. *ad plagam urina poſtea promovetur, & excidit*) Alii leg. *ad plagam urina poſtea promovente, excidit;* ut eſt in Cod. Mediceo I. Sed rectius, ut mihi videtur, in aliis Codicibus, *promovetur & excidit*. Sic igitur repoſui.

major non videtur, niſi rupta cervice, extrahi poſſe, findendus eſt: cujus repertor Ammonius, ob id [1] λιθοτόμος cognominatus eſt. Id hoc modo fit. Vncus injicitur calculo, ſic, ut facile eum concuſſum [2] quoque teneat, ne is retro revolvatur: tum ferramentum adhibetur craſſitudinis modicæ, prima parte tenui, ſed retuſa, quod admotum calculo, & ex altera parte [3] ictum, eum findit [4]; magna cura habita, ne aut ad ipſam veſicam ferramentum [5] perveniat, aut calculi fractura ne quid incidat.

4. Hæ vero curationes in fœminis quoque ſimiles ſunt; de quibus tamen parum proprie quædam dicenda ſunt [6]. Siquidem in his, ubi parvulus calculus eſt, ſcalpellus ſupervacuus eſt; quia is urina in cervicem compellitur [7]; quæ & brevior, quam in maribus, & laxior eſt. Ergo & per ſe ſæpe excidit, &, ſi in primo [8], quod eſt anguſtius, inhæret, eodem tamen unco ſine ulla noxa educitur. At in majoribus calculis neceſſaria eadem curatio eſt.

Sed

1. *ob id*) Lindenius leg. *qui ob id*.

2. *concuſſum*) ubi ferramento, quo findendus eſt, percutitur. Sunt qui mallent, *concuſſus*, ſi Conſtantino credimus: ſed minus recte. Nam calculus ferramento quatitur, non uncus. Lindenius leg. *concluſum*, quod item rejiciendum.

3. *tenui, ſed retuſa, quod admotum calculo & ex altera parte*) Hæc verba non extant in Mſs. Mediceis, præterquam in primo, in quo tamen ita leguntur: *tenuis ſed retuſus quod admodum calculo ex altera parte*. Palavicinus correxit; *tenui ſed retuſa quod admodum calculum ex altera parte*, atque ita habetur in Editione I. & in aliis pervetuſtis. Pro *admodum calculum*, Cæſarius repoſuit *admotum calculum*. Lindenius denique ita edidit: *tenui, ſed retuſa, quod admotum calculo, & ex altera parte:* quem ſequor.

4. *ictum, eum findit*) Vocem *eum*, quæ omittitur in omnibus vulgatis libris, ego ex Mſs. reſtitui. Ex *ictu eum findit*, quod eſt in Mediceo I. Palavicinus fecit *ictum findit*. Lindenius leg. *ictum, findat*.

5. *ferramentum*) Al. *per ferramentum:* ſed perperam.

6. *de quibus tamen parum proprie quædam dicenda ſunt*) Adverbium *parum* redundat; eademque, opinor, ratione in contextum irrepſit, qua *leniter*, de quo paulo ſupra. Nam Codex Mediceus I. habet, non *tamen parum*, ſed *parum* dumtaxat, pro *tamen*, quod rectum eſt. Codices ceteri & *tamen* & *parum* habent. Lindenius leg. *de quibus parum, proprie tamen &c.* ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ.

7. *quia is urina in cervicem compellitur*) Ita edidit Lindenius; eique ratio ſuffragatur, & fere etiam Codex Mediceus I. in quo habetur; *quia ſi urinā cervicem compellitur*. Lineola illa ſupra *urina* eſt a Palavicino; attamen non obſcuris indiciis apparet, etiam antea tale aliquid fuiſſe. Itaque *urinam* videtur eſſe pro *urina in*. Alii leg. *quia is urinam in cervicem non compellit*; ut eſt in Codicibus Mediceis ceteris. Codex quidam apud Conſtantinum habet, *quia eum urina in cervicem compellit*.

8. *in primo*) Ita in Mſs. & in Editionibus antiquis. Niſi mendum ſubeſt, *in primo* poſitum eſt quaſi *in primo urinæ itinere*; ut Conſtantinus interpretatur: idemque Celſus ſignificat, quod ſect. 1. hujus cap. ubi dixit, *non longe ab exitu inhæreſcit*. Porro urinæ iter in ſummo anguſtius eſt, tum in viris, tum etiam in fœminis. Vide Morgagn. Epiſt. I. Lindenius leg. *in urinæ itinere*; fortaſſe ex allata Conſtantini explanatione; qua tamen recte uſus non eſt, cum vocem *primo* omiſerit.

Sed virgini ſubjici [9] digiti tamquam maſculo, mulieri per naturale ejus [10] debent. Tum, virgini quidem, ſub ima ſiniſteriore ora; mulieri vero, inter urinæ iter & os pubis, incidendum eſt, ſic, ut utroque loco plaga tranſverſa ſit. Neque terreri convenit, ſi plus ex muliebri corpore ſanguinis profluit.

4. Calculo evulſo, ſi valens corpus eſt, neque magnopere vexatum, ſinere oportet ſanguinem fluere, quo minor inflammatio oriatur: atque, ingredi quoque eum paulum, non alienum eſt, ut excidat, ſi quid intus concreti ſanguinis manſit. Quod ſi per ſe non deſtitit, rurſus, ne vis omnis intereat, ſupprimi debet: idque protinus, in imbecillioribus, ab ipſa curatione faciendum eſt: ſiquidem, ut diſtentione nervorum periclitatur aliquis, dum veſica ejus agitatur; ſic alter metus excipit, remotis medicaminibus [11], ne tantum ſanguinis profluat, ut occidat. Quod ne incidat, deſidere is debet in acre acetum, cui aliquantum ſalis ſit adjectum: ſub quo & ſanguis fere conquieſcit, & adſtringitur veſica, ideoque minus inflammatur. Quod ſi parum proficit, agglutinanda cucurbitula eſt, & inguinibus, & coxis [12], & ſuper pubem. Vbi jam ſatis vel evocatus eſt ſanguis, vel prohibitus, reſupinus collocandus eſt, ſic, ut caput humile ſit, coxæ paulum excitentur: ac ſuper vulnus [13] imponendum eſt duplex aut triplex linteolum, aceto madens. Deinde, interpoſitis duabus horis, in ſolium is aquæ calidæ reſupinus demittendus eſt, ſic, ut a genibus ad umbilicum aqua teneat, cetera veſtimentis circumdata ſint; manibus tantummo-

9. *virgini ſubjici*) Codices Mſs. alii habent, *virginis ubi ſe;* Mediceus I. *virgini ſubire*. In vulgatis omnibus legitur, *virgini ſubjici*, ut correxit Palavicinus.

10. *per naturale ejus*) In Cod. Mediceo I. habetur, *per naturali cius:* ex Palavicini vero emendatione, *per naturalia ejus*. Ego *per naturale ejus* repoſui. Nam Codices ceteri habent, *per naturalem eius citius*. Porro *citius* ortum videtur ex *cius*, quod eſt in Codice I. pro *ejus*.

11. *remotis medicaminibus*) Cod. Mediceus I. *motis medicaminibus*. Mihi duæ hæ voces ab explanatoribus additæ videntur; eoque magis ſuſpectæ ſunt, quod vox *medicamen* apud Celſum nuſquam occurrat, niſi hoc loco, & lib. 5. cap. 28. ſect. 1. ubi ea itidem ſuſpicione laborat. Vocem iſtam Celſus de induſtria fugiſſe videri poteſt; quando illam neque tum adhibuit, cum *medicamentum* ſæpius intra paucos verſus repetere neceſſe fuit.

12. *& inguinibus & coxis*) Lindenius leg. *& in genibus & coxis*: quod, quamvis Codex item Mediceus I. habeat, *& in genibus & in coxis*, minus tamen probandum eſt: ſed retinenda vetus lectio, *& inguinibus & coxis*, quæ ceterorum Codicum teſtimonio comprobatur. Vide Morgagn. Epiſt. VI.

13. *vulnus*) Al. *ulcus*, ut eſt in Cod. Mediceo I.

modo pedibuſque nudatis, ut & minus digeratur, & ibi diutius maneat. Ex quo ſudor multus oriri ſolet; qui ſpongia ſubinde in facie detergendus eſt [14]: finiſque ejus fomenti eſt, donec infirmando offendat. Tum multo is oleo perungendus, inducenduſque hapſus lanæ mollis, tepido oleo repletus [15], qui pubem, & coxas, & inguina, & plagam ipſam, contectam eodem ante linteolo [16], protegat: iſque ſubinde oleo tepido madefaciendus eſt; ut neque frigus ad veſicam admittat, & nervos leniter molliat. Quidam cataplaſmatis calefacientibus utuntur. Ea plus pondere nocent, quo [17] veſicam urgendo vulnus irritant, quam calore proficiunt. Ergo ne vinculum quidem ullum neceſſarium eſt. Proximo die, ſi ſpiritus difficilius redditur, ſi urina non excedit [18], ſi locus circa pubem mature intumuit, ſcire licet, in veſica ſanguinem concretum remanſiſſe. Igitur, demiſſis eodem modo digitis, leniter pertractanda veſica eſt, & diſcutienda, ſi qua coierunt: quo fit, ut per vulnus poſtea procedant [19]. Non alienum etiam eſt, oriculario clyſtere acetum nitro miſtum per plagam in veſicam compellere: nam ſic quoque diſcutiuntur, ſi qua cruenta coierunt. Eaque facere etiam primo die convenit, ſi timemus, ne quid intus ſit: maximeque, ubi ambulando id elicere imbecillitas prohibuit. Cetera eadem facienda ſunt: ut demittatur in ſolium, ut eodem modo panniculus, eodem lana [20] ſuperinjiciatur. Sed neque ſæpe, neque tamdiu

in

14. *qui ſpongia ſubinde in facie detergendus eſt*) In Cod. Mediceo I. legitur, *quo ſi* (ex veteri emendatione, *quod &*) *ſpongia ſubinde facile detergendum eſt*: in aliis, ut in Editionibus antiquis fere omnibus, *quo ſpongia ſubinde facile detergendum eſt*: in II. III. & VI. non *facile*, ſed *in facie*. Conſtantini Editio ita habet: *qui ſpongia ſubinde facile detergendus eſt*: in margine vero, pro *facile*, *in facie*, ex veteris Codicis teſtimonio: quam lectionem Lindenius ſecutus eſt.

15. *inducenduſque hapſus lanæ mollis, tepido oleo repletus*) In Cod. Mediceo I. deſunt hæc omnia: in aliis vero Codicibus deſunt illa; *finiſque ejus fomenti eſt, donec infirmando offendat. Tum multo is oleo perungendus*.

16. *contectam eodem ante linteolo*) de quo paulo ſupra: *duplex aut triplex linteolum, aceto madens*. Alii leg. *contectam eodem ante ſe linteolo*; ut eſt in Cod. Mediceo I. Ego expuli pronomen *ſe* ex Codicum ceterorum fide.

17. *quo*) Ita ex Mſs. Alii leg. *quæ*; ſed perperam. Alii, ut refert Conſtantinus, *quia*, Lindenius *atque*.

18. *excedit*) Conſtantinus leg. *excidit*; Lindenius, *exit*.

19. *procedant*) Quidam Codices Mſs. habent *procidant*.

20. *eodem modo panniculus, eodem lana*) i. e. panniculus aceto madens, & hapſus lanæ mollis tepido oleo repletus. Ita ex Lindenio. Alii leg. *eodem modo panniculus, eadem lana*: & ita habent Mſs. Medicei, excepto primo, in quo, *eodem modo panniculis, eadem urina*.

in aqua calida puer habendus, quam adoleſcens eſt; infirmus, quam valens; levi, quam graviore inflammatione affectus; is, cujus corpus digeritur, quam is, cujus adſtrictum eſt. Inter hæc vero, ſi ſomnus eſt, & æqualis ſpiritus, & madens lingua, & ſitis modica, & venter imus ſedet, & mediocris [21] eſt cum febre modica dolor, ſcire licet, recte curationem procedere. Atque in his inflammatio fere quinto vel ſeptimo die finitur: qua levata, ſolium ſupervacuum eſt: ſupini tantummodo vulnus aqua calida fovendum eſt, ut, ſi quid urinæ rodit [22], eluatur [23]. Imponenda autem medicamenta ſunt pus moventia; &, ſi purgandum ulcus [24] videbitur, melle linendum [25]. Id ſi rodet, roſa temperabitur. Huic curationi aptiſſimum videtur enneapharmacum [26] emplaſtrum: nam & ſevum habet ad pus movendum, & mel ad ulcus repurgandum; medullam etiam, maximeque vitulinam; quod in id, ne fiſtula relinquatur, præcipue proficit [27]. Linamenta vero tum ſuper ulcus non ſunt neceſſaria; ſuper medicamentum, ad id continendum, recte imponuntur. At ubi ulcus purgatum eſt, puro linamento ad cicatricem perducendum eſt. Quibus temporibus tamen, ſi felix curatio non fuit, varia pericula oriuntur [28]. Quæ præſagire protinus licet, ſi continua vigilia eſt, ſi ſpiritus difficultas, ſi lingua arida eſt, ſi ſitis vehemens, ſi venter imus tumet, ſi vulnus hiat, ſi tranſ-

21. *venter imus ſedet, & mediocris &c.*) Ita ex Conſtantini conjectura & Lindenio: ſed Conſtantinus leg. *ſedet, mediocris*; Lindenius, *ſedet, & mediocris*. *Sedet* autem opponitur verbo *tumet*, quod infra eſt; *venter imus tumet*. Editiones antiquæ & aliqui Codices Mſs. habent, *venter imus ſed & mediocris*: Cod. Mediceus primus, *venter imus Si mediocris*: tertius, *venter immus & mediocris*: ſextus, *venter immus: & mediocris*.

22. *rodit*) Al. *rodet*.

23. *eluatur*) Ita in Cod. Mediceo vetuſtiore. Alii leg. *abluatur*.

24. *ulcus*) In Cod. modo allato, *vulnus*.

25. *melle linendum*) Fortaſſe Celſus ſcripſit, *mel illinendum*. Pro *linendum*, Lindenius habet *liniendum*, ut eſt in aliquibus Mſs.

26. *enneapharmacum*) Aliqui, Egnatium ſecuti, ἐννεαφάρμακον ſcribunt græcis litteris.

27. *quod in id . . . . proficit*) Lindenius leg. *quæ*, ut malebat Conſtantinus, qui præterea *ad id*, pro *in id*, reponendum putabat. Sed neutra mutatione eſt opus. Nam *quod* refertur ad *habet*: *in id* autem ſimiliter adhibetur lib. 3. cap. 18. *movere ſternutamenta medicamentis in id efficacibus*.

28. *varia pericula oriuntur*) Antea legebatur, *varia circa pericula oriuntur*. Ego ex Mſs. fide omiſi particulam *circa*. Habetur illa quidem in Mediceo I. & in IV. ſed per Palavicinum. Deceptus autem, opinor, Palavicinus fuit, quod in margine quorumdam Codicum ſit, *per circula*. Quod non aliud ſignificat, niſi ita ſcriptum in aliquo Codice fuiſſe, pro *pericula*.

ſi transfluens [29] urina id non rodit, ſi ſimiliter ante tertium diem [30] quædam livida excidunt [31], ſi is aut nihil aut tarde reſpondet, ſi vehementes dolores ſunt [32], ſi poſt diem quintum magnæ febres urgent, & faſtidium cibi permanet, ſi cubare in ventrem jucundius eſt. Nihil tamen pejus eſt diſtentione nervorum, &, ante nonum diem, vomitu bilis. Sed cum inflammationis ſit metus, ſuccurri abſtinentia, modicis & tempeſtivis cibis; inter hæc, fomentis, & quibus ſupra ſcripſimus [33], oportet.

XXVII. Proximus cancri metus eſt. Is cognoſcitur, ſi, & per vulnus, & per ipſum colem, fluit ſanies mali odoris, cumque ea quædam a concreto ſanguine non abhorrentia, tenueſque caruncula lanulis ſimiles: præter hæc, ſi oræ vulneris aridæ ſunt, ſi dolent inguina, ſi febris non deſinit [34], eaque in noctem augetur, ſi inordinati horrores accedunt. Conſiderandum autem eſt, in quam partem cancer is tendat. Si ad colem, indureſcit is locus, & rubet, & tactu dolorem excitat, teſticulique intumeſcunt: ſi in ipſam veſicam, ani dolor ſequitur, coxæ duræ ſunt [35], non facile crura extendi poſſunt: at ſi in alterutrum latus, oculis id expoſitum eſt, pareſque utrimque eaſdem notas, ſed minores, habet. Primum autem ad rem pertinet corpus recte jacere, ut ſuperior pars eadem ſemper ſit [36], in quam vitium fertur. Ita, ſi ad colem it, ſupinus is collocari debet; ſi ad veſicam, in ventrem; ſi in latus, in id, quod integrius eſt. Deinde, ubi ventum fuerit

29. *transfluens*) Lindenius aliique quidam leg. *tranſiliens*; ſed perperam. Error ortus eſt ex Editione I. in qua littera *f* vocis *transfluens* adeo male expreſſa eſt, ut *i* referat. Hinc in Edit. an. 1493. & in Juntina, *tranſiluens*; in Pinziana, *tranſilens*. Egnatius, Ruellius, Conſtantinus, & Stephanus recte leg. *transfluens*; nec aliter eſt in Mſs.

30. *ſi ſimiliter ante tertium diem &c.*) In Codicibus Mſs. deeſt particula *ſi*: in Mediceo I. & *ſi*, & *ante*; quæ tamen utraque adſcripta eſt a Palavicino. Sed fortaſſe *ſi* poſt *ſimiliter* collocanda eſt, & legendum; *ſimiliter*, *ſi ante tertium diem*.

31. *excidunt*) Cod. Mediceus I. *excedunt*.

32. *ſunt*) In Codice Mediceo I. non eſt verbum hoc. Sic quidem vox *dolores* penderet a verbo *urgent*.

33. *& quibus ſupra ſcripſimus*) h. e. folio aquæ calidæ, panniculo &c. Alii leg. *de quibus &c.* Ego ſecutus ſum Lindenium, Cod. Mediceo I. conſentiente.

34. *deſinit*) Ita edidit Lindenius: nec aliter legendum videtur. Codices Mſs. & antiquæ Editiones habent *defuit*.

35. *duræ ſunt*) In Cod. Mediceo I. *durant*. Palavicinus correxit, *dureſcunt*; & ita olim vulgo legebatur. Lindenius leg. *tumeſcunt*. Ego, *duræ ſunt*, ut eſt in Mſs. ceteris Mediceis.

36. *eadem ſemper ſit*) Ita in omnibus Mſs. Fortaſſe tamen legendum ex Conſtantino & Lindenio, *ſemper ea ſit*.

rit ad curationem, homo in aquam demittetur, in qua marrubium decoctum ſit, aut cupreſſus, aut myrtus; idemque humor clyſtere intus adigetur [37]: tum ſuperponetur lenticula cum malicorio miſta; quæ utraque ex vino decocta ſint; vel rubus, aut oleæ folia, eodem modo decocta; aliave medicamenta, quæ ad cohibendos purgandoſque cancros propoſuimus. Ex quibus, ſi qua erunt arida, per ſcriptorium calamum inſpirabuntur. Vbi ſtare cœperit cancer, mulſo vulnus [38] eluetur: vitabiturque eo tempore ceratum, quod, ad recipiendum id malum, corpus emollit: potius plumbum elotum cum vino inungetur; ſuperque [39] idem linteolo illitum imponetur. Sub quibus perveniri ad ſanitatem poteſt: cum eo tamen, quod non ignoremus, orto cancro ſæpe affici ſtomachum, cui cum veſica quædam conſortio eſt [40]: exque eo fieri, ut neque retineatur cibus, neque, ſi quis retentus eſt, concoquatur [41], neque corpus alatur; ideoque ne vulnus quidem aut purgari, aut ali poſſit: quæ neceſſario mortem maturant. Sed ut his ſuccurri nullo modo poteſt, ſic a primo tamen die tenenda ratio curationis eſt [42]. In qua quædam obſervatio, ad cibum quoque potionemque pertinens, neceſſaria eſt. Nam cibus inter principia, non niſi humidus dari debet: ubi ulcus purgatum eſt, ex media materia: olera & ſalſamenta ſemper aliena ſunt. Potione opus eſt, modica [43]. Nam, ſi parum bibitur, accenditur vulnus, & vigilia urget, & vis corporis minuitur: ſi plus æquo aſſumitur, ſubinde

37. *intus adigetur*) Paulo infra; *Idem humor roſa miſtus in ipſum vulnus oriculario clyſtere agendus eſt*. Alii leg. *intus adjicietur*; ſed minus recte. Fortaſſe apud alios quoque Latinos Scriptores, ubi *adjicere* impellendi vel jaciendi ſignificatione reperitur, reponendum eſt *adigere*. Vide tamen XI. Facciolati Animadverſionem apud Morgagnum Epiſt. III. ejuſdemque Facciolati Epiſtolam ad me ſcriptam, quæ addita eſt in libri calce. Editio Conſtantini habet *intus adjiciatur*: in margine vero, *iniicietur*.

38. *vulnus*) Lindenius, *ulcus*.

39. *ſuperque*) Al. *ſuper quæ*.

40. *quædam conſortio eſt*) Ita in Cod. Mediceo I. In aliis Codicibus, *quodammodo conſortium eſt*. In vulgatis, ex Palavicini emendatione, *quoddam conſortium eſt*.

41. *concoquatur*) Cod. Mediceus I. *coquatur*.

42. *a primo tamen die tenenda ratio curationis eſt*) Alii leg. *diu*, quemadmodum habent Codices Medicei I. III. & VI. In II. quoque, IV. V. & VII. eſt *diu*: attamen Codices hi quatuor, Lindenii, ſive potius Conſtantini lectionem, *die*, non parum confirmare videntur, quia habent *etenenda*; etſi prima hujus vocis littera expuncta ſit in IV. & in VII.

43. *modica*) mediocri. Ita repoſui ex Mſs. Lindenius leg. *non immodica*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ; alii, *non modica*, quod eſt a Palavicino.

veſica impletur, eoque irritatur. Non niſi aquam autem bibendam [44] eſſe, manifeſtius eſt, quam ut ſubinde dicendum ſit. Solet vero ſub ejuſmodi victu evenire, ut alvus non reddatur. Hæc aqua ducenda eſt, in qua vel fœnum Græcum, vel malva decocta ſit. Idem humor roſa miſtus in ipſum vulnus oriculario clyſtere agendus eſt [45], ubi id rodit urina, neque purgari patitur. Fere vero primo per vulnus exit hæc: deinde, eo ſaneſcente, dividitur, & pars per colem deſcendere incipit, donec ex toto plaga claudatur. Quod interdum tertio menſe, interdum non ante ſextum, nonnumquam exacto quoque anno fit. Neque deſperari debet ſolida glutinatio vulneris, niſi ubi aut vehementer rupta cervix eſt, aut ex cancro multæ magnæque carunculæ, ſimulque nervoſa aliqua exciderunt. Sed, ut vel nulla ibi fiſtula, vel exigua admodum relinquatur, ſumma cura providendum eſt. Ergo, cum jam ad cicatricem vulnus intendit [46], extentis jacere feminibus & cruribus oportet: niſi tamen molles arenoſive calculi fuerunt. Sub his enim tardius veſica purgatur: ideoque diutius plagam patere neceſſarium eſt; & tum [47] demum, ubi jam nihil tale extra fertur, ad cicatricem perduci. Quod ſi, antequam veſica purgata eſt, oræ ſe glutinarunt, dolorque & inflammatio redierunt, vulnus digitis vel averſo ſpecillo [48] diducendum eſt; ut torquentibus exitus detur: hiſque effuſis, cum diutius pura urina deſcendit [49], tum demum, quæ cicatricem inducant, imponenda ſunt; extendendique [50], ut ſu-

44. *bibendam*) In aliquibus Codicibus, *bibendum*. Hæc verba; *autem bibendum eſſe, manifeſtius eſt, quam;* deſunt in Mediceo I.

45. *agendus eſt*) Pantinus & Lindenius omittunt *eſt*; fortaſſe quod abſit ab Edit. Cæſarii an. 1538. Sed non abeſt ab Editione ejuſdem Cæſarii an. 1528. neque ab aliis item libris ſive impreſſis, ſive Mſs. Conſtantinus legere malebat, *adigendus eſt*.

46. *vulnus intendit*) Ita in Mſs. & in Editionibus antiquioribus. Alii cum Cæſario leg. *vulnus tendit*. Fortaſſe rectius. Nam etiam cap. proximo: *Cumque jam ad ſanitatem tendet*.

47. *& tum*) Cod. Mediceus I. non habet particulam *&*.

48. *averſo ſpecillo*) Alii leg. *adverſo ſpecillo*, & ita eſt in Codd. Mediceis IV. & VI. In I. legitur, *averſo ſcalpello;* quam lectionis varietatem ceteri omnes Medicei Codd. in margine adnotatam habent.

49. *cum diutius pura urina deſcendit*) *cum*, & *deſcendit* lego cum Lindenio. Alii non recte, *tum*, & *deſcendat*. In Codice Mediceo I. ita habetur: *cum diutius pura urina deſcendat:* in aliis, *cum diutius ſupra urina deſcendat*.

50. *extendendique*) Alii leg. *extendique*. Ita ſane habent Mſs. Codices; & in Mediceo I. *debent* additum eſt a Palavicino poſt *pedes*. Sed legendum, *extendendique*, ut eſt in Editionibus Ruellii, Stephani, & Lindenii.

ſupra docui [51], pedes, quam maxime juncti [52]. Quod ſi fiſtulæ metus ex his cauſis, quas propoſui, ſubeſſe videbitur, quo facilius claudatur ea, vel certe coanguſtetur, in anum quoque danda plumbea fiſtula eſt, extentiſque cruribus femina talique inter ſe deligandi [53] ſunt, donec, qualis futura eſt [54], cicatrix ſit.

XXVIII. Et hoc quidem commune eſſe maribus & fœminis poteſt. Proprie vero quædam ad fœminas pertinent: ut in primis, quod earum naturalia nonnumquam, inter ſe glutinatis oris, concubitum non admittunt. Idque interdum evenit protinus in utero matris: interdum exulceratione in his partibus facta, & per malam curationem his oris ſaneſcendo junctis. Si ex utero eſt, membrana ori vulvæ oppoſita eſt: ſi ex ulcere, caro id replevit. Oportet autem membranam duabus lineis, inter ſe tranſverſis, incidere ad ſimilitudinem litteræ X, magna cura habita, ne urinæ iter violetur: deinde undique eam membranam excidere. At ſi caro increvit, neceſſarium eſt recta linea patefacere: tum ab ora vel vulſella vel hamo apprehenſa [55], tamquam habenulam excidere; & intus implicitum in longitudinem linamentum (λημνίσκον Græci vocant) in aceto tinctum demittere, ſupraque ſuccidam lanam aceto madentem deligare: tertio die ſolvere ulcus, &, ſicut [56] alia ulcera, curare. Cumque jam ad ſanitatem tendet, plumbeam fiſtulam medicamento cicatricem inducente illinere, eamque intus dare: ſupraque idem medicamentum injicere, donec ad cicatricem plaga perveniat.

XXIX. Vbi concepit autem aliqua, ſi jam prope maturus partus intus emortuus eſt, neque excidere [57] per ſe poteſt, adhiben-

 da

51. *docui*) In omnibus Codicibus Mediceis *poſui*, præterquam in primo, in quo *doqui*. In IV. alia manu, *docui*.

52. *juncti*) Ita Lindenius & Mſs. bene multi. Al. *vincti*.

53. *deligandi*) In vulgatis legitur *deliganda*, ex mutatione a Palavicino inducta. In Mſs. *deligandi*; quo modo repoſui.

54. *qualis futura eſt*) qualis eſſe poteſt. Alii leg. *futura*, ut eſt in Edit. an. 1493. quod a Conſtantino probatur, ut ſit ſextus caſus hoc ſenſu; qualis ex futura ſit. Sed fallitur Conſtantinus. Editio I. Aldinaque, & Codices Mſs. habent *futura*.

55. *apprehenſa*) Alii leg. *apprehenſam*, ut Palavicinus correxit in Cod. Mediceo I. Ego ex hoc, & ceteris Codicibus, *apprehenſa*, ſcilicet ora.

56. *ſolvere ulcus*, &, *ſicut* &c.) Ita in Mſs. & Editionibus antiquis. Editio Conſtantini in margine habet, *ſolvere*, & *ulcus ſicut*. Lindenius leg. *ſolvere*, & *vulnus*, *ſicut*; & deinde, *vulnera*.

57. *excidere*) Cod. Mediceus I. habet *excedere*. Verum, cum idem Codex ſuperiore cap. mendoſe habeat *membranam exce-*

da curatio eſt: quæ numerari inter difficillimas poteſt. Nam & ſummam prudentiam moderationemque deſiderat, & maximum periculum affert. Sed ante omnia [58] vulvæ natura mirabilis, cum in multis aliis, tum in hac re [59] quoque facile cognoſcitur. Oportet autem ante omnia reſupinam mulierem tranſverſo lecto ſic collocare, ut feminibus ejus ipſius ilia comprimantur: quo fit, ut & imus venter in conſpectu medici ſit, & infans ad os vulvæ compellatur; quæ, emortuo partu, id comprimit: ex intervallo vero paulum dehiſcit [60]. Hac occaſione uſus medicus, unctæ manus indicem digitum primum debet inſerere, atque ibi continere, donec iterum id os aperiatur [61], rurſuſque alterum digitum demittere debebit [62], & per eaſdem occaſiones alios, donec tota eſſe intus manus poſſit. Ad cujus rei facultatem [63] multum confert & magnitudo vulvæ, & vis nervorum ejus, & corporis totius habitus, & mentis etiam robur: cum præſertim intus nonnumquam etiam duæ manus dari debeant. Pertinet etiam ad rem, quam calidiſſimum eſſe imum ventrem, & extrema corporis; nequedum inflammationem cœpiſſe [64], ſed recenti re protinus adhiberi medicinam. Nam, ſi corpus jam intumuit, neque demitti manus, neque educi infans, niſi ægerrime poteſt: ſequiturque ſæpe cum vomitu, & cum tremore, mortifera nervorum diſtentio. Verum intus emortuo corpori manus injecta protinus habitum ejus ſentit: nam aut in caput,

cedere, & *habenulam excedere*; hic quoque *excedere* videtur perperàm ſcriptum eſſe pro *excidere*, quod eſt in aliis Codicibus.

58. *ante omnia*) Morgagno aſſentior, qui duas haſce voces, a librariis, quod infra occurrerent, hoc loco temere iteratas, tollendas cenſet.

59. *in hac re*) Vox *re* deeſt in Cod. Mediceo I.

60. *dehiſcit*) Ita edidit, poſt conjecturam Conſtantini, Lindenius. Alii leg. *dehiſcere*, ut eſt in Mſs. In Mediceo I. ſequitur, *ut hac occaſione &c.*

61. *id os aperiatur*) In Editionibus pleriſque legitur, ut in Mſs. *ad os aperiatur*. Sed in principe Florentina, *id os aperiatur*, quemadmodum Palavicinus correxit in Cod. Mediceo I. quod & Morgagnus probat. Lindenius leg. *os adaperiatur*, ut habet in margine Conſtantini Editio.

62. *debebit*) Hoc verbum inſititium eſſe ſuſpicor. Nam præcedit *debet*; idque totam periodum regit.

63. *facultatem*) Veterem lectionem, Mſs. Mediceis Vaticaniſque confirmatam, retinui. Lindenius leg. *facilitatem*, ut habet Conſtantini Codex.

64. *nequedum inflammationem cœpiſſe*) Lindenius leg. *nequedum inflammationem accepiſſe*: minus recte. Alii, Cæſarium ſecuti, *neque cum inflammatione incepiſſe*: ſed neque hi probandi ſunt. Aliqui ſane Codices habent *inflammatione*: ſed non eſt difficile, ejuſmodi errores cognoſcere. Mediceus I. habet *inflammationem*: at, pro *cœpiſſe ſed*, *cœpiſſet*.

put, aut in pedes converſum eſt; aut tranſverſum jacet [65]; fere tamen ſic, ut vel manus ejus, vel pes in propinquo ſit. Medici vero propoſitum eſt, ut eum [66] manu dirigat vel in caput [67], vel etiam in pedes, ſi forte aliter compoſitus eſt. Ac, ſi nihil aliud eſt, manus vel pes apprehenſus, corpus rectius reddit: nam manus in caput, pes in pedes eum convertit [68]. Tum, ſi caput proximum eſt, demitti debet uncus, undique lævis, acuminis brevis, qui vel oculo, vel auri, vel ori, interdum etiam fronti recte injicitur; deinde attractus infantem educit. Neque tamen quolibet is tempore extrahi debet. Nam, ſi compreſſo vulvæ ore id tentatum eſt, non emittente eo, infans abrumpitur, & unci acumen in ipſum os vulvæ delabitur; ſequiturque nervorum diſtentio, & ingens periculum mortis. Igitur, compreſſa vulva, conquieſcere; hiante, leniter trahere oportet; & per has occaſiones paulatim eum educere. Trahere autem dextra manus uncum; ſiniſtra, intus poſita, infantem ipſum, ſimulque dirigere eum debet. Solet etiam evenire, ut is infans humore diſtendatur, exque eo profluat fœdi odoris ſanies. Quod ſi [69] tale eſt, indice digito corpus illud forandum eſt, ut, effuſo humore, extenuetur: tum id leniter per ipſas manus recipiendum eſt. Nam uncus injectus facile hebeti corpuſculo elabitur [70]: in quo quid periculi ſit [71], ſupra poſitum eſt. In pedes [72] quoque converſus infans non difficulter

65. *tranſverſum jacet*) Sic reſtitui ex Mſs. Vulgati habent, *in tranſverſum jacet*.

66. *eum*) Hoc pronomen genere maſculino ideo fortaſſe Lindenius non tulit, quod *corpus* antecedat. Ipſe *infantem* repoſuit. Attamen etiam in proxima periodo habetur, *eum convertit*, ſcilicet infantem; quamvis *corpus* ſit in membro præcedenti.

67. *in caput*) Perperam Aldina Edit. *in manus*.

68. *convertit*) Al. *convertet*.

69. *Quod ſi*) Ruellius & Stephanus leg. *Si quid*.

70. *facile hebeti corpuſculo elabitur*) In Editionibus antiquis, & in Mſs. excepto Mediceo I. legitur, *facile hebeti corpuſculo elevabitur*: in quibus nihil mendi eſt, præterquam *elevabitur* pro *elabitur*. Codex Mediceus I. habet *labitur*: ſed deſunt in illo & tres voces, *facile hebeti corpuſculo*, & aliæ omnes, quæ ſequuntur poſt illas, *indice digito corpus*. Conſtantinus ita margini adſcripſit ex ſuo Codice: *hebeti corpuſculo facile elabitur*: ipſe tamen, pro *hebeti*, *enecti* legendum putabat. At Lindenius habet, *putri corpuſculo facile elabitur*. Ego *hebeti* retineo; quæ vox eamdem ſignificationem hic habet, atque in 3. hujus libri capite, *illa quoque ipſa carne hebete, nec firma*; & in cap. 13. *tumor increſcit . . . . quo modo caro hebes, modo humor aliquis, melli aquæve ſimilis, includitur*.

71. *in quo quid periculi ſit*) Cod. Mediceus I. ita habet: *in quod ſi tale quid periculi ſit*.

72. *poſitum eſt. In pedes &c.*) Ita in Cod. Mediceo I. Alii leg. *poſitum. Sed in pedes &c.* Lindenius, *poſitum eſt. Sed in pedes &c.*

ter extrahitur; quibus [73] apprehenſis per ipſas manus commode educitur. Si vero tranſverſus eſt, neque dirigi potuit, uncus alæ injiciendus, paulatimque attrahendus eſt. Sub quo fere cervix replicatur, retroque caput ad reliquum corpus ſpectat. Remedio eſt, cervix præciſa; ut ſeparatim utraque pars auferatur. Id unco fit, qui, priori ſimilis, in interiore tantum parte per totam aciem exacuitur. Tum id agendum eſt, ut ante caput, deinde reliqua pars auferatur: quia fere, majore parte extracta, caput in vacuam vulvam prolabitur, extrahique ſine ſummo periculo non poteſt. Si tamen id incidit, ſuper ventrem mulieris duplici panniculo injecto, valens homo, non imperitus, a ſiniſtro latere ejus debet aſſiſtere, & ſuper imum ventrem ejus duas manus imponere, alteraque alteram premere: quo fit, ut illud caput ad os vulvæ compellatur; idque [74] eadem ratione, quæ ſupra poſita eſt, unco extrahitur [75]. At ſi pes alter juxta repertus eſt, alter retro cum corpore eſt, quidquid protractum [76] eſt, paulatim abſcindendum eſt: &, ſi clunes [77] os vulvæ urgere cœperunt, iterum retro repellendæ ſunt, conquiſituſque pes ejus adducendus. Aliæque etiamnum difficultates faciunt, ut, qui ſolidus non exit, conciſus eximi debeat. Quoties autem infans protractus eſt, tradendus miniſtro eſt. Is eum ſupinis manibus ſuſtinere; medicus deinde ſiniſtra manu leniter trahere umbilicum debet, ita, ne abrumpat, dextraque [78] eum ſequi uſque ad eas, quas ſecundas vocant, quod velamentum infantis intus fuit; hiſque ultimis apprehenſis, venulas membranulaſque omnes eadem ratione manu diducere a vulva, totumque illud extrahere, & ſi quid intus præterea concreti ſanguinis remanet. Tum compreſſis in unum feminibus, illa conclavi [79] collocanda eſt, modicum calorem, ſine ullo perflatu, habente: ſuper imum ventrem ejus imponenda lana ſuccida, in aceto & roſa tincta.

73. *quibus*) Lindenius leg. *namque his*.

74. *idque*) Idem, *idque tum*.

75. *extrahitur*) Idem, *extrahi poſſit*. In Cod. Mediceo I. habetur *extrahere*: in ceteris *extrahitur*.

76. *protractum*) Vetus liber apud Conſtantinum, *prolapſum*; & ita edidit Lindenius. Ego tamen, *prolatum*, in multis Mſs. inveni; *prolapſum*, in nullo. Mediceus I. habet *protractum*, ut eſt in Editionibus antiquis.

77. *&, ſi clunes*) Particula *&* abeſt a Cod. Mediceo I.

78. *dextraque*) *dextra*, legitur in eodem Codice.

79. *conclavi*) Aliqui cum Cæſario leg. *in conclavi*; ſed præpoſitio abeſt a Mſs.

ſta. Reliqua curatio talis eſſe debet, qualis in inflammationibus, & in iis vulneribus, quæ in nervoſis locis ſunt, adhibetur.

XXX. 1. Ani quoque vitia, ubi medicamentis non vincuntur, manus auxilium deſiderant. Ergo, ſi qua ſciſſa [80] in eo vetuſtate induruerunt, jamque callum habent, commodiſſimum eſt, ducere alvum; tum ſpongiam calidam admovere, ut relaxentur illa, & foras prodeant: ubi in conſpectu ſunt, ſcalpello ſingula excidere, & ulcera renovare [81]; deinde imponere linamentum molle [82], & ſuper linteolum illitum melle; locumque eum molli lana implere, & ita vincire: altero die, deincepſque ceteris, lenibus medicamentis uti, quæ ad recentia eadem vitia neceſſaria eſſe, alias propoſui: & utique [83] per primos dies ſorbitionibus eum ſuſtinere; paulatim deinde cibis adjicere aliquid, generis tamen ejus, quod eodem loco præceptum eſt. Si quando autem ex inflammatione pus in his oritur [84], ubi primum id apparuit [85], incidendum eſt; ne anus ipſe ſuppuret. Neque tamen ante properandum eſt: nam, ſi crudum inciſum eſt, inflammationi [86] multum accedit, & puris aliquanto amplius concitatur. His quoque vulneribus, lenibus cibis, iiſdemque medicamentis opus eſt.

2. At tubercula, quæ κονδυλώματα appellantur, ubi induruerunt, hac ratione curantur [87]. Alvus ante omnia ducitur: tum vulſella tuberculum apprehenſum, juxta radices exciditur [88]. Quod ubi factum

80. *ſciſſa*) Lindenius leg. *fiſſa*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. Conſtantinus porro adnotat, *ani fiſſa* Celſum dixiſſe in lib. 5. cap. 20. ſect. 5. Attamen idem Conſtantinus, cum lib. 6. cap. 18. ſect. 7. legeretur, *in eo* (ano) *ſæpe*, *& quidem pluribus locis*, *cutis exciditur*; recte monuit, legendum eſſe, *ſcinditur*: atque ita edidit Lindenius. Adde, in eodem lib. 6. eodemque cap. 18. ſect. 9. hoc vitium vocari *ſciſſuras*. Quare *ſciſſa* retinendum, ut eſt in veteribus libris, tum impreſſis, tum Mſs.

81. *ulcera renovare*) De his ulceribus lib. 6. cap. 18. ſect. 8. *Quo medicameuto quidam etiam ulcera, de quibus proxime dixi, renovant*. Pro *renovare*, Codices Medicei III. & VI. habent *revocare*: Editio Aldina *removere*; ſed perperam.

82. *linamentum molle*) Vox *molle* non eſt in Cod. Mediceo I. *Mollis linamenti* meminit etiam in lib. ſuperiore cap. 13.

83. *& utique*) Lindenius omittit particulam *&*.

84. *pus in his oritur*) Ita in vulgatis; nec aliter legendum videtur. Mediceus I. aliique Mſs. Codices depravati ſunt. Nam ita habent: *pubis in his oritur*.

85. *id apparuit*) Cod. Mediceus I. non habet vocem *id*.

86. *inflammationi*) Alii leg. *inflammationis*, ut eſt in Mſs. Lindenius, *inflammationi*, quem ſequor.

87. *ubi induruerunt*, *hac ratione curantur*) Lib. 6. cap. 18. ſect. 8. *ſi vetus condyloma jam induruit*. In Cod. Mediceo I. ita habetur: *ibi hac ratione curantur*.

88. *exciditur*) Cod. modo allatus habet *præciditur*.

ctum eſt, eadem ſequuntur, quæ ſupra poſt curationem adhibenda eſſe propoſui [89]: tantummodo, ſi quid increſcit, ſquama æris coercendum eſt.

3. Ora etiam venarum, fundentia ſanguinem, ſic tolluntur. Vbi ſanguini, qui effluit [90], ſanies adjicitur, alvus acribus ducitur [91], quo magis ora promoveantur: eoque fit, ut omnia venarum quaſi capitula [92] conſpicua ſint. Tum, ſi capitulum exiguum eſt, baſimque tenuem habet, adſtringendum lino paulum ſupra eſt, quam ubi cum ano committitur: imponenda ſpongia ex aqua calida eſt [93], donec id liveat [94]: deinde aut ungue, aut ſcalpello, ſupra nodum id exulcerandum eſt. Quod niſi factum eſt, magni dolores ſubſequuntur: interdum etiam urinæ difficultas. Si id majus eſt, & baſis latior, hamulo uno aut altero excipiendum eſt, paulumque ſupra baſim incidendum: neque relinquendum quidquam ex eo capitulo, neque quidquam ex ano demendum eſt: quod conſequitur is, qui neque nimium, neque parum hamos ducit [95]. Qua inciſum eſt, acus debet immitti, infraque eam lino id capitulum alligari. Si duo triave ſunt, imum quodque [96] primum curandum eſt: ſi plura, non omnia ſimul; ne tempore eodem undique teneræ cicatrices ſint. Si ſanguis profluit, excipiendus eſt ſpongia: deinde linamentum imponendum, ungenda femina, & inguina, & quidquid juxta ulcus eſt, ceratumque ſuperdandum, & farina

89. *adhibenda eſſe propoſui*) Idem Codex, *adhibenda propoſui*.

90. *ſanguini, qui effluit*) Idem Codex, *ſanguis qui fluit*.

91. *alvus acribus ducitur*) Ita in Editione Lindenii. In Cod. Mediceo I. tres hæ voces deſunt. Codices ceteri habent, *alvus acrius ducitur*: & ita eſt in antiquis Editionibus. In margine tamen Conſtantinianæ adſcriptum eſt, *acrioribus*.

92. *omnia venarum quaſi capitula*) Ita ex Conſtantino, cujus conjectura ceteris probabilior Morgagno videtur, quod in lib. 6. cap. 18. ſect. 9. habeatur, *ora venarum tamquam capitulis quibuſdam ſurgentia*. Idem Morgagnus, *omnia venæ &c.* ſcriptum reperit in ſuo Codice. Editiones veteres, Aldina excepta, habent, *omnia vela &c.* ut eſt in Mſs. Mediceis omnibus, præter VI. in quo legitur, *omnia uda*. Egnatius edidit, *omnes venæ &c.* Lindenius, *omnia vaſa &c.*

93. *imponenda ſpongia ex aqua calida eſt*) Particula *ex* deeſt in Mſs. & in Editionibus antiquis. Reſtituta eſt a Lindenio, cum pridem Conſtantinus ita legendum animadvertiſſet. Idem Lindenius leg. *imponendaque*: ſed iſta quidem mutatione nihil eſt opus. In Cod. Mediceo I. ita habetur: *imponenda aqua calida ſpongia eſt*.

94. *liveat*) In veteribus Codicibus, in quibus *b* ſæpe invenitur pro *v*, legitur *libeat*. Ita cap. 16. pro *inteſtinum lividum*, Cod. Mediceus I. habet *inteſtinum libidum*. Conſtantinus conjiciendo legebat, *doleat*. Sed recte Lindenius, *liveat*.

95. *hamos ducit*) Cod. Mediceus I. non habet *hamos*.

96. *imum quodque*) In Codice modo allato mendoſe eſt, *imo quoque*. Lindenius leg. *intimum quodque*; ſed non recte.

na hordeacea calida implendus is locus, & ſic deligandus eſt. Poſtero die is deſidere in aqua calida debet, eodemque cataplaſmate foveri. Ac bis die, & ante curationem, & poſt eam, cervices [97] ac femina liquido cerato perungenda ſunt; tepidoque is loco continendus. Interpoſitis quinque aut ſex diebus, oriculario ſpecillo linamenta educenda: ſi capitula [98] ſimul non exciderunt, digito promovenda: tum lenibus medicamentis, iiſdemque, quæ alibi poſui, ulcera ad ſanitatem perducenda. Finito vitio, quemadmodum agendum eſſet, jam alias ſuperius expoſui [99].

XXXI. Ab his ad crura proximus tranſitus eſt. In quibus orti varices non difficili ratione tolluntur. Huc autem & earum venularum [1], quæ in capite nocent; & eorum varicum, qui in ventre ſunt, curationem diſtuli: quoniam ubique eadem eſt. Igitur vena omnis, quæ noxia eſt, aut aduſta tabeſcit, aut manu eximitur [2]. Si recta; ſi, quamvis tranſverſa, tamen ſimplex; ſi modica eſt, melius aduritur. Si curva eſt, & velut in orbes quoſdam implicatur, plureſque [3] inter ſe involvuntur, utilius eximere eſt. Adurendi ratio hæc eſt. Cutis ſuperinciditur: tum patefacta vena, tenui & retuſo ferramento candente modice premitur; vitaturque, ne plagæ ipſius oræ adurantur: quas reducere hamulis facile eſt. Id interpoſitis fere quaternis digitis per totum varicem fit: & tum ſuperimponitur [4] medicamentum, quo aduſta ſanantur. At exciditur hoc modo. Cute eadem ratione ſuper venam inciſa, hamulo oræ excipiuntur; ſcalpelloque undique a corpore vena diducitur; caveturque, ne inter hæc ipſa lædatur [5]; eique retuſus

 ha-

97. *cervices*) Cui bono cervicis inunctio? Lindenius reponit *coxendices*. Sed Celſus hac voce alibi non eſt uſus. Videtur ſcripſiſſe *coxæ*. Id autem ab iis fortaſſe in *cervices* mutatum fuit, qui coxas & femina idem & unum eſſe exiſtimarunt.

98. *ſi capitula*) Lindenius, *& ſi capitula*.

99. *jam alias ſuperius expoſui*) Adverbium *ſuperius* mihi ſuſpectum eſt: habetur tamen in omnibus Mſs. At *alias* abeſt a Mediceo I. Fortaſſe *ſuperius*, ſupra *alias* ab explanatoribus poſitum, receptum fuit, *alias* expulſum.

1. *venularum*) Cod. Mediceus I. *venarum*.

2. *eximitur*) Alii leg. *exciditur*, ut eſt in Mſs. pleriſque omnibus. Mediceus I. habet *eximitur*; quod malui, quia infra quoque omnium veterum librorum conſenſu habetur, *utilius eximere eſt*; ubi unus Lindenius leg. *excidere*. Verbum *eximo* eadem ſignificatione adhibetur cap. *6.* & cap. 23. hujus lib.

3. *plureſque*) Lindenius leg. *plureſve*.

4. *ſuperimponitur*) Idem, *ſuperponitur*.

5. *caveturque, ne inter hæc ipſa lædatur*) In aliquibus Mſs. ita habetur: *caueturque* ne

hamulus ſubjicitur; interpoſitoque eodem fere ſpatio, quod ſupra poſitum eſt, in eadem vena idem fit: quæ, quo tendat, facile hamulo extento cognoſcitur. Vbi jam idem, quacumque varices ſunt, factum eſt, uno loco adducta per hamulum vena præcidi- tur: deinde, qua proximus hamus eſt, attrahitur & evellitur; ibi- que rurſus abſcinditur. Ac ſic undique varicibus crure liberato, tum plagarum [6] oræ committuntur, & ſuper emplaſtrum glutinans injicitur.

XXXII. At, ſi digiti vel in utero protinus, vel propter com- munem exulcerationem poſtea cohæſerunt, ſcalpello diducuntur: dein [7] ſeparatim uterque non pingui emplaſtro circumdatur: atque ita per ſe uterque ſaneſcit. Si vero fuit [8] ulcus in digito, poſtea- que male inducta cicatrix curvum [9] eum reddidit [10]; primum ma- lagma tentandum eſt: dein, ſi id nihil prodeſt (quod & in ve- teri cicatrice, &, ubi nervi læſi ſunt, evenire conſuevit) videre oportet, nervine id vitium, an cutis ſit. Si nervi eſt, attingi non debet: neque enim ſanabile eſt. Si cutis, tota cicatrix exci- denda; quæ fere calloſa extendi digitum minus patiebatur [11]: tum rectus ſic ad novam cicatricem perducendus eſt.

XXXIII. Gangrænam inter ungues, alaſque, aut inguina naſci; &, ſi quando medicamenta vincuntur [12], membrum præcidi opor- tere, alio loco mihi dictum eſt. Sed id quoque cum periculo ſum- mo fit: nam ſæpe in ipſo opere, vel profuſione ſanguinis vel ani- mæ defectione moriuntur. Verum hic quoque nihil intereſt, an ſatis tutum præſidium ſit, quod unicum eſt. Igitur inter ſanam vi-

ne inter hæc ne ipſa lædatur. Itaque legere malim: *caveturque inter hæc, ne ipſa lædatur*. Hæc verba, itemque illa, *eique retuſus hamulus ſubjicitur*, quæ ſtatim conſequuntur, deſunt in Cod. Mediceo I.

6. *tum plagarum &c.*) Particula *tum* abeſt a Cod. Mediceo I.

7. *dein*) Cod. Mediceus I. habet *deinde*; & ſic infra quoque.

8. *fuit*) Ita in Cod. Mediceo I. & Lindenii Editione. Alii leg. *ſit*.

9. *curvum*) Cod. Mediceus I. habet *durum*.

10. *reddidit*) Pro *reddit*, quod eſt in Mſs. & antiquis Editionibus, Lindenius repoſuit *reddidit*; & quidem recte, ut ego puto.

11. *excidenda; quæ fere calloſa extendi digitum minus patiebatur*) Ita ex Cod. Mediceo vetuſtiore. Codices alii habent, *excidenda eſt, quæ fere calculos efficit, ut extendi digitum non pateretur*. Vulgo olim legebatur, *excidenda eſt, quæ fere calloſa efficit, ut extendi digitum non patiatur*: ſed Lindenius, pro *digitum non patiatur*, quod eſt a Palavicino, repoſuit, *digitus non poſſit*.

12. *vincuntur*) In Cod. Mediceo I. *vincantur*.

vitiatamque partem incidenda ſcalpello caro uſque ad os eſt, ſic, ut neque contra ipſum articulum id fiat, & potius ex ſana parte aliquid excidatur, quam ex ægra relinquatur. Vbi ad os ventum eſt, reducenda ab eo ſana caro, & circa os ſubſecanda eſt, ut ea quoque parte aliquid os nudetur [13]: dein id ſerrula præcidendum eſt, quam proxime ſanæ carni etiam inhærenti: ac tum frons oſſis, quam ſerrula exaſperavit, lævanda eſt, ſupraque inducenda cutis; quæ ſub ejuſmodi curatione laxa eſſe debet, ut quam maxime undique os contegat. Quo cutis inducta non fuerit, id linamentis erit contegendum, & ſuper id ſpongia ex aceto deliganda. Cetera poſtea ſic facienda, ut in vulneribus, in quibus pus moveri debet [14], præceptum eſt.

13. *aliquid os nudetur*) *aliquid* pro *aliquantum*. Lindenius leg. *aliquid oſſis nudetur*; quæ lectio veteris Codicis teſtimonio non caret, ut ſcribit Conſtantinus. Attamen Codices Vaticani Mediceique habent *os*, non *oſſis*.

14. *in quibus pus moveri debet*) In vulneribus omnibus, quæ glutinari non poſſunt, cujus generis id ipſum eſt, pus moveri debet; ut eſt in lib. 5. cap. 26. ſect. 27. Recte igitur veteres Codices habent *moveri debet*: neque Conſtantino aſſentiendum, qui legendum putabat, *moveri non debet*, quod in lib. cit. cap. 26. ſect. 34. hæc ſint: *Medicamenta vero, dum malum* (gangræna) *ſerpit, adhibenda nulla ſunt, quæ pus movere conſuerunt*. Verum, membro præciſo, medicamenta pus moventia, non gangrænæ, quæ nulla jam eſt, ſed vulneri imponuntur, quod Chirurgus fecit, quodque ſicut cetera vulnera curandum eſt. Veterem autem lectionem Cocchius confirmat ex Heliodoro cap. 14. de extremis membris abſcindendis. Lindenius ſecutus eſt Conſtantinum: nam ita edidit; *in quibus pus non moveri debet*.

LIBER OCTAVVS.

I. SVpereſt ea pars, quæ ad oſſa pertinet: quæ quo facilius accipi poſſit, prius poſitus figuraſque eorum indicabo. Igitur calvaria incipit ex interiore parte concava, extrinſecus gibba, utrimque lævis, & qua cerebri membranam contegit, & qua cute, capillum gignente, contegitur: eaque ſimplex, ab occipitio & temporibus; duplex, uſque in verticem a fronte, eſt: oſſaque ejus, ab exterioribus partibus [15], dura; ab interioribus, quibus inter ſe connectuntur, molliora ſunt: interque ea venæ diſcurrunt, quas his alimentum ſubminiſtrare, credibile eſt. Raro autem calvaria ſolida, ſine ſuturis eſt: locis tamen æſtuoſis facilius invenitur; & id caput firmiſſimum, atque a dolore tutiſſimum eſt. Ex ceteris, quo ſuturæ pauciores ſunt, eo capitis valetudo commodior eſt. Neque enim certus earum numerus eſt, ſicut ne locus quidem. Fere tamen duæ, ſuper aures, tempora a ſuperiore capitis parte diſcernunt: tertia, ad aures [16] per verticem tendens, occipitium a ſummo capite diducit: quarta, ab eodem vertice per medium caput ad frontem procedit; eaque modo ſub imo capillo definit, modo frontem ipſam ſecans inter ſupercilia finitur [17]. Ex his ceteræ quidem ſuturæ in unguem committuntur: eæ vero, quæ ſuper aures tranſverſæ ſunt, totis oris paulatim extenuantur; atque ita inferiora oſſa ſuperioribus leniter inſidunt. Craſſiſſimum vero in capite os poſt aurem eſt; qua capillus, ut veriſimile eſt, ob id ipſum non gignitur. Sub his quoque muſculis [18], qui tempora conne-

15. *ab exterioribus partibus*) Cæſarius, Ruellius, & Lindenius omittunt *partibus*.

16. *ad aures*) id eſt verſus aures, ut explicat Morgagnus; non uſque ad aures, ut Paavvius & Lindenius exiſtimaſſe videntur, qui proinde reponunt *ad latera*. Editiones antiquæ omnes (excepta Editione an. 1538. in qua mendoſe eſt *ad nares*) omneſque Mſs. habent *ad aures*.

17. *finitur*) In Cod. Mediceo I. *finit*. Paavvius & Morgagnus quædam deeſſe putant, ad coronalem ſuturam attinentia.

18. *Sub his quoque muſculis*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus. Lindenius leg. *Super hos quoque muſculos*.

nectunt [19], os medium, in exteriorem [20] partem inclinatum [21], poſitum eſt. At facies ſuturam habet maximam; quæ a tempore incipiens, per medios oculos, nareſque tranſverſa pervenit ad alterum tempus. A qua breves duæ ſub interioribus angulis deorſum ſpectant. Et malæ quoque in ſumma parte ſingulas tranſverſas ſuturas habent. A mediiſque naribus, aut ſuperiorum dentium gingivis, per medium palatum una procedit; aliaque tranſverſa idem palatum ſecat. Et ſuturæ quidem in plurimis hæ ſunt. Foramina autem, intra caput, maxima oculorum ſunt; deinde narium; tum quæ in auribus habemus. Ex his, quæ oculorum ſunt, recta ſimpliciaque ad cerebrum tendunt. Narium duo foramina oſſe medio diſcernuntur: ſiquidem hæ [22] primum a ſuperciliis, anguliſque oculorum, oſſe inchoantur ad tertiam fere partem: deinde in cartilaginem verſæ, quo propius ori deſcendunt, eo magis caruncula quoque molliuntur. Sed ea foramina, quæ a ſummis ad imas nares [23] ſimplicia ſunt, ibi rurſus in bina itinera dividuntur: aliaque ex his, ad fauces pervia, ſpiritum & reddunt & accipiunt; alia, ad cerebrum tendentia, ultima parte [24] in multa & tenuia foramina diſſipantur, per quæ ſenſus odoris nobis datur. In aure quoque primo [25] rectum & ſimplex iter, procedendo flexuoſum, juxta cerebrum [26] in multa & tenuia foramina diducitur, per quæ facultas audiendi eſt. Juxtaque [27] ea duo parvuli quaſi ſinus ſunt; ſuperque eos finitur os, quod tranſverſum a genis tendens, ab inferioribus oſſibus ſuſtinetur. Jugale appellari poteſt ab eadem ſimilitudine, a

qua

19. *qui tempora connectunt*) Ita in iiſdem veteribus libris. Lindenius leg. *contegunt*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. Morgagnus mallet, *continent*; quam conjecturam confirmat ex ſimili loco cap. 4. hujus lib. *inter muſculos, qui tempora continent*.

20. *exteriorem*) Stephanus & Ronſſeus leg. *interiorem*.

21. *inclinatum*) Perperam quidam leg. *inclinatam*, ut eſt in Edit. an. 1493.

22. *hæ*) Editiones priſcæ habent *hæc*; quod retineri non poteſt, niſi infra legatur *verſa*, ut Palavicinus correxit, ediditque Lindenius. In Mſs. eſt *hac*, & *verſæ*. Itaque malui *hæ*, quemadmodum a Cæſario eſt repoſitum.

23. *ad imas nares*) Lindenius leg. *ad intimas nares*.

24. *ad cerebrum tendentia, ultima parte &c.*) Ita repoſui, cum in Cod. Mediceo I. ſit, *ad cerebrum tendenti ultima parte &c.* Alii leg. *ad cerebrum tendunt. In ultima parte &c.*

25. *primo*) In Cod. Mediceo vetuſtiore, *primum*.

26. *procedendo flexuoſum, juxta cerebrum &c.*) Ita in Codice modo allato. Alii leg. *procedendo flexuoſum fit, quod ipſum juxta cerebrum*. Sed Lindenius extrudit vocem *ipſum*.

27. *Juxtaque*) Aliqui leg. *Juxta*, ut eſt in Editione an. 1538.

qua id Græci ζυγῶδες appellant. Maxilla vero eſt molle os [28], eaque una eſt: cujus eadem & media, & etiam ima pars [29], mentum eſt: a quo utrimque procedit ad tempora; ſolaque ea movetur. Nam malæ cum toto oſſe, quod ſuperiores dentes exigit [30], immobiles ſunt. Verum ipſius maxillæ partes extremæ quaſi bicornes ſunt. Alter proceſſus, infra [31] latior, vertice ipſo tenuatur, longiuſque procedens ſub oſſe jugali ſubit, & ſuper id [32] temporum muſculis illigatur. Alter brevior & rotundior, & in eo ſinu, qui juxta foramina auris eſt, cardinis modo fit; ibique huc & illuc ſe inclinans maxillæ facultatem [33] motus præſtat. Duriores oſſe dentes ſunt: quorum pars maxillæ, pars ſuperiori oſſi malarum hæret. Ex his quaterni primi, quia ſecant, τομικοὶ [34] a Græcis nominantur. Hi deinde quatuor caninis dentibus ex omni parte cinguntur. Vltra quos utrimque fere maxillares quini [35] ſunt, præterquam in iis, in quibus ultimi [36], qui ſero gigni ſolent, non increverunt. Ex his priores [37] ſingulis radicibus; maxillares utique binis, quidam etiam ter-

28. *Maxilla vero eſt molle os*) Durius eſt oſſe pectoris, quod infra *valens & durum* vocatur. Vide Morgagni epiſtolam II. in hujus operis fine.

29. *& etiam ima pars*) In Cod. Mediceo I. *etiam pars*: mendoſe, pro *& ima pars*, quo modo legendum crediderim, extruſa particula *etiam*.

30. *exigit*) Conſtantinus & Lindenius leg. *excipit*, ut eſt in margine Editionis Cæſarianæ: ſed perperam. Vide Morgagn. Epiſt. V.

31. *infra*) Ita ex Morgagno. Simile eſt illud in lib. 6. cap. 14. *tumor mollior, & ab ima parte latus, extenuatus in verticem eſt*. Male alii, *intra*.

32. *& ſuper id*) In Cod. Mediceo vetuſtiore legitur, *& id*: unde primo injecta mihi mendi ſuſpicio eſt; quam tamen Morgagnus plane ſuſtulit. Lege duas ejus epiſtolas huic libro adjectas.

33. *facultatem*) Paavvius adnotat, alios legere *facilitatem*; atque innuit, ut opinor, Conſtantinum, qui vocem iſtam margini adſcripſit. Alii omnes habent *facultatem*, ut eſt in Mſs.

34. τομικοὶ) Quamvis τομικοὶ ſit in Editione Cæſarii an. 1538. non ita tamen Cæſarius ediderat an. 1528. ſed τέμνικοι; cum in Editione Aldina eſſet, τέμνικοι; in Juntina & vetuſtiſſimis tribus 1478. 1493. 1497. *temnici*. Primus igitur Ruellius repoſuit τομικοὶ; quem plerique ſecuti ſunt. Cæſarius hæc adnotavit: τέμικοι, *alias* τομεῖς. Porro τομεῖς legendum eſſe, Cocchius contendit, quod Cod. Mediceus I. habeat *comis*. Codices II. III. IV. V. habent *tenici*; VI. *teniσi*; VII. *tertica*, & in margine alia manu, *tenici*.

35. *quini*) In Mediceis Vaticaniſque Mſs. *quaterni*, quemadmodum alii ediderunt. Sed *quini* prorſus legendum, ut eſt in Editione Lindenii, & in veteri quodam Conſtantini libro. Paavvius retinet *quaterni*: infra vero, pro *non increverunt*, legit ex conjectura, *jam increverunt*.

36. *in quibus ultimi*) Ita Cæſarius, Ruellius, Conſtantinus: & quidem recte. Alii, *in quibus tres ultimi*; ut a Palavicino correctum eſt in Cod. Mediceo I. Nam in pleriſque Mſs. ita habetur: *ſunt quibus in* (vel *su*) *ultimi*: in Vaticano II. & in aliquo alio, *ſunt quibus tres ultimi*. Sed *in* non eſt *tres*, ſed particula *in* poſita loco non ſuo. Lindenius leg. *in quibus genuini*.

37. *priores*) Lindenius leg. *primores*.

ternis, quaterniſve nituntur. Fereque longior radix breviorem dentem edit; rectique dentis recta etiam radix, curvi flexa eſt. Exque eadem [38] radice in pueris novus dens ſubit, qui multo ſæpius priorem expellit: interdum tamen ſupra infrave eum ſe oſtendit. Caput autem ſpina excipit. Ea conſtat ex vertebris quatuor & viginti. Septem in cervice ſunt, duodecim ad coſtas, reliquæ quinque ſunt proximæ coſtis. Eæ teretes breveſque, ab utroque latere, proceſſus duos exigunt [39]: mediæ perforatæ, qua ſpinæ medulla cerebro commiſſa deſcendit: circa quoque per duos proceſſus tenuibus cavis perviæ [40], per quæ a membrana cerebri ſimiles membranulæ deducuntur. Omneſque vertebræ, exceptis tribus ſummis [41], a ſuperiore parte in ipſis proceſſibus parum deſidentes ſinus habent: ab inferiore alios deorſum verſus proceſſus exigunt. Summa igitur protinus caput ſuſtinet, per duos ſinus receptis exiguis ejus proceſſibus. Quo fit, ut caput ſurſum deorſum verſum tuberibus exaſperetur [42]. Secunda ſuperiori parti inferiore [43]. Quod ad circuitum per-

38. *Exque eadem*) Quidam leg. *ex eadem*, ut eſt in Edit. an. 1538. Lindenius, *Ex ea*.

39. *exigunt*) Paavvius, qui ſupra probavit *exigit*, hoc loco improbat *exigunt*, & *exſerunt* reponit: ſed ſine cauſa, ut Morgagnus animadvertit.

40. *circa quoque per duos proceſſus tenuibus cavis perviæ*) h. e. in ipſis quoque proceſſibus perforatæ. Aliqui, pro *per*, *ſubter* reponendum cenſent, ut adnotat Conſtantinus. Paavvius leg. *ea quoque per duos proceſſus tenuibus cavis pervia*: Lindenius, *latera quoque inter duos proceſſus tenuibus cavis pervia*. Sed veterem lectionem & Mſs. confirmant, &, ut Morgagnus animadvertit, locus ſimilis cap. 14. ubi habetur; *duabus membranulis, quæ per duos a lateribus proceſſus feruntur*; non *inter*, nec *ſubter duos a lateribus proceſſus*. In Codice Mediceo I. mendoſe; *circa quæque per duos proceſſit &c.*

41. *exceptis tribus ſummis*) Prima enim ſinus quidem a ſuperiore parte habet; at proceſſus ab inferiore non habet. Excepit autem & proximas duas, quod crederet, ſecundam nec ſinus, nec proceſſus habere; tertiam, proceſſus, non ſinus. Id, niſi fallor, ex iis, quæ ſequuntur, colligitur. Morgagnus tamen ſuſpicatur, tria hæc verba non eſſe Celſi, aut ſi Celſi ſunt, aliter ab eo fuiſſe ſcripta.

42. *ut caput ſurſum deorſum verſum tuberibus exaſperetur*) Duo verba, *tuberibus exaſperetur*, Morgagno redundare videntur, minimeque cum præcedentibus, *ſurſum deorſum verſum*, vel, ut alii legunt cum Cæſario, *verſus*, cohærere. Sententia enim hæc eſſe videtur: ut caput tum ſurſum, tum deorſum verſus moveri poſſit. Quidam, Conſtantino referente, inter *verſus* & *tuberibus* inſerunt *moveatur*, &. Alii tollunt adverbium *ſurſum*; ſed perperam. Et Paavvius quidem ita leg. *ut caput deorſum verſus tuberibus exaſperetur*: Lindenius vero, *ut caput deorſum parvis tuberibus exaſperetur*. In multis Mſs. pro *verſum tuberibus exaſperetur*, mendoſe eſt, *verum tuberius exaſperatur*; in aliquibus, *ſuſum*, pro *ſurſum*. Lege Morgagnum Epiſt. VII. qui totum hunc de vertebris locum ad examen revocat, & multis modis eſſe depravatum, oſtendit.

43. *Secunda ſuperiori parti inferiore*) Deeſt quidpiam. Pro *inferiore*, Conſtantinus *inſeritur* ſcriptum invenit in ſuo Codi-

pertinet, pars ſumma anguſtiore orbe finitur: ita [44] ſuperior ei ſummæ circumdata [45] in latera quoque caput moveri finit. Tertia eodem modo ſecundam excipit [46]. Ex quo facilis cervici mobilitas eſt. Ac, ne ſuſtinere quidem caput poſſet, niſi utrimque recti valenteſque nervi collum continerent, quos τένοντας [47] Græci appellant: ſiquidem horum inter omnes flexus alter ſemper intentus ultra prolabi ſuperiora non patitur. Jamque vertebra tertia tubercula, quæ inferiori inſerantur, exigit [48]. Ceteræ proceſſibus deorſum ſpectantibus in inferiores inſinuantur, ac per ſinus, quos utrimque habent, ſuperiores accipiunt; multiſque nervis & multa cartilagine continentur. Ac ſic, uno flexu modico in promptum dato, ceteris negatis, homo erectus inſiſtit, & aliquid [49] ad neceſſaria opera curvatur. Infra cervicem vero ſumma coſta contra humerum [50]

dice. Itaque Lindenius edidit; *Secunda ſuperioris parti inferiori inſeritur*. Recte fortaſſe; niſi illa ſtatim ſequerentur, *ita ſuperior ei ſummæ circumdata*. Paavvius leg. *Secunda ſuperiori parti inferioris*. Sed deeſt verbum, quo hæc regantur. In Cod. Mediceo I. eſt *parte*, pro *parti*; & *ſuperiori* a Palavicino mutatur in *ſuperior*. Vide Morgagn. l. c.

44. *ita*) In vulgatis, *itaque*. Ego *ita* repoſui ex Mſs.

45. *ſuperior ei ſummæ circumdata*) prima circumdata ſecundæ, qua ſumma eſt, id eſt ea parte, qua anguſtiore orbe finitur. Vocem *ei* addidi ex Codice Mediceo vetuſtiore. Lindenius leg. *ſuperior ſecundæ circumdata*.

46. *Tertia eodem modo ſecundam excipit*) Si Celſus illuc ſpectavit, *ita ſuperior ei ſummæ circumdata*; difficile omnino eſt, hæc verba, *Tertia eodem modo ſecundam excipit*, cum Anatome conciliare: meritoque ac jure dubitat de hujus loci fide Morgagnus. Non enim, ut ſecundæ vertebræ pars ſumma, ſic etiam ima anguſtiore orbe finitur; nec ab inferiore parte tertia vertebra ei circumdatur, quemadmodum prima a ſuperiore. Verum *excipit* fortaſſe eſt, ut alibi, pro *ſequitur*, non pro *recipit*: duæ autem voces, *eodem modo*, referendæ ſunt ad illas, *Secunda ſuperiori parti inferiori*. Quia tamen locus ille integer non eſt, nihil affirmare auſim. Cod. Mediceus I. ita habet: *Tertiam eodem modo ſecundam excipit*.

47. τένοντας) Ita Egnatius & Stephanus. Nam ζένοντας in Editione Aldina mendum eſt. Τένοντας porro hos nervos interdum Græci proprie nominarunt, ut obſervat Foeſius in Œconom. Hippocr. Codices Medicei alii habent TENONTAE (in VII. correctum eſt TENONTAC) al. TENONTE; primus *cerotas*, ut Editiones antiquæ. Quidam leg. καρόντας, ex emendatione Cælii Rhodigini; Cocchius ex conjectura, κερατίας.

48. *tubercula, quæ inferiori inſerantur, exigit*) Proceſſus ſcilicet, de quibus paulo ſupra. Aliqui leg. *excipit*, ex Cæſario: ſed id pugnat cum præcedentibus verbis, *quæ inferiori inſerantur*; ut Morgagnus animadvertit. Legendum igitur *exigit*; quod verbum Celſus adhibuit etiam ſupra: nec aliter habent Mſs. Codices & Editiones vetuſtiores.

49. *uno flexu modico in promptum dato, ceteris negatis, homo erectus inſiſtit, & aliquid &c.*) Ex multis muſculis, qui ſpinam continent, dum aliqui, prout opus eſt, hominem curvari ſinunt, ceteri omnes erectum tenent, nec ruere patiuntur. Ita repoſui ex Cod. Mediceo I. tamen libentius legerim, *in pronum dato*, ut eſt apud Lindenium. Alii leg. *uno flexu modico in promptum* (Conſtant. *in promptu*) *dato, cæteris negotiis homo & rectus inſiſtit, & aliquid &c.* Lindenius, *uno flexu modico in pronum dato, cæteris negotiis homo & rectus inſiſtit, & alioqui &c.*

rum [50] ſita eſt. Inde undecim [51] inferiores uſque ad imum pectus perveniunt: eæque, primis partibus rotundæ, & leniter quaſi capitulatæ, vertebrarum tranſverſis proceſſibus, ibi quoque paulum ſinuatis [52], inhærent: inde lateſcunt [53], & in exteriorem partem recurvatæ paulatim in cartilaginem degenerant; eaque parte rurſus in interiora leniter flexæ committuntur cum oſſe pectoris. Quod valens & durum [54] a faucibus incipit, ab utroque latere lunatum, & a præcordiis, jam ipſum quoque cartilagine mollitum, terminatur [55]. Sub coſtis vero prioribus quinque, quas νόθας [56] Græci nominant, breves tenuioreſque, atque ipſæ quoque paulatim in cartilaginem verſæ, extremis abdominis partibus inhæreſcunt; imaque ex his, majore jam parte nihil, niſi cartilago eſt. Rurſus a cervice duo lata oſſa utrimque ad ſcapulas tendunt: noſtri ſcutula operta [57], ὠμοπλάτας Græci nominant. Ea in ſummis [58] verticibus ſinuata, ab his triangula, paulatimque lateſcentia ad ſpinam tendunt; & quo latiora quaque parte ſunt, hoc hebetiora. Atque ipſa quoque, in imo cartilaginoſa, poſteriore parte velut innatant; quoniam, niſi in ſummo, nulli oſſi inhæreſcunt. Ibi vero validis

P p p mu-

50. *humerum*) Ita in Cod. Mediceo I. Alii leg. *humeros*.

51. *undecim*) Lego, *ſex*. Septem omnino coſtæ ſunt, quas veras nominant, de quibus Celſus loquitur. Nam de quinque nothis infra eſt dicturus. Quoniam rerum numerus in veteribus Codicibus ſæpe per proprias notas ſcribebatur, facile fuit errare librariis. Videtur ſcriptum fuiſſe *VI*. Sed *V*, temere lineis paulum ultra angulum productis, pro *X* acceptum. Lindenius leg. *ſeptem*. At ſic quidem hæ coſtæ octo erunt; cum de una jam dictum ſit. Vide Morgagn. Epiſt. VII.

52. *ſinuatis*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ. Alii leg. *inſinuatis*.

53. *lateſcunt*) Al. *pateſcunt*; & ita ego inveni in Mſs. Codex tamen Conſtantini habet *lateſcunt*, ut edidit Lindenius. Itidem de latis ſcapularum oſſibus infra habetur; *in ſummis verticibus ſinuata, ab his triangula, paulatimque lateſcentia ad ſpinam tendunt*.

54. *& durum*) Cæſarius & alii, *ac durum*.

55. *ipſum quoque cartilagine mollitum, terminatur*) In Codicibus Mediceis, excepto primo; *ipſam quoque cartilaginem emollit ac terminatur*. Mendoſe.

56. νόθας) Ita reſtituerunt Egnatius & Cæſarius, cum *rhoas* legeretur. Codex primus habet *noas*; Medicei ceteri *nodat*.

57. *ſcutula operta*) Ita edidit Lindenius, & ita habent Codices Vaticani III. & V. Mediceique omnes, præter primum. Nihil tamen certi de hoc nomine affirmari poteſt. Nam neque apud alium auctorem reperitur, & apud Celſum hoc uno loco habetur, & hujus loci lectio varia eſt. Codex enim Mediceus I. & Vaticani I. II. VII. habent *ſcapulas*: quod minime contemnendum eſt, cum ſimiliter *ſura* nominetur, tum pars quædam cruris, tum os, quod in ea parte eſt; ut infra dicitur. In Editionibus antiquis legitur, *ſcoptula operta*, ut in Cod. Mediceo I. ex Palavicino. In Vaticano IV. cum eſſet, *ſcutula operta*, *ſcutula* in *ſcuptula* verſum fuit. Vide Morgagn. Epiſt. V.

58. *Ea in ſummis*) Cod. Mediceus I. *Ea ſummis*.

muſculis nerviſque conſtricta ſunt. At a ſumma coſta paulo interius, quam ubi ea media eſt, os excreſcit, ibi quidem tenue, procedens vero, quo propius lato ſcapularum oſſi fit, eo plenius latiuſque, & paulum in exteriora curvatum [59]; quod [60] altera verticis parte modice intumeſcens, ſuſtinet jugulum. Id autem ipſum [61] recurvum, ac neque inter duriſſima oſſa numerandum [62], altero capite in eo, quod poſui, altero in exiguo ſinu pectoralis oſſis inſidit, paulumque motu brachii movetur, & cum lato oſſe ſcapularum, infra caput ejus, nervis & cartilagine connectitur. Hinc humerus incipit, extremis utrimque capitibus tumidus, mollis, ſine medulla, cartilaginoſus: medius teres, durus, medulloſus: leniter gibbus & in priorem & in exteriorem partem [63]. Prior autem pars eſt, quæ a pectore eſt; poſterior, quæ ab ſcapulis [64]; interior, quæ ad latus tendit; exterior, quæ ab eo recedit: quod ad omnes articulos pertinere, in ulterioribus patebit. Superius autem humeri caput rotundius, quam cetera oſſa, de quibus adhuc dixi, parvo exceſſu [65] vertici lati ſcapularum oſſis [66] inſeritur, ac ma-

59. *plenius latiuſque, & paulum in exteriora curvatum*) Ita in Cod. Mediceo I. Alii leg. *plenius latiuſque, & paulatim in exteriora curvatum*: alii ex Cæſario, *plenius latiuſque, & paulatim in exteriora* (Paavvius *interiora*) *curvatur*: Lindenius, *plenius latiuſque eſt, paululum in interiora curvatum*.

60. *quod*) Alii leg. *quod propius*; Lindenius, *quod protinus*. Ego ex fide Cod. Medicei vetuſtioris ſuſtuli *propius*, quod perperam repetitum eſt ex ſuperioribus, *quo propius &c.* ubi plerique Mſs. habent, *quod propius*. Lege quæ ad hunc locum ſcripſit Morgagnus in Epiſt. VII.

61. *Id autem ipſum*) Lindenius omittit *autem*.

62. *ac neque inter duriſſima oſſa numerandum*) Paavvius & Lindenius leg. *ac inter duriſſima &c.* Vide meam ad Morgagnum epiſtolam, quæ eſt in fine hujus libri, & quæ ille ad eamdem reſcripſit.

63. *leniter gibbus & in priorem & in exteriorem partem*) Ita in Mſs. & in Editionibus 1478. 1493. 1497. Juntæ, Cæſarii, Ruellii, Pantini. Si quid a librariis omiſſum fuit, videtur ita reſtituendum ex Morgagni conjectura: *leniter gibbus in priorem & poſteriorem & interiorem; cavus in exteriorem partem*. Alii, ſecuti Editionem Aldinam leg. *leniter gibbus, & in priorem & poſteriorem, interiorem & exteriorem partem*; Lindenius, *leniter cavus, in priorem & interiorem; gibbus, in poſteriorem & exteriorem partem*.

64. *ab ſcapulis*) Cod. Mediceus I. *a ſcapulis*.

65. *parvo exceſſu*) Hæ duæ voces deſunt in Editionibus 1478. 1493. 1497. Juntæ, Cæſarii, Ruellii, & in antiquo Conſtantini Codice. In Editionibus aliis poſt quatuor proximas voces poſitæ ſunt. Ego ſecutus ſum Codices Mediceos Vaticanoſque, cum quibus duo Morgagni Codices conſentiunt.

66. *vertici lati ſcapularum oſſis*) Ita ex Morgagni conjectura, & ex Cod. Vaticano ſexto, qualiſcumque ejus auctoritas ſit. Ita legitur etiam in Mediceo I. ex recentiori emendatione: librarius enim ſcripſerat, *verticiliati ſcapularum oſſis*. Porro *verticem lati ſcapularum oſſis* Celſus nominat paulo ſupra, ubi de his oſſibus loquitur: *Ea in ſummis verticibus ſinuata &c.* Alii Codices &

majore parte extra ſitum [67] nervis deligatur. At inferius duos proceſſus habet: inter quos, quod medium eſt, magis etiam extremis partibus ſinuatur. Quæ res ſedem brachio præſtat: quod conſtat ex oſſibus duobus. Radius, quem κερκίδα Græci appellant, ſuperior breviorque, & primo tenuior, rotundo & leniter cavo capite exiguum humeri tuberculum recipit; atque ibi [68] nervis & cartilagine continetur. Cubitus inferior longiorque, & primo plenior, in ſummo capite duobus quaſi verticibus extantibus in ſinum humeri, quem inter duos proceſſus ejus eſſe propoſui, ſe inſerit. Primo vero duo brachii oſſa juncta [69] paulatim dirimuntur, rurſuſque ad manum coeunt, modo craſſitudinis [70] mutato: ſiquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis eſt. Dein radius, in caput cartilaginoſum conſurgens, in vertice ejus ſinuatur [71]: cubitus rotundus in extremo, parte altera paulum procedit. Ac, ne ſæpius dicendum ſit, illud ignorari non oportet, plurima oſſa in cartilaginem deſinere, nullum articulum non ſic finiri. Neque enim aut moveri poſſet, niſi lævi inniteretur; aut cum carne nerviſque conjungi, niſi ea media quædam materia [72] com-

 mit-

& Editiones multæ habent, *verticulatis ſcapularum oſſibus*; Codices Medicei IV. & V. & Vaticani III. & V. Editioneſque 1478. 1493. 1497. *verticilatis ſcapularum oſſibus*; Editio Aldina, *verticillatis ſcapularum oſſibus*; Codices Vaticani II. & VII. *vertici latis ſcapularum oſſibus*; Vaticanus I. *articulatis ſcapularum oſſi*; Editio Lindeniana, *verticillati ſcapularum oſſi*.

67. *extra ſitum*) Nam vertici lati ſcapularum oſſis parvo dumtaxat exceſſu inſeritur. Vide Morgagn. Epiſt. II. Ita porro ex eodem Morgagno legendum, & ex Mediceo I. aliiſque quibuſdam Mſs. Alii leg. *ex tranſitu*; Lindenius, *extra id ſitum*.

68. *atque ibi*) Ita in veteribus libris & Mſs. & impreſſis. Lindenius leg. *quod ibi*.

69. *duo brachii oſſa juncta*) Ita ex Morgagno, cui ex parte ſuffragantur Codices Mſs. tum Mediceus I. in quo eſt, *duobus radiis adiuncta*; tum alii, in quibus, *duobus brachii* (in aliquibus, *brachiis*) *oſſa iuncta*. Editiones antiquæ habent, *duobus radiis brachii oſſa juncta*, ut eſt in Cod. Mediceo I. ex Palavicini emendatione, in margine Medicei IV. alia manu, & in Vaticanis II. IV. VI. & VII. Lindenius leg. *duo, radii & brachii, oſſa juncta*: ſed non recte; ut Morgagnus animadvertit. Nam duo brachii oſſa ſunt radius & cubitus.

70. *craſſitudinis*) Cod. Mediceus I. habet *craſſitudinum*.

71. *in vertice ejus ſinuatur*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Editione Conſtantini. Vox tamen *ejus* Morgagno redundare videtur; nec ſine ratione. Niſi forte, quoniam alii habent *in verticem*, ita a Celſo ſcriptum fuit: *in vicem ejus* (id eſt cubiti) *ſinuatur*; ut idem Morgagnus ſuſpicatur. Pantinus & Lindenius leg. *in cervicem*, decepti ab Editione Cæſarii an. 1538. quæ omnino depravata eſt: ſiquidem Editio ejuſdem Cæſarii an. 1528. habet *in verticem*. Neque rectius *inſinuatur* habet Lindenius, pro *ſinuatur*. Nam qua radius & cubitus ad manum coeunt, non radius in cubitum, ſed cubitus in radii ſinum inſeritur. Denotat autem Celſus radii ſinum, in quem duo ex manu exigui proceſſus conjiciuntur, ut infra docet. Vide Morgagn. Epiſt. VII.

72. *media quædam materia*) Cod. Mediceus I. non habet *quædam*.

mitteret. In manu vero prima palmæ pars ex multis minutiſque oſſibus conſtat, quorum numerus incertus eſt. Sed oblonga omnia, & triangula, ſtructura quadam inter ſe connectuntur, cum invicem ſuperior alterius angulus [73] alterius planities ſit: eoque fit ex his unius oſſis paulum in interiora concavi ſpecies. Verum ex manu duo exigui proceſſus in ſinum [74] radii conjiciuntur. Tum ex altera parte recta quinque oſſa [75], ad digitos tendentia, palmam explent. A quibus ipſi digiti oriuntur; qui ex oſſibus ternis conſtant: omniumque eadem ratio eſt. Interius os in vertice [76] ſinuatur, recipitque exterioris exiguum tuberculum; nervique ea continent. A quibus orti ungues indureſcunt: ideoque non oſſi, ſed carni magis radicibus ſuis inhærent. Ac [77] ſuperiores quidem partes ſic ordinatæ ſunt. Ima vero [78] ſpina in coxarum oſſe deſidit [79]; quod tranſverſum longeque valentiſſimum, vulvam, veſicam, rectum inteſtinum tuetur. Idque ab exteriore parte gibbum; ad ſpinam, reſupinatum; a lateribus, id eſt in ipſis coxis, ſinus rotundos habet. A quibus oritur os, quod pectinem vocant; idque, ſuper inteſtina ſub pube tranſverſum, ventrem firmat: rectius in viris, recurvatum magis in exteriora in fœminis, ne partum prohibeat. Inde femina oriuntur. Quorum capita rotundiora etiam, quam humerorum ſunt; cum illa ex ceteris rotundiſſima ſint. Infra vero duos proceſſus a priore & a poſteriore parte habent. Dein dura, & medulloſa, & ab exteriore parte gibba [80], rur-

73. *alterius angulus*) Pantinus & Lindenius hæc verba omittunt. Secuti ſunt Editionem Cæſarii an. 1538. neque animadverterunt ea verba typographi culpa deeſſe, haberique in prima Edit. ejuſdem Cæſarii.

74. *in ſinum*) Ita ex Conſtantino, Paavvio, Lindenio & Morgagno. Vnus enim eſt hic radii ſinus. Alii leg. *in ſinus*, ut eſt in Mſs. Alii *in ſinu*, ut in Editione I.

75. *recta quinque oſſa*) Lindenius habet, *quinque oſſa recta*.

76. *in vertice*) Secutus ſum Conſtantinum & Lindenium. Alii leg. *in verticem*; ut eſt in Mſs. ſed mendoſe. Idem mendum notavimus paulo ſupra.

77. *Ac*) Editiones Cæſarii, Pantini, & Lindenii habent *At*; ſed perperám.

78. *Ima vero*) Cod. Mediceus I. *Iam vero*.

79. *deſidit*) Deſignat ſpinam eo loco depreſſam, ut recte animadvertit Morgagnus. *Deſidit* porro antiquæ Editiones, Aldina excepta, Codiceſque habent Medicei tertius & ſextus, & Vaticanus primus: *deſedit* Mediceus primus: alii *diſidit*: Vaticanus II. *diſcedit*, ut edidit Egnatius: VII. *deſcendit*. Conſtantinus malebat *deſidet*, vel *deſinit*; quod ultimum Lindenio placuit.

80. *ab exteriore parte gibba*) Re vera gibba ſunt a parte priore; ut notat Morgagnus; qui ſuſpicatur Celſum ſcripſiſſe, *a priore*, vel *ab anteriore*, vel *a priore & ab exteriore*, ex Hippocrate de Fract. ſect. 18.

In

rurſus ab inferioribus [81] quoque capitibus intumeſcunt. Superiora in ſinus coxæ, ſicut humeri in ea oſſa, quæ ſcapularum ſunt, conjiciuntur: tum infra introrſus leniter intendunt [82], quo æqualius ſuperiora membra ſuſtineant. Atque in eo inferiora [83] quoque capita media ſinuantur, quo facilius excipi a cruribus poſſint. Quæ commiſſura oſſe parvo, molli, cartilaginoſo tegitur: patellam vocant. Hæc ſuper innatans, nec ulli [84] oſſi inhærens, ſed carne & nervis deligata, pauloque magis ad femoris os tendens, inter omnes crurum flexus juncturam tuetur. Ipſum autem crus eſt ex oſſibus duobus. Etenim per omnia femur humero, crus vero [85] brachio ſimile eſt: adeo ut habitus quoque & decor alterius ex altero cognoſcatur: quod ab oſſibus incipiens, etiam in carne reſpondet. Verum alterum os ab exteriore parte ſuræ poſitum eſt [86]; quod ipſum quoque ſura recte nominatur [87]. Id brevius, ſupraque tenuius, ad ipſos talos intumeſcit. Alterum a priore parte poſitum, cui tibiæ nomen eſt, longius & in ſuperiore parte plenius, ſolum cum femoris inferiore capite committitur; ſicut cum humero cubitus. Atque ea quoque oſſa, infra ſupraque conjuncta, media, ut in brachio, dehiſcunt. Excipitur autem crus infra oſſe tranſverſo talorum [88]; id-

que

In Cod. Mediceo I. legitur, *ab exteriore parte habent*: in Codicibus aliis, *ab exteriore parte gibba habent*; ut in Editionibus antiquis: in aliquibus deſunt hæc omnia, *Dein dura*, *&* *medulloſa*, *&* *ab exteriore parte gibba*.

81. *ab inferioribus*) Præpoſitionem *ab* non habet Cod. Mediceus I.

82. *leniter intendunt*) Ita in Mſs. & in Editionibus vetuſtioribus. Alii cum Cæſario leg. *leniter tendunt*; Lindenius, *leviter tendunt*. Vide adnot. 46. ad cap. 27. lib. ſuperioris.

83. *Atque in eo inferiora &c.*) Niſi forte legendum eſt *ideo*, ut Morgagnus eſt ſuſpicatus, duæ voculæ *in eo* prorſus redundant. Fortaſſe manarunt ex Cod. Mediceo I. ubi mendoſe videntur eſſe pro *inferiora*. Ita enim habet: *At in eo quoque capita*.

84. *nec ulli*) Cod. Mediceus I. habet *neq. ulli*.

85. *crus vero*) Particula *vero* abeſt a Codice Mediceo I.

86. *ab exteriore parte ſuræ poſitum eſt*) Ita ex Lindenio. Alii leg. *ab exteriore parte ſupra poſitum eſt*, ut eſt in Editione I. ſed perperam. Mendoſiores ſunt Codices Mſs. nam ita habent: *ab exteriore parte idem* (Mediceus I. *id eſt*; aliqui *id*) *ſupra poſitum eſt*.

87. *ſura recte nominatur*) Ita Egnatius, Gryphius, Pantinus, alii. In Editionibus antiquioribus, & in Mſs. mendoſe eſt *ſupra*, pro *ſura*. Adverbium *recte* non extat in Cod. Mediceo I. nec fortaſſe eſt Celſi.

88. *oſſe tranſverſo talorum*) Ita repoſui ex Cod. Mediceo I. in quo ſcriptum eſt, *oē tranſverſo talorum*. In Mſs. aliis, *oſſa & tranſverſo talorum*: in Editionibus antiquis, *oſſa ex tranſverſo talorum*; quod eſt a Palavicino. Conſtantinus ex conjectura, & Lindenius leg. *oſſe ex tranſverſo talorum*.

que ipſum ſuper os calcis ſitum eſt, quod quadam parte ſinuatur, quadam exceſſus habet [89], & procedentia ex talo recipit, & in ſinum ejus inſeritur [90]. Idque ſine medulla durum, magiſque in poſteriorem partem projectum, teretem ibi figuram repræſentat. Cetera pedis oſſa ad eorum, quæ in manu ſunt, ſimilitudinem inſtructa [91] ſunt: planta palmæ [92], digiti digitis, ungues unguibus reſpondent.

II. Omne autem os, ubi injuria acceſſit, aut vitiatur, aut finditur, aut frangitur, aut foratur, aut colliditur, aut loco [93] movetur. Id, quod vitiatum eſt, primo fere pingue fit; deinde vel nigrum, vel carioſum: quæ, ſupernatis gravibus ulceribus aut fiſtulis, hiſque vel longa vetuſtate, vel etiam cancro occupatis, eveniunt. Oportet autem ante omnia os nudare, ulcere exciſo; &, ſi latius eſt ejus vitium, quam ulcus fuit, carnem ſubſecare, donec undique os integrum pateat [94]: tum id, quod pingue eſt, ſemel iterumve ſatis eſt admoto ferramento adurere, ut ex eo ſquama [95] ſecedat; aut radere [96], donec jam aliquid cruoris oſtendatur, quæ integri oſſis nota eſt. Nam neceſſe eſt aridum ſit id, quod vitiatum eſt. Idem in cartilagine quoque læſa faciendum eſt: ſiquidem ea quoque ſcalpello radenda eſt, donec integrum id ſit, quod relinquitur. Deinde, ſive os ſive cartilago [97] raſa eſt, nitro bene trito reſpergendum [98] eſt. Neque alia facienda ſunt, ubi caries, nigritieſve in ſummo oſſe eſt: ſiquidem id vel paulo diu-

89. *habet*) In Mſs. omnibus, præter Mediceum I. & Vaticanum VI. *habens*. Fortaſſe hic locus ita eſt legendus: *quod quadam parte ſinuatum, quadam exceſſus habens &c.*

90. *& in ſinum ejus inſeritur*) Lindenius leg. *ut in ſinum &c.* ſed perperam.

91. *inſtructa*) Cod. Mediceus I. habet *ſtructa*.

92. *planta palmæ*) Ita ex Cocchii conjectura. Nam in Mſs. & Editionibus antiquioribus habetur, *plantæ palmæ*. Alii cum Cæſario leg. *plantæ palmis*.

93. *loco movetur*) Lindenius leg. *de loco movetur*.

94. *pateat*) Idem Linden. *pateſiat*.

95. *ſquama*) In Mſs. *ſtatua*; in Editionibus antiquis *ſtatu*. Lindenius correxit, *ſquama*. Quam lectionem Morgagnus omnino certam non putat; quod Celſus ſcribere potuerit *teſta*, ut cap. proximo, & lib. 6. cap. 13. & lib. 7. cap. 12. ſect. 1. Attamen, ubi de oſſe aduſto loquitur, *ſquamam* fere uſurpat. Ita lib. 7. cap. 7. ſect. 7. *os ferramento adurendum eſt; vehementiuſque ſi jam carie vexatum eſt, quo craſſior ſquama abſcedat*: & ſect. 15. *tenuibus ferramentis adurere . . . . . . ut ſquama ab oſſe ſecedat*; deinde, *verticem uſque ad os adurunt, ſic, ut ſquamam remittat*.

96. *radere*) Al. *eradere*.

97. *Deinde, ſive os ſive cartilago*) Cod. Mediceus I. *deinde ſi cartilago*.

98. *reſpergendum*) Aliqui Mſs. Codices, *reſpergenda*.

diutius eodem ferramento adurendum, vel radendum eſt. Qui radit hæc, audacter imprimere ferramentum debet, ut & agat aliquid, & maturius deſinat. Finis eſt, cum vel ad album os, vel ad ſolidum ventum eſt. Albo finiri ex nigritie vitium, ſoliditate quadam ex carie, manifeſtum eſt. Accedere etiam cruoris aliquid integro, ſupra dictum eſt. Si quando autem, an altius deſcenderit utrumlibet, dubium eſt, in carie [99] quidem expedita cognitio eſt. Specillum [1] tenue in foramina [2] demittitur; quod magis minuſve intrando, vel in ſummo cariem eſſe, vel altius deſcendiſſe, teſtatur. Nigrities colligi quidem poteſt [3] etiam ex dolore, & ex febre, quæ ubi mediocria ſunt, illa alte deſcendiſſe non poteſt. Manifeſtior tamen adacta [4] terebra fit: nam finis vitii eſt, ubi ſcobis nigra eſſe deſiit. Igitur, ſi caries alte deſcendit, per terebram urgenda [5] crebris foraminibus eſt, quæ altitudine vitium æquent: tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta ſunt, donec ſiccum os [6] ex toto fiat. Simul enim poſt hæc & reſolvetur [7] ab inferiore oſſe, quodcumque vitiatum eſt; & is ſinus carne replebitur; & humor aut nullus poſtea feretur, aut mediocris. Sin autem nigrities eſt, aut ſi caries ad alteram quoque partem

oſſis

99. *Si quando autem, an altius deſcenderit utrumlibet, dubium eſt, in carie &c.*) Ita in Mſs. niſi quod Mediceus I. habet *deſcenderet* pro *deſcenderit*; alii *in* pro *an*. In vulgatis, *Si quando autem altius . . . . . dubium eſt. In carie &c.* In Edit. Aldina, *ſiquando autem altius . . . . . dubium eſt: in carie &c.*

1. *Specillum*) Lindenius, continuata ſententia, leg. *ſi ſpecillum*.

2. *in foramina*) Al. *in foramen*.

3. *Nigrities colligi quidem poteſt*) *Colligi idem poteſt*, contra veterum Codicum fidem Lindenius legit ex Paavvio, qui hæc quoque ad cariem refert. Negat enim ad nigritiem cognoſcendam his ſignis, quæ Celſus proponit, opus eſſe, *dolore* & *febre*; quia ipſa conſpectui ſubjicitur. Sed num oculis dijudicari poteſt, in ſummo nigrities ſit, an altius penetraverit? Id Celſus ex dolore & febre colligi poſſe docet; ſed manifeſtius adacta terebra cognoſci. Vide Morgagnum recte interpretantem locum hunc in Epiſt. V. & confirmantem his verbis cap. proximi: *Sive autem nigrities, quam terebra detexit, ſive caries, quam ſpecillum oſtendit &c.*

4. *adacta*) Quid mirum ſi *adigetur* mutatum fuerat in *adicietur* lib. 7. cap. 27. cum hic quoque, pro *adacta*, ut recte habet Mediceus I. in aliquibus Mſs. ſit *adiecta*?

5. *urgenda*) In Mſs. Codicibus *unguenda*; in Mediceo I. *unguendam*: mendoſe. Pro *urgenda*, alii, ut eſt in Conſtantini adnotationibus, mallent *purganda*.

6. *donec ſiccum os*) Ita edidit Lindenius. Antea legebatur, *donec inde ſiccum os*. In Codicibus Mediceis ita habetur: *donec in ſiccum os*: ſed in primo Palavicinus lineolam duxit ſupra *in*. Hinc in margine Cod. IV. ab alia manu, *inde*.

7. *poſt hæc & reſolvetur*) Cod. Mediceus I. habet, *poſt hæc ſolvetur*; Linden. & *poſt hæc ſolvetur*.

oſſis tranſit, oportet excidi. Atque idem quoque [8] in carie, ad alteram partem oſſis penetrante, fieri poteſt. Sed [9], quod totum vitiatum, totum eximendum eſt: ſi inferior pars integra eſt, eatenus, quod corruptum eſt, excidi debet. Item ſive capitis, ſive pectoris os, ſive coſta carioſa eſt, inutilis uſtio eſt [10], & excidendi [11] neceſſitas eſt. Neque audiendi ſunt, qui, oſſe nudato, diem tertium exſpectant, ut tunc excidant: ante inflammationem enim tutius omnia tractantur. Itaque, quantum fieri poteſt, eodem momento & cutis incidenda eſt, & os detegendum, & omni vitio liberandum eſt. Longeque pernicioſiſſimum eſt, quod in oſſe pectoris eſt: quia vix, etiamſi recte ceſſit curatio, veram ſanitatem reddit.

III. Exciditur vero os duobus modis. Si parvulum eſt, quod læſum eſt, modiolo, quam χοινικίδα [12] Græci vocant: ſi ſpatioſius [13], terebris. Vtriuſque rationem proponam. Modiolus ferramentum concavum, teres, eſt, imis oris ſerratum; per quod medium clavus, ipſe quoque interiore orbe cinctus, demittitur. Terebrarum autem duo genera ſunt: alterum ſimile ei, quo fabri utuntur: alterum capituli longioris, quod ab acuto mucrone incipit, deinde ſubito latius fit; atque iterum ab alio principio paulo minus quam æqualiter ſurſum procedit. Si vitium in anguſto eſt, quod comprehendere modiolus poſſit, ille potius aptatur: & [14], ſi caries ſubeſt, medius clavus in foramen demittitur; ſi nigrities, angulo ſcalpri ſinus exiguus fit, qui clavum recipiat, ut, eo inſi-

ſten-

8. *Atque idem quoque &c.*) Idem bis dicitur. Itaque Paavvius, & Morgagnus membrum hoc; Conſtantinus, & Ronſſeus quatuor illa verba membri ſuperioris, *eſt*, *aut ſi caries*, extrudenda cenſent. Lindenius omittit *Atque*.

9. *Sed*) Codices omnes Medicei, præter primum, habent *Et*.

10. *uſtio eſt*) Olim legebatur *vitio eſt*, ut habent Mſs. Codices. Lindenius repoſuit *uſtio*, ſed omiſit *eſt*.

11. *& excidendi*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus. Lindenius leg. *ſed excidendi*.

12. *quam χοινικίδα*) Ita ex Cocchii emendatione. In Cod. Mediceo I. eſt, *quam* (a Palavicino *quem*) XOINEIKIA; itemque in IV. alia manu: in ceteris, XOINEKIΛA. Editiones aliæ habent, *quem choenicion*, ut eſt in prima; aliæ, χοινίκιον, per græcas litteras.

13. *ſpatioſius*) Quidam leg. *ſpatioſum*. In Mſs. eſt *ſpatioſus*; ſed in Mediceo I. a Palavicino correctum eſt, *ſpatioſius*; & ita habent Editiones Cæſarii in margine, & Lindeniana.

14. *&*) Lindenius *At*.

ſtente, circumactus modiolus delabi non poſſit: deinde is [15] habena, quaſi terebra, convertitur. Eſtque quidam premendi modus, ut & foret, & circumagatur [16]: quia, ſi leviter imprimitur, parum proficit; ſi graviter, non movetur. Neque alienum eſt, inſtillare paulum roſæ, vel lactis, quo magis lubrico circumagatur: quod ipſum tamen, ſi copioſius [17] eſt, aciem ferramenti hebetat. Vbi [18] jam iter modiolo preſſum [19] eſt, medius clavus educitur, & ille per ſe agitur: deinde, cum ſanitas inferioris partis ſcobe cognita eſt, modiolus removetur. At ſi latius vitium eſt, quam ut illo comprehendatur, terebra res agenda eſt. Ea foramen fit in ipſo fine vitioſi oſſis atque integri; deinde alterum non ita longe, tertiumque, donec totus [20] is locus, qui excidendus eſt, his cavis cinctus ſit. Atque ibi quoque, quatenus terebra agenda ſit, ſcobis ſignificat. Tum exciſorius ſcalper ab altero foramine ad alterum malleolo adactus id, quod inter utrumque medium eſt, excidit; ac ſic [21] ambitus ſimilis ei fit, qui in anguſtiorem orbem modiolo imprimitur. Vtro modo vero id circumductum eſt, idem exciſorius ſcalper in oſſe [22] corrupto planus ſummam quamque teſtam lævet [23], donec integrum os relinquatur. Vix umquam nigrities in-

15. *deinde is*) Ita Egnatius aliique multi; & quidem recte. Quam lectionem cum Lindenius quoque ſit ſecutus, non apparet, cur Almeloveenius maluerit, *deinde his*, quod eſt in Editionibus 1478. 1493. 1497. 1524. & in Mſs. Mediceus I. habet, *de his*.

16. *ut & foret, & circumagatur*) Antea legebatur, *ut & foretur & circumagatur*; ut correctum eſt a Palavicino in Cod. Mediceo I. cum eſſet ſcriptum, *ut & foretur vagatur*. Ego repoſui *foret* pro *foretur*; ut malebat Conſtantinus: atque ita legendum arbitror ex Codicibus ceteris. Habent enim, *ut efforet & circumagatur*.

17. *copioſius*) lac ſcilicet, vel roſa. In Cod. Mediceo I. mendoſe eſt *optuſius*; in utraque Cæſarii Editione *obtuſius*.

18. *hebetat. Vbi*) Ita ex Cod. Mediceo I. Quia in aliis Codicibus eſt, *habet. At ubi*; ideo Palavicinus particulam *at* addidit in illo Codice; unde in vulgatis libris, *hebetat. At ubi*.

19. *preſſum*) Ita omnes veteres libri cum editi, tum Mſs. eodemque modo Virgilius 10. Æneid. v. 296. dixit;

ſulcumque ſibi premat ipſa carina.

Lindenius leg. *impreſſum*, ut malebat Conſtantinus.

20. *totus*) *tactus* in utraque Editione Cæſarii mendum eſt: quod neque Lindenius, neque Almeloveenius, qui ipſi quoque ita edidere, videntur animadvertiſſe.

21. *ac ſic*) Hic quoque Editio Cæſarii tum an. 1528. tum 1538. itemque Ruelliana mendoſa eſt. Habent enim, *ac ſi*.

22. *in oſſe*) Lindenius leg. *& in oſſe*.

23. *lævet*) Ita repoſuit Lindenius: quod ſane verbum Celſianum eſt; ſed hoc loco minus fortaſſe ſignificat, quam oportet. In oſſe enim corrupto, non lævanda ſumma quæque teſta eſt, ſed tollenda, donec integrum os relinquatur. Ceterum Lindenius ſecutus videtur Paavvium, *læviget* reponentem pro *læſit*, quod habent veteres Editiones & Mſs. tum Medicei, tum Vaticani. Conſtantinus in ſuo Codice reperit *radit*; quod non diſplicet.

tegrum; caries per totum os perrumpit [24], maximeque ubi vitiata calvaria eſt. Id quoque ſigni ſpecillo ſignificatur [25]: quod depreſſum [26] in id foramen, quod infra ſolidam ſedem habet, & ob id [27] renitens aliquid invenit, & madens exit: ſi pervium invenit, altius deſcendens inter os & membranam, nihil oppoſitum invenit, educiturque ſiccum: non quo non ſubſit aliqua vitioſa ſanies; ſed quoniam ibi, ut in latiore ſede, diffuſa ſit. Sive autem nigrities, quam terebra detexit, ſive caries, quam ſpecillum oſtendit, os tranſit, modioli quidem uſus fere ſupervacuus eſt; quia latius pateat neceſſe eſt, quod tam alte [28] proceſſit. Terebra vero ea, quam ſecundo loco poſui, utendum; eaque, ne nimis incaleſcat, ſubinde in aquam frigidam demittenda eſt. Sed tum majore cura agendum eſt, cum jam aut ſimplex os dimidium perforatum eſt; aut in duplici ſuperius: illud ſpatium ipſum; hoc ſanguis ſignificat. Ergo tum lentius ducenda habena, ſuſpendendaque magis ſiniſtra manus eſt [29], & ſæpius attollenda, & foraminis altitudo conſideranda; ut, quandocumque [30] os perrumpitur, ſentiamus, neque periclitemur, ne mucrone cerebri membrana lædatur: ex quo graves inflammationes, cum periculo mortis oriuntur. Factis foraminibus, eodem modo media ſepta [31], ſed multo circumſpectius, excidenda ſunt; ne forte angulus ſcalpri eamdem membranam violet; donec fiat aditus, per quem membranæ cuſtos immit-

24. *nigrities integrum; caries per totum os perrumpit*) Conſtantinus legit ex conjectura; *nigrities in totum, caries perſæpe totum os perrumpit*. Sed nihil mutandum.

25. *Id quoque ſigni ſpecillo ſignificatur*) Pro *ſigni*, Conſtantinus legendum putavit *ſigno*; Lindenius repoſuit *vitii*. Mihi vox hæc tollenda videtur.

26. *quod depreſſum*) Alii legunt, ut eſt in Mſs. *qui depreſſus*: infra vero, *ſiccus*. Sed *ſpecillus* maſculino genere neque alibi apud Celſum, neque apud alios, quod ſciam, idoneos Scriptores occurrit. Itaque aſſentiendum videtur Conſtantino & Lindenio legentibus, *quod depreſſum*, & *ſiccum*.

27. *& ob id*) ,, Tres haſce voculas ,, inquit Paavvius ,, delendas cenſeo, cum ſenſum turbent ,,. Nihil turbant, Paavvi: nam referuntur ad ſolidam ſedem, ut Morgagnus explicuit. Lindenius expulit *ob id*, retinuit &.

28. *tam alte*) Ita Conſtantinus ex conjectura, & Lindenius. Al. *jam alte*, ut eſt in Mſs.

29. *ſuſpendendaque magis ſiniſtra manus eſt*) Cod. Mediceus I. ita habet: *ſuſpendaque maius ſiniſtra eſt*.

30. *quandocumque*) In Mſs. Mediceis *quandoque*; quod in *quandocumque* mutatum fuit in I. a Palavicino & alia manu in IV. quoque.

31. *ſepta*) Codex Mediceus I. non habet vocem hanc: ceteri habent *ſepe*, vel *ſæpe*; ut Editiones antiquæ. Conſtantinus correxit, *ſepta*, quemadmodum eſt in capite proximo; atque ita edidit Lindenius.

mittatur: μηνιγγοφύλακα Græci vocant. Lamina [32] ænea eſt, firma [33], paulum reſima, ab exteriore parte lævis; quæ demiſſa, ſic, ut exterior pars ejus cerebro propior ſit, ſubinde ei ſubjicitur, quod ſcalpro diſcutiendum eſt: ac, ſi excipit ejus angulum, ultra tranſire non patitur: eoque & audacius, & tutius, ſcalprum malleolo ſubinde medicus ferit, donec exciſum undique os, eadem lamina levetur, tollique ſine ulla noxa cerebri poſſit. Vbi totum os ejectum eſt, circumradendæ lævandæque ſunt oræ, &; ſi quid ſcobis membranæ inſedit, colligendum. Vbi, ſuperiore parte ſublata, inferior relicta eſt, non oræ [34] tantum, ſed os quoque totum lævandum [35] eſt; ut ſine noxa poſtea cutis increſcat, quæ aſpero oſſi innaſcens [36] protinus non ſanitatem, ſed novos dolores movet. Patefacto cerebro, qua ratione agendum ſit, dicam, cum ad fracta oſſa venero [37]. Si baſis aliqua ſervata eſt, ſuperimponenda ſunt medicamenta non pinguia, quæ recentibus vulneribus accommodantur; ſupraque imponenda lana ſuccida, oleo atque aceto madens. Vbi tempus proceſſit, ab ipſo oſſe [38] caro increſcit, eaque factum manu ſinum complet. Si quod etiam os aduſtum eſt [39], a parte ſana recedit; ſubitque inter integram atque emortuam partem caruncula, quæ, quod abſceſſit, expellat. Eaque [40] fere, quia teſta tenuis & anguſta eſt, λεπὶς, id eſt ſquama [41], a Græcis nominatur. Poteſt etiam evenire, ut ex ictu ne-

32. *Lamina*) Lindenius addit *autem*.

33. *firma*) Codex I. *phyrma*: Medicei ceteri, *prima*.

34. *oræ*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ, non *ora*, ut alii perperam legunt.

35. *lævandum*) Plerique leg. *lavandum*. Infra quoque Aldina & aliæ quædam Editiones mendoſe habent *lavari*. In Cod. Mediceo I. eſt *levandum*, & *levari*.

36. *oſſi innaſcens*) Ita Lindenius, & alii legunt ex Cæſario. Al. *oſſe innaſcens*. Cod. Mediceus I. habet, *oſſe naſcens*.

37. *venero*) Al. *pervenero*, ut eſt in Edit. an. 1493.

38. *ab ipſo oſſe*) *oſſe*, ut legunt Conſtantinus & Lindenius, atque omnino legendum eſt, ex Mediceis Codicibus nullus habet, præter III. & VI. In ceteris, itemque in Editionibus antiquis eſt *ore*.

39. *Si quod etiam os aduſtum eſt*) In Cod. Mediceo I. legitur, *Id quod etiam aduſtum eſt*.

40. *Eaque*) Non caruncula, ſed id, quod ex oſſe ſecedit, λεπὶς a Græcis nominatur: ideoque, pro *Eaque*, *Idque* Conſtantinus reponendum putabat. Mihi totum hoc membrum ab interpretibus adſcriptum fuiſſe videtur ad verba illa, *quod abſceſſit*.

41. λεπὶς, *id eſt ſquama*) Ita in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ. Alii leg. *ſquama eſt*, *id eſt lepis*; ut eſt in Mſs. niſi quod Mediceus I. habet, quo modo edidit Egnatius, *ſquama id eſt lepis*; a Palavicino vero, *ſquama eſt idem lopis*. Al. ex Cæſario, *ſquama eſt*, *id* λεπὶς. Si cetera hujus membri verba retinenda ſunt, hæc tria tamen, *id eſt ſquama*, videntur tollenda.

que findatur os, neque perfringatur; ſed ſummum tamen [42] collidatur, exaſpereturque. Quod ubi incidit, radi & lævari ſatis eſt. Hæc quamvis maxime fiunt in capite, tamen ceteris quoque oſſibus communia ſunt: ut, ubicumqae idem incidit [43], eodem remedio ſit utendum. At quæ fracta [44], fiſſa, forata, colliſa ſunt [45], quaſdam proprias in ſingulis generibus, quaſdam communes in pluribus curationes requirunt: de quibus protinus dicam, initio ab eadem calvaria accepto.

IV. Igitur, ubi ea percuſſa [46], protinus requirendum eſt, num bilem is homo vomuerit; num oculi ejus obcæcati ſint; num obmutuerit; num per nares aureſve ſanguis ei effluxerit [47]; num conciderit; num ſine ſenſu quaſi dormiens jacuerit. Hæc enim non niſi oſſe fracto eveniunt: atque, ubi inciderunt, ſcire licet, neceſſariam, ſed difficilem curationem eſſe. Si vero etiam torpor acceſſit; ſi mens non conſtat; ſi nervorum vel reſolutio vel diſtentio ſecuta eſt; veriſimile eſt, etiam cerebri membranam eſſe violatam: eoque in anguſto magis ſpes eſt. At ſi nihil horum ſecutum eſt, poteſt etiam dubitari [48], an os fractum ſit: & protinus conſiderandum eſt, lapide, an ligno, an ferro, an alio telo percuſſum ſit, & hoc ipſo lævi [49] an aſpero, mediocri an vaſtiore, vehementer an leviter [50]; quia quo mitior ictus fuit, eo facilius os ei reſtitiſſe credibile eſt. Sed nihil tamen melius eſt, quam

42. *tamen*) Lindenius leg. *tantum*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

43. *incidit*) Ex multis Mſs. in quibus eſt *incipit*, repoſui *incidit*. Alii leg. *incidet*, ut habet Cod. Mediceus I.

44. *At quæ fracta*) In Cod. Mediceo I. legitur, *Atque fracta*; in ceteris, *Atq; ea fracta*. Ego repoſui, *At quæ fracta*. Editiones antiquæ habent, *Atque cum ea fracta*, ex Palavicino; Lindeniana, *At, cum ea fracta*.

45. *ſunt*) Al. *ſint*.

46. *ea percuſſa*) Perperam alii leg. *ea pertuſa*. Codices Medicei I. III. & VI. habent *ea percuſſa*: Palavicinus vero in I. addit *eſt*. Lindenius leg. *calvaria percuſſa*.

47. *ei effluxerit*) Cod. Mediceus I. non habet *ei*.

48. *poteſt etiam dubitari*) *etiam* pro *adhuc*. De qua lectione cum dubitare me olim Morgagno ſignificaſſem, exemplis eam Terentii & Virgilii defendi poſſe reſpondit. Addi poteſt Plautus in Pſeudolo Act. 1. Scen. 3.

Hunc pudet, quod tibi promiſit, quaque id promiſit die,
Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.

& Salluſtius de B. C. ſub finem: *Catilina vero longe a ſuis inter hoſtium cadavera repertus eſt, paulum etiam ſpirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens*. Attamen apud Celſum fortaſſe legendum *etiamnum*; in quo librarios ſæpe erraſſe animadverti. Vide lib. 2. cap. 18. adnot. 66. lib. 4. cap. 2. ſect. 1. adnot. 41. lib. 7. cap. 4. ſect. 4. adnot. 92.

49. *lævi*) Ita ex Lindenio. Alii leg. *leni*, ut eſt in Mſs. ſed non recte.

50. *leviter*) Al. *leniter*.

quam certiore id nota explorare. Ergo, qua plaga eſt, demitti ſpecillum oportet, neque nimis tenue, neque acutum; ne, cum in quoſdam naturales ſinus inciderit, opinionem fracti oſſis fruſtra faciat: neque nimis plenum; ne parvulæ rimulæ [51] fallant. Vbi ſpecillum ad os venit, ſi nihil niſi læve & lubricum occurrit, integrum id videri poteſt: ſi quid aſperi eſt, utique qua ſuturæ non ſint, fractum os eſſe teſtatur. A ſuturis ſe deceptum eſſe, Hippocrates memoriæ prodidit [52]; more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium [53]. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt: magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio; præcipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſa poſteris traditur; ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt. Sed hæc quidem alioquin memoria magni profeſſoris, uti interponeremus, effecit. Poteſt autem ſutura eo nomine fallere, quia [54] æque aſpera eſt; ut aliquis hanc eſſe, etiamſi rima eſt, exiſtimet eo loco, quo ſubeſſe hanc veriſimile eſt. Ergo eo nomine decipi non oportet: ſed os aperire [55] tutiſſimum eſt. Nam neque utique certa ſedes, ut ſupra poſui, ſuturarum eſt; & poteſt idem & naturaliter commiſſum & ictu fiſſum eſſe, juxtave aliquid fiſſum habere. Quin aliquando etiam, ubi ictus fuit [56] vehementior, quamvis ſpecillo nihil invenitur, tamen aperire commodius eſt. At ſi [57] ne tum quidem rima manifeſta eſt, inducendum ſuper os atramentum ſcriptorium eſt, deinde ſcalpro id deradendum [58]: nigritiem enim continet, ſi quid fiſſum eſt. Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit. Itaque, ſi graviter aliquis percuſſus eſt, ſi mala indicia ſubſecu-

ta

51. *parvulæ rimulæ*) Cod. Mediceus I. habet *parvolæ rimæ*.

52. *prodidit*) Lindenius leg. *tradidit*, ut eſt in Edit. an. 1538.

53. *fiduciam magnarum rerum habentium*) In Cod. Mediceo I. legitur: *fiducia magnas res habentium*.

54. *quia*) Sic repoſuit Lindenius ex Conſtantini emendatione. Alii leg. *quæ*; nec aliter eſt in Mſs.

55. *aperire*) Lindenius leg. *deoperire*. Ita ſane habet Codex vetuſtior; ſed ejus fidem dubiam reddunt Codices ceteri Medicei, in quibus eſt, ut in Editionibus antiquis, *aperire*; quo verbo Celſus utitur etiam infra, quemadmodum Morgagnus animadvertit.

56. *fuit*) Al. *fuerit*.

57. *At ſi*) Cod. Mediceus I. habet *ac ſi*.

58. *deradendum*) Editio an. 1493. *detrahendum*; atque ita plerique legunt. Edit. an. 1538. *attrahendum*.

ta ſunt, neque ea parte, qua cutis diſciſſa eſt, rima reperitur; non incommodum eſt, parte altera conſiderare, num quis [59] locus mollior ſit, & tumeat; eumque aperire: ſiquidem ibi fiſſum os reperietur. Nec tamen magno negotio cutis ſaneſcit, etiamſi fruſtra ſecta [60] eſt. Os fractum, niſi ſi ſuccurſum [61] eſt, gravibus inflammationibus afficit, difficiliuſque poſtea tractatur. Raro, ſed aliquando tamen, evenit, ut os quidem totum integrum maneat, intus vero ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid ſanguinis mittat; iſque ibi concretus magnos dolores moveat, & oculos quibuſdam obcæcet [62]. Sed fere contra id dolor eſt, &, eo loco cute inciſa, pallidum os reperitur: ideoque id quoque os excidendum eſt. Quacumque autem de cauſa curatio hæc [63] neceſſaria eſt, ſi nondum ſatis cutis patefacta eſt, latius aperienda eſt, donec, quidquid læſum eſt, in conſpectu ſit. In quo ipſo videndum eſt, ne quid ex ipſa membranula, quæ ſub cute calvariam cingit, ſuper os relinquatur: ſiquidem hæc ſcalpro terebriſve lacerata vehementes febres cum inflammationibus excitat. Itaque eam commodius eſt ex toto ab oſſe diduci. Plagam, ſi ex vulnere eſt, talem neceſſe eſt habeamus, qualem acceperimus: ſi manu facienda eſt, ea fere commodiſſima eſt, quæ duabus tranſverſis lineis litteræ X figuram accipit: tum deinde [64] a ſingulis procedentibus lingulis [65] cutis ſubſecatur. Inter quæ, ſi ſanguis fertur, ſpongia ſubinde in aceto tincta cohibendus eſt, occupanduſque objectis linamentis, & caput altius excitandum. Neque id vitium ullum me-

59. *num quis*) Cod. Mediceus I. *num qui*.

60. *ſecta*) Ita in allato Codice & in Editione Lindenii. Alii leg. *defecta*; al. *detecta*.

61. *niſi ſi ſuccurſum*) Ita in Cod. Mediceo I. Alii leg. *niſi ſuccurſum*.

62. *& oculos quibuſdam obcæcet*) Ita edidit Lindenius. Sed fortaſſe ſcribendum, *oculoſque obcæcet*. Nam in Mſs. & antiquis Editionibus eſt, *oculos quibus obcæcet*. Ex qua lectione, procul dubio corrupta, Scaliger apud Vertunianum de capitis vulneribus fecit, *oculoſque pus obcæcet*; atque ita prorſus legendum cenſet Foeſius. Vide ejus adnotationes ad Hippocratis lib. de capit. vulnerib. ſect. 10.

63. *hæc*) Cod. Mediceus I. *ea*.

64. *tum deinde*) Ita in Codice modo allato. Vulgo legitur, *ut deinde*: infra vero, *ſubſequatur*; a Lindenio *ſubſecetur*.

65. *procedentibus lingulis*) Hæ duæ voces deſunt in pleriſque Mſs. In Editione an. 1493. & aliis multis, pro *lingulis*, mendoſe eſt *ſingulis*. Alii leg. *ligulis*; Conſtantinus ex conjectura, & Lindenius, *angulis*.

metum [66], niſi inter muſculos, qui tempora continent, adfert: ſed ibi quoque nihil tutius fit. In omni vero fiſſo fractove oſſe, protinus antiquiores medici ad ferramenta veniebant, quibus id exciderent. Sed multo melius eſt, ante emplaſtra experiri, quæ calvariæ cauſa componuntur: eorumque aliquod oportet ex aceto mollitum per ſe ſuper fiſſum fractumve os imponere: deinde ſuper id, aliquanto latius, quam vulnus eſt, eodem medicamento illitum linteolum, & præterea ſuccidam lanam aceto tinctam: tum vulnus deligare, & quotidie reſolvere; ſimiliterque curare uſque [67] ad diem quintum. A ſexto die [68] etiam vapore aquæ calidæ per ſpongiam fovere: cetera eadem [69] facere. Quod ſi caruncula increſcere cœperit, & febricula aut ſoluta erit [70], aut levior [71], & cupiditas cibi reverterit, ſatiſque ſomni accedet [72], in eodem medicamento erit perſeverandum. Procedente deinde tempore emolliendum id emplaſtrum, adjecto cerato ex roſa facto; quo facilius carnem producat: nam per ſe reprimendi vim habet. Hac ratione ſæpe rimæ callo quodam implentur; eſtque ea oſſis velut cicatrix: & latius fracta oſſa, ſi qua inter ſe non cohærebant [73], eodem callo glutinantur; eſtque id [74] aliquanto melius velamentum cerebro, quam caro, quæ exciſo oſſe increſcit. Si vero ſub prima curatione febris intenditur, breveſque ſomni, & iidem per ſomnia tumultuoſi ſunt, ulcus madet, neque alitur, & in cervicibus glandulæ oriuntur, magni dolores ſunt, cibique ſuper hæc faſtidium increſcit; tum demum ad manum ſcalprumque veniendum eſt. Duo vero ſub ictu calvariæ pericula ſunt; ne vel findatur, vel medium deſidat. Si fiſſum eſt, poſſunt oræ eſſe com-

66. *Neque id vitium ullum metum*) Legendum videtur, *Neque id* (ſcilicet curatio) *ullum metum*. Hoc, niſi fallor, oſtendunt verba proxima, *ibi quoque nihil tutius fit*. In Cod. Mediceo I. non extat vox *ullum:* in ceteris ante *vitium* poſita eſt. In his Codicibus vox *vitium* inſerta fuit ex lectionis varietate: in illo corrupta ex *ullum*.

67. *curare uſque*) Hæc duo verba deſunt in Cod. Mediceo I.

68. *A ſexto die*) In eodem Codice legitur; *aut ſexto die:* Palavicinus vero corrigit, *at &c.*

69. *cetera eadem*) Ita ex Conſtantini emendatione. Veteres Codices habent, *cetera ex eadem*. Lindenius leg. *ceteraque eadem*.

70. *erit*) Linden. *fuerit*.

71. *levior*) Alii leg. *lenior*. Cod. Mediceus I. habet *brevior*.

72. *accedet*) Linden. *accedat*.

73. *cohærebant*) Lindenius leg. *cohærebunt*.

74. *eſtque id*) Al. omittunt *id*.

compreſſæ: vel quia altera ſuper alteram exceſſit; vel etiam, quia [75] vehementer rurſus ſe commiſerunt. Ex quo evenit, ut humor ad membranam quidem deſcendat, exitum vero non habeat; ac ſic eam irritet, & graves inflammationes moveat. At [76] ubi medium deſedit, eamdem cerebri membranam os urget [77]: interdum etiam ex fractura quibuſdam velut aculeis pungentibus. His ita ſuccurrendum eſt, ut tamen quam minimum ex oſſe dematur. Ergo, ſi ora alteri inſedit, ſatis eſt id, quod eminet, plano ſcalpro excidere: quo ſublato, jam rima hiat quantum curationi ſatis eſt [78]. At ſi oræ inter ſe comprimuntur, a latere ejus, interpoſito digiti ſpatio, terebra foramen faciendum eſt: ab eoque ſcalper duabus lineis ad rimam agendus, ad ſimilitudinem litteræ V [79], ſic, ut vertex ejus [80] a foramine, baſis a rima ſit [81]. Quod ſi rima longius patet, ab altero foramine rurſus ſimilis ſinus fieri debet: & ita [82] nihil latens in eo oſſe concavo eſt [83], abundeque exitus datur intus lædentibus. Ne ſi fractum quidem os deſedit, totum excidi neceſſe eſt: ſed, ſive totum perfractum eſt, & ab alio ex toto receſſit, ſive circumpoſitæ calvariæ inhæret exigua parte, ab eo, quod naturaliter ſe habet, ſcalpro dividendum eſt. Deinde in eo, quod deſedit, juxta rimam, quam fecimus, fora-

mi-

75. *quia*) In multis Mſs. *quia fere*.

76. *At*) Vulgo omnes, præter Lindenium, omittunt particulam hanc. Ex Codicibus Mediceis quoque ſolus primus eam habet; in quo tamen mendoſe ſcriptum eſt *Ad*.

77. *os urget*) Lindenius transfert *os* ante *deſedit*. Aliqui Codices habent *ſurget* pro *os urget*.

78. *jam rima hiat quantum curationi ſatis eſt*) Cod. Mediceus I. non habet *jam*. Lindenius leg. *ſi rima hiat aliquantum, curationi ſatis eſt*: ſed minus recte.

79. *ad ſimilitudinem litteræ V*) Veteres Editiones habent, *ad ſimilitudinem. C. litteræ*, ut eſt in Codice I. Ego ita reponendum cenſui ex Codicibus Mediceis ceteris, in quibus eſt, *ad ſimilitudinem litteræ u*; cum præſertim Conſtantinus in Codice ſuo *V* ſcriptum invenerit. Lindenius leg. *ad ſimilitudinem litteræ* Λ. Recte, ſi Celſus *Græce* addidiſſet.

80. *vertex ejus*) Vox *ejus* abeſt a Cod. Mediceo I.

81. *a rima ſit*) Ita in Codice primo: in ceteris Mediceis & Editionibus antiquioribus, *ad rimas it*. Alii leg. *ad rimas ſit*, ut eſt in Editione Cæſarii an. 1538. Lindenius *ad rimam ſit*, ut in Ms. Conſtantini.

82. *debet: & ita*) In Cod. Mediceo I. & in vulgatis libris; *debebit: & ita*. Ego repoſui *debet* ex Codicibus aliis; ſed retinui *&*, quod in iiſdem deeſt.

83. *nihil latens in eo oſſe concavo eſt*) Ita in Mſs. Mediceis omnibus, præterquam in primo, in quo, *nihil late ſine oſſe cavum eſt*. Lindenius leg. *nihil latere ſub eo oſſe confractum poteſt*: Conſtantinus ex conjectura, *nihil latens ſub eo oſſe cum cavatum eſt*; vel, *nihil latens in eo oſſis concavo eſt*: Cocchius, *nihil latens in eo oſſe cavum eſt*. Nihil horum mihi ſatis probatur.

mina addenda [84] ſunt, ſi in anguſto noxa eſt, duo; ſi latius patet, tria; ſeptaque eorum excidenda: & tum ſcalper utrimque ad rimam agendus, ſic, ut lunatum ſinum faciat, imaque pars ejus intus ad fracturam, cornua ad os integrum ſpectent. Deinde [85], ſi qua labant, & ex facili removeri poſſunt, forfice ad id facta [86] colligenda ſunt, maximeque ea, quæ acuta membranam infeſtant: ſi id ex facili fieri non poteſt, ſubjicienda lamina eſt, quam cuſtodem ejus membranæ eſſe, propoſui; & ſuper eam [87], quidquid ſpinoſum eſt, & intus eminet, excidendum eſt: eademque [88] lamina, quidquid deorſum inſedit, attollendum. Hoc genus curationis efficit, ut, qua parte fracta oſſa tamen inhærent, ſolidentur: qua parte abrupta ſunt, ſine ullo tormento ſub medicamentis tempore excidant [89], ſpatiumque inter hæc ſatis illis magnum ad extrahendam ſaniem relinquatur; pluſque in oſſe propugnaculi cerebrum habeat, quam habiturum fuit, eo exciſo. His factis, ea membrana acri aceto reſpergenda eſt; ut, ſive aliquid ſanguinis ex ea profluit, cohibeatur, ſive intus concretus cruor remanet, diſcutiatur: tum idem medicamentum eodem modo, qui ſupra poſitus eſt, mollitum, ipſi membranæ imponendum eſt: ceteraque eodem modo facienda ſunt, quæ ad linteolum illitum, & lanam ſuccidam pertinent: collocanduſque is loco in tepido [90]: & curandum quotidie vulnus; bis etiam, æſtate. Quod ſi membrana per inflammationem intumuerit, infundenda erit roſa tepida. Si uſque eo tumebit, ut ſuper oſſa quoque emineat, coercebit eam bene trita lenticula, vel folia vitis contrita, & cum

84. *addenda*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus. Lindenius leg. *facienda*.

85. *Deinde*) Cod. Mediceus I. *Dein*.

86. *forfice ad id facta*) Lindenius leg. *forcipe ad id facto*.

87. *& ſuper eam &c.*) In Cod. Mediceo I. legitur: *ut ſupra quicquid ſpinoſum eſt et intus eminet et excidatur*.

88. *eademque*) Ita ex Cod. Mediceo I. Alii leg. *eadem*.

89. *ſub medicamentis tempore excidant*) Ita ex Conſtantini emendatione, & Lindenio; infra vero ex iiſdem, *illis*. Alii leg. *ſub medicamenti &c.* & *illi*. Cod. Mediceus I. habet *ſub medicamento*; & infra, *illam*, quod Palavicinus in *illi* mutavit. Codices alii, *ſub medicamenti*, & *illa*.

90. *loco in tepido*) Codices Medicei, & Editiones vetuſtiores habent, *loco intepido*. Sed rectius alii, Ruellio duce, leg. *in tepido*, per voces duas. Palavicinus correxit, *in loco tepido*: & ita eſt in Editionibus Stephani & Conſtantini. Vid. Animadverſ. XIV. Facciolati apud Morgagn. Epiſt. III. Fortaſſe tamen præpoſitio *in* addititia eſt; ideoque temere inter duas has voces poſita fuit. Lib. 3. cap. 7. ſect. 2. *conclavi tenendus*; lib. 7. cap. 29. *conclavi collocandus*.

recenti vel butyro, vel adipe anſerino [91] miſta: cervixque molliri [92] debebit liquido cerato, ex irino facto. At ſi parum pura membrana videbitur, par modus ejus emplaſtri & mellis [93] miſcendus erit; idque ſuperinfundendum; ejuſque continendi cauſa unum aut alterum linamentum injiciendum, & ſuper linteolo, cui emplaſtrum illitum ſit, contegendum. Vbi ſatis pura membrana eſt [94], eadem ratione adjiciendum emplaſtro ceratum, ut carnem producat. Quod ad abſtinentiam vero, & primos ulterioreſque cibos potioneſque pertinet, eadem, quæ in vulneribus præcepi, ſervanda ſunt, eo magis, quo periculoſius hæc pars afficitur. Quin etiam, cum jam non ſolum ſuſtineri, ſed ali his quoque oportebit [95], tamen erunt vitanda, quæcumque mandenda ſunt: item fumus, & quidquid excitat ſternutamentum. Spem vero certam faciunt, membrana mobilis [96] ac ſui coloris, caro increſcens rubicunda, facilis motus maxillæ atque cervicis. Mala ſigna ſunt, membrana immobilis, nigra, vel livida, vel aliter coloris corrupti, dementia, acris vomitus, nervorum vel reſolutio vel diſtentio, caro livida, maxillarum rigor, atque cervicis. Cetera, quæ ad ſomnum, cibi deſiderium, febrem, puris colorem attinent, eadem, quæ in ceteris vulneribus, vel ſalutaria, vel

91. *adipe anſerino*) Cod. Mediceus I. habet *adipe anſerina*.

92. *cervixque molliri*) Scilicet ad vitandum nervorum rigorem, vel diſtentionem; ut Conſtantinus exiſtimat. Et ſane infra habetur: *Spem vero certam faciunt, membrana mobilis .... facilis motus maxillæ atque cervicis. Mala ſigna ſunt, membrana immobilis ..... maxillarum rigor, atque cervicis.* Porro *cervixque* eſt in vulgatis libris, ut a Palavicino correctum eſt in Cod. Mediceo I. cum eſſet ſcriptum, *cervique*. Codices Medicei ceteri habent, *cerulaque*. Sed tum Mſs. tum impreſſi, quotquot ego vidi, habent *molliri*; quo modo Celſus dixit, *nervos leniter molliat*, in lib. 7. cap. 26. ſect. 5. Quod ideo adnotandum putavi, quia Almeloveenius ſcripſit, eſſe qui legant, *illiniri*.

93. *emplaſtri & mellis*) Cod. Mediceus I. *emplaſtro & melli*.

94. *Vbi ſatis pura membrana eſt*) In Cod. modo allato legitur; *Vbi membrana eſt*: in Codicibus ceteris & in Editionibus antiquis; *Vbi plus pura membrana eſt*. Lindenius, pro *plus*, repoſuit *ſatis*. Sed fortaſſe legendum; *Vbi pura &c.* ac particula *plus* temere addita fuit, ut opponeretur particulæ *parum*, quæ ſupra eſt. In Cod. Mediceo I. Palavicinus addidit *plus plana*; quod ſupra habeatur; *Si uſque eo tumebit, ut ſuper oſſa quoque emineat*.

95. *ali his quoque oportebit*) Ita in Ms. Conſtantini. Lindenius quoque leg. *oportebit*; ſed, pro *his*, habet *cibis*. At Conſtantinus, cum legeretur, *ali his quoque apparebunt*, corrigendum cenſuit, *ali hos quoque apparebit*. In Cod. Mediceo I. & in Edit. Cæſarii an. 1528. ita habetur: *aliis quoque apparebunt*.

96. *mobilis*) Aliqui leg. *mollis*, ut eſt in Edit. an. 1493. ſed perperam. Nam, ut Morgagnus animadvertit, membranæ mobili infra opponitur *membrana immobilis*.

vel mortifera ſunt. Vbi bene res cedit, incipit ab ipſa membrana; vel, ſi os eo loco duplex eſt, inde quoque caro increſcere; eaque id, quod inter oſſa [97] vacuum eſt, replet: nonnumquam etiam ſuper calvariam excreſcit. Quod ſi incidit, inſpergenda ſquama æris eſt, ut id reprimat cohibeatque: ea carni ſuperdanda [98], quæ ad cicatricem perducant. Omnibuſque ea locis commode inducitur, excepta frontis ea parte, quæ paulum ſuper id eſt, quod inter ſupercilia eſt. Ibi enim vix fieri poteſt, ut non per omnem ætatem [99] ſit exulceratio: quæ linteolo medicamentum habente, contegenda ſit [1]. Illa utique, capite fracto, ſervanda ſunt, ut, donec jam valida cicatrix ſit [2], vitentur [3] ſol, ventus [4], frequens balneum, major vini modus.

V. In naribus vero, & os, & cartilago frangi ſolet, & quidem modo adverſa, modo a latere. Si adverſa fracta ſunt, alterumve ex his, nares deſidunt, difficulter ſpiritus trahitur. Si a latere os fractum eſt, is locus cavus eſt: ſi cartilago, in alteram partem nares declinantur. Quidquid in cartilagine incidit [5], excitanda ea [6] leniter eſt, aut ſubjecto ſpecillo, aut duobus digi-

 tis

97. *increſcere; eaque id, quod inter oſſa &c.*) Cod. Mediceus I. habet; *increſcere atque inter oſſa &c.* Lindenius leg. *increſcens id, quod inter oſſa &c.*

98. *cohibeatque: ea carni ſuperdanda*) Pro *carni*, quod fortaſſe ex gloſſemate irrepſit, Codices Medicei omnes, præter primum, habent *carne*. Pro *ſuperdanda*, quidam leg. *ſuperdando*, ex Palavicino. Lindenius, *& cohibeat, eaque carni ſuperdanda*. Fortaſſe rectius: niſi quis malit, *& cohibeat; atque ea &c.*

99. *non per omnem ætatem*) In vulgatis libris fere omnibus perperam omittitur particula *non*, quam habent Mſs.

1. *contegenda ſit*) Ita in antiquis Codicibus. Sed *ſit* fortaſſe ortum eſt ex *'ſt*, quod pro *eſt* interdum ſcribebatur. Lindenius leg. *erit*.

2. *cicatrix ſit*) Ita in Mſs. pleriſque omnibus. In Mediceo I. deeſt *ſit*: a Palavicino vero additum eſt, *erit ſolvenda*; atque ita habent Editiones antiquæ. Lindenius leg. *cicatrix erit*.

3. *vitentur*) Codices Medicei, excepto primo, habent; *minus in uſu erit*.

4. *ſol, ventus*) Qui ſupra legunt; *cicatrix erit ſolvenda*; hic omittunt *ſolvendus*; quæ vox habetur in Mſs. ſed in Mediceo I. a Palavicino expuncta eſt. Lindenius correxit, *ſol, ventus*. Sed *frigus*, opinor, Celſus dixiſſet, ut ſæpe alibi, non *ventus*. Itaque legere malim, *ſol, venus*. Nam venus, cum in ceterarum partium vulneribus, tum capitis præcipue inimica eſt.

5. *Quidquid in cartilagine incidit*) Quidquid cartilagini accidit; quoquo modo ea fracta eſt. Ita lib. 3. cap. 18. *ſicut in homine prædivite famem timente incidit*. Ego ex Codicibus Mſs. repoſui, *in cartilagine*. Editiones antiquæ habent *in cartilaginem*, ut Palavicinus mutavit in Cod. Mediceo I. Lindeniana, *Quicquid e cartilagine concidit*, & ita edidit Vulpius an. 1721. At Editio ejuſdem Vulpii an. 1750. habet, *Quicquid e cartilagine concedit*; ut eſt in Almeloveeniana an. 1713. ſed fortaſſe ex mendo.

6. *excitanda ea*) Mſs. habent, *excitando ea*. Palavicinus correxit, *excitandum*; & ita eſt in vulgatis libris: ego, *excitanda ea*.

tis utrimque compreſſis : deinde in longitudinem implicata linamenta, & molli pellicula cincta circumſutaque, intus adigenda ſunt; aut eodem modo compoſitum aliquid ex arido penicillo; aut grandis pinna, gummi, vel fabrili glutine illita, & molli pellicula circumdata, quæ deſidere cartilaginem non ſinat [7]. Sed, ſi adverſa ea fracta eſt, æqualiter utraque naris implenda eſt: ſi a latere, craſſius eſſe debet ab ea parte, in quam naſus jacet, ab altera tenuius id, quod inferitur [8]. Extrinſecus autem circumdanda habena eſt mollis, media [9] illita miſtis inter ſe ſimila & thuris fuligine: eaque ultra aures ducenda, & fronti duobus capitibus agglutinanda eſt. Id enim corpori quaſi gluten inhæreſcit, &, cum induruit, nares commode continet. Sin, quod intus inditum eſt, lædit, ſicut maxime fit, ubi interior cartilago perfracta eſt, excitatæ nares [10] eadem tantummodo habena continendæ ſunt: deinde, poſt quatuordecim dies id ipſum demendum eſt. Reſolvitur autem aqua calida; eaque tum is [11] locus quotidie fovendus eſt. Sin os fractum eſt, id quoque digitis in ſuam ſedem reponendum eſt: atque ubi adverſum id ictum eſt, utraque naris implenda eſt; ubi a latere, ea, in quam os impulſum eſt: imponendumque ceratum, & paulo vehementius deligandum eſt; quia callus eo loco non ad ſanitatem tantummodo, ſed etiam ad tumorem increſcit: a tertio die fovendum id aqua calida eſt; tantoque magis, quanto propius eſſe ſanitati debet. Quod ſi plura erunt fragmenta, nihilominus extrinſecus [12] ſingula in ſuas ſedes digitis erunt compellenda; imponendaque extrinſecus eadem habena, & ſuper eam ceratum; neque ultra faſcia adhibenda eſt. At ſi quod fragmentum undique reſolutum cum ceteris non glutinabi-

7. *ſinat*) Linden. *ſinunt*.

8. *id, quod inſeritur*) Tria hæc verba Lindenius transfert ante *craſſius eſſe debet*: fortaſſe rectius. Codex Mediceus I. pro *id, quod*, habet *in quod*; unde alii leg. *in id quod*.

9. *media*) Lindenius legit, ut eſt in margine Edit. Conſtantinianæ, *medio*: itemque cap. 7. *medio in longitudinem inciſa*. Veteres Codices utrobique habent *media*: & quidem recte.

10. *excitatæ nares*) Supra, *excitanda ea leniter eſt*: infra, *in ſuas ſedes excitanda ſunt*. Lindenius leg. *exercitatæ nares*: ſed quid ſibi velit, ego divinare non poſſum. Vide etiam Morgagn. Epiſt. I. & II.

11. *tum is*) Particula *tum* deeſt in multis Codicibus. Lindenius leg. *tumens*.

12. *extrinſecas*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus. Conſtantinus ex conjectura, & Lindenius leg. *intrinſecus*. Fortaſſe vero hoc adverbium non eſt Cornelii; ſed potius librarii, qui id, quod habetur paulo poſt, perperam iteravit.

bitur, intelligetur quidem ex humore, qui multus ex vulnere feretur; vulſella vero extrahetur: finitiſque inflammationibus, imponetur aliquod medicamentum ex iis, quæ leniter reprimunt. Pejus eſt, ubi aut oſſi aut cartilagini fractæ cutis quoque vulnus acceſſit. Id admodum raro fit. Si incidit, illa quidem nihilominus eadem ratione in ſuas ſedes excitanda ſunt: cuti vero ſuperimponendum emplaſtrum aliquod ex iis, quæ recentibus vulneribus accommodata ſunt: ſed inſuper nullo vinculo deligandum [13] eſt.

VI. In aure quoque interdum rumpitur cartilago. Quod ſi incidit, antequam pus oriatur, imponendum glutinans medicamentum eſt: ſæpe enim ſuppurationem prohibet, & aurem confirmat. Illud & in hac & in naribus ignorari non oportet; non quidem cartilaginem ipſam glutinari, circa tamen carnem increſcere, ſolidarique eum locum. Itaque, ſi cum cute cartilago rupta eſt, cutis utrimque ſuitur. Nunc autem de ea dico, quæ, cute integra, frangitur. In ea vero ſi jam pus natum eſt, aperienda altera parte cutis, & ipſa cartilago contra lunata plaga excidenda eſt: deinde utendum eſt medicamento leniter ſupprimente [14], quale lycium eſt aqua dilutum, donec ſanguis fluere deſinat: tum imponendum linteolum cum emplaſtro, ſic, ut pingue omne vitetur; & a parte poſteriore lana mollis auri ſubjicienda eſt, quæ, quod eſt inter hanc & caput, compleat: tum ea leniter deliganda eſt; & a tertio die, vapore, ut in naribus poſui, fovenda. Atque in his quoque generibus abſtinentia primi temporis [15] neceſſaria eſt, donec inflammatio finiatur.

VII. Ab his ad maxillam venturus indicanda quædam puto communiter ad omnia oſſa pertinentia, ne ſæpius eadem dicenda ſint. Omne igitur os, modo rectum, ut lignum in longitudinem finditur; modo frangitur tranſverſum; interdum obliquum; atque id ipſum nonnumquam retuſa habet capita, nonnumquam acuta; quod

13. *deligandum*) Cod. Mediceus I. *ligandum*.

14. *ſupprimente*) Lindenius præmittit *ſanguinem*; quod non habetur in Mſs. & facile intelligi poteſt ex iis, quæ ſtatim ſequuntur.

15. *primi temporis*) Conſtantinus legendum putat, *primis temporibus*; & ita edidit Lindenius.

quod genus peſſimum eſt; quia neque facile committuntur, quæ nulli retuſo innituntur; & carnem vulnerant, interdum nervum quoque aut muſculum. Quin etiam aliquando plura fragmenta fiunt [16]. Sed in aliis quidem oſſibus ex toto ſæpe fragmentum a fragmento recedit: maxillæ vero ſemper aliqua parte, etiam vexata oſſa inter ſe cohærent. Igitur in primis digitis duobus utrimque prementibus, & ab ore, & ab cute [17], omnia oſſa in ſuam ſedem compellenda ſunt. Deinde, ſi maxilla tranſverſa fracta eſt; ſub quo caſu fere dens ſuper proximum dentem excedit [18]; ubi ea in ſuam ſedem collocata eſt, duo proximi dentes, aut, ſi hi labant, ulteriores inter ſe ſeta deligandi ſunt. Id in alio genere fracturæ ſupervacuum eſt: cetera eadem facienda ſunt [19]. Nam linteolum duplex, madens vino & oleo, ſuperinjiciendum cum eadem ſimila & eadem thuris fuligine eſt [20]: deinde aut faſcia, aut mollis habena, media in longitudinem inciſa, ut utrimque mentum complectatur, & inde capita ejus ſupra caput adducta ibi deligentur [21]. Illud quoque ad omnia oſſa pertinens dictum erit; famem primum eſſe neceſſariam: deinde, a die tertio [22], humidum cibum: ſublata inflammatione, paulo pleniorem, eumque, qui carnem alat: vinum per omne tempus eſſe alienum. Deinde tertio die reſolvi debere; foveri [23] per ſpongiam vapore aquæ calidæ [24]; ea-

16. *plura fragmenta fiunt*) Antea legebatur; *plura fragmenta a fragmento fiunt*. Sed duæ voces *a fragmento* redundant; ut animadvertit Morgagnus, qui etiam admonuit, deeſſe illas in Codice ſuo Ms. Ne in Mediceis quidem habentur, præterquam in primo. Videntur autem ab oſcitante librario iteratæ, quod infra fit, *fragmentum a fragmento recedit*; ut idem Morgagnus obſervat.

17. *& ab ore, & ab cute*) & ab interiore parte, & ab exteriore. Pro *ab cute*, Lindenius leg. *a mento*; ſed perperam. Non enim exterior maxillæ pars, ſed media eademque ima, mentum vocatur; ut eſt in cap. 1. Quid igitur digitis prememus a mento, ſi maxilla a latere fracta fuerit?

18. *excedit*) Al. *excidit*, ut eſt in Mediceo I. & aliis quibuſdam Mſs. ſed non recte.

19. *facienda ſunt*) Verbum *ſunt* a nonnullis omittitur; ſed eſt in Mſs.

20. *cum eadem ſimila & eadem thuris fuligine eſt*) Reſpicit Celſus verba illa cap. 5. *Extrinſecus autem circumdanda habena eſt, mollis, media illita miſtis inter ſe ſimila & thuris fuligine*. Quod non advertit Lindenius, ita hic mutans: *eſt, cumque eo ſimila & thuris fuligo*. Cod. Mediceus I. habet, *eum eadem ſimile teadem fuligine eſt*.

21. *deligentur*) Ita ex Mſs. Alii leg. *deligantur*; Lindenius, *ligentur*.

22. *a die tertio*) Aliquæ Editiones habent, *die tertio*.

23. *foveri*) Ita in Mſs. Vulgo legitur, *foverique*; quod eſt a Palavicino.

24. *aquæ calidæ*) Lindenius omittit *aquæ*.

eademque, quæ primo fuerunt [25], ſuperdari: idem die quinto fieri, & donec inflammatio finiatur; quæ vel nono [26] die, vel ſeptimo fere ſolvitur [27]. Ea ſublata, rurſus oſſa eſſe tractanda, ut, ſi quod fragmentum [28] loco ſuo non eſt, reponatur: neque id eſſe ſolvendum, niſi duæ partes ejus temporis, intra quod quæque oſſa conſervent [29], tranſierint. Fere vero inter quartumdecimum & unum & viceſimum diem ſaneſcunt, maxilla, malæ, jugulum, pectus, latum os ſcapularum [30], coſtæ, ſpina, coxarum os, tali [31], calx, manus, planta: inter viceſimum & triceſimum diem, crura, brachiaque: inter ſeptimum & viceſimum & quadrageſimum, humeri & femina [32]. Sed in maxilla [33] illud quoque adjiciendum eſt, quod humidus cibus diu aſſumendus ſit [34]: atque etiam, cum tempus proceſſit, in lagano ſimilibuſque aliis perſeverandum eſt [35], donec ex toto maxillam callus firmarit [36]. Itemque, utique primis diebus [37], habendum ſilentium.

VIII. 1. Jugulum vero, ſi tranſverſum fractum eſt, nonnunquam per ſe rurſus recte coit [38], &, niſi movetur, ſanari ſine vin-

25. *quæ primo fuerunt*) linteolum ſcilicet vino & oleo madens, cum ſimila & thuris fuligine. Pro *fuerunt*, Lindenius leg. *foverant*. Sed eumdem hunc loquendi modum Celſus habet in lib. 5. cap. 26. ſect. 27. *eadem ſunt imponenda, quæ primo fuerunt*.

26. *nono*) Al. *octavo*. Ego ſecutus ſum Lindenium ex fide Cod. Medicei I.

27. *ſolvitur*) Al. *reſolvitur*.

28. *ſi quod fragmentum*) In Cod. Mediceo I. legitur, *ſi quid fractum*.

29. *conſervent*) Olim legebatur *conſeruntur*, ex Palavicino. Cum vero Conſtantinus hæc adnotaſſet; συμφύονται, *conſervent*, *lib.* 2. (lege 8.) *cap.* 10. Lindenius repoſuit, *conſervent*; itaque, opinor, Celſus ſcripſit. Cod. Mediceus I. habet *c̄ ferunt*; ſed fortaſſe lineola illa, quæ eſt ſupra extremam litteram, addita fuit a veteri emendatore, cum eſſet *c̄ ferunt* pro *conſervent*. Alii Codd. habent *conſervantur*. Vide Morgagn. Epiſt. III. & V.

30. *latum os ſcapularum*) Ita in Cod. Mediceo I. in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ. Alii leg. *latus, os ſcapularum*: ſed perperam.

31. *ſpina, coxarum os, tali*) Sic verba dividenda, non, ut communiter dividuntur, *ſpina coxarum, os tali*. Fortaſſe etiam reponendum *talus* pro *tali*; vel, *ſpina, coxarum os, os tali*. Lege Morgagn. Epiſt. VII.

32. *femina*) Lindenius leg. *femora*.

33. *in maxilla*) Idem leg. *de maxilla*.

34. *aſſumendus ſit*) Al. *aſſumendus eſt*.

35. *perſeverandum eſt*) Alii omittunt *eſt*. Lindenius vero addit, *neque quicquam edendum*: quæ tria verba habentur quidem in Cod. I. ſed ex adnotatione aliqua inſerta. Nam & deſunt in Codicibus Mediceis ceteris, nec omnino ferri poſſunt; quia, ut animadvertit Morgagnus, laganum quoque edebatur. Niſi quis forte, pro *edendum*, legere malit *mandendum*; quemadmodum in cap. 4. dicitur, *tamen erunt vitanda, quæcumque mandenda ſunt*.

36. *firmarit*) Linden. *firmaverit*.

37. *Itemque, utique primis diebus*) Ita in Cod. Mediceo I. Alii leg. *Item, utique primis diebus*: Lindenius, *Itemque, primis utique diebus*.

38. *rurſus recte coit*) Adverbium *rurſus* Lindenius omittit.

vinctura poteſt: nonnumquam vero, maximeque [39] ubi motum eſt, elabitur; fereque id, quod a pectore eſt, ſuper id, quod ab humero eſt [40], in poſteriorem partem inclinatur. Cujus ea ratio eſt, quod per ſe non movetur, ſed cum humeri motu conſentit: itaque, eo ſubſiſtente [41], ſubit humerus agitatus [42]. Raro vero admodum in priorem partem jugulum inclinatur; adeo ut magni profeſſores numquam ſe vidiſſe memoriæ mandarint [43]. Sed locuples tamen ejus rei auctor Hippocrates eſt. Verum, ut diſſimilis uterque caſus eſt, ſic quædam diſſimilia requirit. Vbi ad ſcapulas jugulum tendit, ſimul dextra manu plana propellendus in poſteriorem partem humerus eſt; & illud in priorem attrahendum. Vbi ad pectus converſum eſt, ipſum quidem retro dandum, humerus autem in priorem partem adducendus eſt [44]: ac, ſi is inferior eſt, non id, quod a pectore eſt, deprimendum eſt, quia im-

39. *maximeque*) Cod. Mediceus I. habet *maxime*.

40. *quod a pectore eſt, ſuper id, quod ab humero eſt*) Ita hunc locum Lindenius reſtituit ex Hippocrate, qui hæc habet in lib. de Articul. ſect. 12. *Sed & id quoque præterea advertendum eſt, jugulum plerumque ita frangi ſolere, ut quod eſt a pectore in ſuperiorem partem emineat, quod eſt ab humero in inferiorem partem deprimatur. Horumque ea ratio eſt, quod pectus quidem neque infra neque ſupra admodum procedat. Articuli enim in pectore levis eſt agitatio. Pectus namque tum ſibi ipſi, tum ſpinæ continenter coaptatum eſt. Sed jugulum quidem proxime ad humeri articulum fluitat. Cogitur namque ſæpiſſime moveri propter eam quam cum ſummo humero habet connexionem. Adde quod ubi vulneratum fuerit, pars ea quæ pectori inhæret ſurſum elabitur, neque fere deorſum deprimi ſolet, cum & natura levis ſit, eique ſupra quam infra major inanitas pateat. At humerus, brachium, & quæ his connectuntur, facile a pectore & coſtis recedunt, ac propterea multum in ſuperiorem & inferiorem partem abduci poſſunt. Fracto igitur jugulo os quod ad humerum eſt, deorſum tendit*. Conſtantinus vero legendum cenſuit; *quod ab humero eſt, ſub id quod a pectore*. Quam emendationem laudavit etiam Foeſius ad c. l. Hippocratis. Idem Foeſius hoc quoque modo legi poſſe putabat: *quod ab humero eſt ſubit quod a pectore eſt, & in inferiorem &c.* Olim legebatur, *quod a pectore ſub id quod ab humero eſt*; & ita eſt in Codicibus Mediceis II. IV. V. VII. In III. & VI. deſunt hæc verba, *quod a pectore ſub id*. Primus habet, *quod a pectore eſt id quod &c.*

41. *ſubſiſtente*) Lindenius leg. *conſiſtente*.

42. *ſubit humerus agitatus*) Ita legendum videtur ex Cod. Mediceo I. in quo eſt, *ſubitomerus agitatus*; atque ex loco Hippocratis modo memorato. *Humerus* autem hic ſumitur pro ea parte juguli, quæ eſt ab humero; quemadmodum infra quoque; *humerus autem in priorem partem adducendus eſt: ac, ſi is inferior eſt &c.* Lectiones aliæ minus probandæ ſunt. Nam Palavicinus correxit, *ſub id humerus agitatur*; & ita habent antiquæ Editiones. Alii Codices Mſs. *ſubit humerus, agitatur*. Conſtantinus legere malebat, *ſubinde humerus agitatur*. Lindenius, ex quorumdam, ut opinor, conjectura a Conſtantino allata, edidit, *ſuper id humerus agitatur*.

43. *mandarint*) Linden. *mandaverint*.

44. *adducendus eſt*) In Cod. Mediceo I. omittitur *eſt*.

immobile eſt; ſed humerus ipſe attollendus: ſi caſu ſuperior eſt [45], id, quod a pectore eſt, implendum lana, & humerus ad pectus deligandus eſt. Si acuta fragmenta ſunt, incidi contra cutis debet; ex oſſibus [46] ea, quæ carnem vulnerant, præcidenda [47]; tum retuſa oſſa committenda ſunt; ſi quod ab aliqua parte eminet, opponendum ei triplex linteolum eſt [48], in vino & oleo tinctum. Si plura fragmenta ſunt, excipienda ſunt ex ferula facto canaliculo, eodemque intus incerato, ne faſcia diducatur; quæ jugulo compoſito circumdanda eſt ſæpius potius, quam valentius: quod ipſum quoque in omnibus oſſibus fractis [49] perpetuum eſt. A dextro vero jugulo [50], ſi id fractum eſt, ad alam ſiniſtram; a ſiniſtro, ad dextram [51], rurſuſque ſub ala ſua faſcia dari [52] debet: poſt hæc, ſi jugulum ad ſcapulas inclinatum eſt, brachium ad latus; ſi in partem priorem, ad cervicem deligandum eſt: ſupinuſque homo collocandus [53]. Cetera eadem facienda, quæ ſupra comprehenſa ſunt.

2. Sunt vero plura oſſa fere immobilia, vel dura, vel cartilaginoſa, quæ vel franguntur, vel forantur, vel colliduntur, vel finduntur; ut malæ, pectus, latum os ſcapularum, coſtæ, ſpina, coxarum os, tali [54], calx, manus, planta. Horum omnium eadem curatio eſt. Si ſupra vulnus eſt, id ſuis medicamentis nu-

S ſ ſ trien-

45. *ſi caſu ſuperior eſt*) Ex his verbis colligitur, ſupra legendum eſſe, *fereque id*, *quod a pectore eſt*, *ſuper id*, *quod ab humero eſt*, non *ſub id*. Nam *caſu* contrarium hic ſignificat ac *fere*; reſpexitque Celſus citatum Hippocratis locum, ubi hæc ſunt: *Quod ſi cui contra juguli fractura eveniat, id quod non admodum contingit, ita ut os quod eſt a pectore ſubjiciatur, quod eſt a ſummo humero extet ac ſuper alterum feratur &c.* Lindenius contra veterum Editionum fidem leg. *ſin autem ſuperior eſt*. Ad Mſs. noſtros quod attinet, alii habent, *ſi caſu ſuperior eſt*; al. *ſi caſu ſuperius eſt*; Mediceus I. *ſicad ſuſu ſuperior eſt*.

46. *ex oſſibus*) Lindenius leg. *& ex oſſibus*; itemque infra, ante verba illa, *ſi quod ab aliqua parte*, addit particulam *&*.

47. *præcidenda*) Al. *præcidenda ſunt*.

48. *opponendum ei triplex linteolum eſt*) Lindenius leg. *opponendum eſt triplex linteolum*.

49. *in omnibus oſſibus fractis*) Vox *oſſibus* deeſt in Cod. Mediceo I. & in Editione Lindenii.

50. *A dextro vero jugulo*) In Cod. Mediceo I. deeſt particula *vero*.

51. *dextram*) Al. *dexteram*.

52. *faſcia dari*) Ita Editiones, Ruellii, Stephani, Lindenii, & vetus Conſtantini liber. Alii leg. *faſciari*; & ita ego invenit in Mſs.

53. *ſupinuſque homo collocandus*) Deſunt hæc verba in Cod. Mediceo I. Poſtea, pro *Cetera*, omnes fere vulgati libri habent *ceteraque*.

54. *ſpina*, *coxarum os*, *tali*) Vide quæ adnotavi ad ſimilem locum cap. ſuperioris. Lindenius perperam ita interpungit: *ſpina coxarum*, *os tali*. Editores ceteri habent, *ſpina coſtarum*, *os tali*. Conſtantinus quidem verba recte diſtinxit; ſed non vidit, pro *coſtarum*, legendum eſſe, *coxarum*.

triendum eſt: quo ſaneſcente, rimas quoque oſſis, aut, ſi quod foramen eſt [55], callus implet. Si cutis integra eſt, & os læſum eſſe ex dolore colligimus, nihil aliud, quam quieſcendum; imponendumque ceratum eſt, & leniter deligandum, donec ſanitate oſſis dolor finiatur.

IX. 1. Proprie tamen quædam [56] de coſta [57] dicenda ſunt; quia juxta viſcera eſt, gravioribuſque [58] periculis is locus expoſitus eſt. Hæc quoque igitur [59] interdum ſic finditur, ut ne ſummum quidem os, ſed interior pars ejus, quæ rara eſt, lædatur: interdum ſic [60], ut eam totam is caſus perruperit. Si tota fracta non eſt, nec ſanguis exſpuitur, nec febricula ſequitur, nec quidquam ſuppurat, niſi admodum raro, nec dolor magnus eſt; tactu tamen is locus leviter [61] indoleſcit. Sed abunde eſt [62] eadem, quæ ſupra ſcripta ſunt, facere; & a media faſcia incipere deligare, ne in alterutram partem hæc cutem inclinet: ab uno vero & viceſimo die, quo utique os eſſe debet glutinatum, id agendum cibis uberioribus eſt, ut corpus quam pleniſſimum fiat, quo melius os veſtiat; quod illo loco tenerum adhuc injuriæ ſub tenui cute expoſitum eſt. Per omne autem tempus curationis, vitandus clamor, ſermo quoque, tumultus [63], ira, motus vehementior corporis, fumus, pulvis, & quidquid vel tuſſim vel ſternutamentum movet: ne ſpiritum quidem magnopere continere expedit. At ſi tota coſta perfracta eſt, caſus aſperior eſt: nam & graves inflammationes, & ſe-

55. *ſi quod foramen eſt*) Ita Lindenius, & vetus liber apud Conſtantinum. Alii perperam leg. *ſi quod ferrumen eſt*. Codex Mediceus I. habet, *ſi quod fermentum*; III. & VI. *ſi quidem fermentum eſt*; al. *ſi quidem ferumen eſt*.

56. *Proprie tamen quædam*) Cod. Mediceus I. habet *Quædam tamen*.

57. *de coſta*) Lindenius leg. *de coſtis*: infra vero, *juxta viſcera ſunt*.

58. *gravioribuſque*) Aliqui Codices habent *gravioribus*. Lindenius leg. *& gravioribus*.

59. *Hæc quoque igitur*) Palavicinus expungit *quoque*. Lindenius leg. *Coſta igitur*.

60. *interdum ſic*) Aldina Editio habet *interdum ſit*.

61. *leviter*) Al. *leniter*, ut eſt in Cod. Mediceo I.

62. *indoleſcit. Sed abunde eſt &c.*) Ita in omnibus Codicibus Mediceis. Palavicinus expunxit particulam *ſed*. Hinc in antiquis Editionibus, *indoleſcit: abunde eſt &c.* Sed Palavicinus advertiſſe non videtur coſtructionem a Celſo alibi non ſemel adhibitam. Sic lib. 6. cap. 6. ſect. 38. *Sed ſic laborantes inungi oportet ſanie jocinoris &c.* Et lib. 7. cap. 12. ſect. 1. *Sed imponendum calidum ex farina, & fico cataplaſma eſt*. Lindenius reſtituit *ſed*: verum interpunxit hoc modo; *indoleſcit: ſed abunde eſt &c.*

63. *ſermo quoque, tumultus*) Legendum crediderim, *ſermo quoque multus*. Pro *ſermo*, Codices Medicei I. III. & VI. mendoſe habent *ſtrictior*.

febris, & ſuppuratio, & ſæpe vitæ periculum ſequitur, & ſanguis ſpuitur [64]. Ergo, ſi vires patiuntur, ab eo brachio, quod ſuper eam coſtam eſt, ſanguis mittendus eſt: ſi non patiuntur, alvus tamen ſine ullo acri ducenda eſt; diutiuſque inedia pugnandum. Panis vero ante ſeptimum diem non aſſumendus; ſed una ſorbitione vivendum: imponendumque ei loco ceratum ex lino factum [65], cui cocta quoque reſina adjecta ſit; aut Polyarchi malagma; aut panni [66] ex vino & roſa & oleo [67]; ſuperque imponenda lana ſuccida mollis, & duæ faſciæ a mediis orſæ, minimeque adſtrictæ: multo vero magis omnia vitanda, quæ ſupra poſui; adeo ut ne ſpiritus quidem ſæpius movendus ſit. Quod ſi tuſſis infeſtabit [68], ad id potio ſumenda erit, vel ex trixagine, vel ex ruta, vel ex herba ſtœchade, vel ex cumino & pipere. Gravioribus vero doloribus urgentibus, cataplaſma imponi quoque conveniet, vel ex lolio, vel ex hordeo, cui pinguis fici tertia pars ſit adjecta. Et id quidem interdiu ſuperjacebit: noctu vero idem aut ceratum, aut [69] malagma, aut panni; quia poteſt cataplaſma decidere. Ergo quotidie quoque reſolvetur, donec jam cerato aut malagmate poſſimus eſſe contenti. Et decem quidem diebus extenuabitur fame corpus: ab undecimo vero ali incipiet; ideoque etiam laxior, quam primo, faſcia circumligabitur [70]. Fereque ea curatio [71] ad quadrage-

64. *& ſanguis ſpuitur*) Legere malim, *& ſanguis exſpuitur*, ut olim Conſtantino placuerat; triaque hæc verba ſtatim poſt *nam* collocare.

65. *ceratum ex lino factum*) Ita in omnibus antiquis Codicibus; qui tamen depravati videntur. Lindenius leg. *ex lycio*. Ego malim, *ex irino*; quemadmodum cap. 4. *cerato, ex irino facto*; & alibi. Similiter *ceratum ex cyprino*, vel *ex myrteo*, vel *ex roſa factum* Celſus ſæpe nominat.

66. *panni*) Alii leg. *panacis*; al. *panaces*. Mſs. Codices habent *panachi*; Mediceus I. *manni*. Lindenius correxit, *panni*; quam lectionem confirmant Celſi verba, quæ infra ſunt; *idem aut ceratum, aut malagma, aut panni*.

67. *& oleo*) Hæc fortaſſe explicatio quædam eſt duarum vocum *& roſa*: ſed habetur in omnibus & Mſs. & vulgatis libris.

68. *infeſtabit*) Cod. Mediceus I. *ineſt*.

69. *idem aut ceratum, aut*) In multis Mſs. poſt hæc verba lacuna eſt; poſt eam vero illa ſtatim ſequuntur; *atque ita deligando aſſueſcere iterum &c.* quæ ſunt ſub finem capitis.

70. *faſcia circumligabitur*) Lindenius leg. *faſcia ſit, qua ligabitur*. Editiones antiquæ habent, *faſcia circumligabitur*; itemque Mſs. Codices: quod improbare non auſim. Quemadmodum enim *medicamento illinere*, & *medicamentum illinere*; *medicamento inungere*, & *medicamentum inungere* Celſus dixit; ſic *faſcia circumligare* & *faſciam circumligare*. Niſi forte ſupra, *laxius*, vel *laxiori* ſcripſit, non *laxior*; ut *faſcia* ſit ſextus caſus.

71. *ea curatio*) Lindenius leg. *ea curatione*.

ſimum diem perveniet. Sub qua ſi metus [72] erit ſuppurationis, plus malagma, quam ceratum ad digerendum proficiet. Si ſuppuratio vicerit, neque per quæ ſupra ſcripta ſunt, diſcuti potuerit; omnis mora vitanda erit, ne os infra vitietur: ſed, qua parte maxime tumebit, demittendum erit candens ferramentum, donec ad pus perveniat; idque effundendum. Si nuſquam caput ſe oſtendet [73], ubi maxime pus ſubſit, ſic intelligemus: creta Cimolia totum locum illinemus, & ſiccari patiemur: quo loco maxime humor in ea perſeverabit [74], ibi pus proximum erit; eaque [75] uri debebit. Si latius aliquid abſcedet, duobus aut tribus locis erit perforandum; demittendumque linamentum, aut aliquid ex penicillo, quod ſummum lino ſit devinctum, ut facile educatur. Reliqua eadem, quæ in ceteris aduſtis, facienda ſunt. Vbi purum erit ulcus, ali corpus debebit, ne tabes, pernicioſa futura, id malum ſubſequatur. Nonnumquam etiam, levius ipſo oſſe affecto, & inter initia neglecto, non pus, ſed humor quidam mucis [76] ſimilis, intus coit; molleſcitque contra cutis: in qua ſimili uſtione utendum eſt.

2. In ſpina quoque eſt, quod proprie notemus. Nam ſi id, quod ex vertebra excedit, aliquo [77] modo fractum eſt, locus quidem

72. *Sub qua ſi metus &c.*) Ita legendum cum Lindenio; vel, ut habet Conſtantini Codex, *Quod ſi metus &c.* Alii leg. *quæ ſi modus &c.* ut mendoſe eſt in Mediceis Codicibus. Primus & ſeptimus habent, non *modus*, ſed *mediis*, vel *medus*. Male Foeſius ad Hippocratem de Artic. ſect. 25. legit; *Inter quæ ſi nullus metus &c.*

73. *Si nuſquam caput ſe oſtendet*) Per vocem *caput* ſignificatur a Celſo pars illa, qua, ut eſt paulo ſupra, ſuppuratio maxime tumet. Ita *furunculos caput facere* Plinius dixit in lib. 22. cap. ultimo, & lib. 26. cap. 12. ut Morgagnus animadvertit: Cælius Aurelianus vero lib. 2. Acut. Morb. cap. 16. *vomicas verticem facere*. Pro *caput*, Lindenius leg. *tumor*. Et ipſe porro Lindenius & Editores ceteri habent *oſtendit*. Ego malui *oſtendet*, ut eſt in Cod. Mediceo I. Nam in periodo ſequenti habetur *abſcedet*.

74. *in ea perſeverabit*) Veteres Codices habent, alii *perſeveravit*, pro *perſeverabit*, ut recte edidit Lindenius; alii *perſeveraverit*. Sed omnes, *in ea*; non, ut Cæſarius & Lindenius legunt, *intus*. Ceterum contraria his docere videtur Auctor libri 3. de Morbis: *Linteo*, inquit, *tenui in rubrica liquida, admodum trita & tepida intincto, thoracem in orbem obtegito, quaque parte primum reſiccatum fuerit, ea ſectionem aut uſtionem facere oportet*. Sed ille quidem loquitur de pure, quod, rupta vomica, in pectus defluxit: Celſus vero de ſuppuratione circa coſtas facta, & nondum aperta.

75. *eaque*) id eſt ea parte. Lindenius leg. *eoque*.

76. *mucis*) Lindenius leg. *mucco*.

77. *ſi id, quod ex vertebra excedit, aliquo &c.*) Poſteriorem vertebræ proceſſum intelligit, ut Foeſius & Morgagnus animadverterunt. Sumpta autem hæc ſunt ex Hippocrate de Artic. ſect. 22. Pro *excedit*, aliqui cum Cæſario leg. *excidit*: Conſtantinus & Ronſſeus, *ſi id ex vertebra excidit, aliquo &c.* Lindenius, *ſi quid ex vertebra excidit, aut aliquo &c.* Sed perperam: non enim de vertebris loco motis loquitur Celſus, ſed tantum de fractis.

dem concavus fit; punctiones autem in eo ſentiuntur; quia neceſſe eſt ea fragmenta ſpinoſa eſſe: quo fit, ut homo in interiorem partem ſubinde nitatur [78]. Hæc noſcendæ rei cauſa ſunt. Medicamentis vero iiſdem opus eſt, quæ prima parte hujus capitis expoſita ſunt.

X. 1. Similes rurſus ex magna parte caſus curationeſque ſunt humeri & femoris [79]: communia etiam quædam humeris, brachiis, feminibus [80], cruribus, digitis. Siquidem ea minime periculoſe media franguntur: quo [81] propior fractura capiti vel ſuperiori vel inferiori eſt, eo pejor eſt: nam & majores dolores adfert, & difficilius curatur. Ea [82] maxime tolerabilis eſt ſimplex, tranſverſa [83]: pejor, ubi multa fragmenta [84], atque ubi obliqua [85]: peſſimum, ubi eadem acuta ſunt. Nonnumquam autem fracta in his oſſa in ſuis ſedibus remanent: multo ſæpius excidunt, aliudque ſuper aliud effertur: idque ante omnia conſiderari debet; & ſunt notæ certæ. Si ſuis ſedibus ſunt mota, reſima, punctioniſque ſenſum repræſentant; tactu [86] inæqualia ſunt. Si vero non adverſa, ſed obliqua junguntur; quod fit, ubi loco ſuo non ſunt; membrum id altero latere brevius eſt, & muſculi ejus tument.

Er-

78. *in interiorem partem ſubinde nitatur*) Etiam capite 14. hujus libri exteriorem vocat eam ſpinæ partem, quæ poſterior; interiorem, quæ prior eſt. Itaque eodem ſenſu Lindenius leg. *in anteriorem*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ. Veteres tamen Codices habent, *in interiorem*. Hippocrates l. c. ἢν δὲ λορδαίνωσι, ῥάους εἰσί.

79. *humeri & femoris*) Ita Cocchius emendandum cenſet Codicem Mediceum I. qui habet, *humeris & femoris*: cui facile aſſentior. Alii leg. *humeris & femoribus*.

80. *feminibus*) Ita in allato Mediceo Codice. Alii leg. *femoribus*.

81. *quo*) Lindenius leg. *at*, *quo*.

82. *Ea*) Multi Codices habent *at*. Lindenius leg. *Earum*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

83. *tranſverſa*) Idem Lindenius leg. *eaque tranſverſa*.

84. *ubi multa fragmenta*) Vox *multa* vulgo ab omnibus omittitur, quamvis ſit in Mſs.

85. *atque ubi obliqua*) ſcilicet fractura. Simplici fracturæ opponitur ea, in qua multa fragmenta ſunt; tranſverſæ opponitur obliqua. Lindenius duas voces, *ubi obliqua*, ſtatim poſt *pejor* collocat, & leg. *ubi obliqua*, *atque ubi fragmenta*; putans, verba proxima, *ubi eadem acuta ſunt*, ad fragmenta tantummodo referri. Sed referuntur etiam ad *obliqua*; id eſt capita oſſis, quod obliquum fractum eſt: neque ullo modo neceſſe eſt, pro *peſſimum*, quod habent omnes noſtri Codices, legere *peſſima*; ut idem Lindenius ex Conſtantini conjectura reponit. Explicationis loco eſſe poſſunt, quæ ſupra habentur cap. 7. *Omne igitur os modo rectum, ut lignum in longitudinem finditur; modo frangitur tranſverſum; interdum obliquum; atque id ipſum nonnumquam retuſa habet capita, nonnumquam acuta ..... Quin etiam aliquando plura fragmenta fiunt.*

86. *tactu*) Lindenius leg. *& tactu*.

Ergo, ſi hoc deprehenſum [87] eſt, protinus id membrum oportet extendere: nam nervi muſculique, intenti per oſſa, contrahuntur; neque in ſuum locum veniunt, niſi illos per vim aliquis intendit. Rurſus, ſi primis diebus id omiſſum eſt, inflammatio oritur; ſub qua & difficile, & periculoſe, vis nervis adhibetur: nam diſtentio nervorum [88], vel cancer ſequitur; vel certe, ut mitiſſime agatur [89], pus. Itaque, ſi ante repoſita oſſa non ſunt, poſtea [90] reponenda ſunt. Intendere autem digitum vel aliud quoque membrum [91], ſi adhuc tenerum eſt, etiam unus homo poteſt; cum alteram partem dextra, alteram ſiniſtra prehendit [92]. Valentius membrum duobus eget, qui in diverſa contendant. Si firmiores nervi ſunt, ut in viris robuſtis, maximeque eorum feminibus & cruribus evenit; habenis quoque, vel linteis [93] faſciis utrimque capita articulorum deliganda, & per plures in diverſa [94] ducenda ſunt. Vbi [95] paulo longius, quam naturaliter eſſe debet, membrum vis fecit; tum demum oſſa manibus in ſuam ſedem compellenda ſunt: indiciumque oſſis repoſiti eſt dolor ſublatus, & membrum alteri æquatum [96]. Involvendum [97] duplicibus triplicibusve pannis in vino & oleo tinctis; quos linteos eſſe, commodius eſt. Fere vero faſciis ſex [98] opus eſt. Prima breviſſima adhi-

87. *deprehenſum*) Ita in Codice Conſtantini. Lindenius leg. *deprenſum*; al. *depreſſum*, ut eſt in Mediceo I. aliiſque Codicibus.

88. *diſtentio nervorum*) *diſtentionem* in Editione Almeloveeniana mendum eſt; ut monet Morgagnus.

89. *ut mitiſſime agatur*) Alii leg. *ut diutiſſime alatur*; Lindenius, *cum mitiſſime agitur*. Ego malui, *ut mitiſſime agatur*, quemadmodum Morgagno placebat: nam Cod. Mediceus I. habet, *ut mitiſſime aſatur*: Codex vero Conſtantini plane, *agatur*.

90. *poſtea*) Lindenius leg. *poſt eam*.

91. *aliud quoque membrum*) Idem leg. *aliud quodque membrum*.

92. *prehendit*) Ita Conſtantinus: al. *prendit*.

93. *linteis*) Al. *lineis*; itemque infra, *lineos*.

94. *in diverſa*) Lindenius leg. *& in diverſa*; ſed minus recte.

95. *Vbi*) Idem, *Vbi vero*.

96. *alteri æquatum*) alteri humero ſcilicet, ſi humerus; alteri femori, ſi femur eſt. Olim legebatur, *alteri parti æquatum*; nec aliter habent Mſs. Ego tamen ſecutus ſum Lindenium, qui vocem *parti*, additam, ut videtur, ex gloſſemate, ſuſtulit. Itaque ſupra quoque, ubi legitur, *membrum id altero latere brevius eſt*, extrudenda fortaſſe eſt vox *latere*. Hoc certe modo loquitur Celſus ſect. 7. hujus cap. *donec par id membrum alteri fiat*.

97. *Involvendum*) Fortaſſe Celſus ſcripſit, *Involvendumque*: vel *Id*, aut *Idque involvendum*: vel *Tum involvendum*; & particula *tum* cum præcedenti ſyllaba coaluit. Alii, periodum ſtatim poſt *ſublatus* inchoantes, leg. *Et membrum alteri parti æquatum, involvendum &c.* Lindenius, *At membrum alteri æquatum, involvendum &c.*

98. *Fere vero faſciis ſex*) In Editionibus antiquis eſt *iis*, vel *is*, ut in Cod. Mediceo

hibenda; quæ circa fracturam ter voluta ſurſum verſum feratur, & quaſi in cochleam ſerpat: ſatiſque eſt, eam ter hoc quoque modo circuire. Altera dimidio longior: eaque [99], ſi qua parte [1] os eminet, ab ea; ſi totum æquale eſt, undelibet ſuper fracturam debet incipere, priori adverſa, deorſumque tendere; atque iterum ad fracturam reverſa, in ſuperiore parte ultra priorem faſciam deſinere. Super has injiciendum latiore linteo ceratum eſt, quod eas contineat. Ac, ſi qua parte os eminet, triplex ea [2] pannus objiciendus, eodem vino & oleo madens. Hæc tertia faſcia comprehendenda ſunt, quartaque, ſic, ut ſemper inſequens priori adverſa ſit, & tertia tantum in inferiore parte, tres in ſuperiore finiant [3]: quia ſatius eſt ſæpius circuire, quam adſtringi: ſiquidem id, quod adſtrictum eſt, alienatur, & cancro opportunum eſt. Articulum autem quam minime vincire opus eſt: ſed, ſi juxta hunc os fractum eſt, neceſſe eſt. Deligatum vero membrum in diem tertium continendum eſt: eaque vinctura talis eſſe debet, ut primo die nihil offenderit, non tamen laxa viſa ſit; ſecundo laxior; tertio jam pene reſoluta. Ergo tum rurſum id membrum deligandum, adjiciendaque prioribus quinta faſcia eſt: iterumque quinto die [4] reſolvendum eſt, & ſex faſciis [5] involvendum, ſic, ut tertia & quinta infra, ceteræ ſupra finiantur. Quotieſcumque autem ſolvitur membrum, calida aqua fovendum eſt. Sed, ſi juxta articulum fractura eſt, diu inſtillandum vinum eſt, exigua parte olei adjecta; eademque omnia facienda, donec adeo [6]

ceo I. Cæſarius repoſuit *faſciis*; & quidem recte. Niſi forte legendum eſt, *Faſciis vero ſex*; cum alii Codices non habeant vocem *is* poſt *vero*; ſed tantum *Fere vero ſex*.

99. *longior: eaque*) Alii leg. *longiore: eaque*; ut eſt in Codice Mediceo I. ſed mendoſe. Al. *longior ea: quæ*.

1. *ſi qua parte*) Ita ex Lindenio. Veteres libri non habent particulam *ſi*.

2. *ea*) id eſt ab ea parte. Ita habent veteres Codices. Lindenius leg. *ei*; ſcilicet oſſi: qua dicendi forma Celſus uſus eſt cap. 8. *Si quod ab aliqua parte eminet, opponendum ei triplex linteolum eſt*.

3. *finiant*) Ita Cæſariana & recentes Editiones aliæ. Ego malim *finiantur*. Nam & paulo infra habetur, *ceteræ ſupra finiantur*. In Mſs. & Editionibus antiquioribus eſt *faciant*. Almeloveenius adnotat, fuiſſe nonnullos, qui legerent, *feriant*.

4. *quinto die*) Vulgo omittitur *die*, quod eſt in Mſs. & in Editione I.

5. *ſex faſciis*) Alii leg. *ſexta faſciis*; al. *ſexto faſciis*, ut eſt in Cod. Vaticano I. Ex ceteris Codicibus alii habent cum Mediceo I. *ſexta faſceis*; alii *ſexta faſcia*. Lindenius ex *ſexta* fecit *tum ſex*; ego *ſex*.

eo [6] inflammatio ſolvatur, vel tenuius [7] quoque, quam ex conſuetudine, id membrum fiat: quod ſi ſeptimus dies non dedit, certe nonus exhibet: tum facillime oſſa tractantur. Rurſus ergo, ſi parum commiſſa ſunt, committi debent: ſi qua fragmenta eminent, in ſuas ſedes reponenda ſunt: deinde eodem modo membrum deligandum, ferulæque ſuper accommodandæ ſunt, quæ fiſſæ circumpoſitæque oſſa in ſua ſede contineant: & in quam partem fractura inclinat, ab ea latior valentiorque ferula imponenda eſt. Eaſque omnes circa articulum [8] eſſe oportet reſimas, ne hunc lædant; nec ultra adſtringi, quam ut oſſa contineant: & cum ſpatio laxentur, tertio quoque die paulum habenis ſuis coarctari: ac, ſi nulla prurigo, nullus dolor eſt, ſic manere, donec duæ partes ejus temporis, quo quodque os [9] confervet [10], compleantur: poſtea levius aqua calida fovere, quia primo digeri materiam opus eſt, tum evocari. Ergo cerato quoque liquido id leniter [11] eſt ungendum, perfricandaque ſumma cutis eſt; laxiuſque id deligandum eſt: tertio quoque die ſolvendum, ſic, ut remota calida aqua, cetera eadem fiant: tantummodo ſingulæ faſciæ, quoties reſolutæ fuerint, ſubtrahantur.

2. Hæc communia ſunt: illa propria. Siquidem humerus fractus [12], non ſic, ut membrum aliud, intenditur: ſed homo collocatur alto ſedili, medicus autem humiliore adverſus. Vna [13] faſcia, brachium amplexa, ex cervice ipſius, qui læſus eſt, id ſu-

6. *donec adeo*) Ita in Mſs. & Editionibus antiquioribus. Cæſarius & alii leg. *donec ab eo*.

7. *tenuius*) Ita correxit Lindenius, cum legeretur *levius*, ut ego ſcriptum inveni in antiquis Codicibus. Hippocrates de Fract. ſect. 6. ἐν δὲ τῇ ἑβδόμῃ καὶ πάνυ λεπτὸν, καὶ τὰ ὀστέα τὰ κατεηγότα ἐπὶ μᾶλλον κινούμενα, καὶ παράγωγα ἐς κατόρθωσιν.

8. *circa articulum*) In Mſs. & antiquis Editionibus legitur, *citra*: in margine Editionis Conſtantinianæ, *circa*; & ita Lindenius repoſuit.

9. *quo quodque os*) Mſs. & Editiones antiquiores habent, *quod quoque os*: Cæſariana & Editiones aliæ, *quod os quoque*. Sed omnino legendum, *quo quodque os*, vel, ut edidit Lindenius, *quo os quodque*. Ita cap. 7. *niſi duæ partes ejus temporis, intra quod quæque oſſa confervent, tranſierint*.

10. *confervet*) Ita in Cod. Mediceo I. & in Editione Lindenii; & ita legendum in margine Conſtantinianæ, non *conſervet*, ut eadem Editio in contextu, & libri alii habent.

11. *leniter*) Ante Cæſarium legebatur, *pleniter*; quemadmodum & vetuſtior Mediceus Codex habet.

12. *fractus*) Lindenius leg. *fractus eſt*: ſed non recte; quia *ſiquidem* non refertur ad *fractus*, ſed ad verba, quæ ſtatim ſequuntur, *non ſic &c.*

13. *Vna*) Lindenius addit *autem*.

ſuſtinet: altera, ab altera parte ſuper caput [14] data, ibi accipit nodum: tertia, vincto imo humero deorſum demittitur, ibi quoque capitibus ejus inter ſe vinctis. Deinde ab occipitio ipſius, miniſter ſub ea faſcia, quam ſecundo loco poſui, porrecto [15], ſi dexter humerus ducendus eſt, dextro, ſi ſiniſter, ſiniſtro brachio, demiſſum inter femina ejus, qui curatur, baculum tenet: medicus ſuper eam faſciam, de qua tertio loco dixi, plantam injicit dextram, ſi ſiniſter, ſiniſtram, ſi dexter humerus curatur; ſimulque alteram faſciam miniſter attollit, alteram premit medicus: quo fit, ut leniter humerus extendatur. Faſciis vero, ſi medium aut imum os fractum eſt, brevioribus opus eſt; ſi ſummum, longioribus: ut ab eo ſub altera quoque ala per pectus & ſcapulas [16] porrigantur. Protinus vero brachium, cum deligatur, ſic inclinandum eſt: idque efficit, ut ante faſcias quoque [17] ſic figurandum ſit; ne poſtea ſuſpenſum aliter, atque cum deligabatur [18], humerum inclinet. Brachioque ſuſpenſo, ipſe quoque humerus ad latus leniter deligandus eſt: per quæ fit, ut minime moveatur: ideoque oſſa ſic ſe habent, ut aliquis compoſuit. Cum ad ferulas ventum eſt, extrinſecus eſſe earum longiſſimæ debent; a la-

Ttt cer-

14. *ſuper caput*) Vetus quidam Conſtantini liber habet, *ſuper cubitum*.

15. *porrecto*, *ſi dexter &c.*) Ex multis variiſque lectionibus, quibus hæc periodus jactatur, nulla Morgagno, nulla mihi omnino probari poteſt. Ita habetur in Editione Lindenii. Pro *porrecto*, alii leg. *correpto*, ut eſt in Codice IV. Codices Medicei ceteri habent, *correcto*. Deinde vox *ſiniſtro* deeſt in omnibus iis Codicibus; &, pro *plantam injicit dextram*, *planam injicit dextra* legitur in iiſdem: in margine Codicis IV. ex conjectura, *dextram*. Hinc *planam injicit dextram* habent Editiones 1478. 1493. 1497. 1524. & Aldina. At Cæſariana, & aliæ multæ, *palmam injicit dextram*. Pro *curatur*, alii leg. *ſumatur*; quidam Codices, ut Mediceus I. habent, *ſuratur*; Codex Conſtantini, *ſinuatur*. Atque in Mediceis quidem omnibus eſt *baculum*, ut in vulgatis libris: Morgagnus vero in ſuo Codice ſcriptum reperit *brachium*; atque ita Veſalium olim legiſſe animadvertit.

16. *per pectus & ſcapulas*) Ita in omnibus veteribus libris. Lindenius leg. *per pectus ad ſcapulas*; quæ lectio minime probanda eſt.

17. *idque efficit*, *ut ante faſcias quoque &c.*) Editiones antiquæ ita habent: *id quod afficit*, *ut ante faſcias quoque ſic figurandum* (Conſtantiniana in margine *figuratum*) *ſit*. Ego ex Mſs. repoſui, *idque efficit*; ſed, pro *cur*, quod eſt in iiſdem, retinui particulam *ut*. Ita lib. 3. cap. 5. *Quæ res efficit*, *ut &c.* Fortaſſe etiam legendum *faſciis* pro *faſcias*. Poſt verba autem antecedentia, *ſic inclinandum eſt*, ea deſiderari videntur, quæ doceant, quemadmodum brachium inclinandum ſit, & cur ita inclinandum. Lindenius leg. *ut id*, *quod afficitur*, *ante faſciis quoque ſic figuratum ſit*.

18. *ſuſpenſum aliter*, *atque cum deligabatur*) Ita Lindenius. Alii leg. *ſuſpenſum aliter*, *aliter cum deligabatur*. Mſs. Codices habent, *ſuſpenſum aliter cum deligabatur*.

certo breviores; ſed ſub ala breviſſimæ: ſæpiuſque eæ reſolvendæ [19] ſunt, ubi in vicinia cubiti humerus fractus eſt; ne ibi nervi rigeſcant, & inutile brachium efficiant [20]. Quoties ſolutæ ſunt, fractura manu continenda; cubitus aqua calida fovendus, & molli cerato perfricandus; ferulæque vel omnino non imponendæ contra eminentia cubiti, vel aliquanto breviores, ſunt [21].

3. At ſi brachium fractum eſt, in primis conſiderandum eſt, alterum os, an utrumque comminutum ſit: non quo alia in ejuſmodi caſu curatio ſit admovenda [22]; ſed primum, ut valentius extendatur, ſi utrumque os fractum eſt; quia neceſſe eſt minus nervos contrahi altero oſſe integro, eoſque intendente: deinde, ut curioſius omnia in continendis oſſibus fiant, ſi neutrum alteri auxilio eſt. Nam, ubi alterum integrum eſt, plus opis in eo, quam in faſciis feruliſque eſt. Deligari autem brachium debet, paulum pollice ad pectus inclinato; ſiquidem is maxime brachii naturalis habitus ſit [23]: idque involutum mitella commodiſſime excipitur; quæ latitudine ipſi brachio [24], peranguſtis capitibus collo injicitur: atque ita commode brachium ex cervice ſuſpenſum eſt. Idque paulum ſupra cubiti alterius regionem pendere oportet.

4. Quod ſi ex ſummo cubito quid fractum ſit [25], glutinare id vinciendo alienum eſt: fit enim brachium immobile. At [26] ſi nihil aliud quam dolori occurſum eſt [27], idem, qui fuit, ejus uſus eſt.

5. In

19. *eæ reſolvendæ*) Lindenius omittit *eæ*.

20. *efficiant*) Lindenius leg. *efficiatur*.

21. *breviores, ſunt*) Verbum *ſunt* refertur ad *imponendæ*; non ad *breviores*, ut Conſtantinus & Lindenius exiſtimarunt, qui *ſint* idcirco legunt.

22. *ſit admovenda*) *Admovere curationem* dixit etiam lib. 3. cap. 2. Aliqui omittunt *ſit*.

23. *ſit*) Fortaſſe legendum *eſt*, ut habetur in margine Editionis Conſtantinianæ. Attamen lib. 1. cap. 2. in omnibus antiquis Codicibus ſimiliter legitur; *ſiquidem melius aſcenſus quoque & deſcenſus, cum quadam varietate corpus moveat*. Sed vide quæ ad illa verba adnotavi.

24. *latitudine ipſi brachio*) Lindenius leg. *latitudine ipſa brachio*.

25. *Quod ſi ex ſummo cubito quid fractum ſit*) Ita ex Lindenio. Editiones vetuſtæ, meique Codices Mſs. habent, *Quod ſi ex ſummo cubito id factum ſit*; Codex Conſtantini, *Quod ſi in ſummo cubito id fractum ſit*.

26. *At*) Alii leg. *Ac*, ut eſt in Mſs. Ego repoſui *At*, ex Conſtantino; quia hæc verba, *ſi nihil aliud quam dolori occurſum eſt*, adverſantur illis, *glutinare id vinciendo alienum eſt*; ut conſideranti manifeſtum erit.

27. *occurſum eſt*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus. Lindenius leg. *occurrendum eſt*: ſupra vero retinet *ac*.

5. In crure æque ad rem pertinet, alterum ſaltem os integrum manere. Commune vero ei femorique eſt, quod, ubi deligatum eſt, in canalem conjiciendum eſt. Is canalis & inferiore parte [28] foramina [29] habere debet, per quæ, ſi quis humor exceſſerit, deſcendat: & a planta moram, quæ ſimul & ſuſtineat eam, & delabi non patiatur: & a lateribus cava, per quæ loris datis, moræ quædam crus femurque, ut collocatum eſt, detineant. Eſſe etiam is debet, a planta, ſi crus fractum eſt, circa poplitem; ſi femur, uſque ad coxam; ſi juxta ſuperius caput femoris, ſic, ut ipſa quoque ei coxa inſit [30]. Neque tamen ignorari oportet, ſi femur fractum eſt, fieri brevius; quia numquam in antiquum ſtatum revertitur; ſummiſque digitis poſtea cruris ejus inſiſti: ſed multo tamen fœdior debilitas eſt [31], ubi fortunæ negligentia quoque acceſſit.

6. Digitum ſatis eſt ad unum ſurculum [32] poſt inflammationem deligari.

7. His proprie ad ſingula membra pertinentibus, rurſus illa [33] communia ſunt: primis diebus fames: deinde tum, cum jam increſcere callum oportet, liberalius alimentum: longa a vino abſtinentia: fomentum aquæ calidæ, dum inflammatio eſt, liberale; cum ea deſiit, modicum: tum etiam longior ulterioribus, e liquido cerato [34], membris, & mollis tamen unctio. Nec protinus

 exer-

28. *& inferiore parte*) Aliqui leg. *ab inferiori parte*, ex Cæſario. Mſs. non habent *ab*.

29. *foramina*) Cod. Mediceus I. habet, *feruminali*: unde Cocchius ſuſpicatur legendum eſſe, *foramina aliqua*. Deinde, pro *habere debet*, alii leg. *habet*.

30. *ei coxa inſit*) Ita Lindenius. Olim legebatur, ut eſt in aliquibus Mſs. *ei coxa ſit*: ſed Conſtantinus, pro *ei*, reponendum putabat *in eo*. Plures Mſs. cum Mediceo I. habent mendoſe omnino, *& coxa ait*.

31. *ſed multo tamen fœdior debilitas eſt*) Ita locum hunc ſcribendum putavi, cum in Cod. Mediceo I. ſit, *ſed multa tamen ferior debilitas eſt*. Alii leg. *ſed multa tamen femori debilitas eſt*; Lindenius, *ex quo multa debilitas eſt, fœdior tamen*.

32. *ſurculum*) Alii leg. *furculum*, ut eſt in Editione an. 1493. al. *furunculum*, ut in Edit. an. 1538. al. ex conjectura, *ferulam*; al. *fulcrum*, & *imum* pro *unum*; Conſtantinus ex antiqui Codicis fide, *funiculum*. Sed omnino legendum *ſurculum*, ut habent cum Mediceo I. aliiſque Mſs. Editiones princeps Florentina, & Lindeniana.

33. *illa*) Lindenius leg. *iſta*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

34. *e liquido cerato*) Ita multi repoſuerunt cum Cæſario, pro *& liquido cerato*, quod habent Mediceus I. aliique Mſs. Codices, & Editiones vetuſtiores. Ego legere malim, *ex liquido cerato*; triaque hæc verba poſt *membris* transferre.

exercendum id membrum, ſed paulatim ad antiquos uſus [35] reducendum eſt. Gravius aliquanto eſt, cum oſſis fracturæ carnis quoque vulnus acceſſit; maximeque, ſi id muſculi femoris aut humeri ſenſerint [36]: nam & inflammationes multo graviores, & promptiores cancros habent. Ac femur quidem, ſi oſſa inter ſe ceſſerunt, fere præcidi neceſſe eſt. Humerus vero quoque [37] in periculum venit; ſed facilius conſervatur. Quibus periculis etiam magis id expoſitum, quod juxta ipſos articulos ictum eſt. Curioſius igitur agendum [38] eſt; & muſculus quidem per mediam plagam tranſverſus præcidendus: ſanguis vero, ſi parum fluxit, mittendus: corpus inedia extenuandum [39]. Ac reliqua quidem membra lentius intendenda, & lenius in iis oſſa in ſuam ſedem reponenda ſunt: his [40] vero neque intendi nervos, neque oſſa tractari, ſatis expedit: ipſique homini permittendum eſt, ut ſic ea collocata habeat, quemadmodum minime lædunt [41]. Omnibus autem his vulneribus imponendum primo linamentum eſt, vino madens [42], cui roſæ paulum admodum adjectum ſit: cetera eadem. Deligandaque faſciis [43] ſunt, aliquanto, quam vulnus, latioribus; laxius ſcilicet, quam [44] ſi ea plaga non eſſet; quanto facilius & aliena-

35. *ſed paulatim ad antiquos uſus &c.*) Adverbium *paulatim* non inveni in Mſs. ſed Conſtantinus & Lindenius repoſuerunt, ne laboraret ſententia. In Cod. Mediceo I. legitur, *ſed antiquos uſus &c.*

36. *ſenſerint*) Ante Lindenium legebatur *ſenſerunt*, ut eſt in Mediceo I. aliiſque Mſs.

37. *Humerus vero quoque*) Particula *vero* addita videtur ab aliquo, ut reſponderet particulæ *quidem*, quæ eſt in præcedenti inciſo; & prorſus redundat.

38. *Curioſius igitur agendum &c.*) Lindenius leg. *Igitur curioſius id agendum eſt, & per mediam plagam muſculus tranſverſus præcidendus.*

39. *corpus inedia extenuandum*) Idem Lindenius leg. *corpus inedia in decimum diem extenuandum.* Mihi tamen tres voces *in decimum diem* aliquo in Codice reperire non contigit.

40. *his*) Fortaſſe legendum *hic*, vel *in his.*

41. *quemadmodum minime lædunt*) id eſt *ut maxime cubantem juvat*; quo modo loquitur cap. ult. Lindenius leg. *quemadmodum minimum læduntur.*

42. *linamentum eſt, vino madens*) Lindenius leg. *linamentum ex vino madens.*

43. *Deligandaque faſciis*) Sic repoſui ex quibuſdam Mſs. Antea legebatur, *deliganda faſciis.*

44. *aliquanto, quam vulnus, latioribus; laxius ſcilicet, quam &c.*) Hippocrates de Fract. ſect. 23. *Faſciæ vero reliquaque aliquanto latius fiſſa eſſe debent, quam ſi ulcus non adeſſet; & quo primum deligatur, multo latius ſit quam ulcus. Quæ enim ulcere anguſtiora ſunt, ulcus ipſum cingunt, quod minime convenit; ſed prima convolutione totum ulcus comprehendendum, ita ut ſuperiore ac inferiore parte linteum excedat. Linteum igitur e directo ulceri injiciendum, pauloque minus, quam ſi citra ulcus eſſet, arctandum.* Sed quamvis ex Hippocrate ſumpſiſſe hæc Celſus videatur; tamen, quia verba inter ſe apte non cohærent, atque aliis etiam de cauſis valde ſuſpicor, quæ-

nari & occupari cancro vulnus poteſt: numero potius faſciarum id agendum eſt, ut laxæ quoque æque contineant. Quod in femore humeroque [45] ſic fiet, ſi oſſa forte recte concurrerint: ſin aliter ſe habebunt, eatenus circumdari faſcia debebit, ut impoſitum medicamentum contineat. Cetera eadem, quæ ſupra ſcripſi, facienda ſunt: præterquam quod neque ferulis, neque canalibus, inter quæ vulnus ſaneſcere non poteſt; ſed pluribus tantummodo & latioribus faſciis opus eſt: ingerendumque ſubinde in eas eſt calidum oleum, & vinum; magiſque in primo [46] fame utendum [47]; vulnus calida aqua fovendum; frigusque omni ratione vitandum, & tranſeundum ad medicamenta, quæ puri movendo ſunt: majorque vulneri, quam oſſi cura adhibenda [48]. Ergo quotidie ſolvendum nutriendumque eſt. Inter quæ ſi quod parvulum fragmentum oſſis eminet, id, ſi retuſum eſt, in ſuam ſedem dandum: ſi acu-

quædam inſerta fuiſſe ab interpretibus. Nihil enim præcedit, quo *ſcilicet* referri poſſit: niſi forte, pro *latioribus*, cum Lindenio reponendum eſt *laxioribus*. Et ſane infra habetur, *latioribus faſciis opus eſt*; quod veriſimile eſt, Celſum additurum non fuiſſe, ſi *latioribus* hic ſcripſiſſet. Præterea lib. 5. cap. 26. ſect. 24. de omnibus in univerſum vulneribus agens, *Faſcia vero ad vulnus deligandum . . . . . lata*, inquit, *eſſe debet*, *ut ſemel injecta non vulnus tantum*, *ſed paulum utrimque etiam oras ejus comprehendat:* quæ ex allato Hippocratis loco manifeſte deſumpta ſunt; neque opus fuit hic repetere. Rurſus, ſi legatur *laxioribus*, duo verba, *quam vulnus*, redundant: atque hæc quoque, *laxius ſcilicet*, *quam ſi ea plaga non eſſet*, ſupervacua videntur, & ex adnotatione orta. Sed eſt tamen, cur hæc retineri poſſint: illa vero, *quam vulnus*, nulla ferri ratione poſſunt. Vel igitur minima mutatione legendum, *aliquanto*, *quam vulnus*, *latioribus*; *laxiuſque* (vel *laxioribuſque*) *quam &c.* vel paulo majori, *aliquanto laxioribus*; *laxius ſcilicet*, *quam &c.* aut etiam, *aliquanto laxioribus*, *quam &c.* vel denique maxima, *aliquanto laxioribus*; *quanto facilius &c.* Lindenius ita edidit; *aliquanto*, *quam vulnus*, *laxioribus*; *ſcilicet latius*, *quam ſi ea plaga non eſſet*, *quantoque facilius &c.*

45. *humeroque*) Linden. *humerove*.

46. *magiſque in primo*) Alii leg. *magiſque in principio*, ex Cæſarii emendatione: & fortaſſe rectius. Attamen, cum Mſs. Codices habeant *in primo*, videndum eſt, num, quemadmodum *a primo* pro *a principio* recte dicitur, ſic & *in primo* pro *in principio* dictum ſit. Senſus enim hic eſſe videtur: magiſque in hoc caſu, quam ubi vulnus non eſt, primis diebus fame utendum. Nam initio hujus ſect. habetur; *illa communia ſunt: primis diebus fames &c.* Lindenius leg. *magiſque hoc*. *In principio &c.* Quod minus probandum.

47. *fame utendum*) Hic vero Lindenii lectionem *utendum*, ſumptam, ut opinor, ex Foeſio ad Hippocrat. de Fract. ſect. 24. omnes facile probabunt. Alii leg. *utendo*. Codices omnes Mſs. habent, *fame utendo & alieno*. In Mediceo quidem III. & aliis quibuſdam duæ voces, *& alieno*, expunctæ ſunt; itaque vulgati libri eas omittunt: ſed videndum jure, an injuria extruſæ fuerint. Fortaſſe legendum, *& a vino abſtinendum:* nam ſupra quoque *longa a vino abſtinentia* præcipitur.

48. *adhibenda*) Veteres libri habent *agenda*. Si haberent, *vulneris*, *quam oſſis*; ut Conſtantinus reponendum cenſuit; facilis eſſet emendatio, *habenda*. Sed cum in illis legatur, *vulneri*, *quam oſſi*; a Lindenio ſtandum videtur, qui edidit, *adhibenda*.

acutum, ante acumen ejus, ſi longius eſt [49], præcidendum; ſi brevius, limandum, & utrumque [50] ſcalpro lævandum [51]: tum ipſum recondendum eſt: ac, ſi id manus facere non poteſt, vulſella, quali fabri utuntur, injicienda eſt recte ſe habenti capiti [52], ab ea parte, qua ſima eſt; ut eâ parte, qua gibba eſt, eminens os in ſuam ſedem compellat. Si id majus eſt, membranuliſque cingitur, ſinere oportet eas ſub medicamentis reſolvi, idque os, ubi jam nudatum eſt, abſcindere; quod maturius ſcilicet faciendum eſt: poteſtque ea ratione & os coire, & vulnus ſaneſcere: illud ſuo tempore; hoc, prout ſe habet. Nonnumquam etiam in magno vulnere evenit, ut fragmenta quædam velut emoriantur, neque cum ceteris coeant: quod hic quoque ex modo fluentis humoris colligitur. Quo magis neceſſarium eſt, ſæpius ulcus reſolvere, atque nutrire [53]. Sequitur vero [54], ut id os per ſe poſt aliquot dies excidat. Cum tam miſera antea conditio vulneris ſit [55], ta-

49. *ſi longius eſt*) Particula *ſi* deeſt in Mſs. & antiquis Editionibus.

50. *utrumque*) tum quod præciſum fuit, tum quod limatum. Perperam alii leg. *utrinque*.

51. *lævandum*) Ita ex Foeſio ad Hippocratem de Fract. ſect. 29. & Lindenio. Alii leg. *limandum*, ut eſt in Mſs.

52. *recte ſe habenti capiti*) Fracti oſſis ſummitati, in qua nullum fragmentum eminet. *Retuſa capita* vocat cap. 7. CommLuniorem hanc lectionem Cod. Mediceus I. confirmat. Pro *habenti*, in aliis Codicibus mendoſe eſt *habendi*. Cæſarius leg. *recte ſe habente capite*. Lindenius edidit; *acutæ oſſis prominentis cuſpidi*; mutatione minime probanda. Vide Morgagn. Epiſt. V.

53. *reſolvere atque nutrire*) Paulo ſupra, *quotidie ſolvendum nutriendumque eſt*. Celſi ſententiam non eſt aſſecutus Lindenius, qui ſic repoſuit: *reſolvere, quam nutrire*. Mſs. noſtri omnes habent non *quam*, ſed *atque*.

54. *Sequitur vero*) Lindenius contra priores Editiones, a quibus Medicei Vaticanique Codices non diſcrepant, repoſuit, *ſequiturque fere*.

55. *Cum tam miſera antea conditio vulneris ſit &c.*) Corruptos omnes Codices hoc loco inveni, & quidem adeo corruptos, ut Celſi ſententiam aſſequi non liceat. In pleriſque eorum hæc periodus pars eſt periodi ſuperioris: atque in omnibus impreſſis, pro *manus*, legitur *majus*, ut correctum vidi in recentioribus quibuſdam Mſs. Lindenius ita edidit: *aut cum jam ante miſera conditio vulneris ſit, tamen id interdum majus diuturniuſque faciat*. Verum temere & ſine cauſa hæc Celſus ſubjecerit, qui neque eorum ullam eſſet rationem redditurus, neque expoſiturus curationem in ejuſmodi caſu adhibendam. At Conſtantinus novam hic fieri propoſitionem putat, & leg. *Ac cum tam miſera antea conditio vulneris ſit, tamen id interdum majus latiuſque facies*. Quæ lectio probari fortaſſe poſſet, ſi ex ſequentibus cauſa appareret, ob quam plaga ſit amplianda. Anne Celſus hoc ſibi vult? quamvis miſera ſit vulneris conditio, tamen interdum vulnus manu eſt faciendum. Quod veriſimile maxime propter illa videri poteſt, quæ infra ſequuntur: *Interdum fractura quibuſdam velut aculeis carnem vexat. Quo a prurigine & punctionibus cognito, aperire id medicus, eoſque aculeos præcidere neceſſe habet*. Vbi attendenda etiam vis horum verborum *neceſſe habet*. Anne ſententiam Celſi hanc potius eſſe dicemus? Quamvis miſera per ſe vulneris conditio ſit, tamen interdum accidit, quod gravius id faciat. *Sæpe enim integra cutis oſſe abrumpitur &c.* Verum de hoc docti homines viderint.

tamen id interdum manus diutiuſque facies. Sæpe enim [56] integra cutis oſſe abrumpitur [57], protinuſque prurigo & dolor oritur. Quæ ſolvere [58], ſi accidit, maturius oportet, & fovere aqua, per æſtatem, frigida; per hiemem, egelida: deinde ceratum myrteum imponere. Interdum fractura quibuſdam velut aculeis carnem vexat. Quo a prurigine & punctionibus cognito, aperire id medicus [59], eoſque aculeos præcidere neceſſe habet. Reliqua vero curatio in utroque hoc caſu eadem eſt, quæ, ubi plagam ictus protinus intulit [60]. Puro jam ulcere, cibis hic quoque utendum eſt carnem producentibus. Si brevius adhuc membrum eſt, & oſſa loco ſuo non ſunt, paxillus tenuis quam læviſſimi generis [61] inter ea demitti debet, ſic, ut capite paulum ſupra ulcus [62] emineat; iſque quotidie plenior adigendus eſt, donec par id membrum alteri fiat. Tum paxillus removendus; vulnus ſanandum eſt; cicatrix [63] inducta fovenda frigida aqua eſt, in qua myrtus, hedera, aliæve ſimiles verbenæ decoctæ ſint [64], illinendumque medicamentum eſt [65], quod ſiccet: & magis etiam hic quie-

56. *Sæpe enim &c.*) Manifeſtum eſt, rationem a Celſo hic reddi præcedentis propoſitionis, quæcumque ſit ea propoſitio: Quod Lindenius emendationi ſuæ plane adverſari intelligens, ita mutavit: *Sæpe etiam &c.* Sed Codices noſtri veteres habent *Sæpe enim &c.*

57. *integra cutis oſſe abrumpitur*) Ita in omnibus antiquis Editionibus, & in Mediceo I. aliiſque Mſs. Codicibus: atque hanc lectionem videntur confirmare, quæ infra ſunt; *Reliqua vero curatio in utroque hoc caſu eadem eſt, quæ ubi plagam ictus protinus intulit.* Quod ſi legatur, *integra cute os abrumpitur*, ut eſt apud Conſtantinum ex conjectura, & in Editione Lindenii; nullum hic vulnus eſſet, neque Celſus dixiſſet *in utroque hoc caſu*. Verumtamen quia incertum eſt, quid ille ſuperiore periodo ſcripſerit, id quoque in medio relinquamus. Illud addo, vocem *oſſe* in multis Mſs. deeſſe: tum Conſtantinum adnotaſſe, quoſdam ex iis, qui *cute os* reponere tentarunt, tollere adverbium *enim*.

58. *Quæ ſolvere*) Ita in antiquis libris, tum editis, tum Mſs. Sed fortaſſe reponendum *Quod*. Conſtantinus legere malebat, *Quam ſolvere*, id eſt plagam; Lindenius edidit, *Quare ſolvere*.

59. *medicus*) Conſtantinus, & alii fere omnes leg. *melius*: ſed Conſtantinus extrudit verbum *habet*.

60. *ubi plagam ictus protinus intulit*) Vox *plagam* non extat in Mſs. nec in Editionibus antiquis; ſed nullo modo poteſt abeſſe. Itaque eam retinuimus ex Conſtantini conjectura, & Lindenio.

61. *quam læviſſimi generis*) Lindenius leg. *& læviſſimi generis*.

62. *ſupra ulcus*) Has duas voces Lindenius omittit; nec Editio Cæſarii an. 1538. eas habet. Habent tamen Editiones aliæ omnes, omneſque Mſs. Codices.

63. *vulnus ſanandum eſt; cicatrix &c.*) Lindenius leg. *vulnuſque ſanandum eſt. Cicatrix vero &c.*

64. *decoctæ ſint*) Ita edidit Lindenius; nec aliter legendum videtur. Sed lectores moneo, vocem *decoctæ* in Mſs. & antiquis Editionibus non reperiri.

65. *illinendumque medicamentum eſt*) Verbum *eſt* a pleriſque omittitur: ſed habetur in Editione I. & in Mediceo vetuſtiore aliiſque Mſs.

quieſcendum, donec id membrum confirmetur. Si quando vero oſſa non conferbuerunt, quæ [66] ſæpe ſoluta, ſæpe mota ſunt, in aperto deinde curatio eſt: poſſunt enim coire. Si vetuſtas occupavit, membrum extendendum eſt, ut aliquid lædatur: oſſa inter ſe manu dividenda, ut concurrendo exaſperentur, &, ſi quid pingue eſt, eradatur, totumque id quaſi recens fiat: magna tamen cura habita, ne nervi muſculive lædantur. Tum vino fovendum eſt, in quo malicorium decoctum ſit; imponendumque id ipſum ovi albo miſtum: tertio die reſolvendum, fovendumque aqua, in qua verbenæ, de quibus ſupra dixi, decoctæ ſint: quinto die idem faciendum, ferulæque circumdandæ: cetera, & ante, & poſt, eadem facienda, quæ ſupra ſcripſi. Solent tamen interdum tranſverſa [67] inter ſe oſſa confervere [68]: eoque & brevius membrum, & indecorum fit; &, ſi capita acutiora ſunt, aſſiduæ punctiones [69] ſentiuntur. Ob quam cauſam frangi rurſus oſſa & dirigi debent. Id hoc modo fit. Calida aqua multa membrum id fovetur, & ex cerato liquido perfricatur, intenditurque: inter hæc, medicus pertractans oſſa, ut adhuc tenero callo, manibus ea diducit, compellitque id, quod eminet, in ſuam ſedem: &, ſi parum valuit, ab ea parte, in quam os ſe inclinat, involutam lana regulam objicit; atque ita deligando, aſſueſcere iterum vetuſtæ ſedi cogit. Nonnumquam autem recte quidem oſſa conferbuerunt [70], ſuperincrevit vero nimius callus; ideoque locus intumuit. Quod ubi incidit, diu leniterque id membrum perfricandum eſt ex oleo, & ſale, & nitro; multumque aqua calida ſalſa fovendum; & imponendum malagma, quod digerat; adſtrictiuſque

66. *quæ*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus. Conſtantinus ex conjectura leg. *quod*; Lindenius, *quia*.

67. *tranſverſa*) Ita in Mſs. & Editione prima; id eſt obliqua, ut dixit ſect. 1. hujus capitis. Alii leg. *diverſa*, ut eſt in Editione an. 1493. Lindenius perperam, *adverſa*. Vide Morgagn. Epiſt. VI.

68. *confervere*) Quidam cum Cæſario leg. *cohærere*. Idem Cæſarius margini adſcripſit, *coaleſcere*. Sed Mſs. Codices habent, *confervere*.

69. *aſſiduæ punctiones*) Lindenius leg. *aſſidue puncturæ*.

70. *conferbuerunt*) Ita edidit Lindenius: idque verbum iis reſpondet, quæ ſupra ſunt, *Solent tamen interdum tranſverſa inter ſe oſſa confervere*; ut animadvertit Morgagnus. Quod ſi hæc Lindenii lectio aliquo ejus Codice firmatur, tanto certior eſſe debet. Nunc aliquis fortaſſe magis probabit Schulzii emendationem in Diſſertat. de Oſſib. Confervent. quod facilior ſit, & a veteri ſcriptura minus diſtet. Nam Medicei Vaticanique Codd. & Edd. antiquæ habent, *ceperunt*, vel *cœperunt*: Schulziuſque *coierunt* ſcribendum putavit. Conjectura Conſtantini reponentis, *cohæſerunt*, non placet.

que alligandum; oleribuſque, & præterea vomitu utendum: per quæ cum carne callus quoque extenuatur. Confertque aliquid de ſinapi cum ficu in alterum par membrum [71] impoſitum, donec id paulum erodat, eoque evocet materiam. Vbi his tumor extenuatus eſt, rurſus ad ordinem vitæ revertendum eſt.

XI. Ac de fractis quidem oſſibus hactenus dictum ſit. Moventur autem ea ſedibus ſuis duobus modis. Nam modo, quæ juncta ſunt inter ſe, dehiſcunt [72]; ut cum latum ſcapularum os ab humero [73] recedit; & in brachio, radius a cubito; & in crure, tibia a ſura; interdum a ſaltu [74], calcis os a talo; quod raro tamen fit: modo articuli ſuis ſedibus excidunt. Ante de prioribus dicam. Quorum ubi aliquid incidit, protinus is locus cavus eſt, depreſſuſque digitus ſinum invenit: deinde gravis inflammatio oritur; atque in talis præcipue [75]: ſiquidem febres quoque, & cancros, & nervorum vel diſtentiones, vel rigores, qui caput ſcapulis annectunt, movere conſuevit. Quorum vitandorum cauſa, facienda eadem ſunt, quæ in oſſibus mobilibus læſis [76] aliquid ubi

71. *in alterum par membrum*) Exempli cauſa, ſi femur fractum eſt, ſinapi in alterum femur imponendum. Vox *par* in Cod. Mediceo I. inter verſus poſita eſt, extra ceterarum vocum ſeriem, ab antiqua tamen manu. Si abſit, non ego magnopere requiſierim. Vide quæ adnotavi ad verba illa, *& membrum alteri æquatum*, ſect. 1. hujus cap. Alii leg. *in alterum pariter membrum*; quod eſt a Cæſario. Sed Cæſarius non eſt aſſecutus Celſi ſententiam. Is enim non in utrumque membrum, ſed in id ſolum, quod ſanum eſt, ſinapi imponi vult.

72. *debiſcunt*) Cod. Mediceus I. *biſcunt*.

73. *ab humero*) Exiſtimat Conſtantinus, ἀκρώμιον ſignificari. Et ſane videtur Cornelius locum quemdam reſpexiſſe, qui eſt in lib. de Artic. ſect. 11. ubi Hippocrates docet, ἀκρώμιον interdum avelli, atque hunc caſum ab illo prorſus diverſum eſſe, ubi humerus ex ſinu excidit lati ſcapularum oſſis. Morgagnus tamen *ab jugulo* legendum ſuſpicatur; *quod*, inquit, *jugulum ita cum lato ſcapularum oſſe junctum ſit, ut cum tibia fibula, aut, ſi mavis, cum ulna radius, non ita ut cum lato eodem oſſe humerus*.

74. *interdum a ſaltu*) id eſt ob ſaltum. Ita in Mſs. Lindenius addit particulam *&* ante *interdum*; idemque, Cæſarium ſecutus, præpoſitionem omittit.

75. *in talis præcipue*) Codices Mſs. & Editiones antiquæ habent, *in talis præcipua*. Ego malui *præcipue*, ut correxit Lindenius; ſed retinui *in talis*. Lindenius autem leg. *in talo*, ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

76. *in oſſibus mobilibus læſis*) *mobilibus* legendum ex Lindenio, ut recte cenſet Morgagnus; non *mollibus*, ut habent vetuſti Codices; nec *molliorībus*, ut malebat Conſtantinus. Sed poſt *læſis*, illa ſtatim, ut ego arbitror, addenda, *propoſita ſunt*; *ut dolor tumorque per ea tollantur*. Nam quæ his interjecta habent Mſs. Codices, eadem ſunt, quæ ſupra leguntur, a librariis per incuriam repetita; ideoque omnia tollenda. Pro *is locus*, in vulgatis libris eſt, *iis* (vel *bis*) *locis*; ut in Cod. Mediceo I. a Palavicino, & in margine Cod. IV. ab alia manu. Lindenius, ut idoneam ali-

incidit, protinus is locus propoſita ſunt; ut dolor tumorque per ea tollantur. Nam diducta oſſa numquam rurſus inter ſe junguntur; &, ut aliquid decoris eo loco, ſic nihil uſus amittitur [77]. Maxilla vero & vertebræ [78], omneſque articuli, cum validis nervis comprehendantur, excidunt aut vi expulſi, aut aliquo caſu nervis vel ruptis, vel infirmatis; faciliuſque in pueris & adoleſcentulis, quam in robuſtioribus. Hique elabuntur in priorem & in poſteriorem, in interiorem [79] & in exteriorem partem [80]; quidam omnibus modis, quidam certis: ſuntque quædam communia omnium ſigna, quædam propria cujuſque. Siquidem ſemper ea parte tumor eſt, in quam os prorumpit; ea ſinus, a qua receſſit. Et hæc quidem in omnibus deprehenduntur: alia vero in ſingulis; quæ, ſimul atque de quoque dicam, proponenda erunt. Sed ut excidere omnes articuli poſſunt, ſic non omnes reponuntur. Caput enim numquam compellitur [81], neque in ſpina vertebra, neque ea maxilla, quæ, utraque parte prolapſa, antequam reponeretur, inflammationem movit. Rurſum, qui nervorum vitio prolapſi ſunt, compulſi quoque in ſuas ſedes iterum excidunt. Ac [82] quibus in pueritia exciderunt, neque repoſiti ſunt, minus quam ceteri creſcunt. Omniumque, quæ loco ſuo non ſunt, caro emacreſcit [83], magiſque in proximo membro, quam in ulteriore [84]:

aliquam ex iis verbis ſententiam eliceret, aliis additis, aliis immutatis, ita edidit: *Atque id ubi incidit, protinus his locis imponenda, quæ ſupra propoſita ſunt, ut dolor &c.*

77. *ut aliquid decoris eo loco, ſic nihil uſus amittitur*) Ita hunc locum ex multis Mſs. reſtitui. Antea ab omnibus legebatur *admittitur*, ut mendoſe eſt in Cod. Mediceo primo: & a pleriſque *eo loco ſit*, quemadmodum Palavicinus repoſuit in eodem Codice, pro *eo loco, ſic*. Hæc autem expreſſa ſunt ex iis, quæ ſcripſit Hippocrates in lib. de Artic. ſect. 11. *certo prædicere licet, hoc caſu nullum quidem neque parvum, neque magnum humero detrimentum contingere, locum tamen deformem reddi. Numquam enim os illud* (ἀκρώμιον) *in priſtinam ſedem, quale natura eſſe conſueverat, reſtituitur, ſed plus aut minus ſuperiore parte turgeſcere neceſſe eſt. Nam neque aliud os ullum, quod cum altero communionem & cohærentiam habet, ubi a naturali ſede avulſum fuerit, in priſtinum locum revertitur.*

78. *vertebræ*) Alii leg. *vertebra*; & ita eſt in Mediceo I. aliiſque Mſs.

79. *& in poſteriorem, in interiorem*) Hæc verba a Lindenio reſtituta ſunt. Deſunt in omnibus Mſs. ſed videntur neceſſaria.

80. *& in exteriorem partem*) In Cod. Mediceo I. deeſt particula *&*; in ceteris particula *in*.

81. *numquam compellitur*) Al. *nonnumquam compellitur*; ſed nemo mendum non videt. Lege cap. 13.

82. *Ac*) Ante Lindenium legebatur *At*. Cod. Mediceus I. habet *a*.

83. *caro emacreſcit*) Ita legendum cum Foeſio, & Lindenio; & quidem ex optimorum Codicum auctoritate, ut idem Foeſius

re [84]: ut puta, ſi humerus loco ſuo non eſt, major in eo ipſo fit, quam in brachio; major in hoc, quam in manu, macies [85]. Tum pro ſedibus, & pro caſibus, qui inciderunt, aut major aut minor uſus ejus membri relinquitur: quoque in eo plus uſus ſupereſt, eo minus id extenuatur. Quidquid autem loco ſuo motum eſt, ante inflammationem reponendum eſt. Si illa occupavit, dum conquieſcat, laceſſendum non eſt [86]: ubi finita eſt, tentandum eſt in iis membris, quæ id patiuntur. Multum autem eo confert & corporis & nervorum habitus. Nam, ſi corpus tenue, ſi humidum eſt, ſi nervi infirmi, expeditius os reponitur: ſed & primo facilius excidit [87], & poſtea minus fideliter continetur. Quæ contraria his ſunt, melius continent: ſed id, quod expulſum eſt, difficulter admittunt. Oportet autem ipſam inflammationem levare, ſuper ſuccida lana ex aceto impoſita [88]: a cibo [89], ſi valentioris articuli caſus eſt, triduo; interdum etiam quinque diebus abſtinere [90]: bibere aquam calidam, dum ſitim finiat [91]: curioſiuſque hæc facere, iis oſſibus motis, quæ validis pleniſque muſculis continentur: ſi vero etiam febris acceſſit, multo magis: deinde ex die quinto fo-

ſius teſtatur in adnotationibus ad Hippocratis librum de Artic. ſect. 13. Codex primus habet *caro eamtres* : Medicei ceteri, *caro eam creſcit* ; ſed in IV. correctum eſt, *caro ea increſcit*. Quam olim vulgatam lectionem Falloppius ita corrigendam cenſuit : *caro ea decreſcit*.

84. *in ulteriore*) Particula *in* omittitur a Lindenio, neque extat in Cod. Mediceo I.

85. *quam in manu, macies*) Ita in Codicibus probæ notæ ſcriptum Foeſius reperit : nec valde diſcrepant Codices Medicei ; habent enim, *quam in manu acies*. In Editionibus antiquis perperam legitur, ut correxit Palavicinus, *quam in manus acie*. Lindenius repoſuit, *quam in manu ;* ſupra vero, *fit macies*, quemadmodum & Falloppius legendum cenſuit.

86. *dum conquieſcat, laceſſendum non eſt*) Ita ex Conſtantini conjectura, & Editione Lindeniana. Tagaultius eodem ſenſu leg. *dum conquieſcat, haudquaquam laceſſendum eſt*. Codices Mſs. habent ; *dum conquieſcat* (aliqui, *dum quieſcat*) *nunc laceſſendum* (Mediceus I. *nunc claſſendum*) *eſt* : fortaſſe pro *haud laceſſendum eſt*. Palavicinus *nunc* in *tunc* mutavit. Hinc Editiones vetuſtiores ; *dum conquieſcat. Tunc laceſſendum eſt*. Cæſariana & aliæ quædam ; *tum conquieſcat : laceſſendum non eſt*.

87. *primo facilius excidit*) Lindenius leg. *multo facilius excidit*. Ego *multo* in Ms. ullo non vidi ; ſed in omnibus *primo*, ut habent Editiones vetuſtæ.

88. *ſuper ſuccida lana ex aceto impoſita*) Lindenius leg. *ſuccida lana ex aceto ſuperimpoſita*.

89. *a cibo &c.*) Stephanus leg. *& a cibo &c.*

90. *abſtinere*) Infinitum hoc, & cetera omnia, quæ conſequuntur, pendent a verbo *oportet*, quod eſt in principio periodi. Ita vero habent Cod. Mediceus I. & Lindenii Editio. Alii leg. *abſtinere debere* ; al. *abſtinere debet*.

91. *dum ſitim finiat*) Lindenius leg. *dum ſitis finiatur*.

vere aqua calida [92]; remotaque lana, ceratum imponere ex cyprino factum, nitro quoque adjecto, donec omnis inflammatio finiatur. Tunc infrictionem ei membro adhibere; cibis uti bonis; uti vino modice: jamque ad uſus quoque ſuos id membrum promovere; quia motus, ut in dolore peſtifer, ſic alias ſaluberrimus corpori eſt. Hæc communia ſunt: nunc de ſingulis dicam.

XII. Maxilla in priorem partem propellitur; ſed modo altera parte, modo utraque. Si altera, in contrariam partem ipſa mentumque inclinatur [93]: dentes paribus non reſpondent; ſed ſub iis, qui ſecant, canini ſunt. At ſi utraque, totum mentum in exteriorem partem promovetur [94]; inferioreſque dentes longius, quam ſuperiores excedunt; intentique ſuper muſculi apparent [95]. Primo quoque tempore [96] homo in ſedili collocandus eſt, ſic, ut miniſter a poſteriore parte caput ejus contineat, vel ſic, ut juxta parietem is ſedeat, ſubjecto inter parietem & caput ejus ſcorteo pulvino duro; eoque caput per miniſtrum urgeatur, quo ſit immobilius: tum medici digiti pollices [97], linteolis vel faſciis, ne dilabantur, involuti in os ejus conjiciendi, ceteri extrinſecus admovendi ſunt. Vbi vehementer maxilla apprehenſa eſt, ſi una parte procidit, concutiendum mentum, & ad guttur adducendum eſt:

92. *ex die quinto fovere aqua calida*) *ex die quinto* idem eſt atque *a die quinto*, qua forma Celſus frequenter utitur; id eſt incipiendo a die quinto. Conſtantinus leg. *die quinto fovere ex aqua calida:* ſed contra veterum Codicum fidem. Ejus tamen lectionem Lindenius ſecutus eſt.

93. *Si altera, in contrariam partem ipſa mentumque inclinatur*) Veteres Codices ita habent: *Si alteram* (Mediceus III. *Si altera*) *in contrariam partem modo utraque ipſa mentumque* (Mediceus I. *mentum*) *inclinatur*. Sed facile apparet, temere hic iteratas fuiſſe duas voces *modo utraque*, quæ ſupra ſunt. Recte igitur Cæſarius, & hunc ſecuti recentiores Editores voces illas ſuſtulerunt, & *altera* pro *alteram* repoſuerunt.

94. *totum mentum in exteriorem partem promovetur*) Hippocrates de Artic. ſect. 17. *mentum in exteriorem partem magis promovetur, minime tamen torquetur*. Non intelligo, cur Lindenius ediderit; *totum mentum inclinatur, & in exteriorem partem promovetur;* præſertim cum illorum verborum, *inclinatur &*, nullum in Mſs. veſtigium deprehenderim.

95. *intentique ſuper muſculi apparent*) Non ſolum κροταφῖται, ut Lindenius exiſtimavit, qui pro *ſuper*, *temporum* repoſuit, ſed & μασητῆρες, & alii. Nec vero *temporum* ullus habet meorum Codicum; ſed omnes *ſuper*.

96. *Primo quoque tempore*) Videtur legendum; *Primo autem quoque tempore;* ſiquidem in omnibus fere Mſs. Codicibus habetur; *Primo quoque tempore autem*, vel *aut*, vel *ante*. Quia vero particula *autem* expuncta eſt in Mediceo IV. idcirco omittitur in Editione I. atque adeo in omnibus vulgatis libris.

97. *medici digiti pollices*) Vox *medici* fortaſſe eſt ab interprete aliquo.

eſt: tum ſimul & caput apprehendendum, &, excitato mento, maxilla in ſuam ſedem compellenda, & os ejus comprimendum eſt, ſic, ut omnia pene uno momento fiant [98]. Sin utraque parte [99] prolapſa eſt, eadem omnia facienda; ſed æqualiter retro maxilla agenda eſt. Repoſito oſſe, ſi cum dolore oculorum & cervicis iſte caſus incidit, ex brachio ſanguis mittendus eſt. Cum omnibus vero, quorum oſſa mota ſunt, primo liquidior cibus conveniat, tum his præcipue: adeo ut ſermo quoque, frequenti motu oris per nervos, lædat [1].

XIII. Caput duobus proceſſibus in duos ſinus ſummæ vertebræ demiſſis ſuper cervicem contineri, in prima parte propoſui. Hi proceſſus interdum in poſteriorem partem excidunt: quo fit, ut nervi ſub occipitio extendantur, mentum [2] pectori adglutinetur; neque bibere is, neque loqui poſſit, interdum ſine voluntate ſemen emittat: quibus celerrime mors ſupervenit. Ponendum autem hoc eſſe credidi, non quo curatio ejus rei ulla ſit; ſed ut res indiciis cognoſceretur, & non putarent ſibi medicum defuiſſe, ſi qui ſic aliquem perdidiſſent.

XIV. Idem caſus manet eos, quorum in ſpina vertebræ exciderunt. Id enim non poteſt fieri, niſi & medulla [3], quæ per medium, & duabus membranulis, quæ per duos a lateribus proceſſus feruntur, & nervis, qui continent, ruptis. Excidunt autem & in poſteriorem partem, & in priorem; & ſupra ſeptum tranſverſum, & infra. In utramvis partem [4] exciderint, a poſteriore parte vel tumor, vel

98. *uno momento fiant*) In Editionibus 1493. 1497. 1524. omittitur vox *uno*. Cod. Mediceus I. habet, *uno fiant* : ſupra *uno* vero, *mento*, ex qua voce Palavicinus, addita ſyllaba *mo*, fecit *momento*. Codices ceteri habent, *uno momento fiant*.

99. *Sin utraque parte*) Ita ex Lindenio. Alii legunt, ut eſt in Cod. Mediceo I. *Si in utraque parte*.

1. *adeo ut ſermo quoque, frequenti motu oris per nervos, lædat*) Ita in omnibus Mſs. & antiquis Editionibus: quam lectionem recte explicat Morgagnus. Sententia talis eſt: motu oris, qui fit per nervos, ſermo, maxillam quamvis leviter agitando, nocet. Quanto igitur magis cibus nocebit, quiſquis mandendus eſt, cum ſine magna maxillæ agitatione ac vi mandi non poſſit? Conſtantinus legere malebat ; *adeo ut ſermo quoque frequenti motu, oris nervos perlædat*. Lindenius ita edidit : *adeo ut ſermo quoque frequens, motu oris temporum nervos lædat*. Quarum mutationum neutra placet.

2. *mentum*) Lindenius leg. *& mentum*.

3. *& medulla*) Alii leg. *ex medulla*. Cod. Mediceus I. habet, *ei medulla*. Sed cum Conſtantino & Lindenio legendum, *& medulla*.

4. *In utramvis partem*). Mſs. Codices & Editiones vetuſtiſſimæ 1478. 1493. 1497. 1524. *In utramque partem*. Sed legendum *utram-*

vel ſinus erit. Si ſuper [5] ſeptum id incidit, manus reſolvuntur, vomitus, aut diſtentio nervorum inſequitur [6], ſpiritus difficulter movetur, dolor urget, & aures obtuſæ ſunt. Si ſub ſepto, femina reſolvuntur, urina ſupprimitur, interdum etiam ſine voluntate prorumpit. Ex ejuſmodi caſibus, ut tardius, quam ex capitis, ſic tamen intra triduum homo moritur. Nam, quod Hippocrates dixit, vertebra in exteriorem partem prolapſa, pronum hominem collocandum eſſe, & extendendum, tum calce aliquem ſuper ipſum [7] debere conſiſtere [8], & id intus impellere [9]: in iis accipiendum eſt, quæ paulum exceſſerunt; non in iis, quæ totæ loco motæ ſunt [10]. Nonnumquam enim nervorum imbecillitas efficit, ut, quamvis non exciderit vertebra, paulum tamen in priorem partem promineat [11]. Id non jugulat: ſed ab interiore parte ne contingit quidem poſſe: ab exteriore ſi propulſum eſt [12], plerumque iterum redit; niſi,

utramvis, ex Conſtantino, & Lindenio; vel *utram*, quemadmodum cap. 3. hujus lib. *Vtro modo vero id circumductum eſt*. Quia vero Editiones plures cum Aldina habent, *Si in utramque partem*; idcirco Conſtantinus *ſi* in *ſed* mutato, in margine reſcripſit, *Sed in utramvis partem*; Lindenius edidit, *Si in utramvis partem*.

5. *ſinus erit. Si ſuper &c.*) Ita Lindenius. Alii leg. *ſinus oritur. Si ſuper &c.* ut eſt in Editione principe Florentina. Codex Mediceus I. habet, *ſinus donec ſi ſunt &c.* Codices Medicei ceteri, *ſinus donec vel ſi ſuper &c.*

6. *inſequitur*) Lindenius leg. *ſequitur*.

7. *ſuper ipſum*) In multis Mſs. legitur, *ſuper ipſum os*.

8. *conſiſtere*) Aliqui Codices habent *ſubſiſtere*; nonnulli *ſubſtinere*.

9. *& id intus impellere*) Veteres libri non habent particulam *&*: in Cod. Mediceo I. deeſt etiam *id*. Lindenius leg. *& intus impellere*. Alii *idque*, alii *eamque* reponendum putant. Locus Hippocratis, quem Celſus innuit, eſt in lib. de Artic. ſect. 23.

10. *totæ loco motæ ſunt*) In vulgatis legitur *toto*; ut eſt in Cod. Mediceo I. Ego repoſui *totæ*, ex Codicibus ceteris Mediceis. Pro *motæ* vero, aliqui leg. *mutatæ*, quemadmodum habent plerique Mſs. Mediceus I. habet *mota*; alii *mutæ*; ſed in VII. correctum eſt, *motæ*.

11. *in priorem partem promineat*) Ita omnes impreſſi libri. At Mſs. *aut in priorem partem promineat*. Hinc legendum credidérim; *aut in poſteriorem, aut in priorem partem promineat*: quo pacto his optime reſpondebunt, quæ ſtatim ſequuntur; *ab interiore parte ne contingit quidem poſſe: ab exteriore ſi propulſum eſt &c.* Conjectura noſtra confirmari poteſt etiam ex Hippocrate de Artic. ſect. 23. & 24.

12. *ab interiore parte ne contingit quidem poſſe: ab exteriore ſi propulſum eſt &c.*) In multis Mſs. deſunt hæc verba omnia, præter duo prima *ab interiore*. In aliquibus, pro *ne contingit quidem poſſe*, habetur, ut in Editionibus antiquis, *non contingit quidem poſſe*. Lindenius leg. *ab interiore parte non contingit quidem propelli. Ab exteriore ſi quid propulſum eſt &c.* Conſtantinus retinuit *poſſe*; ſed interpretatus eſt, excidere: marginique adſcripſit, *ſi quid propulſum*, quod poſtea Lindenius in contextum induxit. Ab eodem Conſtantino adnotatum eſt, aliquos legere maluiſſe, *redire poſſe*. Hi, ſi *redire* eumdem hic ſenſum habere exiſtimarunt quem habet ſtatim infra, errarunt ſine dubio cum Conſtantino in Celſi ſententia explicanda. Hoc enim Celſus ſignificat: quod in interiorem partem

niſi, quod admodum rarum eſt, vis nervis reſtituta eſt [13].

XV. Humerus autem modo in alam excidit, modo in partem priorem. Si in alam delapſus eſt, ei junctus cubitus [14] recedit ab latere; rurſum juxta [15] ejuſdem partis aurem cum humero porrigi non poteſt; longiuſque altero id brachium eſt. Si in priorem partem, ſummum quidem brachium extenditur, minus tamen, quam naturaliter; difficiliuſque in priorem partem, quam in poſteriorem cubitus porrigitur. Igitur, ſi in alam humerus excidit, & vel puerile adhuc eſt corpus, vel molle, certe imbecillibus nervis intentum eſt, ſatis eſt collocare id in ſedili; & ex duobus miniſtris alteri imperare, ut caput lati ſcapularum oſſis leniter reducat; alteri, ut brachium extendat: ipſum poſteriore parte reſidentem, humerum ſub ala ejus cogere [16], ſimulque & latum os [17], & altera ma-

tem prominet, compelli vix poteſt: (*quo enim pacto*, inquit Hippocrates l. c. *ab anteriore parte per ventrem impulſio fieri queat?*) quod autem prominet in exteriorem, etiam ſi compulſum ſit, iterum redit unde compulſum eſt, quia nervi infirmati continendi vim non habent.

13. *vis nervis reſtituta eſt*) ut repoſitam vertebram continere poſſint. Manifeſtum eſt ex præcedentibus, legendum eſſe, *reſtituta*: nec aliter habent libri veteres, tum Mſs. tum impreſſi. In Editione Lindenii eſt *deſtituta*: fortaſſe typothetæ errore; mendum tamen Almeloveenius non ſuſtulit.

14. *delapſus eſt, ei junctus cubitus &c.*) Cod. Mediceus I. ita habet: *delapſus & victus*. Itaque ſuſpicor, *&* eſſe pro *eſt*, *victus* pro *cubitus*: atque ex aliquo hujuſmodi Codice duas voces *& victus* ad Mediceos ceteros manaſſe, in quibus legitur ut in Editionibus antiquis; *delapſus eſt & victus cubitus*. Eodem enim modo paulo infra, cum Cod. Mediceus I. habeat; *At ſi vaſtius nervi coriuſve robuſtiores ſunt*, pro *At ſi vaſtius corpus, nervive robuſtiores ſunt*; in ceteris Codicibus eſt, *At ſi vaſtius corpus nervi coriuſve robuſtiores ſunt*. Conſtantinus ſcriptum invenit in Codice quodam, *ei vinctus*: unde *ei junctus* eliciuſſe videtur Foeſius ad Hippocratem de Artic. ſect. 8. quam lectionem Lindenius probavit. Nec ſane, ſi hæ voces non ſunt explodendæ, aliter legi poteſt.

15. *rurſum juxta &c.*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus. Lindenius leg. *ſurſumque ad &c.*

16. *humerum ſub ala ejus cogere*) Sic repoſuit Cæſarius, cum antea legeretur, quemadmodum mendoſe habent mei Codices; *renum ſub ala ejus coire*. Mihi tamen ipſa quoque Cæſarii lectio, quæ a multis probata fuit, parum arridet, cum aliis de cauſis, tum præſertim quia non explicatur, qua ratione cogendus humerus ſit. Lege igitur, dicet aliquis, *humerum genu ſub ala ejus cogere*; ut eſt in Ms. Conſtantini, & in Editione Lindenii. Ego quidem illorum librorum auctoritati, quæcumque ea ſit, quidquam detractum nolim; vix tamen puto, humerum, qui in alam exciderit, commode genu compelli poſſe. Hippocrates quidem de Artic. ſect. 1. & in Mochlico ſect. 5. genu, ſi opus ſit, uti medicum vult; non tamen ad caput humeri in ſuam ſedem (quod manus digitorum nodis, vel pugno fieri debet) ſed ad cubiti caput latus verſus impellendum.

17. *& latum os*) Hujus quoque lectionis, quam recentiores Editores omnes ſecuti ſunt, Cæſarius eſt auctor. Verum, non latum ſcapularum os, ſed humeri caput impellendum eſt. Codex Mediceus I. & Editiones vetuſtiores habent, *& ille os*; Codices alii, *& ille eos*: Codex Conſtantini, *& illo latum os*. Vix puto mendum hinc probabili conjectura tolli poſſe, niſi prius ex verbis antecedentibus ſit ſublatum;

manu brachium ejus ad latus impellere. At ſi vaſtius corpus, nervive robuſtiores ſunt, neceſſaria eſt ſpathula [18] lignea, quæ & craſſitudinem [19] duorum digitorum habet, & longitudine ab ala uſque ad digitos [20] pervenit: in qua ſumma capitulum eſt rotundum & leniter cavum, ut recipere particulam aliquam ex capite humeri poſſit. In ea [21] bina foramina tribus locis ſunt, inter ſe ſpatio diſtantibus; in quæ [22] lora mollia conjiciuntur. Eaque ſpatha, faſcia involuta, quo minus tactu lædat, ad alam a brachio dirigitur [23], ſic, ut caput ejus ſummæ alæ ſubjiciatur: deinde loris ſuis ad brachium deligatur; uno loco, paulum infra humeri caput; altero [24], paulum ſupra cubitum; tertio, ſupra manum: cui rei protinus intervalla tunc [25] quoque foraminum aptata ſunt. Sic brachium deligatum ſuper ſcalæ gallinariæ gradum trajicitur, ita alte [26], ut conſiſtere homo ipſe non poſſit; ſimulque in alteram partem corpus demittitur, in alteram brachium intenditur: eoque fit, ut capite ligni caput humeri impulſum in ſuam ſedem, modo cum ſono, modo ſine hoc compellatur. Multas alias eſſe rationes, ſcire facile eſt uno Hippocrate lecto; ſed non alia magis uſu comprobata eſt. At ſi in partem priorem humerus excidit [27], ſupinus homo collocandus eſt [28]; faſciaque, aut habena media ala circumdanda eſt [29], capitaque ejus poſt caput hominis miniſtro tradenda, brachium alteri; præcipiendumque, ut ille habenam, hic brachium

18. *ſpathula*) Ita habent Cod. Mediceus I. & antiquæ Editiones: Codices alii, *ſcala*: Conſtantinus ex conjectura, & Lindenius, *ſpatha*: fortaſſe rectius; quemadmodum infra legitur, *Eaque ſpatha &c.*

19. *quæ & craſſitudinem &c.*) Ita ex Lindenio. Alii cum Cæſario leg. *& quæ craſſitudinem &c.* ſed nonnulli omittunt *&*, quod eſt ante *longitudine*: nec aliter habent Codices Mſs.

20. *uſque ad digitos*) Alii omittunt *uſque*. Lindenianam tamen lectionem, quam ſecutus ſum, Cod. Mediceus I. confirmat.

21. *In ea*) Lindenius leg. *inque ea*.

22. *in quæ*) Alii leg. *inque ea*.

23. *ad alam a brachio dirigitur*) Codices antiquiores duo, Mediceus I. & III. itemque VI. *ad alam brachio dirigitur*.

24. *paulum infra humeri caput; altero*) Hæc verba deſunt in Cod. Mediceo I. in eodemque infra legitur, *citra manu* pro *ſupra manum*.

25. *intervalla tunc*) Ita in vulgatis libris. Mſs. habent al. *intervallatim*; al. *intervallatini*, vel *intervallativi*; Mediceus IV. *intervallum*. Palavicinus correxit, *intervalla tum*.

26. *ita alte*) Linden. *ita altæ*.

27. *excidit*) Lindenius leg. *incidit*; & ita eſt in Cod. Mediceo I. Alii tum editi, tum Mſs. Codices habent *excidit*; quemadmodum Celſus alibi eſt locutus.

28. *collocandus eſt*) In Edit. an. 1538. & in Lindeniana omittitur *eſt*.

29. *habena media ala circumdanda eſt*) Malim *alæ*, ut *habena media* ſit primo caſu. Quidam Mſs. non habent *ala*.

chium extendat: deinde medicus, caput quidem hominis [30] ſiniſtra debet repellere; dextra vero cubitum cum humero attollere, & os in ſuam ſedem compellere: faciliuſque id in hoc caſu, quam in priore revertitur. Repoſito humero, lana alæ ſubjicienda eſt; ſi in interiore parte os fuit, ut ei opponatur; ſi in priore, ut tamen commodius deligetur. Tum faſcia, primum ſub ala obvoluta, caput ejus debet comprehendere, deinde per pectus [31] ad alteram alam, ab eaque ad ſcapulas, rurſuſque ad ejuſdem humeri caput tendere, ſæpiuſque ad eamdem rationem [32] circumagi, donec bene id teneat. Vinctus hac ratione humerus commodius continetur, ſi adductus ad latus, ad id quoque faſcia deligatur [33].

XVI. In cubito autem tria coire oſſa, humeri & radii [34] & cubiti ipſius, ex iis, quæ prima parte hujus voluminis poſita ſunt, intelligi potuit. Si cubitus, qui annexus [35] humero eſt, ab hoc excidit, radius, qui adjunctus eſt, interdum trahitur [36], interdum ſubſiſtit. In omnes vero quatuor partes excidere cubitus poteſt: ſed, ſi in priorem prolapſus eſt, extentum brachium eſt, neque recurvatur: ſi in poſteriorem, brachium curvum eſt, neque extenditur, breviuſque altero eſt; interdum febrem, vomitumque bilis movet: ſi in exteriorem, interioremve, brachium porrectum eſt, ſed paulum in eam partem, a qua os receſſit, recurvatum [37]. Quidquid incidit, reponendi ratio una eſt; neque in cubito tantum, ſed in omnibus quoque membris longis, quæ per articulum longa teſta

 jun-

30. *caput quidem hominis*) Pro *hominis*, Conſtantinus putat reponendum eſſe *humeri*; neque id ratione caret.

31. *per pectus*) Mſs. Codices habent *perfectus*; quod Palavicinus in *profectus*, Conſtantinus in *profecta* mutavit. Sed quis non videt legendum eſſe *per pectus*, ut edidit Lindenius?

32. *ad eamdem rationem*) Cod. Mediceus I. habet *eadem ratione*.

33. *ſi adductus ad latus, ad id quoque faſcia deligatur*) Ita in pleriſque Mſs. & quidem recte. In Mediceo IV. *ſit* additum eſt alia manu, quod I. habeat, *ſi adductus ad latus ſit quoque &c.* Hinc antiquæ Editiones; *ſi adductus ad latus ſit, ad id quoque &c.* Lindenius leg. *ſi adductus ad latus ſit, & ad id quoque faſcia deligetur*.

34. *humeri & radii*) Cod. Mediceus I. habet *humeri radii*.

35. *annexus*) Al. *innexus*.

36. *trahitur*) h. e. ſimul excidit. Lindenius leg. *diſtrahitur*; ut habet in libri margine Conſtantinus, qui per Hippocratis διάστασιν explicat. Immo vero cum radius ſubſiſtit, διάστασις fit.

37. *recurvatum*) Lindenius leg. *recurvatur*, ut habent cum vetuſtiore Mediceo nonnulli ex Vaticanis Codicibus: quod magis probarem, ſi eſſet, quemadmodum paulo ſupra, pro *recurvari poteſt*. Sed brachium Celſus ſignificat in alterum latus inclinatum, ſimulque porrectum, ut complicari non poſſit.

junguntur [38]: utrumque membrum in diverſas partes extendere, donec ſpatium inter oſſa liberum ſit; tum id os, quod excidit, ab ea parte, in quam prolapſum eſt, in contrariam [39] impellere. Extendendi tamen alia atque alia genera ſunt, prout nervi valent [40], aut oſſa huc illucve ſe dederunt [41]. Ac modo manibus ſolis utendum eſt, modo quædam alia adhibenda. Ergo, ſi in priorem partem cubitus prolapſus eſt, extendi per duos manibus [42], interdum etiam habenis adjectis, ſatis eſt: deinde rotundum aliquid a lacerti parte ponendum eſt, & ſuper id repente cubitus ad humerum impellendus eſt. At in aliis caſibus commodiſſimum eſt eadem ratione brachium extendere, quæ fracto humero [43] ſupra poſita eſt, & tum oſſa reponere. Reliqua curatio eadem eſt, quæ in omnibus. Celerius tantum, & ſæpius [44] id reſolvendum eſt; multa magis aqua calida fovendum [45]; diutius [46] ex oleo & nitro ac ſale perfricandum. In cubito enim celerius, quam in ullo alio articulo, ſive extra remanſit, ſive intus revertit, callus circumdatur; iſque, ſi per quietem increvit, flexus illius poſtea prohibet.

XVII. Manus quoque in omnes quatuor partes prolabitur. Si in poſteriorem partem excidit, porrigi digiti non poſſunt: ſi in priorem, non inclinantur: ſi in alterutrum latus, manus in contrarium, id eſt, aut ad pollicem, aut ad minimum digitum con-

ver-

38. *membris longis, quæ per articulum longa teſta junguntur*) Ita Palavicinus & omnes vulgati libri. In Mſs. non extat *quæ*; ſed nulla ratione abeſſe poteſt. Verum ut hæc vox neceſſaria, ſic *longis* fortaſſe ſupervacua eſt, ex eaque ipſa corrupta.

39. *in contrariam*) Quidam leg. *in contrarium*; ſed minus recte, & contra Mſs.

40. *prout nervi valent*) Cod. Mediceus I. ita habet: *prout aut nervi valent*.

41. *huc illucve ſe dederunt*) Ita in Codice Conſtantini, & in Editione Lindenii. In Cod. Mediceo I. deeſt totum hoc: in Codicibus aliis & in Editionibus antiquis legitur; *huc illucve ſederunt*. Pro *ſederunt*, quidam arbitrantur reponendum eſſe *ceciderunt*.

42. *extendi per duos manibus*) Antea legebatur, *extendi per duas manus*. Ego ſic repoſui ex Cod. Mediceo vetuſtiore.

43. *humero*) Veteres Codices habent *cubito*. Lindenius repoſuit *humero*; ut correxerat Conſtantinus. Et ſane de cubito nihil hujuſmodi ſupra reperitur: de humero lege cap. 10. ſect. 2.

44. *Celerius tantum, & ſæpius*) Lindenius leg. *Celerius tantum ſæpiuſque*. Cod. Mediceus I. habet, *celerius tantum, eſt ſæpius*: Codices Medicei ceteri, *celerius tantum eſt et ſæpius*.

45. *multa magis aqua calida fovendum*) Vulgo legitur, *multoque magis &c.* quod eſt a Palavicino. Ex Mediceis Codicibus unus, id eſt VI. habet *multo*; ceteri *multa*, quemadmodum repoſui.

46. *diutius*) Lindenius leg. *& diutius*; ut eſt in margine Editionis Conſtantinianæ.

vertitur. Reponi[47] non difficillime poteſt. Super durum locum, & renitentem ex altera parte intendi manus, ex altera brachium debet, ſic, ut prona ſit, ſi in poſteriorem partem os excidit; ſupina, ſi in priorem; ſi in interiorem exterioremve, in latus. Vbi ſatis nervi diducti ſunt, ſi in alterutrum latus[48] procidit, manibus in contrarium repellendum eſt[49]. At iis, quæ in priorem poſterioremve partem prolapſa ſunt[50], ſuperimponendum durum aliquid, idque ſupra prominens os manu urgendum eſt; per quod vis adjecta facilius id in ſuam ſedem compellit[51].

XVIII. In palma quoque oſſa interdum ſuis ſedibus promoventur, modo in priorem partem, modo in poſteriorem: in latus enim moveri, paribus oſſibus oppoſitis, non poſſunt. Signum id ſolum eſt, quod omnium commune eſt: tumor ab ea parte, in quam os venit; ſinus ab ea, a qua receſſit. Sed ſine intentione, digito[52] tantummodo bene preſſum os in ſuam ſedem revertitur.

XIX. At in digitis totidem fere caſus, eademque ſigna ſunt, quæ in manibus. Sed in his extendendis non æque vi opus eſt; quod articuli breviores, & nervi minus validi ſint. Super menſam tantummodo intendi debent, qui vel in priorem vel in poſteriorem partem exciderunt; tum jam[53] palma compelli. At

 id,

47. *convertitur. Reponi &c.*) Lindenius leg. *convertitur, & reponi &c.* ſed minus recte. Idem infra, *Supra locum autem durum &c.*

48. *ſi in alterutrum latus*) Ita in antiquis Editionibus. In Mſs. *uſque in alterutrum latus:* ſed mendoſe. Lindenius leg. *ſi uſque in alterutrum latus.*

49. *procidit, manibus in contrarium repellendum eſt*) Ita in Cod. Mediceo I. & Lindenii Editione; niſi quod in Codice eſt *procedit*. Codices ceteri perperam habent: *procidit manibus quibus in contrarium repellendum eſt:* Editiones antiquæ, *procidit manus, brachium in contrarium repellendum eſt.*

50. *At iis, quæ in priorem poſterioremve partem prolapſa ſunt*) In Codice Vaticano II. & in VI. deeſt pronomen relativum *quæ*. In aliis Codicibus legitur; *Ab hiſque &c.* Mediceus I. ita habet: *At his quæ in prioremve partem lapſa T.*

51. *per quod vis adjecta facilius id in ſuam ſedem compellit*) Ita in Editione prima. In ceteris omnibus omittitur *id*, quemadmodum in Cod. Mediceo primo: ſed Lindenius leg. *per quod os vis adjecta facilius in ſuam ſedem compellit*. Alii Codices habent; *per quos vis adjecta facilius id in ſuam ſedem compellit.*

52. *ſine intentione, digito &c.*) Egnatius leg. *ſine intento digito &c.* quemadmodum mendoſe habetur in quibuſdam veteribus Mſs. Alii, Cæſario duce, *ſine intentione digitorum &c.* Sed contra omnes Mſs. & contra rationem.

53. *tum jam*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus: ſed fortaſſe mendoſe. Lindenius leg. *tumque.*

id, quod in latus elapſum eſt, digitis reſtitui [54].

XX. Cum de his dixerim [55], de iis quoque, quæ in cruribus ſunt, videri poſſum dixiſſe: ſiquidem etiam in hoc caſu [56] quædam ſimilitudo eſt femori & humero, tibiæ & cubito, pedi & manui. Quædam tamen ſeparatim quoque de his dicenda ſunt. Femur in omnes quatuor partes promovetur: ſæpiſſime in interiorem; deinde in exteriorem; raro admodum in priorem, aut poſteriorem. Si in interiorem partem prolapſum eſt, crus longius altero, & valgius [57] eſt: extra enim pes ultimus ſpectat. Si in exteriorem, brevius, varumque [58] fit, & pes intus inclinatur [59]; calx ingreſſu [60] terram non contingit, ſed planta ima; meliuſque id crus ſuperius corpus, quam in priore caſu, fert, minuſque baculo eget. Si in priorem, crus extenſum eſt, implicarique non poteſt [61]; alteri cruri ad calcem par eſt, ſed ima planta minus in prio-

54. *At id, quod in latus elapſum eſt, digitis reſtitui*) In latus quoque digitos excidere ſignificavit, cum dixit, totidem in iis caſus eſſe, quot ſunt in manibus; ut Morgagnus animadvertit. *Manus* enim *in omnes quatuor partes prolabitur*, ut eſt in cap. 17. Hinc quivis intelligere poteſt, perperam ſic mutatum eſſe a Lindenio: *ut ita in locum, unde lapſus eſt digitus, reſtituatur*. Depravatus aliquis Codex fortaſſe eum fefellit. Nam in Mediceo I. ita legitur: *atque ita in latuſve lapſum eſt digitis reſtitui*. Hæc verba in aliis Mſs. & in Editionibus antiquis omnia recte habent, præter primum: ſiquidem in Editionibus eſt *atque*; in Mſs. *ad*. Ego repoſui *At*, cum Morgagno.

55. *Cum de his dixerim*) id eſt de humero, cubito, manu, palma, digitis; ut explicat Morgagnus. Humero femur, cubito genu, manui talus reſpondet; itemque palmæ planta, digitis digiti: de quibus omnibus infra agit. Itaque minus recte Lindenius leg. *Cum de humeris dixerim*; nulloque, quod ſciam, veteri libro ſuffragante.

56. *etiam in hoc caſu*) Perperam Lindenius omittit particulam *etiam*, quæ eſt in omnibus Mſs. Reſpicit enim Celſus id, quod ſcripſit cap. 10. *Similes rurſus ex magna parte caſus curationeſque ſunt humeri & femoris*; quemadmodum Conſtantinus obſervat.

57. *valgius*) Ita edidit Lindenius. Codex Conſtantini habet *valgium*; unde & *valgius* & *valgum* legi poteſt. Codex Mediceus I. *varum*; ſed profecto mendoſe. Cum in Codicibus ceteris & in Editionibus antiquis ſit *vaſtius*; videtur reponendum *vatium*, quod idem ſignificat ac *valgum*, id eſt extrorſum inclinatum.

58. *varumque*) quod vatio contrarium eſt; ut colligitur ex Varrone lib. 2. R. R. cap. 9. Ita habetur & in Cod. Mediceo I. & in Editione Lindenii, & in margine Conſtantinianæ. Alii leg. *rarumque*.

59. *& pes intus inclinatur*) Ita Conſtantinus ex conjectura, & Lindenius. Ego malim, *pes intus inclinatur*, omiſſa particula *&*, quam neque proximum membrum habet. Nam particula iſta in Mſs. & antiquis Editionibus videtur mendoſe eſſe pro *pes*; cum ita in illis legatur: *et intus inclinatur*. Niſi forte tria hæc verba margini adſcripta, ad illa explicanda, *varumque fit*, poſtea in contextum immigrarunt.

60. *ingreſſu*) Ruellius, Conſtantinus, & Stephanus leg. *in greſſu*: & ſane fortaſſe rectius. Aliqui Codices mendoſe habent *ingreſſus*.

61. *crus extenſum eſt, implicarique non poteſt*) Ita in Mſs. & antiquis Editionibus. Lindenius leg. *crus plicari non poteſt, extenſumque alteri cruri &c.* ut Conſtantinus

priorem partem inclinatur: dolorque in hoc caſu præcipuus eſt, & maxime urina ſupprimitur. Vbi cum dolore inflammatio quievit, commode ingrediuntur, rectuſque eorum pes eſt. Si [62] in poſteriorem, extendi non poteſt crus, breviuſque eſt; ubi conſiſtit [63], calx quoque terram non contingit. Magnum autem femori periculum eſt, ne vel difficulter reponatur, vel repoſitum rurſus excidat. Quidam ſemper iterum excidere contendunt: ſed Hippocrates, & Diocles, & Philotimus, & Nileus, & Heraclides Tarentinus, clari admodum auctores, ex toto ſe reſtituiſſe memoriæ prodiderunt. Neque tot genera machinamentorum quoque, ad extendendum in hoc caſu femur, Hippocrates, Andreas, Nileus, Nymphodorus, Protarchus, Heraclides, faber quoque quidam [64] repeririſſent [65], ſi id fruſtra eſſet. Sed ut hæc falſa opinio eſt; ſic illud verum eſt [66]: cum ibi valentiſſimi nervi muſculique ſint, ſi

ſuum

nus margini adſcripſit ex conjectura. Ego nihil muto; ſed tamen legere malim, *complicarique*. Nam & infra habetur; *ſi complicari femur poteſt, intus eſt:* ubi qui legunt *plicari* (non deeſſe enim, qui ita reponendum putent ex Conſtantini adnotationibus cognoſcitur) ſine cauſa a Mſs. diſcedunt.

62. *rectuſque eorum pes eſt. Si &c.*) Ita locus hic reſtitutus legitur in Editione Lindenii. Hippocrates in Mochlico ſect. 11. *At quibus priorem in partem femur excidit ..... crus hi minime inflectunt, maxime vero extendunt, pes rectus eſt, crus æquale &c.* Sed Celſus fortaſſe alium Hippocratis locum reſpexit, qui eſt in lib. de Articulis ſect. 30. *Quibus igitur jam adultis, articulus hic elapſus reconditus non fuerit, ii, ubi dolor conquieverit, & articulus eo in loco, in quem excidit, verti aſſueverit, protinus fere erecti abſque baculo ingredi poſſunt ..... Interdumque pedem per terram trahunt, ut qui ſuperiores articulos non facile inflectant, & toto pede inambulent. Neque enim minus hi calce, quam anteriore pedis parte incedunt.* Porro Mſs. Celſi Codices & Editiones antiquæ ita habent: *totuſque eorum pes eſt. Sed et ſi &c.* Quæ verba quemadmodum ex illis Hippocratis verbis, *& toto pede inambulent*, corrigenda ſint; num forte, ſicut Conſtantino videbatur, *totuſque eorum pes etiam ſedet. Sed ſi &c.* majoribus Criticis judicandum relinquo. Ego quidem, ſi *ſedet*, id eſt terræ incumbit, probandum eſt, ita malim: *totuſque eorum pes ſedet. Si &c.* Fieri enim potuit, ut librarius eamdem ſyllabam geminarit, & mendoſe ſcripſerit *pes es*; unde verbum *eſt*. Et ſane in Cod. Mediceo V. habetur, non *pes eſt*, ſed *pes es*.

63. *conſiſtit*) Alii leg. *conſtitit*; atque ita eſt in Mſs. Ego tamen cum Lindenio ſecutus ſum Conſtantinum, qui correxit, *conſiſtit*.

64. *faber quoque quidam*) Tres hæ voces, quæ merito ſunt Morgagno, Cocchioque ſuſpectæ, in Cod. Mediceo IV. expunctæ ſunt. Itaque omittuntur & in Editione principe, & in duabus vetuſtiſſimis 1493. 1497. itemque in Juntina, utraque Cæſariana, Ruelliana, & Ronſſeana. Codex Mediceus I. ita habet: *quid qua vi:* unde Cocchius legendum putat, *aliique quidam*; expreſſumque a Celſo eſſe locum quemdam Heraclidis Tarentini, qui locus deſcriptus habetur a Galeno Comment. in Hippocrat. de Artic. lib. 4. ſect. 40.

65. *reperiſſent*) Mſs. Medicei omnes, præter primum, habent *repperiſſet*.

66. *verum eſt*) Lindenius omittit *eſt*.

ſuum robur habent, vix admittere [67]; ſi non habent, poſtea [68] non continere [69]. Tentandum igitur eſt, &, ſi tenerius [70] membrum eſt, ſatis eſt habenam alteram ab inguine, alteram a genu intendi: ſi validius, melius adducent, qui eaſdem habenas ad valida bacula [71] deligarint; cumque [72] eorum fuſtium imas partes oppoſitæ moræ objecerint, ſuperiores ad ſe utraque manu traxerint. Etiamnum valentius intenditur membrum ſuper ſcamnum, cui ab utraque parte axes ſunt, ad quos habenæ illæ deligantur: qui, ut in torcularibus, converſi, rumpere quoque, ſi quis perſeveraverit, non ſolum extendere, nervos & muſculos poſſunt. Collocandus autem homo ſuper id ſcamnum eſt, aut pronus, aut ſupinus, aut in latus, ſic, ut ſemper ea pars ſuperior ſit, in quam os prolapſum eſt; ea etiam inferior, a qua receſſit. Nervis extentis [73], ſi in priorem partem os venit, rotundum aliquid ſuper inguen ponendum; ſubitoque ſuper id genu adducendum eſt eodem modo, eademque de cauſa, qua idem in brachio fit; protinuſque, ſi complicari femur poteſt, intus eſt. In ceteris vero caſibus, ubi oſſa per vim paulum inter ſe receſſerunt [74], medicus debet id, quod eminet, retro cogere; miniſter contra coxam propellere [75]. Repoſito [76]

67. *vix admittere*) Verbum *admitto* eadem ratione uſurpatum eſt cap. 11. *id, quod expulſum eſt, difficulter admittunt*. Lindenius leg. *vix admittere, ut reponatur*; ſed ex gloſſemate aliquo.

68. *poſtea*) Idem Lindenius leg. *repoſitum*.

69. *non continere*) Ita correxit Cæſarius, cum antea legeretur, ut eſt in Mſs. *non contineri*.

70. *tenerius*) Cod. Mediceus I. habet *tenerum*.

71. *qui eaſdem habenas ad valida bacula*) In eodem Codice omittitur vox *habenas*, itaque legitur: *qui eaſdem ad acula valida*.

72. *cumque*) Ita in Mſs. Vulgo legitur, *tumque*: infra vero, *ſuperioreſque*.

73. *extentis*) Lindenius, & Cod. Mediceus I. *extenſis*.

74. *per vim paulum inter ſe receſſerunt*) Similiter cap. 10. ſect. 1. de oſſibus fractis humerorum, femorum &c. dixit: *neque in ſuum locum veniunt* (muſculi) *niſi illos per vim aliquis intendit*: & deinde, *Ubi vero paulo longius, quam naturaliter eſſe debet, membrum vis fecit &c.* Lindenius omittit duas voces *per vim*, fortaſſe quod abſint ab aliquo Ms. nam Mediceus I. eas non habet. Habent tamen Medicei ceteri, omneſque Vaticani.

75. *miniſter contra coxam propellere*) Antiquæ Editiones habent, *miniſter contra inde coxam propellere*; ut eſt in Cod. Mediceo I. Quam lectionem, proculdubio mendoſam, Conſtantinus ita corrigendam cenſuit: *miniſter contra ſanam coxam propellere*: quod Hippocrates de Artic. ſect. 37. fieri oportere docuit, ubi femur, in exteriorem partem prolapſum, reponitur. Sed nemo non videt, id minime ad rem facere, ſi in interiorem, vel in poſteriorem partem femur exciderit. Ego ſecutus ſum Lindenium, qui extruſit *inde*. Quamvis enim eadem fere ſententia ſit, ſi legatur, *miniſter contra idem coxam propellere*; quemadmodum habent aliqui Codices Mſs. tamen lectionem iſtam minus probo, quia vox *idem* fortaſſe eſt interpretis alicujus, qui *contra*, non adverbium eſſe, ſed præpoſitionem credidit.

ſito [76] oſſe, nihil novi aliud curatio requirit, quam ut diutius is in lecto detineatur; ne, ſi motum adhuc nervis laxioribus femur fuerit, rurſus erumpat.

XXI. Genu vero & in exteriorem, & in interiorem, & in poſteriorem partem excidere, notiſſimum eſt. In priorem non prolabi, plerique ſcripſerunt: poteſtque id vero [77] proximum eſſe, cum inde oppoſita [78] patella, ipſa quoque caput tibiæ contineat. Meges tamen eum, cui in priorem partem excidiſſet, a ſe curatum eſſe, memoriæ prodidit. In his caſibus intendi nervi rationibus iiſdem, quas in femore retuli, poſſunt. Et id quidem, quod in poſteriorem partem excidit, eodem modo rotundo aliquo ſuper poplitem impoſito, adductoque eo crure, reconditur. Cetera vero manibus ſimul dum oſſa in diverſas partes compelluntur [79].

XXII. Talus [80] in omnes partes prolabitur. Vbi in interiorem partem [81] excidit, ima [82] pars pedis in exteriorem partem convertitur. Vbi huic contrarius caſus [83], contrarium etiam ſignum eſt. At ſi [84] in priorem partem erumpit [85], a poſteriore latus nervus du-

76. *Repoſito*) Mſs. Codices & antiquæ Editiones habent *poſito*, pro *repoſito*, ut Conſtantinus & Lindenius correxerunt. Nimirum cum vox, quæ præcedit, finiretur per ſyllabam *re*, perque eamdem inchoaretur vox hæc, librarius ſyllabam iſtam ſemel tantum deſcripſit.

77. *poteſtque id vero*) Cod. Mediceus I. non habet *id*.

78. *inde oppoſita*) ab ea parte objecta: quo fere modo lib. 2. cap. 10. dixit; *inde objectis, quæ prohibeant*. Alii cum Cæſario leg. *idem oppoſita*; ſed perperam. Lindenius, *ibidem oppoſita*. Cod. Mediceus I. habet, *inde inpoſita*.

79. *Cetera vero manibus ſimul dum oſſa in diverſas partes compelluntur*) Ita in Mſs. niſi quod in Mediceo I. & aliis multis, pro *compelluntur*, legitur *compellentur*; in Vaticano VI. pro *dum oſſa*, *tum oſſa*, ut correxit Palavicinus. Vulgati libri omnes habent *tum oſſa*, & *compelluntur*. Depravatus hic locus ad hunc fere modum reſtituendus videtur: *Cetera vero manibus, cum oſſa in diverſas partes diducta ſunt, in ſuam ſedem compelluntur*. Celſi hanc eſſe ſententiam nemo dubitabit, qui & locum ipſum diligenter conſiderarit, & verba cap. proximi: *Reponitur autem is quoque per manus; prius in diverſa pede & crure diductis*. Huc enim cum referatur particula *quoque*, facile intelligitur, idem utrobique dici.

80. *Talus*) Lindenius addit *quidem*; ſed non recte.

81. *in interiorem partem*) Vox *partem* deeſt in Cod. Mediceo I.

82. *ima*) Codex modo allatus habet *in ima*; Codices alii *prima*.

83. *contrarius caſus*) Recte Lindenius repoſuit *caſus*, ut in veteri Codice ſcriptum vidit Conſtantinus. Mei Codices habent *talus*; quemadmodum olim legebatur.

84. *ſignum eſt. At ſi &c.*) Hic quoque ſecutus ſum Lindenium, qui ex verbo *extat*, quod eſt in antiquis Editionibus, & in noſtris Mſs. fecit *eſt. At*.

85. *erumpit*) Ita Mſs. & antiquæ Editiones. Lindenius leg. *prorumpit*; quod verbum Celſus infra adhibet.

durus & intentus [86] eſt; ſimuſque iis pes eſt. Si in poſteriorem, calx pene conditur, planta [87] major fit. Reponitur autem is quoque per manus; prius in diverſa pede & crure diductis. Et in hoc quoque caſu diutius in lectulo perſeverandum eſt; ne is talus, qui totum corpus ſuſtinet, parum confirmatis nervis, ferendo oneri cedat, rurſuſque prorumpat. Calceamentis quoque humilioribus primo tempore utendum; ne vinctura talum ipſum lædat.

XXIII. Plantæ oſſa [88] iiſdem modis, quibus in manibus, prodeunt; iiſdemque conduntur. Faſcia tantummodo calcem quoque debet comprehendere: ne, cum mediam plantam, imumque ejus vinciri neceſſe eſt [89], liber talus in medio relictus, materiam pleniorem recipiat, ideoque ſuppuret.

XXIV. In digitis nihil ultra fieri debet, quam quod in iis, qui ſunt in manu, poſitum eſt. Poteſt tamen conditus articulus medius [90], aut ſummus canaliculo aliquo contineri.

XXV. Hæc facienda ſunt in iis caſibus, ubi ſine vulnere oſſa exciderunt [91]. Hic quoque & ingens periculum eſt [92], & eo gravius [93], quo majus membrum eſt, quove validioribus nervis aut mu-

86. *intentus*) *inſanus* in antiquis Editionibus, & in Mſs. manifeſtum mendum eſt: itemque infra, *minuſque bis opus eſt*. Lindenius correxit *intentus*; &, *ſimuſque iis pes eſt*.

87. *planta*) Conſtantinus, cum *plana* ſcriptum reperiſſet in antiquo Codice, ſuſpicatus eſt legendum eſſe *planta*; atque ita edidit Lindenius. Alii leg. *plaga*, ut habent Codices Medicei.

88. *Plantæ oſſa*) Lindenius leg. *Plantarum vero oſſa*.

89. *neceſſe eſt*) Ego malim *neceſſe ſit*.

90. *Poteſt tamen conditus articulus medius &c.*) Ita in omnibus antiquis Editionibus, & in Mſs. Mediceis Vaticaniſque. Editio Lindenii habet hæc verba in fine capitis 20. Sed quia femoris oſſi, de quo reponendo ibi agitur, non conveniunt, ſuſpicatur Morgagnus, ea voluiſſe Lindenium capiti 19. adjungere; amanuenſium vero incuria in caput 20. conjecta eſſe. Porro animadvertit, aptiorem periodo huic illum ipſum locum videri, ubi de articulis digitorum, qui ſunt in manu, condendis ſermo eſt; tum quod hi, cum longiores ſint iis, qui in pede ſunt, crebriuſque moveantur, canaliculo iſto magis indigent; tum etiam, quod medium articulum, qui hic nominatur, ſinguli quidem manus digiti, utpote ex tribus oſſibus conſtantes, habent; non item ſinguli digiti pedis, quorum aliqui ex duobus tantum oſſibus conſtant.

91. *oſſa exciderunt*) Nullus omnino vetus liber, quem ego quidem viderim, habet verba illa, quæ Lindenius addit; *ſæpe tamen cum vulnere loco moventur*. Manifeſtum tamen eſt membrum iſtud, vel ſimile aliud deeſſe.

92. *Hic quoque & ingens periculum eſt*) quemadmodum ubi *oſſis fracturæ carnis quoque vulnus acceſſit*. Lege cap. 10. ſect. 7. hujus libri; quo referenda eſt particula *quoque*, quam habent omnes veteres libri. Lindenius leg. *Hic vero &c.*

93. *gravius*) Ita in vulgatis libris. In Mſs. *curvius*; ſed in margine Medicei IV. alia manu adnotatum eſt, *gravius forſan*.

muſculis continetur. Ideoque in humeris [94], femoribuſque, metus mortis eſt: ac, ſi repoſita oſſa ſunt, ſpes nulla eſt; non repoſitis tamen, nonnullum periculum eſt: eoque major in utroque timor eſt, quo propius vulnus articulo eſt. Hippocrates [95] nihil tuto reponi poſſe, præter digitos, & plantas, & manus, dixit: atque in his quoque diligenter eſſe agendum, ne præcipitarent [96]. Quidam brachia quoque & crura repoſuerunt; &, ne cancri, diſtentioneſque nervorum orirentur; ſub quibus in ejuſmodi caſu fieri ſolet mors matura; ſanguinem ex brachio miſerunt. Verum ne digitus quidem; in quo minimum, ut malum, ſic etiam periculum eſt; reponi debet aut in inflammatione [97], aut poſtea, cum jam vetus res eſt. Si quoque repoſito oſſe nervi diſtenduntur [98], rurſus id protinus expellendum eſt. Omne autem membrum, quod cum vulnere loco motum, neque repoſitum eſt, ſic jacere convenit, ut maxime cubantem juvat; tantum ne moveatur, neve dependeat. In omnique [99] tali morbo magnum ex longa fame præſidium eſt: deinde ex curatione eadem, quæ propoſita eſt ubi oſſibus fractis [1] vulnus acceſſit. Si nudum os eminet, impedimento ſemper

 ſu-

94. *in humeris*) Olim legebatur *humeris*. Lindenius repoſuit *ab humeris*: ego *in humeris*; quia in Cod. Mediceo I. ſcriptum eſt *numerus*.

95. *Hippocrates*) Lindenius leg. *Nam Hippocrates*.

96. *ne præcipitarent*) Ita Editiones antiquæ, & omnes Mſs. id eſt ne digiti &c. præcipitarent ægros. Lindenius leg. *ne præcipitarentur ægri*.

97. *aut in inflammatione &c.*) In Editionibus antiquis & in multis Mſs. legitur, *ante inflammationem*; quod ferendum non eſt. Itaque Conſtantinus particulam *niſi* præmittendam cenſebat. Sed ſic ſententiæ ex parte tantum conſulitur: ſequitur enim, oſſa reponenda eſſe, cum jam vetus res eſt; quod Celſus minime vult. Nam quod Hippocrates dixit in Mochl. ſect. 16. ſi primo vel ſecundo die repoſita oſſa non fuerint, circa decimum reponenda eſſe; id non ita intelligendum eſt, quaſi exſpectandum ſit, donec res inveteraverit; ſed ita potius, ut reponi non debeant manente inflammatione, quæ ſeptimo demum die, vel nono recedit. Legendum igitur, *aut in inflammatione &c.* ut edidit Lindenius: cum præſertim Codices Medicei I. & VII. itemque Vaticani II. & VII. habeant, *aut inflammationem*.

98. *Si quoque repoſito oſſe nervi diſtenduntur*) h. e. ſi quocumque &c. Codices Mſs. mendoſe habent, *Sic quoque &c.* Vocem *quoque* Cæſarius transfert poſt *repoſito*; fortaſſe quod particulam eſſe, non pronomen, crediderit. Sed iſtam quidem particulam ſententia non fert; ut ea, quæ præcedunt, conſideranti facile erit ad intelligendum. Quare nec Lindenius ſequendus, qui ita edidit: *Si quoque, repoſito oſſe, nervi diſtenduntur*.

99. *In omnique*) Lindenius leg. *In omni*, ut habet Editio an. 1538.

1. *quæ propoſita eſt ubi oſſibus fractis &c.*) ſcilicet cap. 10. ſect. 7. Lindenius Celſi ſententiam, quam non eſt aſſecutus, prava interpunctione corrupit. Ita enim edidit: *quæ propoſita eſt. Ubi oſſibus fractis vulnus acceſſit, ſi nudum os eminet &c.*

futurum eſt: ideo [2], quod excedit, abſcindendum eſt; imponendaque ſuper arida linamenta ſunt, & medicamenta non pinguia; donec, quæ ſola eſſe [3] in ejuſmodi re ſanitas poteſt, veniat. Nam & debilitas ſequitur, & tenuis cicatrix inducitur; quæ neceſſe eſt facile noxæ poſtea pateat.

2. *futurum eſt: ideo &c.*) Mſs. & Editiones veteres habent *id*; ſed, ut veriſimile eſt, mendoſe, pro *ideo*, quod Lindenius repoſuit.

3. *quæ ſola eſſe*) Lindenius leg. *ſaltem*, pro *ſola*, quod habent omnes cum antiquæ Editiones, tum Mſs.

EPISTOLÆ ALIQVOT
IN
A. CORNELIVM CELSVM.

CAJETANO COGNOLATO

IN SEMINARIO PATAVINO STUDIORUM PRÆFECTO

LEONARDUS TARGA S. D.

NUnc demum animadverti, & particulam *vel* in his Celſi verbis *qui vel melle* &c. lib. 5. cap. 23. ſect. 1. & pronomen *id* in illis *ut id ita fieri poſſit*, cap. 26. ſect. 35. ejuſdem lib. deeſſe in Editionibus ann. 1493. 1497. 1524. ac neque Cæſarium illius vocis, neque hujus omittendæ Egnatium auctorem fuiſſe. Quare ſi quæ ego ad loca illa adnotavi, nondum ſunt impreſſa, cura ut, pro *Quidam cum Cæſario omittunt VEL*, reponatur, *Alii omittunt VEL*, *ſecuti Editionem an.* 1493. &, pro *Ita in Mſs. Mediceis & in Editionibus antiquioribus. Egnatius & Cæſarius ID expulerunt: quos ceteri Editores ſecuti ſunt*, reſcribatur, *Ita in Mſs. Mediceis & in Editione prima. Editio an.* 1493. *omittit ID; quam alii omnes ſecuti ſunt*. At ea quæ ſcripſi ad hæc verba lib. 2. cap. 8. *ubi urina quædam araneis ſimilia ſubſidentia oſtendit*, jamque excuſa ſunt; etiam ſi in integro res mihi eſſet, tamen non edi nollem; quamvis Joſephus Scaliger interpretatione ſua omnem ab hoc loco mendi ſuſpicionem removere tentaverit. De hoc ideo volui te certiorem facere, ne, ſi quid forte de interpretatione iſta audieris, clariſſimi viri adnotationem meos fugiſſe oculos putes. Vidi, ſed non probavi. Novum, inquies, in litteris hominem tanto critico repugnare? Tu igitur pro tua ſumma Latinæ linguæ peritia, atque eruditione, de re tota judicabis. Quod ut rectius facere poſſis, Scaligerianæ adnotationis exemplum ad te mitto. Vale. Pridie Kal. Novembr. MDCCLXVII. Verona.

ſubſidentia) *i. e.* ſuperſidentia, *quia eſt* ἐπίστασις ἀραχνώδης. Subices *dicuntur nubes*, *& Virgilius Eclog. x. v.* 74.

Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.

i. e.

i. e. ſe attollit. *Item* ſubjectare *eſt ſurſum jactare. Virgilius Æn. lib. XII.*

aut corpora ſaltu

Subjectant.

Non mirum igitur, ſi ſubſidentia *hic pro* ſuperſidentiis *&* ἀντὶ τῆς ἐπιςάσιος *ſumit.* Scaliger.

LEONARDO TARGÆ M. D.

CAJETANUS COGNOLATO S.

QUod nunc demum de Cæſario & Egnatio obſervaſti, & in duabus illis adnotationibus emendandum eſſe ſcripſiſti, id ſerius accidit, quam oportebat. Jam enim Typographus proceſſit, ac librum quintum abſolvit. Neque ſane moleſtum hoc tibi eſſe debet: levia enim ſunt illa, nec quidquam laudis tuo labori, ſummæque diligentiæ detrahunt. Quin immo magna in hoc ipſo laus eſt, quinque illos priores libros novo ſtudio obſervaſſe, tibique neque alia, neque graviora corrigenda occurriſſe. Nam illud etiam, quod de Scaligero ſcribis, bene eſt; quod ejus ſcilicet interpretationem prætermiſeris, ac tacitus improbaveris. Ac ne de hoc ipſo diutius dubites, rem totam, ut ipſe poſtulas, explanabo. Celſus igitur lib. 2. cap. 8. hæc habet: *Si quis etiam in eo morbo* (de tabe autem loquitur) *diutius traxit, ubi capilli fluunt; ubi urina quædam araneis ſimilia ſubſidentia oſtendit, atque in his odor fœdus eſt; maximeque ubi poſt hæc orta dejectio eſt, protinus moritur:* ita ſcilicet hunc locum ipſe legis, ita edendum eſſe cenſuiſti. Male omnino Joſephus Scaliger vocem illam *ſubſidentia* a communi ſignificatione detorquet, explicatque *ſuperſidentia. Subices*, inquit, *dicuntur nubes*: at quod cœlo, quod Deorum pedibus ſubjiciantur. Gellius ad fin. cap. 17. lib. 4. N. A. *Ennius*, inquit, *in tragœdia, quæ Achilles inſcribitur, Subices pro aere alto ponit, qui cœlo ſubjectus eſt, in his verſibus:*

Ergo deum ſublimes ſubices, humidus

Un-

Vnde oritur imber, ſonitu ſævo, & ſpiritu.

Feſtus vero in Fragmento de Verborum Significatione ita legit & explicat hunc Ennii locum: *Subices Ennius in Achille pro ſubjectis poſuit cum dixit:*

Nubes per ego deum ſubices humidas,
Vnde oritur imber, ſonitu ſævo ſpiritu.

Vides nullam eſſe in hujus vocis explicatione inſolentiam: at eam fortaſſe Scaliger ab ipſa nubium altitudine repetendam putavit; in quo quidem potuit non errare; at dum ſimili exemplo *ſubſidentia* pro iis, quæ ſupernatant, explicuit, neque verborum ipſorum poteſtatem, neque latinam conſuetudinem attendit. Eſt enim *ſubjicere* ſurſum jacere, *gettare di ſotto in ſu*, *alzare*; at nihil ſimile in eo verbo *ſubſido*, ſive *ſubſideo*. Hinc illa, quæ ipſe affert ex Virgil. Ecl. x. v. 74.

Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus;

& illa etiam Æneid. xii. v. 287.

aut corpora ſaltu
Subjiciunt in equos;

ſic enim optimi habent vulgati libri, & ipſe Virgilianus Codex Mediceus, qui nuper Romæ præclara forma, magnoque ſumptu eſt editus. Ita Livius lib. 31. cap. 37. ad fin. (ex recens. Drakemborkii) *Pavidum regem in equum ſubjecit*. Quod ſi ſuum illud *ſubjectant* Scaliger velit, ob ipſam vim verbi *jacto*, eandem habebimus ſignificationem, quam ipſe antea Italice reddidi. Prompta hæc omnia & aperta: at illud ſane difficilius, quod ex ipſa ratione Scaliger ſumit; ea ſcilicet, quæ urina araneis ſimilia habet ſupra eſſe; *ſubſidentia*, inquit, *i. e. ſuperſidentia*, *quia eſt* ἐπίστασις ἀραχνώδης. Hanc ego rem Hippocratis primum auctoritate, tum ipſis Medicorum obſervationibus explicabo. Sæpe apud Hippocratem ὑποστάσιες τῶν οὔρων, ὑπόστημα τῶν οὔρων; at ego allatum Celſi locum reſpiciens, ea tantum afferam, in quibus id quod in urina ſubſidit araneis ſimile dicitur; ac tabem ingraveſcentem, viſcerum diſſolutionem, proximamque mortem ſignificat. In libro igitur Prænotionum Sect. 2. pag. 40. apud Foeſium de urinis quædam habet Hippocrates, atque hæc etiam: τὰς λιπαρότητας δὲ

τὰς

τὰς ἄνω ὑφισαμένας ἀραχνοειδέας μέμφεσθαι· συντήξιος γὰρ σημεῖα. quæ verba ita Foeſius latine reddit: *Quin etiam pinguedines ſupra innatantes* (Lindenius *ſuperne inſtantes*) *araneorum telas referentes damnare oportet; colliquationem namque ſignificant*: in ſuis autem adnotationibus (adnot. 35.) vocem ὑφισαμένας eſſe illam quidem in vulgatis quibuſdam libris fatetur, at in aliis, iiſque melioribus, legi ἐφισαμένας; hoc eſſe apud Galenum, hoc ſibi probari. Quare cum utraque vox in antiquis Codicibus fuerit, is fortaſſe, quo uſus Celſus eſt, habebat ὑφισαμένας, potuitque latinus Hippocrates ſcribere *ſubſidentia*, vulgaremque notionem huic verbo tribuere. At conjecturis minime eſt opus. Nam in Coacis Prænotionibus n. 582. apud eundem Foeſium ita legimus: τὸ δὲ πτυαλώδεας ἔχον ὑποςάσιας οὖρον, ἢ ἰλυώδεας, ῥῖγεος δηλωτικόν. τὸ δὲ ἀραχνιῶδες, συντήξιος. Foeſius vero latine: *quæ vero* (ſcilicet urina) *ſputo ſimilia habet ſedimenta, aut limoſa rigorem denuntiat; quæ araneorum telis ſimilia quædam habet, colliquationem*. In duobus hiſce caſibus urinæ ὑποςάσιας intelligit Hippocrates; idque ipſe Lindenius agnovit, & aptiore latina interpretatione ſignificavit: *quæ ſputo ſimiles ſubſidentias, aut limoſas habet, rigorem indicat. quæ aranei telis ſimiles* (ſcilicet ſubſidentias) *colliquationem*. Vox igitur *ſubſidentia* a Celſo adhibita (uti Medicei ac Vaticani Codices teſtantur) ad urinæ ὑποςάσιας refertur, eamque habet ſignificationem, quæ communis eſt, quæque illi alio in loco ab eodem Celſo tribuitur; nempe cap. 5. ejuſdem libri ſecundi, ubi hæc certiſſime legimus: *item, ſi urina modo liquida & pura eſt, modo habet quædam ſubſidentia*. Tandem, ut id afferam quod præcipuum eſt, pinguiores iſtæ urinæ partes, quæ tabe ingraveſcente apparent, non jam ob ipſam tenuitatem, ſed ob eam, quam referunt figuram araneis ſimiles dicuntur; neque ſupra innatant, at ſubſidunt. Sæpe etiam hæc veluti aranea inter ea, quæ in fundo vaſis reſtiterunt, ipſamque extimam urinæ ſuperficiem conſpiciuntur, eumque locum obtinent qui ipſorum gravitati reſpondet; itaque poſita recte adhuc dicuntur *ſubſidere*. Atque hoc quidem a Medicis obſervatum illud etiam me docuit, quomodo duæ illæ voces ἄνω ὑφισαμένας in allato Hippocraticarum Prænotionum loco

opti-

optime poſſent cohærere. Nihil eſt quod Scaliger quærat amplius. Habes, Leonarde humaniſſime, verboſam & inſuavem epiſtolam; at qui veteres Codices jamdudum tractas, qui veterum Scriptorum loca ſæpe colligis, confers, componis, illuſtras, his jam aſſueviſti. De iis, quæ alias ſcripſi, te rurſus moneo. Da operam, ut noſtram fidem citiſſime liberemus. Quamquam, commota adhuc valetudine, minime tibi properandum exiſtimo: *Non ignara mali*; noſti jam cætera. Nunquam ego neque tibi, neque Celſo deero. Gratulor interim omnium primus egregiam laudem, quod laboranti Celſo medicas manus adhibueris. Vale.

Patavio. Idib. Novemb. MDCCLXVII.

LEONARDUS TARGA
JOSEPHO TORELLO S. D.

EXplica mihi, amabo te, locum Celſi infra deſcriptum; aut ſaltem vide, num ego recte intellexerim. Nam Conſtantinus certe non recte; quod & Morgagnus noſter eſt ſuſpicatus Epiſt. V. pag. 128. Locus eſt in lib. 7. cap. 26. ſect. 2. *In quam* (veſicæ cervicem), *ſi oblongus* (calculus) *eſt*, *ſic compellendus eſt*, *ut pronus exeat*; *ſi planus*, *ſic*, *ut tranſverſus ſit*; *ſi quadratus*, *ut duobus angulis ſedeat*; *ſi altera parte plenior*, *ſic*, *ut prius ea*, *qua tenuior ſit*, *evadat*. Ita in antiquis legitur & mſs. & vulgatis libris: atque hæc verba *ut duobus angulis ſedeat*, ſic interpretatur Conſtantinus: *Sedet binis angulis*, *immo quaternis*, *cum per totam planam ſuperficiem jacet*, *nec in latus procumbens carinatur*. Ego vero, ut primum de lectione dicam, vitiatos Codices omnes exiſtimo; ac tum *ſedeat*, tum *ſit* aliena eſſe & inſititia; verbaque *exeat* & *evadat* totam periodum regere. Quod ad ſenſum attinet, contrarium plane intelligo atque Conſtantinus. Habes paucis ſententiam meam, quam a te probari cupio, & poſſe etiam confido. Et quia tui conveniendi poteſtas mihi, propter

maximas occupationes, multis diebus non erit, pergratum facies, ſi, quamprimum poteris, per litteras reſpondebis. Vale.

JOSEPHUS TORELLUS
LEONARDO TARGÆ S. D.

EGo ne, mi Leonarde, ſi quid in Celſo ſubobſcurum eſt, explicare audeam? præſertim tibi, qui longo illum triviſti uſu, atque in tuum prope ſuccum & ſanguinem convertiſti. Bene igitur habet, quod de re explorata quæris, tuamque potius ſententiam aperis quam exquiris meam; hoc opinor conſilio, ut eam firmius teneas, ſi mihi placuiſſe cognoveris. Ita enim a natura comparati ſumus, ut ea ipſa, quæ dubia nobis non ſunt, certiora ducamus, cum aliis quoque, qui minime blandiri ſolent, probari videmus. Vtcunque ſit, de Celſi loco, quem mihi affers ex libri VII. capite XXVI., ubi de curatione agitur calculoſis adhibenda, ita ſentio, illum te, cum paullo corruptior ſit, ita uti fieri debet, emendare, deque vera ejuſdem ſententia recte conjicere. Neque enim aliud ſibi vult Scriptor diligentiſſimus, quam docere quomodo calculus in veſicæ cervicem compellendus ſit, ut inde minore negotio extrahatur. Cum vero non una eademque ſit calculorum omnium figura, de quadrato præcipit, ita illuc eſſe compellendum, *ut duobus angulis exeat*. Quod cujuſmodi ſit haud ſane pronum eſt intelligere. Mihi hoc videtur ſignificari, calculum, quem diximus, contra plagam, quæ mox in veſicæ cervice facienda eſt, conſtituendum eſſe ſecundum lineam, quæ proxima duo ejuſdem calculi latera dirimit. Tunc vero ille figuram quandam referre videtur ex duobus quaſi cuneis conſtantem, communem habentibus baſim, contrarioque modo inter ſe invicem poſitis. Ita fiet ut ſi anterior cuneus medici manu in vulnus adigatur, hujus oræ ad illius uſque baſim magis magiſque diducantur; cumque eo ventum ſit, ſuccedente poſteriore cuneo, eædem rurſus committantur & coeant. Quoniam vero hi duo

cu-

cunei, qua parte ſimul junguntur, duos angulos utrinque efficiunt, quos per vulnus tranſmitti neceſſe eſt, facile apparet quid ſit apud Celſum *duobus angulis exire*. Quare nemo ſatis miretur Conſtantinum, qui optime, ſi quis alius, videre potuit quinam eſſet horum verborum ſenſus; quippe indicat; tamen illum rejicere, aliumque ſequi, qui a vero longiſſime abhorret. Nec enim vult cunei, quem diximus, aciem in vulnus adigi, ſed potius ejuſdem latus; quod ſane qui fieri poſſit, quin veſicæ cervix rumpatur, ne ſatis quidem intelligo. Niſi forte dicere volumus verbum *ſedeat*, quod in Codicibus omnibus legitur tum manuſcriptis, tum editis, viro docto obfuiſſe ad intelligendum; cum inſuper animadverteret vulnus priore illo modo latius aliquanto fieri, quam hoc poſtremo. Verum & verbum *ſedeat* inſititium eſt, ut ipſe mones, aut in *exeat* mutandum; & parum refert quam magnum ſibi iter calculus faciat, modo rite faciat; ideſt ſenſim pedetentimque, atque ita ut vulneris oræ ne lædantur. Itaque calculum altera parte pleniorem ita vult Celſus in veſicæ cervicem compelli, *ut prius ea, qua tenuior ſit, evadat*. Hæc habui, mi Leonarde, quæ tuæ epiſtolæ breviter, & quantum potui perſpicue reſponderem; quæ ſi tibi, ut ſpero, probabuntur, erit cur mihi gratuler, quod in re ſi non valde difficili, certe non mea, aliquid viderim. Cave igitur ad tua hæc ſtudia ſæpius nos revoces, ne dum eadem retracto, ipſe quoque, quaſi aliud agens, medicus fiam, & in tuam poſſeſſionem furtim irrumpam. Vale. Ex bibliotheca domeſtica IV. Non. Jul. MDCCLXVII.

LEONADUS TARGA

JACOBO FACCIOLATO S. P. D.

A Clariſſimo medicinæ profeſſore Joanne Bona, qui hiſce diebus Veronæ fuit, magno cum dolore cognovi, te ſuperiori menſe torminibus graviter laboraſſe: quibus liberatum te nunc, ut ille affirmavit, recte valere gaudeo lætorque. Velint Superi

 hanc

hanc lætitiam mihi eſſe diuturnam; teque litteris nobiſque, quicumque eas colimus, longo tempore ſervent incolumem. Interea ſpero te non ſolum tibi, verum, ut conſueviſti, etiam aliis valere; ac ſtudiis metuis & poſſe jam, &, qui tuus in me eſt amor, libenter velle. Peto igitur a te, ut plane aperteque ad me ſcribas, quid tibi videatur de verbis *adigo* & *adjicio*, quæ jaciendi ſignificatione ab idoneis Scriptoribus promiſcue uſurpata, Critici plerique omnes putant. Tu quidem, cum *adjicietur* alii legerent in loco illo Celſi lib. 7. cap. 27. qui ita a Lindenio Almeloveenioque editus eſt: *idemque humor clyſtere intus adigetur*; merito dubitaſſe videris, num *adjicere intus* Latine diceretur. Attamen in animadverſione quadam in Lexicon Danetii hanc ſignificationem verbo *adjicio* tribuis auctore Cæſare lib. 2. B. G. cap. 21. & lib. 4. cap. 23. Quid ſi Cæſaris auctoritas duobus his locis incerta eſt? Loca, inquies, alia inveniemus fidei non dubiæ. Vide tamen quid præſtare poſſis. Nam quod attinet ad locum primum; *Non longius hoſtes aberant, quam quo telum adjici poſſet*; noſti ex Oudendorpio, ut aliter atque aliter legatur in manuſcriptis, nec deſint Codices in quibus ſit *adigi*. Altero autem loco; *Ut ex locis ſuperioribus in litus telum adjici poſſet*; multi Codices & quidem meliores exhibent *adigi*; idque ex eorum fide magis probat Oudendorpius ipſe, qui *adjici* primo loco probaverat. Eadem varietas occurrit tum lib. 2. B. C. cap. 34. *Prius, quam telum adjici poſſet, aut noſtri propius accederent*; tum lib. 3. B. G. cap. 13. *Neque propter altitudinem facile telum adjiciebatur*. Jam cur hæc duo verba fere varient in veteribus libris, cauſam viri docti aperuerunt; quod ſcilicet *ADICERE* per ſimplex *I* ſcriberetur, & *C* ac *G* inter ſe facile commutarentur. Quæ cum ita ſint, quis, vel in ſummo Codicum conſenſu, incerta illa non exiſtimet? *Ut neque ex inferiore loco ſatis commode tela adjici poſſent*, lib. 3. B. G. cap. 14. *Brachiis perfectis, promotiſque uſque eo, quo telum ex oppido adjici non poſſet*, de B. Afric. cap. 56. *Tantum aberat a noſtro caſtello, ut telum tormentumve miſſum adigi non poſſet*, lib. 3. B. C. cap. 51. & *Tantumque a vallo ejus prima acies aberat, uti ne in eam telum tormentumve adigi poſſet*, cap. 56. Quis porro

adi-

adigetur legere non malit in allato Celſi loco, quamvis in Codice Mediceo omnium vetuſtiſſimo ſit *adicietur?* Nam in pleriſque aliis mendoſe eſt *adietur*. Sed quo magis ſuſpicere *adicietur* ex *adigetur* eſſe corruptum, ecce tibi ex ſeptem Codicibus Mediceis ſex habent *adicienda* lib. 8. cap. 5. ubi cum legeretur, *in longitudinem implicata linamenta, & molli pellicula cincta circumſutaque intus adjicienda ſunt*, Lindenius repoſuit *injicienda*, quemadmodum Conſtantino placuerat. Vnus omnino Codex, ille ſcilicet pervetuſtus, habet *adigenda*; quem ego hic ſequendum puto. Verum in utroque Celſi loco *adigere* non aliud eſt quam *impellere*, Italice *ſpingere*, *cacciare*: apud Cæſarem vero id verbum jaciendi ſignificationem habet, Ital. *lanciare*. Quidni? inquit Oudendorpius. Quemadmodum *telum* & *agere*, & *jacere* Latine dicitur; ſic & *adigere*, & *adjicere*. Ego vero ex Facciolato quæro, *adjicere*, an *adigere* ipſe libentius dixerit, an utrumque pariter. Si utrumque probas, nihil eſt quod de Codicum incoſtantia laboremus: ſi alterutrum diſplicet, poterit illud, Codicibus non invitis, inter dubia cenſeri. Exſpecto tuas litteras. Vale.

JACOBUS FACCIOLATUS

LEONARDO TARGÆ S. P. D.

QUid de re tantula, mi Targa, tantopere laboras? Recte animadvertiſti, controverſias omnes de verbis *adigo*, & *adjicio* promiſcue uſurpatis ex duarum litterarum ſimilitudine C, & G ortas eſſe. Pro certo habendum, verbum *adigo* ex *ad*, & *ago* compoſitum eſſe, *adjicio* ex *ad*, & *jacio*, neutrum autem a ſuarum partium ſignificatione diſcedere. Codices Mſs. variant. Quidni? Scilicet ab hominibus ſcripti ſunt, & quidem ab hominibus fere mercede conductis. Vide, quid ſenſa poſcant. Vbi de re agitur, quæ majorem quandam vim motumque requirit, retinendum eſt *adigo*, motus iners requirit *adjicio*. Ceterum loca multa ſunt, in quibus utrumque ferri poteſt, præ-

ſer-

ſertim ſi reputes, pronunciationem quoque ipſam litterarum C, & G non valde abſimilem apud veteres Romanos fuiſſe. De mea valetudine recte noſter Bona, niſi pedes mihi ante menſes duos torpere cœpiſſent, caputque ipſum ſurditate quadam laboraret. Caremus febri, & amicis etiam ſcripto reſpondemus, ſed breviter, & ſatis ſpurce, ut vides. Vale.

LEONARDUS TARGA

JOANNI BAPTISTÆ MORGAGNO S. P. D.

QUo magis Celſianæ emendationis opus ad finem perducere feſtinamus, eo plures majoreſque difficultates offendimus, quæ nos longius, quam ſperabamus, morantur. Nam ceteris quidem in libris multa erant expedita: at in primo libri octavi capite mihi tertio fere quoque verſu hærendum eſt. Præter tot illa a te jam notata loca vel mendi ſuſpicione laborantia, vel manifeſte corrupta, alia occurrunt, quorum non minus dubia eſt fides. Ex pluribus duo tantum tibi proponam. Alter eſt de coronoide maxillæ proceſſu, qui jugale os ſubire dicitur, & *ſuper id* temporum muſculis illigari. Atqui jugale os proceſſus ille non fere ſuperat. Fortaſſe igitur, quoniam in pervetuſto Mediceo Codice non extat particula *ſuper*, ſed tantummodo *id*, legendum *ibi*. Niſi forte *id* quoque adventitium eſt. Locus alter, ad jugulum pertinens, ita legitur in omnibus antiquis libris tum editis, tum mſs. *Id ipſum recurvum, ac neque inter duriſſima oſſa numerandum* &c. Sed particulæ illæ duæ *ac neque* ita ſtare poſſe non videntur. Paavvius *neque* extrudendum cenſet; *quod*, inquit, *dura ſolidaque ſit clavicularum ſubſtantia*. Attamen inter laxa (χαῦνα) oſſa jugulum repoſitum fuit ab Hippocrate de Artic. ſect. 12. *Jugulum vero, ut & reliqua oſſa, quæ laxa ſunt, prompte coaleſcit*. Lindenius Paavvium ſequitur. Ego ab utroque diſſentio, & aliquid deeſſe ſuſpicor. Id cujuſmodi ſit, divinare non auſim: verumtamen ut cauſa non fuit, cur aliquis *neque* huc intru-

truderet, ſic facile fieri potuit, ut, cum duo eſſent inciſa, quæ utraque per eamdem particulam *neque* inchoarentur hoc modo: *ac neque .... neque inter duriſſima oſſa numerandum*; librarius prius omiſerit. Ita lib. 7. cap. 23. ex verbis illis *curari res neque manu, neque medicamento poteſt*, hæc *neque manu* in Codice Mediceo ſupra allato deſiderantur. Si vero non prætermittendo aliquid, ſed addendo librarius peccavit, ego quidem conjunctionem *ac* inconſulto addidiſſe exiſtimaverim. Omnino hæc verba *neque inter duriſſima oſſa numerandum* videntur recte habere. In hac enim lectione & ab Hippocrate, cui libenter adſtipulari ſolet, minus recedit noſter Cornelius, & ratio cum eo facit. Nam jugulum, quamvis durum, non eſt tamen, opinor, cum humero femoreque duritie comparandum. Vides me in tua provincia verſari: itaque certum auxilium a te peto, id eſt ut ad me ſcribas, quid de duobus his locis ipſe ſentias. Neque tamen ſum adeo imprudens, ut tibi homini occupatiſſimo nimium oneris imponere audeam. Abunde mihi erit ſatisfactum, ſi, quæ tu me ſcire oportere exiſtimabis, ſummatim perſcribes. Verum de hoc ut voles. Illud te oro, ut me, quemadmodum facis, amare pergas; ſi te in parentis loco haberi, atque omni pietate coli intelligis. Vale. Veronæ Nonis Juniis CIƆIƆCCLXVI.

JOANNES BAPTISTA MORGAGNUS

LEONARDO TARGÆ S. P. D.

UTinam, mi Leonarde, aliter ac ſcribis, res ſe haberet, neque caput præſertim iſtud quod primum eſt in Cornelii noſtri libro octavo, incuteret attentis emendatoribus adeo crebram tum vitiati loci ſuſpicionem, tum ita vitiati, ut & numero deterriti, ex ſuis dubitationibus plures omittere, & difficultate haud raro victi veræ excogitandæ emendationis, probabilem, ut primum videtur, ſed de qua vel ipſi mox dubitent, conjecturam proferre interdum cogantur. Hæc eo libentius dico, quod in me po-

potius cadere, quam in alios, non modo ſentio, ſed veri amore percitus, ultro etiam fateor, qui Celſi hic illic emendandi curam ſemel, atque iterum olim ſuſcepi, ut ſimul Vulpio meo ſatisfacerem, ſimul alios excitarem, qui multo eſſent ad id aptiores cum ingenio, & doctrina, quod facile eſt, tum copia antiquorum Codicum, quæ nec omnibus eſt, nec ubique. Cujus voti me factum per te compotem eo demum tempore intellexi, quo tua te valetudo huc paulisper ſecedere coegit, mecumque colloqui. Equidem jam ante hos viginti annos, qua eſſes ingenii præſtantia, & qua diligentia noveram, cum ab nobiliſſimo Cive tuo mihi commendatus, vix uno, aut altero anno hic in optimis ſtudiis exacto, eam, priuſquam huc domo redires, ad me epiſtolam dediſti, qua lecta, nihil poſtea miratus ſum, quod apud tuos in ægrorum curatione verſatus, alias, atque alias, conſulendi cauſa, miſeris ita ſcriptas, ut quæ feceras, & quæ mox facere in animo habebas, non magis probare jure ac merito deberem, quam doctrinam, & eruditionem ſuſpicere. Sed poſtquam in ultimis illis colloquiis certiorem me feciſti, te cum vetuſta Celſi exemplaria Romæ, & Florentiæ, tum vetuſtiſſimum omnium Mediceum annis ſuperioribus verſaſſe, attentiſſimeque non alienis, at tuis ipſis oculis perlegiſſe, & quæ adnotanda viderentur, cuncta adnotaſſe, & in nova, quam parares, Celſi editione cum omnibus eſſe communicaturum; tunc vero quanto me gaudio affeceris, cognoſcere potuiſti, præſertim cum certa quædam exempla, quæ ego, ut fit in colloquiis, a te petebam, referres, & quomodo aut ſcripta inveniſſes, aut ex primæ ſcripturæ veſtigiis reſcribenda ſagaciter cenſeres. Quod igitur etiam alia ſubinde per litteras addideris, & duo inſuper nunc mittas; potius miſſa reor, ut me ante alios cumulares novo gaudio, quam ut exquireres ſententiam hominis tot jam annos aſſiduis longe alia ſcribendi, docendique occupationibus a verborum Celſi examine prorſus avocati. Certe enim de locis duobus nunc quæris, de quorum a te propoſita emendatione dubitare vix poſſis. Nam quod acutus maxillæ inferioris proceſſus alte adeo aſcendat, ſub oſſe jugali ſubiens, ut *ſuper id* temporum muſculis illigetur, quiſnam, Anato-

tomes non ignarus, malit ſic legere, poſtquam non *ſuper id* in antiquiſſimo illo Mediceo Codice extare, cognoverit, ſed *id* tantummodo; quæ ſi vocula ipſa pariter (quæ altera hic tua conjectura eſt) adventitia ſit, eoque tollenda; illico planiſſima ſententia exiſtat, & quæ nullam mendi ſuſpicionem relinquat. Cum tamen de iſta emendatione ipſe dubites; aliunde ac ex Anatome, petitam cauſam ſubeſſe, ſuſpicor: qua de re infra videbimus. Jam vero quod ad ſecundum, nempe de clavicula, attinet locum; aut ipſe plurimum fallor, aut quicumque eſt in librorum veterum qui calamo ſcripti ſunt, emendatione exercitatus, ut ſuſpicionem probabit tuam de iis quæ facile ibi potuerit librarius tranſilire; ſic tecum procul dubio eſſe retinendam cenſebit particulam iſtam *neque*: cujus expungendæ (quod a pluribus factum nollem) contra librorum omnium fidem, qui ad initia uſque ſuperioris ſæculi extabant, quis auctor fuerit, & cur nec ei ſit, nec ejus imitatoribus aſſentiendum, præclare doces. Aliud enim eſſet jugulum dicere non eſſe os durum, aliud eſt *neque inter oſſa duriſſima numerandum*. Hoc autem Celſus ait; non illud. Et certe ut poterat extremas juguli partes eadem fortaſſe ratione qua proximi humeri capita, molles dicere; non poterat tamen medium quoque jugulum inter mollia oſſa recenſere. Itaque ne forte æque durum, ac humerum medium eſſe docet, crederemus; ſcite admonuit, non eſſe inter duriſſima oſſa numerandum. Huc autem Celſum ſpectaſſe, & tu vides, recte anatomicas claviculæ meliores deſcriptiones ſecutus. Inſuper feciſſe, addis, ut ab Hippocraticis dogmatibus, quæ præ cæteris ſectari ſolebat, quanto minus poterat, ibi recederet. Quam rationem ſi magis ego attendiſſem; nunc cujuſdam meæ in Celſo emendando conjecturæ non pœniteret. Ea quæ ſit conjectura, volebam tibi exponere, & ſimul quod ſupra pollicitus ſum, his litteris præſtare. Sed quando hæ jam ſatis ſunt longæ, ne æquo longiores fiant, utrumque proximis litterulis expectabis, & me interea, ut facis, amabis. Valetudinem tuam, mi Leonarde, cura diligenter: quo gratius mihi facere nihil potes.

Patavii IV. Idus Jun. CIƆIƆCCLVI.

JOANNES BAPTISTA MORGAGNVS

LEONARDO TARGÆ S. P. D.

IGnoſces, mi Targa, homini aliis atque aliis occupationibus jugiter diſtento, & graviſſimæ ætatis incommodis nonnunquam impedito, ſi tandem poſt tam longum tempus tam longam epiſtolam mittit, quaſi ſatis ſpatii non habuiſſet, ut ſcribenda, ad te præſertim, & de hujuſmodi argumento, contraheret in pauciora. Huc enim res tota redit, ut tibi, facile aſſenſuro, comprobem, in Celſi libris germanæ ſcripturæ reſtituendis, præter cætera opus eſſe attendere, quem ſæpius Auctorem ſequi conſueviſſet; hunc autem Hippocratem fuiſſe, inter omnes conſtat. Cujus utinam mihi tunc etiam veniſſet in mentem, cum inferiorem maxillam os *molle* dici a Cornelio noſtro miratus, conjecturam, quam modo nollem, propoſui, ſperans videlicet, in vetuſtiore aliquo Codice pro *molle* fortaſſe *mobile* repertum iri. Sed dubitare poſtea cœpi ex quo animadverti, patellam quoque, & humeri capita oſſa *mollia* a Celſo dici. Spe autem omnino excidi, cum te nullo in exemplari audivi *mobile*, in cunctis vero *molle* os maxillæ ſcriptum vidiſſe. Tunc denique cujus exemplo, atque auctoritate, & quid intelligens Celſus id ſcripſiſſet, ſuſpicatus, Hippocratem in manus ſumpſi, ab eoque traditum legi, fractam maxillam cito conſervere *quemadmodum etiam alia oſſa rara*, idque eodem in libro *de Articulis*, in quo cum fractam quoque claviculam, *itemque alia oſſa laxa* cito coaleſcere, legamus; recte conjiciebas, Celſum ideo negaſſe, claviculam inter duriſſima oſſa numerandam, ut minus recederet ab Hippocratis auctoritate. Optandum ſane eſſet, ne ab Hippocrate longe adeo diſceſſiſſet, ut os pectoris *durum* eſſe, traderet, quando in eo libro qui inſcribitur *Mochlicus*, *laxum* eſſe, olim docuerat, & vere docuerat Hippocrates. Certe enim cum recens virilis cadaveris ſternum qua parte videbatur craſſius, ſimulque haud procul a mento inferiorem maxil-

xillam, itemque patellam ſcalpro diſcidiſſem; nullum ex hiſce oſſibus fuit, quod intus ex oſſeis non conſtaret lamellis, cellulas, cancelloſve efformantibus non ſecus ac in extremis oblongorum oſſium partibus videmus. Et erant quidem in patella cellulæ ut minores, ita confertiores; cortex autem oſſeus in maxilla craſſior, in patella, ſternoque tenuior; ut proclive eſſet intelligere, quæ *rara*, aut *laxa* Hippocrates vocaſſet oſſa, eadem, ſi ſternum excipias, *mollia* a Celſo ob eam celluloſam ſtructuram eſſe dicta, *durorum* appellatione iis ſervata, quæ, ut medius humerus, mediumque femur, ſub craſſiſſimo pariete plenum medulla tubum, cellularum loco, habent. Noviſſime autem propter ea quæ ab utroque de clavicula ſcripta memoraveras, cum hujus quoque oſſis, ex viro, pariter ac ille prior, conſiſtentis ætatis, ſumpti, ſtructuram vellem attentius recognoſcere; ſic vidi. Capita quidem multo pauciores continebant cellulas, quam expectarem, & clavicula reliqua tubum habebat ab uno capite ad alterum pertinentem, quem medulla implere videbatur, & paries cingebat oſſeus, nec ſane tenuis. Attamen & hic paries, ſi cum proximi humeri pariete conferres, partem vix tertiam craſſitudinis alicubi æquabat, & tubus quantus quantus erat, non continuato, ut paſſim in humero videmus, complebatur medullæ corpore, ſed ubique interciſo adeo crebris & inter ſe implicitis lamellis, fibriſve oſſeis, ut viam per eas ſi immiſſo ſtylo quæreres, expeditam nuſquam invenires, & propter hunc ſaltem ſtructuræ modum cenſeres, potuiſſe claviculam ab Hippocrate inter dura oſſa non reponi, a Cornelio autem noſtro vel meliori jure inter duriſſima non admitti. Cur hæc tibi, mi Leonarde, volui commemorare? Nimirum ut altero huc addito Hippocratis loco experiar, an forte præſtare id valeam quod promiſeram litteris ſuperioribus. Locus eſt in eodem quem ſupra ſemel, iterumque laudavi libro *de Articulis*, quo loco affirmat Hippocrates, acutum maxillæ inferioris proceſſum, quem *cornicem* vocat, *ſupra jugale os excedere*, contra atque priore epiſtola videbar ſentire. Scilicet Anatomen dumtaxat ſpectando, fore, ajebam, ut Facultatis hujus Cultores mallent, ubi apud Celſum de eodem maxillæ proceſſu hæc legimus *ſub oſſe jugali ſubit*, & *ſuper id tempo-*

rum muſculis illigatur, verba illa *ſuper id* prorſus tolli, quando in vetuſtiſſimo Mediceo Codice ex parte jam deſunt. Sic enim omnis auferretur mendoſæ ſuſpicio ſcripturæ, ſi quod verum poſtularet, attenderemus. Quid erat igitur, cur de ejuſmodi emendatione ipſe tamen dubitares? Num fallor putans ob locum Hippocratis, quem modo producebam? Ab eo quidem Auctore ſupra vidimus nonnunquam Celſum receſſiſſe. Sæpius tamen atque adeo plerunque ſecutum eſſe, conſtat: idque, ſi vera fateri volumus, eo quoque loco videtur feciſſe, quo de agitur. Nam & acutum maxillæ inferioris proceſſum *longius procedere*, ſcripſit, & *jugalis* oſſis vocabulo non idem quod nunc ſolent, os deſignavit, ideſt orbitam ab latere exteriori efficiens, ſed, ut Hippocrates, ejus tantummodo proceſſum oſſis, qui *tranſverſus* inde ad poſteriora tendens, jugi ſimilitudinem referre jam incipit. Hujus autem jugi, non oſſis a quo venit, altitudinem ab acuto *maxillæ* proceſſu in ſimia præſertim ſuperari, in nonnullis oſſium hujus beſtiæ quam Veteres potiſſimum diſſecabant, imaginibus vidiſſe memini; σκελετὸν enim quem olim parare inſtitueram, canis improba, necdum rite colligatis oſſibus, omnino peſſumdedit. Huc ſi Codicum cæterorum addas conſenſum, in quorum nullo, ſicut in illo, quamvis antiquiſſimo, uno tamen, iſtam, quæ caſu potius fugiſſe ibi librarium videtur, particulam *ſuper* prætermiſſam vidiſti; continuo intelligetur, cauſam tibi non defuiſſe cur dubitares, aliudque eſſe ſcripturam quæ planius cum vero nunc conveniret, aliud quæ priſci Auctoris germana fuerit, conſtituere. Sed tu hæc melius. Interea fac, certius ſciam, quod ſummopere cupio, te minus, minuſque in dies incommoda uti valetudine, & me redamantem, mi Targa, ama.

Patavii Pridie Idus Sextiles CIϽIϽCCLXVI.

VIRO SUMMO
JOANNI BAPTISTÆ MORGAGNO
JOSEPHVS TORELLVS S. P. D.

PRoximis diebus cum Celſum evolverem, quo ego auctore ob ſingularem latini ſermonis puritatem & elegantiam mirum in modum delector, forte incidi in libri octavi caput undeviceſimum, quod eſt de digitis luxatis, ubi hæc leguntur: *ſuper menſam tantummodo* digiti *intendi debent*, *qui vel in priorem*, *vel in poſteriorem partem exciderunt*, *tum jam palma compelli*. Quibus poſtremis in verbis cum hæc duo *tum jam* mihi paulo durius conjungi viderentur, ſtatim Lindenianam editionem conſului, cupiens nimirum cognoſcere num ipſa, quæ omnium fertur emendatiſſima, aliter haberet. Ego enim utebar Aldina, quam an. MDXXVIII. Venetiis procuravit Joannes Baptiſta Egnatius, quacum cæteræ omnes conſentiunt. Ibi vero *tum jam* in *tumque* mutatum inveni. Satis quidem apte, niſi Codices omnes, quos Romæ, & Florentiæ Targa meus, vel potius noſter, conſuluit, repugnarent, qui miro conſenſu vulgatam lectionem tuentur. Quid ergo agendum? Sequemurne antiquos codices? At id latinæ aures vix permittunt. Anne potius Lindenianam editionem? Hujus vero auctoritas tanta non eſt, ut unam tot codicibus præponamus; in hoc præſertim capite, ut tu præ cæteris optime noſti. Audendum in loco eſt. Quid ſi, pro *tum jam*, legamus *tum in eam?* ut hoc Celſus docere voluerit, digitos, de quibus dixit, ſuper menſam tantummodo intendi debere, tum in eam, ideſt CONTRA EAM, palma compelli. Ita enim fiet, ut illi in ſuam ſedem reſtituantur. Certe ſententia perſpicua eſt, locoque apta; ſimilitudo autem tanta inter *iam* & *in eam*, quod fortaſſe etiam in Codd. Mſs. ſcriptum erat hoc modo, *ĩeam*, ut facile librarius errare potuerit. Noſti hominum genus, quam ſit incurioſum, & quam ſæpe in longe clarioribus cæcutiat. Habes conjecturam ſane

pro-

probabilem, nec fortaſſe aſpernandam, ſi de re eſſet non adeo levi. Ideo tecum communicare volui, cui nihil eſt leve, quod ad Celſi tui emendationem pertineat; ſimul ſperans fore ut, ipſe quid ſentias, libere, ut ſoles, candideque perſcribas. Hoc tam mihi erit gratum, quam quod gratiſſimum. Vale tibi tuoque ſæculo, quod præclaris ingenii tui monumentis illuſtrare perges. Veronæ III. Idus Jul. MDCCLXVIII.

VIRO CLARISSIMO
JOSEPHO TORELLO
JOANNES BAPTISTA MORGAGNVS S.P.D.

QVod de loco iſto Cornelii Celſi ita ſentias, ut ad me ſcribis, tuum, Vir eruditiſſime, non minus in Criticis, quam in Poeticis, & Mathematicis ſtudiis ſagax, ingenium perſpicio: quod vero ſcire aveas de eodem loco ipſe quid ſentiam, tuam erga me ſingularem benevolentiam agnoſco. Duæ illæ particulæ *tum jam* conjungi, inquis, paulo durius videntur, quam a Celſo eſſe poſſe credamus. Sunt autem duæ illæ ipſæ, eumdemque in modum conjunctæ particulæ ad Lindenium uſque ſervatæ ſummo conſenſu in Celſi libris, qui calamo extant, typiſve deſcripti. Nihilo tamen minus, ut tot aliis in locis, & merito quidem, Criticis non obſtitit ejuſmodi conſenſus, quominus mutandum aliquid cogitarent, ſic neque hoc in loco obſtare debet. Nempe vera dicis, eoque ab nemine horum ſtudiorum non imperito facile neganda. Illud ſequebatur, ut de Lindenii mutatione judicium ferres. Non injuria tuliſti. Scilicet ab antiquiſſima illa ſcriptura *jam* nimis diſtat particula, quam ſubſtituit, *que*, pro *tum jam* reſcribens *tumque*. Longe propiorem ipſe excogitaſti emendationem *tum in eam*, videlicet *menſam*. Sic enim Celſi locum conjicis eſſe legendum. *Super menſam tantummodo* digiti *intendi debent*, *qui vel in priorem*, *vel in poſteriorem partem exciderunt*, *tum in eam palma compelli*. Vnum fortaſſe moroſus aliquis in con-

je-

jeſtura tua deſiderare poſſet, ideſt, ut verbum *menſam* propius abeſſet, quam *partem* ab duobus iſtis *in eam*, minime attendens digitos, non in eam, in quam exciderint, partem, ſed in diverſam omnino eſſe compellendos. Moroſus vero alter (ſæpius enim, ut noſti, in difficiles, quam in faciles incidimus homines) qui tum id ipſum, quod modo dicebam, attenderit, tum Celſum meminerit in iſtis, quæ de oſſibus ſuo loco motis conſcripſit capitibus, cum ejuſcemodi uſus eſt loquendi forma, compellenda præcepiſſe non in durum, & renitens, ut menſa eſt, ſed in id, quod excipiat, & in ſe compulſa admittat, nimirum in ſuam ſedem, aut in diverſam partem; hic igitur alter moroſus, ne prorſus taceat, fieri poteſt ut inquirendum amplius in ſcriptis Codicibus, aiat, an veſtigia forte ſuperſint aliqua vetuſtioris alterius ſcripturæ, exempli cauſa *in aliam*, oppoſitam videlicet partem, quod poſtremum verbum, ut diximus, & propius eſt, & Celſo non inſolitum, cum os compellere in hanc aut in illam partem imperaret. Certe autem dicere interea poterit, vocis hujus *aliam* plus quam dimidium in particula illa *iam* libros & ſcriptos, & impreſſos retinere. Verum de ejuſmodi veſtigiis, atque adeo de quibuſcumque Celſi locis non ex homine quærendum eſt, qui olim tantummodo, velut ego, ſic ſatis fuerit in ejus leſtione verſatus; ſed ex noſtro potiſſimum Targa, quem meis verbis ſalvere jube. Vale, & Celſum, cujus illuſtrationem juvare cœpiſti, non dico magis quam Archimedem, aut Plautum, & Virgilium, at non ſecus ac cæteros idoneos latinos Scriptores amare, atque ornare perge.

Datum Patavio XIV. Kal. Sextiles CIↃIↃCCLXVIII.

LEO-

LEONARDVS TARGA

LECTORI.

VAriantes lectiones quæ hic tibi exhibentur, ex Codice ſunt Ms. quem a MAXIMILIANO JOSEPHO Bavariæ Duce, atque Electore, optimo Principe & demerendis hominibus nato, mihi, cum hanc pararem editionem, impetraverat Vir Ornatiſſimus Joſephus Liber Baro de Abaco; ſed non ante accepi, quam ipſa multum proceſſiſſet editio. Deſcriptus is fuit ſæculo XV. ex aliquo Poggii, Codice, ut hæc verba oſtendunt, quæ idem habet in fine; *Liber Poggii Secretarii Apoſtolici explicit*; fereque cum ſex Mediceis conſentit, eodem ſæculo ſcriptis. Itaque iis omnibus quæ ex Codicibus illis jam typis edideram, omiſſis, ne eadem bis proferrentur, ex reliquis præcipua excerpſi, unde adnotationes noſtræ ſuppleri poſſent, ſimulque appareret iſtius quoque Codicis rationem a nobis eſſe habitam. Vale.

Pag.	lin.	
1.	14.	*Ex quo apparet has partes*) Ex hoc apparet has artes
3.	3.	*diducta*) diviſa
22.	12.	*in tepidario ſedere*) in tepida reſedere
30.	7.	*Per autumnum vero, propter*) Per autumnum propter
40.	1.	*modo nervorum diſtentionem, modo rigorem*) nervorum modo diſtentionem, modo rigorem
	13.	*abortu*) aborſu
	19.	*Vbi vero calor*) Vbi calor
48.	14.	*rubeſcunt*) rubent
	15.	*in iis*) his
50.	5.	*peſtiferus*) peſtifer
74.	11.	*Incidenda*) Incidenda autem
89.	20.	*colla*) pectora colla
93.	7.	*et mel quidem*) mel et quidem
103.	12.	*et experiri*) experirique
	20.	*ſed in iis quoque*) ſed in his etiam
110.	13.	*Hi erant*) In his erat
116.	12.	*urgebit*) urget
123.	5.	*præſentiſſimum*) preſtantiſſimum
146.	18.	*coſtum*) coſtus
148.	21.	*adjiciendum & exercitationibus & cibis*) addiciendum et exercitationibus eſt et cibis
	23.	*per ſtomachum*) propter ſtomachum
149.	8.	*lienem*) ſplenem
151.	21.	*tantum*) tantummodo
154.	13.	*denis diebus*) decem diebus
155.	9.	*meliuſculus*) melior
	16.	*uſque ad mortis diem*) uſque mortis diem
157.	27.	*Quod ad medicum vero pertinet*) Quod ad medicum pertinet
159.	11.	*lienis*) ſplenis

162.

Pag. lin.

162. 7. *aceto & oleo admiſtum*) cum aceto & oleo mixtum

163. 1. *bis die*) bis in die

17. *balnea*) balneum

164. 1. *utendum eſt*) opus eſt

169. 7. *in ipſo ſinu*) ipſo ſinu

170. 26. *explicitum*) explicatum

172. 8. *tonderi*) tondere

183. 2. *Præter hæc*) Preterea

185. 7. *cibus interdum mollis*) interdum lenis cibus

ut malva, ut urtica) ut malva, urtica

189. 2. *deinde*) Poſtea deinde

202. 4. *die*) in die

211. 16. *ſed vomere etiam. Ex toto*) ſed vomere ex toto

25. *quam frigidiſſimam*) frigidiſſimam

233. 14. *ſatiuſque*) ſatiſque

237. 8. *p. 𐆖. IV.*) p. 𐆖. III.

249. 6. *p. 𐆖. XXV.*) p. 𐆖. XXVI.

258. 7. *p. 𐆖. IIII. =.*) p. 𐆖. IIII. IIII. Z.

262. 5. *p. 𐆖. =.*) p. 𐆖. I.

264. 18. *dictami*) dictamni

265. 1. *p. 𐆖. I.*) p. 𐆖. I. quod facit ſcripl. II.

5. *pondo ſextantes*) pondo ſextantes quod facit ſcripl. II.

9. *p. 𐆖. I. =.*) p. 𐆖. II.

266. 17. *Servari*) Sanari

22. *ulla parte*) aliqua ulla parte

267. 5. *meliora*) mitiora

288. 3. *cucurbitula admovenda*) cucurbitula apponenda

291. 19. *ex aceto*) cum aceto

322. 6. *omnia genera maxime oriuntur*) omnia maxime oriuntur

323. 18. *ſanabile ſit, an non ſit, experimento* ſanabile ſit., experimento

Pag. lin.

325. 2. *auxilia*) auxilium

19. *repurgare*) purgare

327. 22. *leviter ungendum*) leniter inungendum

329. 14. *de nigro*) ex nigro

365. 2. *p. 𐆖. II.*) p. 𐆖. V.

383. 18. *ſurgentia*) urguentia (*alia manu* turguentia)

401. 2. *Accedit vero aliquid difficultati*) Accedit aliquid difficultati

407. 8. *tantum ut primis*) Tamen in primis

409. 6. *vehementiuſque, ſi jam carie vexatum eſt*) vehementiuſque ſi iam caries eſt.

426. 16. *ſubrubicundi coloris*) rubicundi coloris

443. 9. *curatur*) cubat

444. 5. *pro vi corporis quam longiſſima*) prout corporis qualitas longiſſima

468. 18. *adhiberi medicinam*) adhiberi medicamina

470. 28. *ſuper*) & ſuper

476. 4. *cute, capillum gignente*) cute capillorum

484. 7. *recta quinque oſſa*) quinque oſſa

20. *femina oriuntur*) femora ordiuntur

490. 15. *ſuſpendendaque magis ſiniſtra manus eſt, & ſæpius*) ſuſpendendaque magis: & ſepius

502. 11. *inter ſe ſeta deligandi*) inter ſeſe deligandi

521. 6. *dictum ſit*) dictum eſt

522. 6. *adoleſcentulis*) in adoleſcentulis

527. 9. *eſt corpus, vel molle, certe imbecillibus*) id corpus vel molle certe & imbecillis

A D D E N D A

A T Q V E E M E N D A N D A.

Pag. 6. lin. 22. „ ideo ne ſuccurrere quidem „ Lege: „ ita ne ſuccurrere quidem „

Pag. 18. lin. 26. „ ſed natura, ratione ætatis & corporis „ Adde adnotationem hanc:

„ *ſed natura, ratione ætatis & corporis*) i. e. ſed natura, pro ætate & corpore; Ital. *ma di ſua natura, ſecondo l' età ed il corpo*. Ita legitur in vulgatis libris & in Cod. Mediceo I. Codices Medicei ceteri non habent vocem *natura*. „

Pag. 21. adnot. 99. „ Infra in Mſs....... *ſi qui* in *is qui* &c. „ Reſcribendum: „ Infra in Mſs. legitur; *aut ſi multo plus quam ſolet etiam ſi qui* &c. Editores veteres omiſerunt particulam *ſi*, quæ eſt poſt *aut*; Ruellius mutavit præterea *ſi qui* in *is qui* &c. „

Pag. 27. adnot. 31. „ Itaque fide Codicis „ Lege: „ Itaque ex fide Codicis „

Pag. 28. lin. 3. „ Refrigerant in jejuno „ Lege: „ Refrigerat in jejuno „

Pag. ead. adnot. 33. „ At duæ voces „ Lege: „ At duas voces „

Pag. ead. adnot. 36. „ Aldina Editio „ Adde: „ cum vetuſtioribus, prima excepta „

Pag. 40. adnot. 91. „ verum in Mſs. „ Lege: „ verum etiam in Mſs. „

Pag. 47. adnot. 27. „ *ſubrubra & livida* „ Lege: „ *ſubrubra aut livida* „

Pag. 72. adnot. 66. „ Legitur *eamdem* „ Adde: „ in omnibus libris „

Ibid. „ Vatic. IV. „ Lege: „ Vatic. VI. „

Pag. 89. adnot. 67. „ præter quadrupedum „ Lege: „ præter quadrupedia „

Pag. 92. adnot. 81. „ *et lupus* „ Lege: „ *ut lupus* „

Pag. 99. adnot. 31. „ ſed Lindenius tollit *magis*. „ Adde: „ Fortaſſe tamen retinenda eſt hæc particula, quam Codices plerique habent poſt vocem *madens*, ſed, ut mihi videtur, loco non ſuo; transferendaque eſt ante *horum*, ut ſenſus ſit; magis reprimit & refrigerat horum aliquo madens vel panis &c. „

Pag. 150. adnot. 28. „ de Senect. II. „ Lege: „ de Senect. 11. „

Pag. 154. adnot. 50. „ *ſi ætas eſt* „ Lege: „ *ſi æſtas eſt* „

Pag. 159. adnot. 75. „ & propria „ Lege: „ peculiaris, & propria „

Pag. 167. adnot. 22. „ *lien in niſtra* „ Lege: „ *lien in ſiniſtra* „

Pag. 173. adnot. 55. „ legendum, *deſtillavit*. „ Corrige: „ legendum *deſtillarit*. „

Pag. 178. adnot. 84. „ in Medic. VI. „ Lege: „ in Medic. IV. „

Pag. 179. adnot. 89. „ Igitur hæc verba, *ſi non abundant* „ Lege: „ Igitur hæc verba, *ſi non abundat* „

Pag. ead. adnot. 90. „ quod his ſupra ſiccus ſal „ Lege: „ quod hic ſiccus ſal „

Pag. 184. adnot. 23. „ perperam repetitis. „ Adde: „ Niſi eam retinere volumus, atque ita locum explicare: caput, non calefacientibus inunctum, ſed ſiccum vehementer perfricetur. „

Pag. 227. adnot. 66. „ Sed adverbium „ Poſt duas has voces deſunt hæ quatuor „ *quo* ſententia non fert; „

Pag. 230. adnot. 79. „ En hujus lectionis „ Lege: „ En hujus locutionis „

Pag. 239. adnot. 49. „ in ſugillatione ſub cutem coit „ Lege: „ in ſuggillatione ſub cute coit „

Pag. ead. adnot. 53. „ *quoque* non patitur „ Lege: „ ſequens particula *quoque* non patitur „

Pag. 247. lin. 6. „ galbani p. VI. „ Lege: „ galbani p. X. VI. „

Pag. 256.

Pag. 256. adnot. 80. „ habetur, *p.* X̶. ϒ. „ Reſcribe: „ habetur, *pondo X r.* „

Pag. 258. adnot. 89. „ in ſexto, *p. p. UU.* „ Repone: „ in ſexto, *p. p. v v.* „

Pag. ead. adnot. 94. „ Linden. *p. X. Z.* „ Lege: „ Linden. *p.* X̶. *Z.* „

Pag. 278. lin. 13. „ illud emplaſtrum „ Lege: „ idem illud emplaſtrum „

Pag. 290. adnot. 94. „ & in IV. „ Lege: „ & in VI. „

Pag. 295. adnot. 30. „ Ita Lindenius „ Adde: „ Scaligeri conjecturam ſecutus. „

Pag. 333. adnot. 95. „ Plinium lib. 34. cap. 18. „ Adde: „ Attamen etiam lib. 5. cap. 28. ſect. 5. habetur, *plumbi eloti combuſti.* „

Pag. 334. adnot. 98. „ alii cum Cæſario, *p.* X̶. *l.* „ Lege: „ alii cum Cæſario vetuſtioribuſque Editionibus omnibus, præter principem Florentinam, *p.* X̶. *l.* „

Pag. eadem, adnot. 99. „ quæ poſtea ſequuntur. „ Adde: „ Quidam hic quoque leg. *croci p.* X̶. *l.* ut eſt in Edit. an. 1493. „

Pag. 335. adnot. 11. „ *Habet autem hoc, caſtorei* X̶. *II.* Lege: „ *Habet autem hoc, caſtorei p.* X̶. *II.* „

Pag. 340. adnot. 57. „ *eis melli* „ Lege: „ *eis mellis.* „

Pag. 402. adnot. 50. „ Ita ex Lindenio „ Adde: „ & Scaligero. „

Pag. 410. adnot. 14. „ Sect. II. hujus cap. „ Lege: „ Sect. 11. hujus cap. „

Pag. 422. adnot. 8. „ *curtatum.* Conſtantinus hæc margini adſcripſit: *curtum, curatum* „ Lege: „ *curatum.* Conſtantinus hæc margini adſcripſit: *curtum, curtatum* „

Pag. 446. adnot. 3. „ *averſo* recte edidit Lindenius „ Lege: „ *adverſo* recte edidit Lindenius „

Pag. 463. adnot. 21. „ tertius, *venter immus & mediocris* „ Reſcribe hoc modo: „ tertius, *venter immus & mediocris* „

Pag. ead. adnot. 25. „ *mel illinendum* „ Lege: „ *melle* vel *mel illinendum* „

Pag. 506. adnot. 60. „ *interdum fit.* „ Adde: „ Variandi cauſam Egnatio dederunt Editiones 1493. 1497. 1524. in quibus omnibus, pro *ſic*, mendoſe eſt *ſit.* „

Pag. 520. l. 23. „ locus intumuit. „ Ad hæc verba adnotandum:

„ *locus intumuit*) Ita in vulgatis libris: at in Mſs. *locus ſi intumuit.* Videtur legendum, *locus is intumuit:* nam etiam ſub initium proximi capitis depravati quidam Codices habent *ſi locus* pro *is locus.* Nec Palavicino aſſentiendum corrigenti, *locus ſic intumuit.* „

INDEX.

A

ABditæ cauſæ quænam vocentur. pag. 4, lin. 5. rejiciendæ non a cogitatione artificis, ſed ab ipſa arte. 17, 26.
Abdomen. 169, 22. ejus membrana interior. 170, 1. hujus membranæ ruptæ curatio. 434, 9.
Abſceſſus. 306, 3. ratio ejus curandi per medicamenta. 306, 15. quæ in eo manu fieri debeant. 389, 14. Abſceſſus, qui ſub lingua fit, curatio. 427, 18.
Abſtinentiæ duo genera. 83, 10. Abſtinentia nimia ſæpe inutilis eſt. 20, 18. tempeſtiva laborantem maxime adjuvat. 83, 17. Abſtinentia & quies omnium optima ſunt, ubi notæ aliquæ futuræ adverſæ valetudinis apparent. 105, 4.
Acceſſiones febrium interdum confunduntur. 107, 1. Acceſſionem graviorem fere levior nox ſequitur. 113, 16.
Acetum, quamvis refrigerandi vim habet, tamen habet etiam diſſipandi. 291, 7.
A'χάριστον collyrium. 334, 7.
Acia. 274, 11.
Acopa. 259, 16.
Acres res. 93, 6.
A'κροχορδόνες. 315, 9. ſæpe per ſe finiuntur. 316, 15. quibus medicamentis tollantur. 317, 7.
Actiones corporis naturales quæ. 5, 9.
Adoleſcentia acutis morbis magis patet. 38, 16. Adoleſcentiæ morbi. 42, 1.
Adurentia medicamenta. 227, 6.
Aduſta quomodo curanda. 295, 6.
Æger interdum moritur, de quo medicus ſecurus primo fuit. 51, 8.
Æſculapius. 1, 7.
Æſtas juvenibus inimica. 41, 5. periculoſior eſt, quam hiems. 37, 16. Æſtate qua victus ratione ſit utendum. 30, 3. qui morbi maxime oriantur. 38, 26.
Ætas media tutiſſima eſt. 38, 14.
A'γκτῆραι. 273, 27.
A'γκύλαι. 241, 1.
A'γκυλοβλέφαροι. 407, 13.
Agricultura alimenta ſanis corporibus promittit. 1, 1.
Aἰγίλωψ. 408, 15.
Alba lenia emplaſtra. 249, 8.
Alexandrinum emplaſtrum viride. 247, 18.
A'λιπαίνη emplaſtra. 243, 1.
A'λωπεκία. 326, 21.
A'λφος. 323, 7.
Alvi ductio ſemel, vel bis adhibenda in quibuſdam morbis. 77, 4.
Alvum moventes res. 96, 9. alvum adſtringentes. 97, 1.
Alvus quibus juvenibus fluxit, plerumque in ſenectute contrahitur; quibus in adoleſcentia fuit adſtrictior, ſæpe in ſenectute ſolvitur. 29, 16. melior eſt in juvene fuſior, in ſene adſtrictior. 29, 18. ſi vehementius fluit, aut ſæpius ducitur, hominem infirmat. 76, 9. mulieri gravidæ ſine modo fuſa elidere partum poteſt. 55, 23. Alvus quænam in febre ſine periculo ſit. 44, 13. quæ periculoſa. 47, 4. 50, 13.
Ambroſia. Vid. Zopyri antidotum.

Am-

Ambulatio exercitationis genus eſt. 20, 3.
Ammonius Alexandrinus χειρουργικῆς profeſſor. 387, 19. auctor fuit findendi in veſica calculi. 460, 2. ob id λιθοτόμος cognominatus eſt. ibid.
Ἀναστόμωσις. 186, 5.
Andreas. 222, 8. ejus malagma. 234, 9. ejuſdem aliud. 236, 12. ejuſdem compoſitio, qua frons illinitur ubi ex oculis tenuis pituitæ curſus perſeverat. 341, 7. machinamenta reperit ad extendendum femur loco motum. 533, 11.
Andronis paſtillus. 251, 17.
Andronium medicamentum ad uvæ inflammationem. 372, 15.
Angina. 178, 7. ejus ſpecies tres. 178, 10. ejus curatio. 178, 17.
Angina ſi ſubito finita eſt, in pulmonem id malum tranſit. 57, 19.
Animal omne ferum domeſtico levius eſt. 90, 4.
Animi affectus. 10, 1. animi aut contentio, aut agitatio poſt cibum omnibus inutilis. 32, 9.
Ἀνώδυνα. 261, 5.
Ἀνθηραί. 368, 16.
Ἀντιάδες. Vid. Tonſillæ quæ induruerunt.
Anus multa tædiique plena mala recipit. 381, 16. Ani ſciſſuræ qua ratione curentur. 381, 19. 471, 4. ad Ani fiſſa paſtillus. 252, 3. Ani condyloma. 382, 16. hujus curatio. 382, 17. 471, 20. in Ano ora venarum turgentia, quæ etiam ſæpe ſanguinem fundunt. 383, 17. non in omnibus is ſanguis ſupprimendus. 384, 2. ſi cui nocet, quæ curatio adhibenda. 384, 7. 472, 3. Ani procidentis curatio. 385, 1. Ani ulcus fungo ſimile quemadmodum ſit curandum. 385, 10.
Aperientia (medicamenta) tamquam ora in corporibus. 224, 2.
Ἄφθαι. 369, 6. horum ulcerum curatio. 369, 12.
Apollonius. 3, 12.
Apollonius Mys. 222, 8.
Apollonii duo χειρουργικὴν auxerunt. 387, 19.
Apollophanis malagma. 234, 4.
Ἀποπληξία. 160, 20. Vid. Nervorum reſolutio.
Ἄπυρον ſulphur. 236, 16.
Aqua frigida infuſa non iis ſolum prodeſt, quos capitis imbecillitas torquet, ſed iis quoque, quos aſſiduæ lippitudines, gravedines, deſtillationes, tonſillæque male habent. 32, 3. præterquam capiti, etiam ſtomacho prodeſt. 35, 2.
Aqua pluvialis omnium leviſſima. 91, 12. graviſſima ex palude. 91, 4.
Aqua inter cutem. 144, 12. ſæpe alteri vetuſto morbo, maximeque quartanæ ſupervenit. 145, 3. quibus præcedentibus timeri poſſit. 52, 17. quæ ſigna in hoc morbo ad ſalutem eſſe debeant. 62, 2. quæ periculum ſubeſſe teſtentur. 66, 12. tres ejus ſpecies ſunt. 144, 14. curatio omnium ſpecierum communis. 145, 17.
Aquæ timor. 288, 25. hujus morbi curatio. 289, 3.
Aquilones venti. 40, 21, 24. Aquilo quos morbos faciat. 39, 17.
Arabis cujuſdam malagma. 237, 4.
Ἀραχνοειδής oculi tunica. 414, 13.
Araneus. Adverſus ejus ictum medicamentum. 291, 22.
Archagati emplaſtrum lene. 250, 4.
Ardentis febris curatio. 122, 7.
Arearum duo genera. 326, 16. curatio. 326, 28.
Aridorum medicamentorum miſturæ quædam. 253, 13.
Ariſtogenis malagma. 240, 12.
Ari-

Ariſtonis malagma. 242, 3.

Arma corpus exercent. 20, 2.

Arquatus morbus. 158, 8. in eo durum fieri jecur, pernicioſiſſimum eſt. 68, 10. ejus curatio. 158, 18.

Arteria aſpera. 166, 12.

Arteria inciſa neque coit, neque ſaneſcit. 74, 5.

Arteriace. 265, 8.

Articulorum morbum quæ ſigna futurum denuncient. 53, 7. articulorum vitia in quibus ſolvi poſſint, & quomodo. 62, 12. in quibus numquam finiantur. 67, 4.

Articulorum vitia in manibus pedibuſque. 217, 22. qua ratione curentur. 218, 1.

Articulorum, qui ſuis ſedibus exciderunt, communis curatio. 523, 5.

Artis crimen non eſt, ſi quod profeſſoris ſit. 51, 1.

Ἀσκίτης. 144, 17. ejus curatio. 149, 3.

Aſclepiades medendi rationem ex magna parte mutavit. 3, 18. oriri morbos putavit ex manantibus corpuſculis, quæ per inviſibilia foramina ſubſiſtendo, iter clauderent. 4, 17. crudum alimentum, ſicut aſſumptum eſt, in corpus omne diduci propoſuit. 5, 20. frigidam potionem a balneo venientibus inutilem judicavit. 23, 1. vomitum & purgationes expulit in eo volumine, quod de tuenda ſanitate compoſuit. 25, 16. funeri obvius intellexit eum vivere, qui efferebatur. 50, 27. alvi ductionem, quam antiquiores medici frequentius adhibebant, ſic temperavit, ut tamen ſervarit. 76, 17. multa de frictione, tamquam inventor ejus, poſuit in eo volumine, quod communium auxiliorum inſcripſit. 79, 6. in eodem volumine trium tantum fecit mentionem, frictionis, aquæ, & geſtationis. 79, 8. in recenti vehementique febre geſtatione utendum eſſe dixit. 82, 3. audacius quam antiqui medici, balneo utebatur. 84, 14. officium eſſe medici dixit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet. 107, 15. medicamenta ſuſtulit; alvum non ſæpe, ſicut antiqui, ſed fere tamen in omni morbo duxit. 107, 24. febre ipſa præcipue ſe ad remedium uti profeſſus eſt. 107, 25. convellendas vires ægri putavit luce, vigilia, ſiti ingenti. ibid. ægrum quarto die cibo deſtinabat. 108, 23. dierum imparium obſervationem ut vanam repudiavit. 110. 19. inclinata quidem febre, ſed adhuc tamen inhærente alimentum ægris offerebat. 111, 21. varios cibos ægro apponendos docuit. 119. 15. varios cibos facilius concoqui putavit. 119, 20. Cleophanti rationem, quamvis pleraque ejus præcepta ſecutus eſt, in curatione tertianæ non probavit. 129, 14. qua ipſe ratione tertianam curandam præceperit. 129, 16. phreneticos in lumine habendos dixit, quod eos tenebræ terreant. 134, 11. phreneticis ſanguinem mittere, perinde eſſe ait, ac ſi trucidentur. 134, 22. ſomnum in iis multa frictione quæſivit. 134, 25. in iiſdem medicamenta ſomnum arceſſentia ſupervacua eſſe contendit, quod in lethargum ſæpe convertant. 137, 4. in eo qui ex quartana in hydropa deciderat, abſtinentia bidui, & frictione uſus eſt; tertio die jam & febre & aqua liberato, cibum & vinum dedit. 147, 11. in morbo arquato aquam ſalſam per biduum purgationis cauſa bibere cogebat. 158, 23. in rigore nervorum mittendum ſangui-

guinem credidit. 176,17. multarum rerum auctor bonus fuit. 183, 17. faucibus exulceratis acetum quam acerrimum eſſe ſorbendum ait. ibid. crurum & femorum brachiorumque deligationem in iis qui ſanguinem exſpuerent, adeo non prodeſſe, etiam inimicam eſſe propoſuit. 187, 10. ubi dejectio eſt, frigidam aſſidue potionem eſſe debere contra priores auctores affirmavit. 211, 24. medicamentorum uſum ex magna parte ſuſtulit. 222, 9. quod medicamentum adverſus omnes aurium caſus compoſuerit. 356, 18.

Aſclepios collyrium. 344, 3.

Aſpis. Qui ab eo percuſſus eſt acetum bibere debet. 291, 2.

Ἄσθμα. 181, 4. Vid. Spirandi difficultas.

Athenionis catapotium ad tuſſim. 263, 23.

Ἀθερώματα. 402, 2. horum curatio. 402, 22.

Ἀτροφία. 150, 9. ejus curatio. 151, 21.

Attalium collyrium. 333, 7.

Attalum emplaſtrum. 245, 15.

Attoniti. 160, 12. qua ratione ſint curandi. 160, 14.

Attrita. 286, 1. eorum curatio. 286, 7.

Aures purulentæ, & ad eas medicamenta. 355, 7. Aures perforatæ ſi offendunt, quæ curatio adhibenda. 420, 21. ſi in aurem aliquid incidit, ut calculus, aliquodve animal, quemadmodum eximatur. 360, 12.

Auris foramen. 477, 19. ſi nullum in aure eſt, qua curatione ſit utendum. 420, 7. ſi compreſſum eſt, quæ medicamenta adhibenda. 358, 2. Auris cartilaginis fractæ curatio. 501, 10.

Aurium dolor cum inflammatione. 353, 7. ejus curatio. 353, 9. Aurium, quæ intra ſe ipſæ ſonant, curatio. 359, 14.

Auſtri venti. 38, 7. 40, 9, 12, 16, 21. gravius cœlum reddunt. 32, 8.

Auſter quos morbos faciat. 39, 20.

Autumnus ex omnibus anni temporibus periculoſiſſimus. 37, 16. Autumno quæ victus ratio ſervanda ſit. 30, 7. in Autumnum qui morbi maxime incidant. 35, 4.

Auxilium anceps ſatius eſt experiri, quam nullum. 72, 11. auxilia non omnibus ægris eadem conveniunt. 103, 9.

Αὐτόπυρον. 88, 3.

B

Bajæ. Vid. Sudationes naturales.

Balnei uſus. 84, 10. tempora. 84, 16.

Barbarum emplaſtrnm. 243, 3.

Βασιλικὸν emplaſtrum. 243, 14.

Βασιλικὸν collyrium. 348, 1.

Boethi πεσσός. 252, 25.

Boni ſucci res. 91, 26.

Βουβωνοκήλη. 439, 11. Vid. Ramex inguinis.

Brachium conſtat ex oſſibus duobus. 483, 3. Brachii fracti curatio. 514, 7.

Βρογχοκήλη. 428, 3. hujus curatio. 428, 7.

C

Καχεξία. 151, 4. ejus curatio. 152, 13.

Κακόηθες. 297, 18. ejus curatio. 298, 12.

Cæſarianum collyrium. 346, 1.

Calcis os. 486, 1.

Calculoſi quibus indiciis cognoſcantur. 55, 10. quæ curatio his adhibenda ſit, ubi aliter ſuccurri non po-

poteſt. 453, 4. ad hanc curationem feſtinare non oportet, quia præceps eſt. 453, 5.
Calculus arenoſus. 458, 17. aſper. 456, 5. 457, 15. mollis. 459, 2. oblongus. 455, 5. planus. ibid. quadratus. 455, 6. ſpinoſus. 457, 16.
Calculus urinæ intus ſe opponens, eam reddi non ſinit. 451, 16.
ad Calculum ex veſica expellendum paſtillus. 252, 7.
Calefacientes res. 95, 13.
Calli in oſſibus, quæ conferbuerunt, nimium ſuperincreſcentis curatio. 520, 23.
Calor quibus utilis. 35, 4. ſi nimius eſt, quos effectus pariat. 35, 8.
Calvaria. 476, 3. ſolida ſine ſuturis raro invenitur. 476, 9. ubi fuit percuſſa, quibus notis exploretur, an fracta ſit. 492, 9. ſi fracta eſt, quæ curatio adhibenda. 494, 12.
Cancer. 281, 20. ejus plures ſpecies. ibid. cancri, ubi nigrum ulcus eſt, curatio. 284, 1.
Canis rabioſus. Adverſus ejus morſum auxilia. 288, 12.
Canopite collyrium. 344, 7.
Cantharidas ſi quis ebibit, adverſus eas remedia. 294, 13.
Capillorum fluentium curatio. 325, 4.
Capitis dolores. 170, 7. eorum curationes. 125, 21. 170, 22.
Caput, ſi ex ſinibus primæ vertebræ excidit, mortem celerrimam affert, nec curationem admittit. 525, 10.
Carbunculus. 295, 25. hujus curatio. 296, 9.
Carbunculorum, qui in oculis ex inflammatione naſcuntur, curatio. 338, 17.
Καρκινώδη tubera. 237, 10.
Καρκίνωμα. 297, 1. curationem non recipit. 298, 11.
Καρδιακὸς morbus. 140, 14. ejus curatio. 140, 23.
Carnem alentia, & ulcus implentia medicamenta. 228, 14.
Καρωτίδες arteriæ. 166, 9.
Caſſius. 16, 21. gloriabatur κολικὸν medicamentum ſe reperiſſe. 205, 4.
Caſſii Colice. 264, 12.
Catapotia. 261, 4.
Καταϛαγμός. 173, 28. Vid. Deſtillatio.
Cauſæ æſtimatio ſæpe morbum ſolvit. 16, 19.
Κεφαλαία. 170, 8. Vid. Capitis dolores.
Κεφαλικὰ emplaſtra. 244, 10.
Ceraſtes. Adverſus ejus ictum medicamenta. 201, 24.
Κερατοειδὴς oculi tunica. 414, 4.
Κερκίς. 483, 4.
Cerebri membrana. 476, 4. ejus ab ictu aliquo violatæ indicia. 492, 14.
Κηρίον. 314, 4. duæ ejus ſpecies. 314, 5. curatio. 314, 17.
Ceruſſæ epotæ remedia. 294, 23.
Χαλάζια. Vid. Palpebræ.
Χειράγρα. Vid. Articulorum vitia.
Χειρυργική. 3, 5. ejus effectus inter omnes medicinæ partes evidentiſſimus. 387, 4.
Cherſydrus. Ad ejus ictum medicamenta. 292, 5.
Chironium ulcus. 302, 16. hujus curatio. 302, 22.
Chirurgus qualis eſſe debeat. 387, 24.
Χοινικίς. 488, 14.
Cholera. 199, 20. ejus curatio. 199, 30.
Χόρδαψ. 202, 19.
Χοροειδὴς oculi tunica. 414, 8.
Chryſippus. 3, 1. Chryſippi malagma. 241, 10.
Cibi valentiſſimi generis. 87, 10. ci-

bi

bi mediæ materiæ. 87, 18. materiæ imbecilliſimæ. 87, 22.

Cibum ſtomachus ægrorum ſæpe reſpuit, etſi mens concupiſcit, 116, 1.

Cibus humidus febricitantibus eſt aptiſſimus. 118, 19.

Cibus a ſalſamentis, oleribus, ſimilibuſque rebus melius incipit. 20, 20.

Cicatrix quibus medicamentis vulneri inducatur. 287, 3. cicatricis, quæ nimium excrevit, curatio. 287, 19. cicatricis concavæ curatio. ibid.

Cicutæ epotæ remedia. 294, 16.

Κιρσοκήλη. 438, 15. Vid. Ramex.

Clavus. 316, 11. ejus curatio. 317, 3.

Clavi, qui in albo oculi naſcitur, curatio. 413, 17.

Cleonis collyrium. 333, 3. ejuſdem aliud. 333, 5.

Cleophantus. Quemdamodum curaret tertianam febrem. 129, 12.

Clyſter. 465, 2. Clyſter oricularius. 357, 5.

Coacon emplaſtrum. 243, 7.

Cœlum peſſimum eſt, quod ægrum fecit. 38, 12.

Κοιλιακὸς morbus. 201, 16. ejus curatio. 201, 19.

Colice. Vid. Caſſii Colice.

Κολικὸς morbus. Vid. Inteſtini plenioris morbus.

Colis ex inflammatione tumentis curatio. 375, 17. colis ulcera, eorumque curatio. 376, 9. curatio tuberculorum, quæ in cole circa glandem oriuntur. 378, 22. quemadmodum curetur colis cancer. 379, 3. quemadmodum φαγέδαινα. 379, 23. quemadmodum carbunculus in eadem parte natus. 380, 7.

Colis glans, ſi nuda eſt, qua curatione tegatur in eo, cui id naturale eſt. 449, 24. qua ratione in eo, qui quarumdam gentium more circumciſus eſt. 450, 5. ſi contecta eſt ſic, ut nudari non poſſit, quemadmodum aperiatur. 451, 16.

Colliſa quemadmodum curentur. 275, 10. 286, 2.

Collyria, variæque eorum compoſitiones. 332, 6.

Colubra tuto eſtur, ictus ejus occidit. 290, 4.

Comitialis morbus. 155, 12. quæ ſigna in eo bona ſint. 62, 15. quæ mala. 67, 8. ſæpius viros, quam fœminas occupat. 155, 15. ejus curatio. 156, 1.

Concoctio. 5, 16. omnibus vitiis occurrit. 34, 23.

Concoquentia medicamenta, & pus moventia. 223, 19.

Concubitus rarus corpus excitat, frequens ſolvit. 18, 24. interdiu pejor, noctu tutior. 19, 2.

Condita omnia inutilia, & cur. 21, 2.

Condyloma. Vid. Anus.

Cor. 166, 24. Cordis percuſſi notæ. 268, 4.

Corpora vivorum incidere, crudele & ſupervacuum eſt; mortuorum, diſcentibus neceſſarium. 17, 27.

Corpora athletarum more repleta celerrime & ſeneſcunt & ægrotant. 18, 22.

Corporis vis melius ex venis, quam ex ſpecie æſtimatur. 71, 17.

Corporis malum ſæpe vincit juvantis pertinacia. 128, 17.

Corpus quoties offenſum eſt, vitioſa pars maxime ſentit. 34, 21.

Corpus quodnam habiliſſimum. 38, 17.

Corpus quæ impleant. 25, 2. quæ extenuent. 25, 7. quæ calefaciant. 28, 1. quæ refrigerent. 28, 3. quæ humidum efficiant. 28, 5. quæ ſiccent. 28, 10.

Corvus, ferramenti genus. 441, 21.
Κορύζα. 173, 26.
Coſtæ. 480, 13. Coſtæ fractæ curatio. 506, 6.
Coxæ dolor. 216, 16. quæ in eo facilem ſanationem promittant. 63, 6. quæ difficilem. 69, 5. adverſus hunc auxilia. 216, 20.
Coxarum os. 484, 14.
Cratonis medicamentum ad aures purulentas. 356, 7.
Κρεμαςῆρες. 435, 17.
Κριθή. Vid. Palpebræ tuberculum.
Crus eſt ex oſſibus duobus. 485, 10.
Cruris fracti curatio. 515, 1.
Cruſtas ulceribus inducentia medicamenta. 227, 14. cruſtas has reſolventia. 227, 17.
Κρυςαλλοειδὴς oculi humor. 414, 10.
Cteſiphontis malagma. 241, 12.
Cubitus, 483, 7. cubiti ſua ſede elapſi curatio. 529, 12.
Cucurbitulæ. 74, 29. earum præcipuus uſus quibus in morbis ſit. 75, 10. nullum in his periculum, ſed levius præſidium eſt. 75, 27.
Curationem ubi id, quod eſt non recipit, poteſt recipere id quod futurum eſt. 125, 17.
Curationes febrium diverſæ ſunt, prout auctores aliquos habent. 107, 13.
Curſus corpus exercet. 20, 2.
Curtorum in auribus, labris, naribus curatio. 421, 11.
Cutem purgantia medicamenta. 229, 9.
Cutiliarum medicati fontes. 189, 27.
Κυνάγχη. 178, 14. Vid. Angina.
Κυνικὸς σπασμός. 172, 13. ejus curatio. 172, 17.
Κύθιον collyrium. 335, 2.

D

ΔΑρτὸς. 435, 21.
Dejectio. 211, 1. quæ ſit ſine ulla noxa. 62, 20. quæ pernicioſa. 67, 16. ejus curatio. 211, 8.
Dejectionem antiqui variis medicamentis in omnibus pene morbis moliebantur. 76, 1.
Democritus. 2, 17. finitæ vitæ non ſatis certas notas eſſe propoſuit. 50, 22.
Denarius eſt ſeptima pars unciæ. 230, 13.
Denarii ſextans. 230, 14.
Dentes duriores oſſe ſunt. 478, 10. τομικοὶ dentes. 478, 12. canini. 478, 13. maxillares. 478, 14.
Dentium doloris curatio. 263, 3. curatio dentium, qui moventur vel propter radicum, vel propter gingivarum vitium. 424, 11.
Dentium ex ictu labantium curatio. 425, 24. ſcabrorum curatio. 425, 20.
Dentem, qui dolet, ſi eximi placuerit, quemadmodum id fiat. 424, 17.
Deraſa. 286, 1. quemadmodum curentur. 286, 8.
Deſidia atque luxuria prius in Græcia, deinde apud Romanos corpora afflixerunt. 2, 4.
Deſtillatio. 173, 16. ſi frequens eſt in corpore tenui longoque, tabem timendam eſſe teſtatur. 92, 14. ejus curatio. 32, 3. 174, 2.
Dexii malagma. 242, 19.
Διάβρωσις. 186, 5. Vid. Sanguinem qui exſpuunt.
Διὰ κέρατος collyrium. 341, 15.
Διὰ κρόκου collyrium. 349, 3.
Διὰ δαφνίδων emplaſtrum. 246, 13. aliud eodem nomine. 246, 18.
Διαιτητική. 3, 5.

Διὰ λιβάνυ collyrium. 339. 15.
Διάφραγμα. 10, 9. 59, 5.
Dies critici. 110, 11.
Digiti manus oſſibus ternis conſtant. 484, 8. Digiti pedis manus digitis reſpondent. 486, 6.
Digiti fracti curatio. 515, 15. ſua ſede elapſi curatio. 531, 17. 536, 13.
Digitorum vetera ulcera qua ratione curentur. 385, 16.
Digitorum cohærentium curatio. 474, 9.
Digitorum curatio, quos cicatrix ulceri male inducta curvos reddidit. 474, 12.
Diocles Caryſtius. 2, 20. arquatum morbum ſi poſt febrem oritur, etiam prodeſſe dixit; ſi poſt hunc febris, occidere. 158, 11. tenuioris inteſtini morbum χόρδαψον, plenioris εἰλεὸν nominavit. 202, 18. ferramenti auctor fuit ad lata tela educenda, quod ab eo Διοκλεῖον κυαθίσκον vocarunt. 400, 5. femur ſua ſede motum ex toto ſe reſtituiſſe ſcripſit. 533, 8.
Diogenis emplaſtrum. 248, 8.
Dionyſiii collyrium. 332, 17. ejuſdem medicamentum ad αἱμοῤῥοΐδας vetuſtiores abſumendas. 384, 18.
Dipſas ſi percuſſit, quibus medicamentis utendum. 291, 24.
Diſcutientia medicamenta. 227, 19.
Δυσεντερία. Vid. Tormina.
Δύσπνοια. 181, 3. Vid. Spirandi difficultas.

E

E'Κτρόπιον. 412, 20. Vid. Palpebræ.
E'γκανθίς. 407, 2. ejus curatio, ibid.
E'γχειστα. 260, 9.
Eἰλεός. Vid. Inteſtini tenuioris morbus.
E'λαιῶδες, puris ſpecies. 270, 21. quodnam bonum. 272, 1. quodnam malum. 271, 27.
E'λεφαντίασις. 159, 13. ejus curatio. 160, 1.
E'λυτροειδὴς teſticulorum tunica. 435, 19.
Empedocles. 2, 16.
Empirici. 3, 14. 7, 5. 222, 4.
Emplaſtra. 231, 3. horum compoſitiones. 242, 23.
E'μπροσθότονος. Vid. Nervorum rigor.
E'ναιμα emplaſtra. 242, 24.
E'ννεαφάρμακον emplaſtrum. 245, 7.
E'ντεροκήλη. 436, 16. hujus curatio. 439, 12. 443, 19.
Ephelides. 327, 8. ad eas medicamenta. 327, 22.
Epheſium emplaſtrum. 248, 17.
E'πινυκτίς. 318, 9. Vid. Puſtulæ.
E'πιπλοκήλη. 436, 16. ejus curatio. 439, 12. 445, 21.
E'πισπαστικὰ malagmata. 232, 7. ἐπισπαστικὰ emplaſtra. 246, 12.
Eraſiſtratus. 3, 1. φλεγμονὴν fieri putavit ex ſanguine, qui in eas venas, quæ ſpiritui accomodatæ ſunt, transfunderetur; hincque talem motum excitari, qualis in febre eſt. 4, 14. teri cibum in ventre contendit. 5, 17. nocentes homines, a regibus ex carcere acceptos, vivos inciſit. 6, 10. non ex cauſis evidentibus fieri morbos dixit. 13, 18. ſed evidentia ipſa repugnante. 14, 13. commode dixit, ſæpe interiore parte humorem non requirente, os & fauces requirere; neque ad rem pertinere, ſiti ægrum male haberi. 108, 16. tum cibum dandum ægro docuit, cum corpori deberetur. 109, 19. febrem nullam ſine inflammatione eſſe propoſuit. 126, 10. non probavit eam hydro-

pis curandi viam, qua humor per ipſum ventrem emittitur. 149, 11. hydropa jocinoris morbum putavit, illudque eſſe ſanandum. 149, 12. eorum, qui ſanguinem exſpuerent, ſi is ex interioribus partibus procederet, crura & femora brachiaque pluribus locis deligabat. 187, 9. in cholera primo tribus vini guttis, aut quinis aſpergendam potionem eſſe; deinde paulatim merum adjiciendum dixit. 200, 16. in morbo tenuioris inteſtini, ſi dolor infra umbilicum eſt, alvum ducendam eſſe præcepit. 203, 11. alvi ductionem, & ex lacte purgationem podagricis alienam judicavit. 221, 8. multum medicamentis tribuit. 222, 4.

Eraſiſtrati compoſitio ad aures purulentas. 355, 16.

Ἐρυσίπελας. 281, 24. ejus curatio. 283, 8.

Evelpidis collyrium. 335, 6. aliud ejuſdem. 341, 20. aliud, Phynon dictum. 342, 13. aliud, Sphærion appellatum. 343, 1. aliud liquidum. 343, 5. aliud, Pyxinum nominatum. 344, 11. aliud, βασιλικὸν vocatum. 348, 1.

Evelpiſtus Romæ χειρουργικῆς profeſſor. 387, 22.

Evidentes morborum cauſæ quænam. 5, 6.

Evocantia & educentia medicamenta. 228, 7.

Euthyclei malagma. 240, 19.

Ἐξανθήματα. 317, 16. Vid. Puſtulæ.

Exedentia medicamenta. 226, 3.

Exercitatio ſemper antecedere cibum debet. 19, 30. ejus plura genera. 20, 2.

Exercitatio adhibetur ad movendum ſudorem. 84, 3.

Exercitationes cibique athletici ſupervacui. 18, 20. 20, 12.

Experientia ad curandi rationem omnium maxime confert. 11, 18.

Experimenta ſunt omnino neceſſaria. 4, 20.

Εὐῶδες acopum. 260, 4.

F

Fames a quibus facilius ſuſtineatur. 17, 15. 29, 10.

Faſcia ad vulnus deligandum qualis adhibenda. 275, 22.

Faſciæ quot & quales neceſſariæ ad oſſa fracta. 510, 20.

Faucium ab interiore parte exulceratarum curatio. 183, 8.

Favonii venti. 38, 6.

Febris ſæpe præſidio eſt. 63, 21. quæ ſubito ſine ratione, ſine bonis ſignis finita eſt, fere revertitur. 54, 5.

Febris inordinata. 107, 4.

Febres vagæ. 114, 7.

Febres quænam malæ. 46, 9.

Femina. 484, 20. eorum duo proceſſus. 484, 22.

Femoris fracti curatio. 515, 2. ejuſdem ſua ſede moti curatio. 532, 6.

Ferulæ ad oſſa fracta in ſua ſede continenda. 512, 6.

Fibulæ. 273, 27.

Fiſtulæ. 309, 5. vetuſtate calloſæ fiunt. 311, 26. qua ratione per medicamenta curentur. 395, 19. curatio ſcalpelli. 394, 10.

Ventris fiſtulæ quemadmodum manu curentur. 395, 19.

Ani fiſtularum curatio, quæ manu fit. 396, 3.

Fiſtula in oculi angulo naribus propiore. Vid. Αἰγίλωψ.

Fiſtula in urinæ itinere. 456, 2. ut ea vel nulla, vel exigua admodum relinquatur, qua ratione ſit providen-

dendum. 466, 13.
Fomenta calida. 86, 8.
Fortuna in morbis multum confert. 387, 5. non minus ſibi vindicat, quam ars. 102, 17.
Frictio differt ab unctione. 80, 8. numquam adhibenda eſt febre increſcente. 80, 24. hoc auxilium amat valetudo longa, & jam a primo impetu inclinata. 80, 13.
Frigus quibus obſit. 34, 25. quibus proſit. 34, 29. ejus effectus. 34, 27.
Frigoris in febribus curatio. 126, 20.
Fructus ſurculorum. 88, 10.
Frumenta. 88, 1. 89, 21. Frumenta elota. 90, 11.
Fungi inutiles quo cocturæ genere idonei fiant. 295, 3. adverſus eos medicamenta. 295, 1.
Furunculus. 304, 11. ad hunc medicamenta. 304, 18.

G

Γάγγλια. 402, 2. eorum curatio. 402, 22.
Γάγγραινα. 282, 6. ejus curatio. 284, 12. 474, 20.
Galli venatoriis quibuſdam venenis præcipue utuntur. 290, 3.
Gargarizationes. 256, 9.
Genuum dolor. 217, 16. ejus curatio. ibid.
Genu loco moti curatio. 535, 4.
Geſtatio. 81, 25. ejus genera. 82, 12.
Glaucias. 3, 12.
Glutinantia vulnus medicamenta. 223, 10.
Gorgias quædam reperit, quibus χειρουργικὴν auxit. 387, 18. umbilici prominentis quatuor cauſas invenit. 429, 7.
Gravedo. 173, 23.

H

HÆmorrhois. Ad ejus ictum medicamenta. 291, 24.
Αἱμοῤῥοΐδες. Vid. Anus.
Hapſus lanæ mollis. 462, 4. lanæ ſulphuratæ. 191, 18.
Hecatæi emplaſtrum. 247, 14.
Ἡμιτριταῖος. 106, 12. ejus curatio. 123, 12.
Ἡπατικὸς morbus. Vid. Jocinoris morbus.
Heraclides Tarentinus. 3, 12. ubi aut cruditas ægrum, aut bilis male habet, expedire dixit, per modicas potiones novam materiam miſceri corruptæ. 116, 13. in quartana febre primis diebus ducendam alvum, deinde abſtinendum in ſeptimum diem docuit. 131, 8. auctor fuit palpebram ſcalpello ſubſecandi, ubi ea albo oculi inhæſit. 408, 2. femur loco motum ex toto ſe reſtituiſſe memoriæ prodidit. 533, 8. machinamenta ad id invenit. 533, 12.
Heraclidis Tarentini catapotium ad tuſſim ſomnum prohibentem. 264, 3.
Heræ compoſitio. 254, 19.
Hermonis collyrium. 343, 18.
Heron χειρουργικῆς profeſſor nova quædam invenit. 387, 19. umbilici prominentis has cauſas propoſuit; modo inteſtinum, modo omentum, modo humorem, modo ſpiritum eo irrumpere, modo omentum ſimul & inteſtinum, interdum carnem ibi increſcere. 429, 9.
Hernia. 436, 17. 437, 20.
Herophilus. 3, 1. omne vitium in humidis eſſe putavit. 4, 12. nocentes homines, a regibus ex carcere acceptos, vivos inciſit. 6, 10. omnium ma-

maxime in curandis morbis uſus eſt medicamentis. 222, 15.

Hiems ſenibus inimica. 41, 5.
Hieme quæ victus ratio ſit ſervanda. 29, 20. quorum morborum metus maxime ſubſit. 39, 15.

Hieracis collyrium. 345, 7.

Hippocrates Cous Democriti, ut quidam crediderunt, diſcipulus fuit. 2, 17. omnis medicinæ parens. 387, 14. ab ſtudio ſapientiæ medicinam ſeparavit. 2, 18. omne vitium in ſpiritu eſſe propoſuit. 4, 13. ac per calorem cibos concoqui. 5, 19. dixit mederi oportere & communia & propria intuentem. 16, 3. morbos eum optime præſagiſſe, recentiores medici fatentur. 37, 3. paucis verbis ea comprehendit, quæ poſtea Aſclepiades latius de frictione propoſuit. 79, 15. ſi die non critico febris deſiſſet, recidivam timere ſolitus fuit. 110, 18. nihil rationis apud eum reperitur, quacumque ratione ad dierum numerum reſpexerimus. 111, 13. arquatum morbum, ſi poſt ſeptimum diem febricitante ægro ſupervenit, tutum eſſe ait, mollibus tantummodo præcordiis ſubſtantibus. 158, 9. deſtillationem & gravedinem eodem nomine appellavit κορύζας. 173, 26. memoriæ prodidit curari oculos ſanguinis detractione, medicamento, balneo, vino. 329, 16. χειρουργικὴν magis excoluit, quam priores medici. 387, 15. errorem ſuum, magnorum virorum more, faſſus eſt. 493, 7. jugulum fractum interdum in priorem partem inclinari ſcripſit. 504, 8. quam curationem propoſuerit vertebræ paulum in exteriorem partem prominentis. 526, 6. multas rationes deſcripſit humeri, qui in alam excidit, reponendi. 528, 17. femur ſua ſede elapſum ex toto a ſe reſtitum memoriæ prodidit. 533, 7. machinamenta ad eam curationem reperit. 533, 11. ubi oſſibus loco motis vulnus quoque acceſſit, nihil tuto reponi poſſe dixit, præter digitos, & plantas, & manus. 537, 4.

Hiſtrionis eſt parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur. 266, 12.

Homerus. 1, 11.

Horror eas fere febres antecedit, quæ certum habent circuitum. 127, 10. ejus curatio. 127, 23.

Humerus. 482, 10. vertici lati ſcapularum oſſis inſeritur. 482, 17.
Humeri fracti curatio. 512, 20. loco moti curatio. 527, 2.

Ὑαλοειδὲς, oculi humor. 414, 14.

Ὑδροκέφαλον. 170, 22. ejus curatio. 172, 8.

Ὑδροκήλη. 437, 19. ejus curatio. 439, 12. 446, 18.

Ὑδροφοβία. Vid. Aquæ timor.

Ὕδρωψ, ſaniei ſpecies. 270, 21. qui bonus. 271, 17. qui malus. 271, 15.
Ὕδρωψ. Vid. Aqua inter cutem.
Hydropicis quemadmodum aqua emittatur. 431, 14.

Hyoſcyami epoti remedia. 294, 21.

Ὑπόχυσις. Vid. Suffuſio.

I

JEcur. 167, 6.
Jocinoris vulnerati notæ. 268, 13.
Jocinoris acutus morbus. 195, 3. ejus curatio. 195, 12.
Jocinoris vomica. 195, 7. ejus curatio. 196, 11.

Ignavia corpus hebetat, & maturam ſenectutem affert. 18, 12.

Ignis ſacer. 300, 19. ejus duæ ſpecies.

cies.

cies. ibid. curandi ratio. 301, 12.
Imbecilli quæ obſervare debeant in corporis curatione. 19, 6.
Impetiginis ſpecies quatuor. 320, 20. curatio. 322, 7.
Infantium morbi. 41, 6.
Infans in utero emortuus, ſi per ſe non excidit, quemadmodum manu ſit educendus. 467, 25.
Infibulandi adoleſcentulos ratio. 451, 3.
Infirmitas omnibus morbis maxime obnoxia. 27, 20.
Inflammationis notæ quæ. 126, 8.
Inflantes res. 95, 3. minime inflantes. 95, 9. inflationem levantes. 95, 11.
Ingenio magno convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio. 493, 10.
Inſania febricitantium. 40, 17. 133, 11. quænam eam timendam eſſe teſtentur. 56, 29. ejus curatio. 134, 3.
Inſania ex atra bile. 138, 10. ejus curatio. 138, 12.
Inſaniæ tertium genus. Hujus ipſius duæ ſpecies. 139, 5. utriuſque ſpeciei curatio. 139, 9.
Inſaniæ ex terrore curatio. 140, 10.
Intemperantia tutior eſt in potione, quam in eſca. 20, 19.
Inteſtina, ventre ictu perforato, evoluta quam curationem habeant. 432, 11.
Inteſtinorum vulneratorum notæ. 269, 25.
Inteſtinum cæcum. 168, 20. 204, 19.
Inteſtinum craſſius, ſeu laxius, aut plenius. 168, 17. ejus morbus. 204, 18. curatio. 33, 11. 204, 23.
Inteſtinum jejunum. 168, 11. ejus vulnerati notæ. 269, 22.
Inteſtinum rectum. 169, 1.
Inteſtinum tenuius. 168, 13. ejus morbus. 202, 20. quæ ſigna in hoc morbo mala habeantur. 68, 8. curatio. 203, 5.
Jollæ compoſitio. 255, 4.
Irenæi medicamentum ad vitiliginem. 324, 2.
Italia frigidioreſque regiones minus terribiles angues edunt. 293, 4.
Judæi emplaſtrum. 246, 3. aridi medicamenti compoſitio. 254, 23.
Jugale os. 477, 24.
Jugulum. 482, 5. Juguli fracti curatio. 503, 16.

L

Labor corpus firmat, & longam adoleſcentiam reddit. 18, 13. ubi inedia futura eſt, vitandus eſt. 21, 13.
Laboris mutatio laſſitudinem levat. 23, 11.
Labrorum, quæ finduntur, rimæ quemadmodum curandæ. 427, 24.
Lac in phthiſi, & in omnibus longis difficilibuſque febriculis recte datur. 153, 15.
Lac aſſumptum ſi intus coiit, quæ medicamenta adhibenda. 294, 25.
Lac mulieri gravidæ ex mammis profluens quid ſignificet. 55, 24.
Lac in ea, quæ neque peperit, neque gravida eſt, quid indicet. 69, 22.
Lævantia (medicamenta) id quod exaſperatum eſt. 228, 12.
Lævitas inteſtinorum. 208, 3. quæ in ea bonam ſpem afferant. 63, 4. quæ periculum minentur. 67, 24. curatio. 208, 6.
Laganum. 503, 13.
Λαγώφθαλμοι. 412, 5. Vid. Palpebræ.
Lateris dolor. 191, 3. ſigna in eo tum ad ſalutem, tum ad mortem eadem fe-

fere ſunt, quæ in pulmonis morbo. 65, 10. ejus curatio. 191, 12.
Lavatio calida & pueris, & ſenibus apta eſt. 29, 13.
Lectio clara exercitationis eſt genus. 20, 2.
Λειεντερία. 39, 9.
Λημνίσκος. 467, 18.
Lenes res. 93, 1.
Lentarum febrium curatio. 124, 9.
Lenticulæ. 327, 8. ad eas tollendas medicamenta. 327, 18.
Λήθαργος. 142, 13. ejus curatio. 142, 17.
Λευκὰ emplaſtra. 249, 8.
Λεύκη. Vid. Vitiligo.
Λευκοφλεγματία. 144, 16. ejus curatio. 142. 17.
Lienes magni quibus ſunt, quæ præterea mala accedant. 56, 15.
Lienis. 167, 9. ejus morbus. 196, 14. curatio. 196, 18.
Lienis icti notæ. 269, 1.
Lienoſis bono tormina ſunt. 63, 20.
Linguæ reſolutæ curatio. 173, 7.
Linguæ ulcera quibus medicamentis egeant. 370, 10.
Linguæ cum ſubjecta parte junctæ curatio. 427, 8.
Λιπαραί. 249, 18.
Lippitudo. 328, 8. ejus curatio. 330, 2.
Lippienti omnis dejectio prodeſt. 63, 11. longum jejunium neceſſarium non eſt. 330, 15.
Lippitudo arida. 346, 14. ejus curandæ ratio. 347. 2.
Litterarum diſciplina, ut animo omnium neceſſaria, ſic corpori inimica eſt. 2, 9.
Litterarum cupidi pene omnes ſunt imbecilli. 19, 7.
Lucubrandum ubi eſt, non poſt cibum id faciendum, ſed poſt concoctionem. 19, 27.
Lumbrici nonnumquam alvum occupant. 209, 3. hi vel lati, vel teretes ſunt. 209, 5. adverſus eos remedia. 209, 6.
Lux digerit corpus. 108, 11.
Luxata qua ratione curentur. 388, 18.
Lyſiæ malagma. 233, 16.

M

Machaon Æſculapii filius. 1, 10.
Malæ. 478, 4.
Malagmata. 231, 3. eorum compoſitiones. 231, 24.
Mali ſucci res. 92, 10.
Manus. 484, 1. ex Manu duo exigui proceſſus in ſinum radii conjiciuntur. 484, 6.
Manus ſua ſede motæ curatio. 530, 19.
Maxilla. 478, 1. ejus duo proceſſus. 478, 5.
Maxillæ fractæ curatio. 501, 27. loco motæ curatio. 524, 7.
Medicamenta dejectionis cauſa quæ dantur, ſtomachum fere lædunt. 76, 8. quæ dantur vomitus cauſa, non ſemper ægris proſunt, ſemper ſanis nocent. 79, 3.
Medicamentis multum antiqui auctores tribuerunt. 222, 3.
Medicina ſanitatem ægris promittit. 1, 1. nuſquam non eſt. 1, 2. apud Græcos aliquanto magis quam in ceteris nationibus exculta fuit. 1, 5. vix aliquos ex nobis ad ſenectutis principia perducit. 2, 5. olim ſapientiæ pars habebatur. 2, 11. quibus temporibus diducta fuerit in partes tres, id eſt διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν, & χειρουργικήν. 3, 3. hæ partes ita innexæ ſunt, ut ex toto ſeparari non poſſint. 222, 15.

ea quæ victu curat, ipſa quoque in duas partes diviſa, rationalem ſcilicet, & empiricam. 3, 14. Medicinæ genera differunt pro natura locorum. 7, 18. Medicina eſt ars conjecturalis. 12, 5. 51, 2. rationalis eſſe debet; inſtrui vero ab evidentibus cauſis. 17, 25. nihil proficit repugnante natura. 102, 19. Medicina temeraria interdum proficit, ſæpius tamen fallit. 453, 11.

Medicus communia quidem intueri, ſed ſi poteſt, propria quoque noſſe debet. 17, 21. cum par ſcientia ſit, utilior eſt amicus, quam extraneus. 17, 23. ab uno medico multi curari non poſſunt. 110, 2. Medici antiqui timidius balneo utebantur. 84, 14. medicamentis quibuſdam datis concoctionem in febribus moliebantur; deinde lædentem materiam ducendo ſæpius alvum ſubtrahebant. 107, 21. cibum in febribus tarde dabant. 108, 21. quam integerrimis corporibus alimentum offerebant. 134, 9.

Medii malagma. 236, 3.

Medulla ſpinæ cerebro commiſſa. 474, 8. ejus percuſſæ notæ. 270, 1.

Meges Romæ χειρουργικῆς profeſſor eruditiſſimus. 387, 23. ejus compoſitio ad erodendum fiſtularum callum. 312, 9. abſceſſus velamentum callum eſſe ait, non tunicam. 389, 21. ſi palpebra oculo inhæſiſſet, ſe multa tentaſſe, neque umquam profuiſſe, quia illa iterum inhæſerit, memoriæ prodidit. 408, 10. umbilici prominentis tres cauſas poſuit. 429, 3. ferramentum fecit, quo ſpinoſi calculi prominentia in veſica incideret. 458, 7. quemdam a ſe curatum memoriæ prodidit, cui genu in priorem partem exciderat. 535, 7.

Μελαγχολία. 38, 23.

Μέλας. Vid. Vitiligo.

Μελίκηρα ſaniei ſpecies. 270, 21. quæ bona ſit. 271, 19. quæ mala. 271. 18.

Μελικηρίδες. 402, 2. quemadmodum curentur. 402, 22.

Membranula ſub cute calvariam cingens. 494, 15.

Μεμιγμένον collyrium. 341, 20.

Menemachi compoſitio ad dentium dolorem. 365, 3.

Μηνιγγοφύλαξ. 491, 1.

Menophili medicamentum ad aures purulentas. 356, 1.

Metrodorus Epicuri diſcipulus. 145, 19.

Miconis malagma. 240, 8.

Mithridatis antidotum. 258, 11.

Modiolus. 488, 15.

Mollientia medicamenta. 225, 1.

Morbi olim ad iram deorum immortalium relati. 1, 16. in bono tempeſtatum habitu ſi qui inciderunt, leviores ſunt, & promptius finiuntur. 38, 11. acuti quinam dicantur. 102, 6. quinam longi. 102, 8. quibus indiciis illi, quibus hi cognoſcantur. 103, 20. Morbi qui modo acuti, modo longi ſunt. 102, 9. Morbi qui neque acuti dici poſſunt, neque longi. 102, 12. Morbi alii in totis corporibus conſiſtunt, alii oriuntur in partibus. 102, 15. in acutis morbis fallaces magis notæ ſunt & ſalutis, & mortis. 51, 14. Morborum in iiſdem hominibus aliæ atque aliæ proprietates ſunt. 17, 12. Morborum initia famem ſitimque deſiderant. 83, 11.

Morbum & novare & augere circumſpectus quoque medicus interdum debet. 125, 15.

Morbus aliquando novus incidit. 12,

12, 9. morbus acutus quo vetuſtior, longus quo recentior eſt, eo facilius curatur. 103, 7.

Morſus fere omnis habet quoddam virus. 288, 2.

Moſchi malagma. 253, 13.

Motus corporis in dolore peſtifer. 524, 5.

Mulier gravida acuto morbo facile conſumitur. 49, 19. Mulieri gravidæ ſi ſubito mammæ emacuerunt, abortus periculum eſt. 69, 21.

Muſculus percuſſus mortiferus eſt, præciſus ſanitatem recipit. 273, 15.

Mutare aliquid cum quis volet, paulatim debebit aſſueſcere. 21, 25.

Μυδρίασις. 350, 14. ejus curatio. 350, 16.

Μυρμήκια. 316, 7. medicamenta ad ea tollenda. 317, 7.

Myronis medicamentum ad papulas. 322, 23. ejuſdem medicamentum ad vitiliginem. 324, 5.

N

NAres. 477, 12. earum foramina. 477, 15.

Narium exulceratarum curatio. 361, 1. Narium carunculæ. 362, 10. earum curandarum ratio. 362, 12.

Narium fractarum curatio. 499, 13.

Natura inter ea quoque, quæ ars adhibet, plurimum poteſt. 64, 13.

Natura ſui corporis cuique noſcenda eſt. 24, 16.

Naturæ rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit. 11, 21.

Naturalia fœminarum concubitum non admittentia propter oras inter ſe glutinatas. 467, 7. hujus vitii curatio. 467, 13.

Nervorum doloris curatio. 34, 16. 162, 17.

Nervorum reſolutio. 160, 18. quæ ætas in hoc morbo proſit. 63, 6. quæ in eodem inimica ſint. 69, 13. ejus curatio. 161, 5.

Nervorum rigor. 176, 10. ejus tres ſpecies, ὀπισθότονος, ἐμπροσθότονος, τέτανος. 176, 11. curatio. 176, 16.

Nervorum tremoris curatio. 163, 16.

Nileus femur loco motum ex toto ſe reſtituiſſe, memoriæ mandavit. 533, 8. ad extendendum in hoc caſu femur machinamenta reperit. 533, 11.

Nilei malagma. 235, 9. ejuſdem collyrium. 337, 10.

Numenii malagma. 242, 13. πεωστός. 253, 3.

Nymphodorus. 533, 11.

O

OΒολός. 231, 1.

Oculi natura. 414, 1.

Oculi a medicis diu vexati, ſine his interdum convaleſcunt. 387, 11.

Oculi uvæ curatio. 413, 6.

Oculi ſcabri. 347, 13. ad eos medicamenta. 347, 14.

Oculorum inflammatio. Vid. Lippitudo. Eorum morbus, quo vel ambo, vel ſinguli minores fiunt, quam eſſe naturaliter debent. 339, 19. ejus cauſæ. 339, 20. curatio. 239, 22. aſpritudo. 345, 12. ejus curatio. 345, 15. caligo. 348, 17. ejus curandæ ratio. 348, 19. reſolutio. 350, 6. quemadmodum curetur. 350, 16. imbecillitas, qua quidam interdiu ſatis, noctu nihil cernunt. 351, 6. ejus curatio. 351, 8. Oculorum unguis. 405, 3. ejus curatio. 405, 6.

Omentum. 169, 2.

Ὠμοπλάται. 154, 8. 481, 14.
Ὀπισθότονος. Vid. Nervorum rigor.
Ὀφίασις. 326, 23. Vid. Areæ.
Opinio ejus rei, cujus non eſt certa notitia, certum reperire remedium non poteſt. 11, 17.
Oris reſolutio alvo cita finitur. 63, 10.
Oris ulcerum curatio. 368, 6. Oris ulcera ſi quando cancer invaſit, quemadmodum curentur. 373, 6.
Ὀρθόπνοια. 181, 5. Vid. Spirandi difficultas.
Ὀσχεόν. 436, 6.
Oſſa duobus modis ſedibus ſuis moventur. 521, 6.
Oſſibus, quæ inter ſe juncta ſunt, ſi diducta fuerint, quæ curatio ſit adhibenda. 521, 12.
Oſſis, quod pingue factum eſt, curatio. 486, 13. Oſſis caries. 486, 23. nigrities. ibid. utriuſque vitii curatio. ibid.
Oſſis vitiati excidendi ratio. 488, 13.
Οὐρητῆρες. 169, 5.
Ὄζαινα. 361, 9. vix curari poteſt. ibid. quæ in hoc vitio tentari poſſint. 361, 10. 424, 1.

P

PAlmæ prima pars ex multis minutiſque oſſibus conſtat. 484, 1.
Palmam explent recta quinque oſſa ad digitos tendentia. 484, 7.
Palmæ oſſium ſuis ſedibus promotorum curatio. 531, 10.
Palpebræ inter ſe & cum albo oculi cohærentes quemadmodum curari debeant. 407, 9. Palpebræ tuberculum a Græcis κριθὴ nominatum. 404, 8. ejus curatio. 404, 11. Palpebræ alia tubercula χαλάζια vocata. 404, 17. eorum curatio. 404, 20. Palpebræ ſuperioris oculum, prout debet, non contegentis curatio. 412, 3. Palpebræ inferioris vitium, quo hiat, neque poteſt cum ſuperiore committi. 412, 16. ejus curatio. 412, 21. Palpebrarum pili oculum irritantes. 409, 12. eorum curationes. 409, 17. Palpebrarum ſuperiorum veſicæ. 403, 13. earum curatio. 403, 16.
Panificia. 87, 11. 90, 10.
Panis. 88, 1. panis cibarius infirmiſſimus eſt. 88, 4.
Panis, tumoris genus. 305, 15. ad hunc malagma. 238, 1. in eo, ubi ferro agendum eſt, tota cutis ſuper pus excidenda. 391, 5.
Panthemi malagma. 236, 7.
Papulæ. 322, 11. papula, quam ἀγρίαν Græci appellant. 322, 15. ad eas medicamenta. 322, 19.
Παρακολλητικὴ emplaſtri compoſitio. 244, 6.
Παράλυσις. 160, 20. Vid. Nervorum reſolutio.
Παράλυσις oculorum. Vid. Oculorum reſolutio.
Παρασυνάγχη. 178, 17. Vid. Angina.
Παρωτίδες. 374, 15. ſicut ceteri abſceſſus curantur. 374, 18.
Παρουλίδες quemadmodum curentur. 370, 15.
Paſtilli. 231, 3. eorum compoſitiones. 250, 14.
Patella. 485, 7.
Pecten. 484, 17.
Pectoris os. 481, 6.
Pediculi inter pilos palpebrarum. 340, 8. hujus vitii curatio. 340, 11.
Periculum præceps ubi eſt, multa recte fiunt alias omittenda. 134, 28.
Περιπνευμονικὸς morbus. Vid. Pulmonis morbus.
Περιτόναιος. 170, 2.

Peſtilentia in febribus quam animadverſionem deſideret. 121, 6.
Πεσσοί. 252, 15.
Petro. 124, 25.
Φαγέδαινα. 299, 11. ejus curatio. 299, 17.
Phalangium ubi nocuit, quibus medicamentis utendum. 292, 12.
Φαρμακευτική. 3, 5.
Philalethes collyrium. 339, 7.
Philippus Epirotes. 145, 12.
Philocratis emplaſtrum. 249, 3.
Philonis collyrium. 332, 10.
Philotæ emplaſtrum. 244, 11.
Philotimus. 533, 8.
Philoxenus pluribus voluminibus χειρουργικὴν diligentiſſime comprehendit. 387, 17.
Φίμωσις. Vid. Colis glans.
Φλύκταιναι. 318, 1. Vid. Puſtulæ.
Φλυζάκιον. 318, 2. Vid. Puſtulæ.
Φρένησις. Vid. Inſania febricitantium.
Φθειρίασις. Vid. Pediculi &c.
Φθίσις. 151, 12. quæ ſpem in ea ſalutis faciant. 61, 11. quæ perniciem denuncient. 65, 21. ejus curatio. 152, 21.
Φύγεθλον. Vid. Panis, tumoris genus.
Φῦμα. 305, 5. ad hoc tuberculum medicamenta. 237, 4.
Piſtorium opus. 87, 17.
Pituitæ tenuis ex oculis curſus, ſi perſeveret, quemadmodum curetur. 341, 4. 417, 25.
Pituitam craſſiorem facientes res. 93, 11. Pituitam extenuantes. 93. 13.
Planta palmæ reſpondet. 486, 6.
Plantæ oſſium loco motorum curatio. 536, 8.
Πλευριτικὸς morbus. Vid. Lateris dolor.
Pliſtonicus, Praxagoræ diſcipulus, cibum in ventre putreſcere contendit. 5, 18.
Ποδάγρα. Vid. Articulorum vitia.
Podalirius Æſculapii filius. 1, 9.
Polyarchi malagma. 235, 5.
Polybi paſtillus. 251, 6.
Polypus narium. 362, 13. quo medicamento curetur. 362. 21. quemadmodum ferro tollatur. 423, 13.
Porrigo. 325, 9. ejus curatio. 325, 19.
Potio frigida ex labore ſudanti perniciofiſſima. 22, 24. Potio nimia cum omnibus febricitantibus aliena eſt, tum præcipue fœminis, quæ ex partu in febres inciderunt. 116, 19.
Potiones generis valentiſſimi. 90, 14. Potiones quæ ſunt in media materia. 90, 17. ex aqua omnium imbecilliſſimæ ſunt. 90, 19.
Præcordia qualia in febre ſecuritatem pollicea[n]tur. 45, 19. qualia periculum oſtendant. 45, 18.
Praxagoras. 2, 20.
Proprietates quædam hominum ſunt, ſine quarum notitia non facile quidquam in futurum præſagiri poteſt. 43, 9.
Πρόπτωσις. 337, 5. ejus curatio. ibid.
Protarchus machinamentum reperit ad extendendum femur ſua ſede elapſum. 533, 12.
Protarchi malagma. 237, 13. ejuſdem medicamentum ad ſcabiem. 320, 11.
Pſylli. 290, 1.
Πτερύγιον. Vid. Oculorum unguis.
Ptolemæi chirurgi medicamentum ad aures purulentas. 355, 21.
Pueritiæ morbi. 41, 6.
Pulmo. 166, 22. Pulmonis morbus. 193, 4. quæ notæ in eo ſpem oſtendant. 60, 18. quæ periculum denuncient. 65, 1. ejus curatio. 193, 11. Pulmonis icti notæ. 268, 8.
Purgantia vulnus medicamenta. 224, 7.

Purgationes ut interdum neceſſariæ, ſic, ubi frequentes ſunt, periculum afferunt. 26, 18. ſi nimis valentibus medicamentis fiunt, pernicioſæ ſunt. 25, 20.
Puris boni notæ. 61, 6. 271, 7. Puris mali notæ. 65, 18. 171, 20.
Puſtulæ. 317, 13. earum plura genera. ibid. curatio. 318, 15.
Puſtularum, quæ in oculis ex inflammatione oriuntur, curatio. 338, 25.
Πυλωρός. 168, 9.
Pythagoras. 2, 16.
Pythagorici numeri. 111, 15.
Pyxinum collyrium. 344, 11.

Q

QUartana febris. 106, 3. æſtiva fere brevis eſt. 63, 19. autumnalis longa. 69, 23. cum vetus facta eſt, raro, niſi vere, ſolvitur. 132, 17. ejus curatio. 130, 8. quæ curatio adhibenda, ſi duæ quartanæ ſunt. 132, 10.
Quotidianarum febrium genera. 106, 13.
Quotidianæ febris, quæ certum circuitum habet, curatio. 129, 3.

R

RAdius. 483, 4.
Ramex. 438, 15. ejus curatio. 439, 12. 447, 10.
Ramex inguinis. 439, 10. ejus curatio. 439, 12. 449, 11.
Refrigerantes res. 95, 15.
Regius morbus. Vid. Arquatus. cur regius dictus. 159, 9.
Renes. 167, 13. Exulceratos eos eſſe, quibus notis deprehendatur. 55, 7. Vbi affecti ſunt, diu male habent. 199, 3. quæ curatio ſit adhibenda. 199, 4.
Renum percuſſorum notæ. 268, 18.
Reprimentia medicamenta. 223, 16.
Res materiæ valentiſſimæ. 87, 10. mediæ materiæ. 87, 18. materiæ imbecilliſſimæ. 87, 22. Res quæ facile intus corrumpuntur. 95, 20. quæ minime intus vitiantur. 96, 3.
Ῥαγάδια. Vid. Ani ſciſſuræ.
Rhinion collyrium. 347, 8.
Ῥίζαγρα. 426, 9.
Ῥῆξις. 186, 5. Vid. Sanguinem qui exſpuunt.
Ῥυάς. 405, 27.
Ῥυπῶδες emplaſtrum. 247, 8.
Rodentia medicamenta. 225, 5.

S

SAnguis inciſa vena miſſus quinam vitioſus, quinam integer. 74, 13. interdum, ſi morbus id deſiderat, mitti debet, quamvis corpus vix pati poſſe videatur. 72, 5. numquam poſt diem quartum utiliter emittitur. 72, 26. ejus mittendi ſemper ante finis faciendus, quam anima deficiat. 74, 19. Sanguinem in cruditate non eſſe mittendum, perpetuum non eſt. 72, 16. Sanguinis natura non eſt, ut caleat; ſed hic vel caleſcit, vel refrigeſcit ex iis, quæ in homine ſunt. 176, 20. Sanguis ex vulnere exiens, qui bonus. 271, 8. qui malus. 271, 6. Sanguinem ſupprimentia medicamenta. 223, 4.
Sanguinem qui exſpuunt, alii majore in periculo ſunt, alii minore, pro vitii, locique, unde ille exit, diverſitate. 185, 12. qua ratione curentur. 186, 21.
Sanguiſugæ epotæ remedia. 294, 25.
Sanies quænam bona. 271, 14. quænam mala. 271, 12.
Sanus homo & bene valens quemad-

modum ſe gerere debeat. 18, 8.
Σαρκοκήλη. 439, 6. ejus curatio. 439, 12. 449, 1.
Σαρκόφαγος lapis. 220, 18.
Satietas nimia numquam eſt utilis. 20, 18.
Scabies. 319, 15. ejus quædam ſpecies, quam ἀγρίαν Græci vocant. 320, 4. curatio. ibid.
Scalpellus. 74, 3. Scalpellus adverſus. 408, 4. averſus. 389, 2. Scalpelli manubriolum. 441, 19.
Scalper exciſorius. 489, 14.
Scamnum ad extendendum femur loco motum, cum in ſuam ſedem reſtituitur. 534, 7.
Scapularum lata oſſa. 481, 13.
Scorpio ipſe ſibi pulcherrimum medicamentum eſt. 291, 12. ad ejus ictum medicamenta alia. 291, 17.
Scrotum. 436, 6.
Scutula operta. 481, 13.
Secunda menſa in ſtomacho imbecillo coaceſcit, bono nihil nocet. 21, 4.
Secundæ. 470, 23.
Seminis nimia profuſio, quæ ſine venere, ſine nocturnis imaginibus fit. 216, 3. hujus vitii curatio. 216, 5.
Senectus longis morbis patet. 38, 16. Senectutis morbi. 42, 5.
Senſus excitantes res. 98, 16.
Septemtrionales venti. 38, 7.
Septum tranſverſum. 167, 1. ejus percuſſi indicia. 270, 5.
Serapion. 3, 9. ejus medicamentum ad impetiginem. 322, 9.
Serpentium morſus. 288, 2. eorum communis curatio. 289, 15.
Signa in febre ſalutaria. 43, 14. ſigna mala. 45, 4. ſigna morbi longius tempus duraturi. 47, 16. ſigna mortis. 48, 5.
Silanus. 237, 17.
Singultus ſternutamento finitur. 63, 15.
Σηπτὰ emplaſtra. 247, 23.
Smaragdinum emplaſtrum. 243, 17.
Σμίλιον collyrium. 342, 9.
Sol, ad movendum ſudorem, non convenit, niſi robuſtis. 84, 6.
Somno aptæ res. 98, 14.
Somnus in febre quinam bonus. 43, 17. quinam malus. 45, 7.
Soſagoræ malagma. 241, 7.
Soſtratus chirurgus. 387, 19. ventris fiſtulas inſanabiles credidit. 395, 11. umbilici prominentis tres cauſas eſſe dixit. 429, 5.
Specillum. 360, 15. Specillum oricularium. 357, 22.
Sphærion collyrium. 343, 1.
Σφαγίτιδες venæ. 166, 8.
Σφραγίς. Vid. Polybi paſtillus.
Spina conſtat ex vertebris quatuor & viginti. 479, 5.
Spirandi difficultas. 180, 21. ejus ſpecies tres. 181, 2. curatio. 181, 10.
Σταφύλωμα. Vid. Oculi uva.
Στεατώματα. 402, 2. eorum curandorum ratio. 402, 22.
Sternutamentum in febre inter bona indicia eſt. 44, 5. in pulmonis morbo periculoſum habetur. 65, 8. Sternutamentum levat mulierem, quæ locis laborat, aut difficulter partum edit. 63, 16.
Stomachus. 166, 12. 167, 16. Stomacho cum veſica quædam conſortio eſt. 465, 13. Quæ conveniunt ſtomacho, non omnia boni ſucci ſunt. 95, 2. Quæ ſtomachum infirmum indicent. 33, 22. In ſtomacho plura longa vitia incidere conſuerunt. 188, 3. Stomachi exæſtuantis remedia. 188, 8. Stomachi inflationis curatio. 188, 12. inflammationis curatio. 188, 25. exulcerationis curatio. 189, 4. reſolutionis curatio. 189, 20. Stomachi pituita impleti auxilia. 189, 10. bi-

le

le vitioſi curatio. 189, 14. Stomachi percuſſi notæ. 269, 18. Stomacho aptæ res. 93, 14. Stomacho alienæ. 94. 8.
Στομωτικά malagmata. 240, 1.
Στραγγουρία. 39, 7.
Struma. 303, 16. ejus curandæ ratio. 304, 1.
Subſolani venti. 38, 7.
Sudationes naturales ſuper Bajas in myrtetis. 84, 2. 146, 5.
Sudor quinam in febribus bonus. 44, 3. quinam malus. 46, 7. 50, 4. Sudor quot modis eliciatur. 83, 25.
Suffuſio. 349, 19. ejus curatio. 350, 2. 415, 12.
Sumbruinarum medicati fontes. 189, 27.
Suppuratio quibus morbis excitetur. 58, 1.
Suppurationis indicia. 59, 12. Ex ſuppurationibus quænam tolerabiles. 61, 2. quænam peſſimæ. 65, 12. Suppurationes in aliqua interiori parte natæ quemadmodum curentur. 164, 4.
Sura. 485, 14.
Surculus corpori infixus qua ratione educatur. 286, 2.
Sutura vulneris. 273, 22.
Suturæ quæ in calvaria ſunt. 476, 13. Nec numerus earum, nec locus certus eſt. ibid. Quo pauciores ſunt, eo commodior capitis valetudo. 476, 11.
Σύκωσις. 326, 4. ejus duæ ſpecies. 326, 6. ad utramque ſpeciem medicamenta. 326, 11.
Συνάγχη. 178, 12. Vid. Angina.

T

TAbis ſpecies tres. 150, 9.
Talorum tranſverſum os. 485, 20. Tali ſua ſede elapſi curatio. 535, 14.
Τεινεσμός. 210, 2. ejus curatio. 210, 8.
Tela, quæ illata corporibus intus hæſerunt, quemadmodum evellantur. 397, 18. Ratio ſagittarum recipiendarum. 399, 4. lati teli educendi. 400, 3. plumbeæ glandis, aut lapidis evellendi. 400, 16. Telo venenato icti qua ratione curandi. 401, 19.
Tempus ægris matutinum leviſſimum eſt. 114, 7. gravius meridianum. 113, 25. veſpertinum graviſſimum. 114, 2.
Τέφριον collyrium. 335, 2.
Terebrarum genera duo. 488, 17.
Tertianæ febris ſpecies duæ. 106, 5. Tertianæ febris, quæ ex toto intermittit, curatio. 129, 9.
Teſticulorum natura. 435, 13. Teſticulorum inflammationis curatio. 380, 14. eorumdem ex ictu tumentium curatio. 381, 7.
Teſticuli nervus interdum plenior fit, ſimulque indureſcit. 439, 9. id neque manu curari, neque medicamento poteſt. 449, 3.
Τέτανος. Vid. Nervorum rigor.
Τεθεραπευμένα. 246, 8.
Τετραφάρμακον emplaſtrum. 245, 4.
Tharrias. 142, 23. 149, 7.
Themiſon, ex Aſclepiadis ſucceſſoribus, quædam in ratione medendi ſenex mutavit. 3, 19. nullius cauſæ notitiam quidquam ad curationem pertinere, ſatiſque eſſe, quædam communia morborum intueri, contendit. 13, 21. morborum tria genera eſſe docuit. 13, 23. medicinam ita finivit, ut quaſi viam quamdam, quam μέθοδον Græci nominant, eſſe diceret. 14, 6. ab eo tempore, quo deſiſſet febris, aut levata eſſet, exſpectato die tertio, cibum dabat. 108, 24. ſi duabus horis integer futurus eſſet æger, ſatius eſſe putabat tum alimen-

mentum dare. 111, 26. memoriæ prodidit, in torminibus muriam duram tepidam ex inferioribus partibus infundendam eſſe. 206, 22.
Themiſonis compoſitio ad aurium inflammationes & dolores. 354, 16.
Theodotus quæ adjecerit Attalio collyrio. 334, 4. ipſius collyrium. 334, 7.
Theoxeni malagma. 242, 9.
Θυρέωμα. 299, 4. ejus curatio. 299, 17.
Θύμιον. 315, 15. ſæpe per ſe finitur. 316, 15. quibus medicamentis tollatur. 317, 7.
Tibia. 485, 16.
Timæi compoſitio. 255, 13.
Tonſillarum ex inflammatione tumentium curatio. 366, 11. exulceratarum curatio. 367, 18. Tonſillarum, quæ induruerunt, curatio. 426, 10.
Tormina. 205, 15. quæ minime periculoſa. 62, 23. quæ mortifera. 67, 23. hujus morbi curatio. 206, 8.
Τροχίσκοι. 231, 3.
Tryphon pater, Romæ χειρουργικῆς profeſſor, aliquantum ei diſciplinæ adjecit. 387, 21. ejus medicamentum ad varos, lenticulas, & ephelidas. 327, 23.
Tuſſis. 184, 2. modo arida eſt, modo pituitam citat. 184, 11. ejus curatio. ibid.
Τυμπανίτης. 144, 15. ejus curatio. 147, 15.

V

Valetudo olim plerumque bona contingebat ob bonos mores. 2, 3. in bono tempeſtatum habitu certior eſt. 38, 10. Adverſæ valetudinis inſtantis ſigna. 42, 15.
Vari. 327, 8. quibus medicamentis tollantur. 327, 16.
Varices. 435, 7. 473, 10. eorum curatio. 373, 12.
Venarum pulſus res eſt fallaciſſima. 116, 25.
Venenorum maxima pars frigore interimit. 290, 23. Venenum ſerpentis & quædam venatoria venena, non guſtu, ſed in vulnere nocent. 290, 2.
Ventriculus. 168, 2. Ventriculi vulnerati notæ. 269, 22.
Ventus fere ubique a mediterraneis regionibus veniens ſalubris, a mari gravis eſt. 38, 8.
Venus vere tutiſſima eſt. 30, 2. neque æſtate, neque autumno utilis; ſed tolerabilior tamen per autumnum. 30, 18. hieme non æque perniciofa eſt. 29, 26.
Ver omnium anni temporum ſaluberrimum eſt. 37, 15. Vere qui morbi oriri maxime conſueverint. 38, 20. quo victu ſit utendum. 29, 26.
Veratrum album, vomitus cauſa, neque hieme, neque æſtate recte datur. 78, 27.
Vermes in auribus orti quibus medicamentis enecentur, quaque ratione educantur. 357, 22.
Vertebræ. 479, 5. loco motæ curationem non habent. 525, 19.
Veſica. 169, 7. Veſicæ vulneratæ notæ. 270, 8. Indicia veſicæ exulceratæ. 54, 17.
Vinum Allobrogicum. 190, 4. Aminæum. 174, 13. 211, 21. aſperum. 98, 2. auſterum. 90, 17. 94, 4. 96, 8. dilutum. 31, 19. dulce. 90, 15. 92, 6. Græcum ſalſum. 132, 24. 158, 29. 162, 15. integrum. 159, 4. lene. 92, 7. 189, 9. leve. 207, 4. 210, 15. meracum. 98, 2. merum. 200, 18. miſtum. 363, 13. pingue. 90, 18. 120, 13. reſinatum.

tum. 94, 4. 96, 8. Rheticum. 190, 3. ſalſum. 33, 1. 96, 19. Signinum. 190, 3. 213, 9. ſubauſterum. 121, 3. tenue. 98, 12. 183, 3. vehemens. 90, 15. vetus. 95, 11. Vinum paucorum annorum. 90, 17. Quodnam vinum pueris, quodnam ſenibus ſit aptius. 29, 14. Vinum vulneri inimiciſſimum. 277, 1.

Vitiligo. 323, 5. ejus tres ſpecies. 323, 6. Ad eas medicamenta. 323, 22.

Vlcera in hydropicis non facile ſaneſcunt. 145, 2.
Vlcera ex hiberno frigore. 303, 3. eorum curatio. 303, 8. Vlcera in oculis ex puſtulis facta. 339, 13. Eorum curatio. ibid.

Vmbilici prominentis cauſæ. 429, 3. curatio. 374, 24. 429, 24.

Vncia pondus habet ſeptem denariorum. 230, 13.

Vncus ad calculum ex veſica extrahendum. 456, 12.

Vngues non oſſibus, ſed carni magis radicibus ſuis inhærent. 484, 12. Vnguium ſcabrorum curatio. 386, 13.

Vomitus quibus ſit inutilis. 26, 6. quibus utilis. 26, 7. Vomitus ventrem ſolutum comprimit, compreſſum ſolvit. 29, 6. utilior eſt hieme, quam æſtate. 26, 4. in febre qui ſit ſine periculo. 44, 10. qui periculoſus. 46, 22. 50, 5.

Vrbanorum magna pars imbecilla eſt valetudine. 19, 6.

Vrina quænam integrum eſſe corpus oſtendat. 19, 21. in febribus quæ bona ſit. 44, 11. quæ mala. 46, 23. 50, 8. Vrinæ difficultas. 39, 7. ad Vrinam ſuper potionum modum profluentem remedia. 215, 14. Vrinæ, quæ naturaliter non redditur, manu emoliendæ ratio. 451, 14.

Vrinæ iter. 169, 13. ſenectute collapſum eam reddi naturaliter prohibet. 451, 15.

Vrinam moventes res. 99, 2.

Vvæ inflammationis curatio. 372, 7. Vvæ a pituita ultra juſtum modum deductæ curatio. 426, 19.

Vulnera. 272, 3. quænam ſint inſanabilia. 266, 17. quæ difficilem curationem habeant. 266, 22. Quæ ſigna in vulneribus bona ſint, & quæ mala. 277, 3. Vulneris color qui bonus. 277, 24. qui malus. 277, 22. Vulnerum curatio. 272, 3. Vulneris purgandi ratio. 280, 5. implendi ratio. 280, 12.

Vulva. 169, 16. ejus natura mirabilis eſt. 468, 3. Morbus ex vulva fœminis naſcens. 213, 14. ejus curatio. 213, 20. Ad vulvam exulceratam medicamenta. 214, 10. Vulvæ os procidens quemadmodum curetur. 385, 1. Vulvæ percuſſæ indicia. 269, 4.

X

Ξηροφθαλμία. Vid. Lippitudo arida.

Z

ZEno. 222, 8.
Zopyri antidotum. 258, 3.
Ζυγῶδες. Vid. Jugale os.

FINIS.

Pag. 548. *v.* 4. *ita legendum*: ac ſtudiis me tuis juvare & poſſe jam &c.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. *Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor Generale del Santo Officio di Venezia, nel Libro intitolato = *A. Corn. Celſi Medicinæ Lib. VIII. ex recenſione Leonardi Targæ &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giovanni Manfrè* Stampator di Venezia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 23. Luglio 1766.

(*Angelo Contarini Proc. Riſ.*
(*Andrea Tron Kav. Riſ.*
(*Girolamo Grimani Riſ.*

Regiſtrato in Libro a Carte 287. al num. 1854.

Davidde Marcheſini Segr.